BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
1 H
12

14-17.I.5

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# GVLIELMI
# CAMERARII
# SCOTI,

Congregationis Oratorij Domini
IESV Preſbyteri,

SELECTÆ

## DISPVTATIONES PHILOSOPHICÆ,
IN TRES PARTES DISTRIBVTÆ,

## PARS PRIMA.

*Præcipuas diſputationes Logicæ & Moralis Philoſophiæ complectens.*

PARISIIS,
Apud ANTHONIVM DE SOMMAVILLE, in parua
aula Palatij, ad inſigne Regium.

M. D. XXXVII.
*CVM PRIVILEGIO REGIS.*

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

# VRBANO VIII.

## PONTIFICI OPT. MAX.

*Gulielmus Camerarius, Congregationis Oratorij Domini Ieſu Preſbyter, Salutem plurimam, & æternam fœlicitatem.*

DEBEBAM tibi, Beatiſsime Pater, qualeſcũque fuiſſent illi, primos ingenij & laboris mei partus; tua ſiquidem beneuolentia leniter aſpirante radices egit in me Philoſophia, & tandem ad maturam frugem poſt triennalem cultum perducta, ſub vmbra nominis & purpuræ tuæ (cum adhuc te Protectore gaudebat Scotia) vltimę diſputationis tulit ardorem. Non laboro vt tibi tempus & ordinem rei in memoriam reuocem; nec enim ſolet obliuiſci Sanctitas tua, niſi à quibus lęſa fuerit. Et quamquam numerum, ſi tamen numerus dicendus eſt

eorum quos beneficijs deuinctos habes, ne Cyri quidem memoria cōplecti poſsit, ſum ita clarus præ cæteris, vt ſi fortaſſe plures alij, certè ego nunquam è recordatione tua exciderem. Præterea habes in Vrbe fratrem meum, quem totum, quæ tua eſt humanitas, vt opinor, diliges, nec diuides vnquam beneuolentia tua, quos natura & fraterna charitas vnum fecit. Mihi quidem manebat alta mente repoſitum debitum iſtud, & ampliſsimi theſauri loco reputabam apud me. Quoties illius recordabar, toties mihi blandiebar. Videbam enim, cum honeſtum fuiſſet & lucri plenum illud contrahere, glorioſum omnino mihi, nec minoris vtilitatis futurum, diſſoluere. Quamuis nec ijs ſolui poſſe quod debetur exiſtimo, qui beneficium accipiendo conduplicant; talis vero conditio tua eſt, vt ſiue des, ſiue recipias, vna ſit & ſumma dignatio. Sed quicquid ſit, certè conſcientia mea id flagitat, vt quandoquidem operam hanc meam in vtilitatem rei literariæ deſtino, faciam, quod ſciant omnes quibus proderit, non habendam mihi gratiam, ſed Sanctitati tuæ, quæ deuotum ſibi, & tot nominibus acquiſitum opus,

publicis commodis conceſſerit. Ita proprij generis obſcuritatem exuet, & quam ab authoris ſui nomine non accepit auctoritatem & pondus, Donatoris fama conſequetur. Excipient omnes, non vt priuati ex ingenio natum opus, ſed vt ſummi omnium Parentis donum; & plus profecto effecerit in Philoſophorum ingenijs nomen tuum, quam illud omne quod à me in doctrinæ meæ fidem rationum congeſtum eſt. Si enim primam illam in Republica Chriſtiana dignitatem ſuſpexerint, fierine poterit vt ſuſpicentur aliquid, aut erroris in pietatem, aut prauitatis in mores, continere librum hunc, qui à ſummo Pontifice promanarit, & ab eo Pontifice, cujus Sanctitatem in primis, ſingularem in reprimendis erroribus prudentiam, in promouenda pietate incredibilem zelum., Chriſtianus orbis admiratur? Si vero ad ea ſe conuerterint ornamenta ingenij, quæ te tantum doctis ſuperiorem faciunt, quantum cæteris dignitate præcellis, quos hoſtium inſultus metuet Philoſophia noſtra, quæ acerrimum ſapientiſsimi viri, omnique genere doctrinæ excultiſsimi, judicium non formidarit? Vale.

# Epiſtola ad lectorem.

*AMICE Lector, cum inſtarent apud me ij quorum precibus denegare nihil poteram, vt facerem publici juris quæ in Philoſophiam Peripateticam priuatis meditationibus comparaueram mihi, viderem tamen tantam eſſe in hoc genere ſcriptionis authorum turbam, qui eadem ſemper pro nouis afferrent, vt non tam expedirent rem literariam, quam onerarent; ſtatui hanc viam eligere, qua, dum amicorum hominum authoritati ſuccumbo, publicis Philoſophorum commodis inſeruiam. Inde mihi natum conſilium eſt illa omnino omittere, quæ aut non magni momenti, aut eadem apud omnes habentur (his enim implere chartas cum ſit facillimum, non videtur ad ſcriptoris nomen ſufficere) præcipuas verò quæſtiones, in quibus meum aliquid videre poſſes, edere in lucem. Plures ſunt, in quibus Doctorem ſubtilem ſecutus ſum; non affectu gentili Scotici nominis (quod mihi credas) ſed amore veritatis, quam in viri illius ſcriptis agnoui. Plures etiam, in quibus ſolus fere hujus temporis videri poßim. Nec tamen apud te nouitatis nomine, ſed antiquitatis authoritate gratiam quæro. In his ſiquidem conſenſum antiquorum, & rationum fortaſſe pondus miraberis. Cæterum, ne, vt ait Cicero, animus abducatur à grauitate ſententiæ ad ornatum orationis, eum ſcribendi modum adhibui, quo Philoſophi noſtri temporis vtuntur. Vale.*

Digitized by Google

# INDEX DISPVTATIONVM
## HVIVS PRIMÆ PARTIS.

### QVÆSTIO PRIMA,

De Logicæ Objecto.

*IN qua primo explicatur, quid Objecti nomine intelligatur, & quotuplex illud ſit. Deinde ſtatuitur voces, res omnes, aut operationes intellectus, quomodocunque ſumptas, non eſſe Logicæ objectum, ſed ens rationis Logicum, quatenus directiuum operationum intellectus.*

### QVÆSTIO SECVNDA,

De Cognito, Prædicato, Subjecto, &c.

*In qua contra Recentiores oſtenditur hujuſmodi concreta formaliter non eſſe denominationes extrinſecas, ſed entia rationis; eaque ſequi ad directam & ſimplicem operationem potentiæ intellectiuæ.*

### QVÆSTIO TERTIA,

An Logica ſit Scientia.

*In illa autem declarantur variæ acceptiones nominis,* Scientia, *& nominis,* Ars, *concluditurque Logicam non eſſe habitum purè inſtrumentarium, nec artem propriè dictam, ſed veram Sientiam. & denique oſtenditur, Logicam aliam eſſe docentem, aliam vtentem, & vtramque formaliter tantum diſtingui.*

### QVÆSTIO QVARTA,

Vtrum Logica ſit Scientia ſpeculatiua, vel practica.

*In eaque oſtendit Author praxim propriè dictam non eſſe operationem intellectus, ſed voluntatis; & per conſequens Logicam non eſſe Scientiam practicam, ſed ſpeculatiuam. & deinde explicat duplicem ejus finem, intrinſecum videlicet, & extrinſecum. ac tandem duplicem ejuſdem definitionem tradit.*

## QVÆSTIO QVINTA,

Vtrum ad aliarum Scientiarum perfectam acquiſitionem Logica ſit ſimpliciter neceſſaria.

*In eaque demonſtratur Logicam artificialem ſimpliciter neceſſariam eſſe, tam ex mente Ariſtotelis, quam in rei veritate.*

## QVÆSTIO SEXTA,

An detur vniuerſale à parte rei.

*In ea variæ diuiſiones vniuerſalis proponuntur, & explicantur. Vnitas formalis latè demonſtratur. & tandem concluditur vniuerſale Logicum fieri per operationem directam & abſolutam intellectus poſſibilis, vniuerſale vero Metaphyſicum formaliter eſſe à parte rei, argumentiſque contrarijs clariſſime ac fuſiſſime reſpondetur. Ex quibus tanquam Corollaria deducuntur, Gradus Metaphyſicos nemine cogitante inter ſe diſtingui, & principium indiuiduationis à natura indiuiduata.*

## QVÆSTIO SEPTIMA,

De Numero Vniuerſalium.

*In hac primò probatur numerum vniuerſalium formaliter non eſſe quinarium, nec quinario majorem. Secundò, genus & ſpeciem eſſe duo vniuerſalia diſtincta. Tertiò, genus & ſpeciem eſſe formaliter vniuerſalia. Quartò denique, non dari niſi duo hæc vniuerſalia, quamvis dentur quinque Prædicabilia.*

## QVÆSTIO OCTAVA,

De ſummo genere in Prædicamento ſubſtantiæ.

*In qua demonſtratur primo contra Nominales, ab hoc prædicamento excludi Deum, quamvis ſubſtantia in tota ſua latitudine illi & creatis ſubſtantijs vniuocè conueniat. Secundo, oſtenditur corpus non eſſe ſummum genus hujus prædicamenti. Tertio, defenditur Angelos & Cælos eſſe in Prædicamento, & conſequenter ſummum genus eſſe ſubſtantiam completam, finitam.*

QVÆSTIO

## QVÆSTIO NONA,

An dentur Relationes reales in creatis.

*In hac primo in vtramque partem diſputatur quæſtio, & vtriuſque partis argumenta ſoluuntur, quamvis probabilius relinquatur eſſe reales. Secundo, ſuppoſito quod dentur relationes reales, probatur eaſdem nemine cogitante à fundamento diſtingui. Tertio, conuincitur vnam relationem, aliam, ſine vllo in infinitum proceſſu, fundare. Quarto, ſtatuitur relationem multiplicari ad numericam multiplicationem terminorum. Tandem longè verius judicatur relationem terminari ad abſolutum non ad reſpectiuum.*

## QVÆSTIO DECIMA,

De Relationibus intrinſecus & extrinſecus aduenientibus; & de Tranſcendentalibus.

*In illa celebris diuiſio Relationis, in extrinſecus, & intrinſecus aduenientem, recipitur, ac validè confirmatur. Poſtea, Relationes eſſentiales rebus abſolutis, quas Recentiores tranſcendentales appellarunt, exagitantur. Denique, Recentiorum argumentis clare reſpondentur.*

## QVÆSTIO VNDECIMA,

De veritate Propoſitionum ſingularium de futuro contingenti.

*In illa primo loco clariſſimè euincitur, ſi veritatem ſpectemus, alteram eſſe determinatè veram, alteram determinatè falſam. Secundo, refertur, & multipliciter impugnatur realis præſentia rerum ab æterno in æternitate, ad quam aduerſarij confugiunt. Tertio, ad argumenta aduerſariorum reſpondetur.*

## QVÆSTIO DVODECIMA,

De veritate prædictarum Propoſitionum ex mente Ariſtotelis.

*In hac primo ex D. Boetio, Ammonio, & D. Thoma, oſtenditur pro determinata veritate prædictarum propoſitionum ſtare Philoſophum. Secundo, idem ex ipſo Ariſtotelico textu euidenter deducitur. Denique, Recentiorum contra ſentientium fundamenta proponuntur, & ſoluuntur.*

ẽ

## QVÆSTIO DECIMATERTIA,

### De figura Galeni.

*In ea primo ex ipſo Ariſtotele oſtenditur dari Figuram Galeni. Secundo, probatur illam à prima communiter recepta diſtingui; imo & multo perfectiorem, & naturalem illa eſſe. Tertio, Auerrois, Recentiorũque objectiones diſſoluuntur; in illarumque ſolutione oſtenditur Præmiſſarum tranſpoſitionem, ad mutationem, perfectionem, diſtinctionem figurarum ſufficere, &c. modique tam directi quam indirecti Galenicæ Figuræ proponuntur.*

## QVÆSTIO DECIMAQVARTA,

### Quid ſit opinio, & an formido ſit de ejus eſſentia.

*In hac primo variæ acceptiones opinionis enumerantur. Deinde opinio propriè ſumpta definitur. Tertio, diſcrimen ponitur inter opinonem & ſuſpicionem. Quarto, pronunciatur formidinem, ſi per illam intelligatur negatio vel priuatio certitudinis & euidentiæ, non poſſe intrinſecè conſtituere opinionem; ſi tamen intelligatur, non tam negatio firmi, certi, & euidentis aſſenſus, quam poſitiuus ordo, vel habitudo quam dicit aſſenſus opinatiuus ad objectum & medium contingens, eſſe de intrinſeca ratione opinionis, & habitudinis fundamentum eſſe differentiam eſſentialem. Tandem, ſtatuitur formidinem ſumptam, tam pro negatione firmi, certi, & euidentis aſſenſus, quam pro dicta poſitiua habitudine, ſemper cum opinione conjunctam eſſe.*

## QVÆSTIO DECIMAQVINTA,

### An, & qua ratione opinio & ſcientia ſimul eſſe poſſint.

*In ea duo oſtenduntur. Primum, ſcientiam actualem & opinionem actualem ſimul in eodem de eadem re eſſe non poſſe. Secundum, ſcientiam habitualem & opinionem non poſſe eſſe ejuſdem omnino rei in eodem intellectu. Subjunguntur deinde ſolutiones ad Neotericorum argumenta.*

## QVÆSTIO DECIMASEXTA,

### An Scientia habirualis totalis ſit vna ſimplex qualitas.

*In illa tria præſtantur.* Primo, *contra Thomiſtas ſtatuitur ſcientiam*

Digitized by Google

*habitualem totalem non eſſe vnam ſimplicem qualitatem in genere entis realis & Phyſici. Secundo, ipſorum argumentis in contarium occurritur. Tertio, denique contra Capreolum, Soncinatem, alioſque, probatur ſcientiam habitualem totalem non eſſe coordinationem ſpecierum quæ manent poſt ſcientias actuales.*

### QVÆSTIO DECIMASEPTIMA,

De ſubjecto habituum.

*In qua primo contra Gulielmum Pariſienſem probatur habitus eſſe neceſſario admittendos. Secundo oſtenditur in intellectu, voluntate, ſenſibus internis, potentia motiua, &c. eſſe habitus.*

### QVÆSTIO DECIMAOCTAVA,

De concurſu habitus ad actus.

*In illa clarè probatur habitus non concurrere effectiuè ad ſubſtantiam actus, ſed tantum ad modum illius.*

# INDEX DISPVTATIONVM MORALIVM.

### QVÆSTIO PRIMA,

In quo conſiſtat beatitudo ſupernaturalis.

*In hac primo dinſtinguitur beatitudo, in formalem, & objectiuam. Deinde, beatitudinis formalis completæ definitio traditur. Poſtea, probatur beatitudinem formalem ſupernaturalem via originis, conſiſtere in viſione; via perfectionis in amore, vbi & concluditur voluntatem eſſe præſtantiorem intellectu; via adæquationis, tum in viſione, tum in amore; ſimpliciter tamen & abſolutè loquendo, in amore. Denique, oſtenditur beatitudinem nec in illapſu, nec in gaudio collocatam eſſe.*



Digitized by Google

## QVÆSTIO SECVNDA,

An voluntas poſſit velle malum, quà malum.

*In qua, ſuppoſita & explicata diuiſione voluntatis, in voluntatem amicitiæ, & concupiſcentiæ, pronunciatur cum Doctore Subtili, aliiſque, voluntatem poſſe ferri in malum, quà malum, voluntate amicitiæ; quamuis in illud ferri non poſſit voluntate concupiſcentiæ. Poſtea, oſtenditur ens, quà ens, eſſe objectum intellectus. Denique, euincitur dari actum neutrum, ideſt, qui nec ſit finis, nec mediorum.*

## QVÆSTIO TERTIA,

In quo conſiſtat formaliter malum, ſeu peccatum.

*In illa fusè refelluntur, qui rationem peccati in aliquo poſitiuo arbitrati ſunt conſiſtere, ipſorumque argumentis ſit ſatis. Poſtea, decernitur peccatum formaliter dicere priuationem, ejuſque ſubjectum eſſe potentiam, non actum.*

## QVÆSTIO QVARTA,

In quo conſiſtat Libertas.

*In qua primo euincitur hominem eſſe liberum. Quo ſuppoſito, Libertas diuiditur in libertatem defectibilitatis, & in libertatem quæ talem defectibilitatem non includit. Et tandem ſtatuitur veram & propriè dictam libertatem non inuoluere defectibilitatem, ſed conſiſtere in indifferentia ſolum ad multa* ſeruato ordine finis.

Digitized by Google

*Approbationes Doctorum.*

SElectæ Diſputationes Philoſophicæ per R. P. Gullielmum Camerarium, Preſbyterum Oratorij D. N. Ieſu, & in Andina Vniuerſitate Philoſophiæ Profeſſorem, eximiam doctrinam continent; & cum ſubtilitatis habeant multum, ſoliditatis habent plurimum. Ita teſtor. Cenomani in Seminario PP. Oratorij D. N. Ieſu, 8. Auguſti 1629.

Ludouicus de Morainuilliers, Doctor Sorbonicus, & Preſbyter Congreg. Orat. D. N. Ieſu.

NOs infraſcripti Magiſtri in Theologia, fatemur ſatis attentè perlegiſſe librum, cui titulus eſt, *Quæſtiones Philoſophicæ Peripateticæ, &c.* in quo nihil repetimus quod ſit diſſonum fidei Catholicæ & Orthodoxæ; imò author operis R. P. Gullielmus Camerarius, in hac celebri Andium Vniuerſitate Profeſſor, mira cum dexteritate ingenij opus iſtud perfecit. ideo dignum quod in communem vtilitatem typis excuſum in lucem prodeat, cenſuimus. Datum Andegaui 10. Aprilis 1629.

F. Ioannes Gohier, Guardianus Minorum Andegauenſium, Doctor Pariſienſis.

F. Iulianus Ioubert, Prior Prædicatorum Lugduni, Doctor Pariſienſis.

F. Petrus Cherbonneau, Prior Prædicatorum Andegaui, Sacræ Theologiæ Doctor.

## *Extraict du priuilege du Roy.*

PAR priuilege du Roy, en datte du 31. Decembre 1629. ſigné par le Roy en ſon Conſeil, Daudiguier, & ſeellé en cire jaune; Il eſt permis au R. Pere Guillaume Camerarius, Preſtre de la Congregation de l'Oratoire de IESVS, de faire imprimer par tel Imprimeur que bon luy ſemblera, vn liure par luy composé, intitulé *Selectæ diſputationes Philoſophicæ*, & ce pendant ſix ans, à compter du jour qu'il ſera acheué d'imprimer; Et deffenſes à tous Imprimeurs & Libraires d'en vendre d'autre impreſſion que de l'Imprimeur ou Libraire que ledit Pere Camerarius aura choiſi, à peine aux conrreuenans d'amende arbitraire, de tous deſpens, dommages, & intereſts, comme au long eſt porté par leſdites lettres de priuilege.

Ledit R. Pere Guillaume Camerarius a cedé & tranſporté le ſuſdit priuilege à Charles Chappellain Mᵉ. Imprimeur à Paris, pour joüir du contenu en iceluy.

*Acheué d'imprimer le 8. jour de May 1630.*

SELECTARVM

# DISPVTATIONVM PHILOSOPHICARVM

## PARS PRIMA.

## QVÆSTIO PRIMA.

*Quodnam ſit objectum Logicæ.*

IACOBVS Zabatella libro primo de natura Logicæ cap. 14. irridet laborantes circa hoc quæſitum, aitque pugnam auctorum hac de re, eſſe veluti cæcorum contentionem. Sed merito hac in re irridendus ipſe Zabatella, & cæcus judicandus; cum nulla omnino ſit facultas, nullusque habitus, qui aliquod objectum non habeat circa quod vetſetur. Omiſſo igitut Zabatella, ſubjectum attributionis (de eo enim hic agimus, non de ſubjecto inhæſionis) illud eſt, ad quod omnia quæ tractantur in ſcientia, vel diſciplina, reducuntur, ſiue vt partes, ſiue vt principia, ſiue vt paſſiones. In hoc enim conſiſtit tractatio alicujus ſcientiæ, vt de certo objecto explicet partes, principia, & affectiones. Dicitur autem ſubjectum, quia ſuis paſſionibus ſubjicitur. Dicitur attributionis, quia omnia quæ tractantur in ſcientia, habent ad illud attributionem quandam, & ordinem. Appellatur etiam objectum, vt docet Diuus Thomas 1. part. quæſt. 1. art. 7. quia ſicut potentijs aſſignamus objecta quæ objiciuntur illis, ita rectè aſſignantur ſcientijs eadem objecta quæ objiciuntur tractationi quæ in ſcientia fit. Aliquando vocatur materia circa quam, ſimilitudine ſumpta ex artibus, quæ habent materiam circa quam verſantur operando, & in quam inducunt formam rerum artificialium. Vlterius ſubjectum in aliqua ſcientia aut facultate triplex aſſignari poteſt; particulare, principale, totale, ſeu adæquatum. Particulare objectum illud eſt, circa quod ſcientia aliqua ex

I. *Zabatella reiicitur.*

*D. Thomas.*



Digitized by Google

parte tantum verſatur, vt eſt Cœlum in ſcientia phyſica. Principale objectum eſt, circa quod maxima ex parte ſcientia verſatur, vt eſt corpus mobile in phyſica, ſecundum quorumdam ſententiam. Totale autem, ſeu adæquatum, eſt illud quod omni ex parte à ſcientia conſideratur; nimirum quod ita adæquat ſcientiam, vt id ſolum conſideret, vel ſi alia conſiderat, non niſi ordinata & relata ad illud, conſideret. Vnde quidquid in ſcientia conſideratur, debet aliqua ratione ad objectum adæquatum illius ſcientiæ reduci; cujuſmodi eſt in phyſica, ſecundum quorumdam ſententiam, ſubſtantia naturalis. Denique objectum in ſcientia, ſiue illud ſit particulare, ſiue principale, ſiue adæquatum, eſt adhuc duplex; materiale ſcilicet, & formale. Materiale eſt, res illa quæ conſideratur, & de qua proprietates demonſtrantur; vt eſt homo in medicina. Formale objectum, eſt ratio ſub qua præcisè conſideratur objectum materiale; vt eſt curabile in medicina. Homo enim conſideratur à medico, non quomodocumque, ſed vt curabilis eſt. Vnde objectum materiale & formale non tam debent dici duo objecta, quam duæ rationes particulares conſtituentes & integrantes vnam rationem totalem objecti. Objectum materiale alio nomine ſolet appellari, ratio quæ conſideratur; formale vero, ratio ſub qua ipſa ratio conſideratur. quæ appellatio frequens eſt apud philoſophos. Hæ autem duæ rationes objecti ita ſe habent ad inuicem, quod ratio formalis, ſeu modus conſiderandi, limitat objectum materiale, non ſecundum ſe, ſed ſecundum conſiderationem illius; ideſt, facit vt objectum materiale, quod ſecundum ſe varijs modis poterat conſiderari, ſub vnica tantum ratione conſideretur. verbi gratia, ratio curabilis addita homini, limitat conſiderationem hominis, vt tantum ſub hac ratione à medico conſideretur, qui tamen alioqui varijs modis poterat conſiderari; verbi gratia, quatenus eſt ens, quatenus eſt ſubſtantia, quatenus eſt corpus. Hinc fit vt ſicut in rebus naturalibus forma eſt quæ dat virtutem rebus, & diſtinctionem ab alijs, vt forma equi facit vt equus ſit vnum ens ab alijs omnibus diſtinctum; ita etiam objectum in ſcientia, dat virtutem & diſtinctionem ſcientiæ, non quidem objectum quodcumque, ſed adæquatum, & formale. His poſitis

II. *Prima ſententia de obiecto Logicæ, eſſe nimirum res omnes. Proclus. Plotinus. Plato.*

Prima ſententia affirmat res omnes eſſe objectum Logicæ. Sequuti ſunt hanc ſententiam multi Platonici, Proclus lib. 1. in Eucl. cap. 15. Plotinus Enneade 1. & videtur colligi ex Platone in Philebo, & in Sophiſta. Ad hanc etiam ſententiam reuocati poteſt ſententia illorum, qui aſſerunt res omnes eſſe Logicæ objectum, non quomodocumque, ſed tantum quatenus ſubſtant ſecundis intentionibus, ſeu entibus rationis, ita vt res omnes ſint

primarium objectum Logicæ, ſecundarium autem objectum ſint ſecundæ intentiones. Ita Iandunus 2. Metaph. quæſt. vlt. & alij poſt ipſum. Fundamentum hujus ſententiæ eſt, Primò quia Ariſtoteles 4. Metaph. tex. 1. & 1. Poſter. cap. 16. ait Dialecticam probabiliter diſputare de re omni. ergo Logica verſatur circa res omnes. Secundo, illud eſt objectum, & tractatur in ſcientia, de quo verificantur definitiones, diuiſiones, & alia hujuſmodi quæ tractantur in ipſa ſcientia. ſed definitiones, diuiſiones, & alia hujuſmodi quæ traduntur in Logica conueniunt rebus, ſaltem prout ſubſunt ſecundis intentionibus; verbi gratia, definitiones generis & ſpeciei conueniunt ipſis naturis rerum, non ſecundum ſe, ſed vt ſubſunt ſecundis intentionibus, à quibus habent quod prædicantur de multis. ergo res ipſæ conſiderantur à Logico, ſi non ſecundum ſe, ſaltem vt habent annexas ſecundas intentiones, id-eſt, vt ſubſunt ſecundis intentionibus.

*Iandunus.*

*Fundamentum prædictæ ſententiæ.*

III.

*Secunda ſententia, eſſe voces.*
*Simplicius.*
*Ammonius.*
*Mirandulanus.*
*Nobilius.*
*Fundamenta huius ſententiæ.*

Secunda ſententia eſt eorum qui affirmant Logicæ objectum eſſe voces. Hanc ſententiam videtur indicare Simplicius præfatione in Prædicamenta, Ammonius præfatione in Porphyrium, & quæſtione An Logica ſit pars Philoſophiæ; ex recentioribus Mirandulanus initio ſuæ Logicæ, Flaminius Nobilius in quæſtionibus logicis, & alij. Fundamentum hujus ſententiæ eſt, Primò, quia videtur illud eſſe objectum in aliqua facultate aut arte, ex quo facultas illa efficit quod intendit, vt habetur 1. Politic. cap. 7. vnde ſubjectum artis frænifactoriæ, eſt id ex quo ipſa efficit frænum. ſed Logica facit quod intendit, ſcilicet inſtrumenta ſciendi, ex vocibus. ergo voces ſunt objectum Logicæ. Secundò, non videtur Logica aliud præſtare, quam tradere notiones vocum, vt patet, quia à Porphyrio traduntur quinque illæ voces, genus, ſpecies, differentia, proprium, & accidens; in anteprædicamentis & prædicamentis traduntur ſignificationes vocum, vt quid æquiuoca, vniuoca, denominatiua &c. ſimiliter in libris de interpretatione, & alijs libris ſequentibus, vt quid nomen, verbum, enunciatio, affirmatio, ſyllogiſmus, demonſtratio &c. ergo voces ſunt Logicæ objectum.

IV.

*Tertia ſententia, operationes intellectus eſſe obiectum Logicæ.*
*Suarius.*
*Conimbricenſes.*
*Hurtadus.*

Tertia ſententia, & celebris inter recentiores, eſt eorum qui affirmant Logicæ objectum eſſe operationes intellectus. Ita Suarius diſput. 39. Metaph. Conimbricenſes quæſt. 5. procemiali, art. 3. Hurtadus diſput. 1. Log. & alij paſſim, qui eandem tribuunt Diuo Thomæ 1. periermenias in principio, & quibuſdam Græcis, & antiquis Peripateticis, vt Alexandro, Philopono, & alijs. ſed certe longiſſimè abſunt ab hac ſententia, niſi eorum ſcripta & monimenta deprauare velimus, potius quam explicare. Adhuc tamen

multi ex his recentioribus putant objectum Logicæ materiale, eſſe omnes tres operationes; alij vnam tantum, videlicet ſyllogiſmum, aut demonſtrationem, aut argumentationem; alij duas, hoc eſt, definitionem & diuiſionem, ſimul ſumptas. Rurſus aliqui ex his volunt operationes, tanquam directiuas aliarum operationum intellectus, eſſe Logicæ objectum; alij vt dirigibiles. Vt autem hæc ſententia melius percipiatur, ſciendum eſt quid hi authores intelligant per operationes, quas dicunt eſſe objectum Logicæ. Volunt itaque, & benè, operationes quæ poſſunt ab intellectu humano fieri ad tria capita reduci. Primum, eſt operationum earum quæ dicuntur primæ operationes intellectus, ad quod ſpectant illæ mentis operationes omnes, in quibus nulla dicitur eſſe veritas aut falſitas (intellige complexam; nam veritas incomplexa reperitur) vt ſunt appræhenſiones rerum ſimplicium; vt, verbi gratia, quando intellectus concipit, ſeu appræhendit hominem, equum, leonem &c. Item appræhenſiones propoſitionum, aut etiam argumentationum, dummodo nullum judicium fiat; vt ſi quis appræhendat, verbi gratia, iſtam appræhenſionem, Mater diligit filium, aut iſtam argumentationem, Hæc eſt mater, ergo diligit filium; dummodo tamen nullum ferat judicium. Sed aduerte talem propoſitionem, aut argumentationem, reſpectu ejus qui nullum fert aut infert judicium, eſſe tantum propoſitionem aut argumentationem materialiter, non vero formaliter, cum ejus terminos, nec intellectus connectat, nec ſeiungat ad inuicem, in qua tamen connexione vel diuiſione conſiſtit ſecunda mentis operatio; nec vnum ex alio inferat, in qua tamen illatione tantum conſiſtit tertia mentis operatio, vt poſtea dicemus; ſed tantum concipio vnum terminum poſt alium, vel ſaltem omnes conglobatim, & per modum vnius, ſecundum diuerſas authorum ſententias. Ad ſecundum caput attinent operationes illæ, quæ dicuntur ſecundæ operationes intellectus; vt omne judicium, quod fit dum affirmamus vel negamus, nullo tamen interueniente diſcurſu. verbi gratia; quando quis judicat leonem eſſe animal rugibile, aut aliquam propoſitionem eſſe veram vel falſam. Ad tertium genus ſpectant illæ actiones, quæ dicuntur tertiæ operationes intellectus, ideſt omnis diſcurſus; vt, verbi graria, quando intellectus ſic diſcurrit, Homo eſt animal rationale, ergo eſt riſibilis; & ex eo quod quis videat Petrum conuerſantem cum improbis, colligat ipſum eſſe improbum, hoc modo, Petrus verſatur cum improbis, ergo & ipſe erit improbus. Hoc poſito volunt hujus ſententiæ authores operationes has explicatas eſſe objectum Logicæ, quamuis diuerſi diuerſo modo explicent, vt diximus.

V. *Fundamenta eorum qui ponunt operationes, vt dirigibiles, obiectum.*

Fundamenta eorum qui ponunt operationes vt dirigibiles, ſunt hæc. Primum, Objectum quod tractatur in Logica eodem modo debet aſſignari, quo ſolet in artibus aſſignari. ſed in artibus illud eſt objectum, in quod inducitur finis ipſius artis; ſicut quia in hominem inducitur ſanitas, quæ eſt finis medicinæ, ideo homo, quatenus ſubeſt illi fini, nempe vt curabilis eſt, eſt objectum medicinæ. ergo eodem modo illud eſt objectum Logicæ, quod ſubeſt fini Logicæ, & in quod inducitur finis ipſe. ſed in operationes intellectus inducitur finis Logicæ, qui finis eſt directio ipſarum operarionum. ergo ipſæ operationes, vt ſubſunt huic fini, id eſt vt ſunr dirigibiles, erunt objectum Logicæ. Et hoc argumento maximè nituntur authores huius ſententiæ; quod tamen eſt falſum ſecundum omnes illius propoſitiones, vt poſtea dicemus. Secundum, Logica ex communi conſenſu conſiderat ſyllogiſmum, demonſtrationem, definitionem, diuiſionem &c. ſed hæc omnia ſunt operationes intellectus. ergo operationes intellectus ſunt objectum Logicæ. Tertium, Illud eſt objectum, cuius principia, partes, & paſſiones tractantur in Logica. ſed omnia quæ tractantur in Logica vel ſunt principia, vel partes, vel paſſiones operationum intellectus. ergo operationes intellectus ſunt objectum. Quartum, Sicut ſe habet philoſophia moralis ad operationes voluntatis, ita Logica ad operationes intellectus. ſed operationes voluntatis, vt ſunt regulabiles recta ratione, ſunr objectum philoſophiæ moralis. ergo operationes, vt dirigibiles, ſunr objectum Logicæ.

VI. *Fundamenta eorum qui ponunt vt directiuas obiectum.*

Fundamenta eorum qui ponunt operationes, vt ſunt directiuæ, eſſe objectum Logicæ, ſunt ſequentia. Primum, Artes quæ efficiunt aliquod inſtrumentum, & non vtuntur, pro objecto habent illud idem inſtrumentum, & non illud quod efficitur per inſtrumentum; ſicuti ars frænifactoria, quia facit frænum ad equitandum, eo tamen non vtitur, ideo frænum eſt objectum illius, non autem equitare. ſed Logica, inquiunt, efficit inſtrumenta ſciendi, quæ nihil aliud eſſe poſſunt quam operationes intellectus, & illis non vtitur. ergo operationes, vt ſunr inſtrumenta directiua, erunt objectum Logicæ. Secundum, Logica eſſentialiter eſt inſtrumentum ſciendi, quia facit inſtrumenta quibus diriguntur operationes intellectus. ſed ipſa inſtrumenta aliud non ſunt, quam operationes à Logica directæ. ergo operationes erunt objectum.

VII. *Vera ſententia, ens rationis Logicum eſſe obiectum.*

Quarta, & veriſſima ſententia, eſt eorum qui affirmāt objectum Logicæ eſſe ens rationis logicum, vel, quod idem eſt, eſſe ſecundo intellectu. Quæ quidē ſententia, exceptis paucis neotericis, expreſsè docetur ab omnibus, tam antiquis, quam recentioribus Philoſophorum ſectis. Ita enim expreſsè Auerroes in epitome Logicæ, ſeu porius in

*Auerroes. Auicenna. Albertus, D. Thomas. Scotus. Ægidius. Petronius. Gratia Deus. Balduinus. Petrus Niger. Aquarius.*

epitome libri prædicamentorum, cap. vltimo, & 4. Metaph. comment. 2. Auicenna cap. 1. 2. & 3. ſuæ Logicæ, & tract. 1. Metaph. cap. 2. Albertus Magnus 1. poſt. cap. 1. & 4. Metaph. cap. 1. tract. 1. Diuus Thomas opuſculo 42. cap. 4. opuſc. 48. & 56. & 4. Metaph. lect. 4. vbi optimè oſtendit Aquarius Diuum Thomam non ſibi contradicere, quando dicit objectum Logicæ eſſe operationes intellectus; non enim loquitur de illis in eſſe reali, ſed in eſſe intentionali, in quo eſſe nihil aliud ſunt quam entia rationis; Ægidius Romanus initio Elenchorum; Heruæus libro de ſecundis intentionibus, parte vltima, cap. 3. Gratia Deus initio prædicamentorum, dub. 2. Petrus Niger in clypeo, quæſt. 12. Sanches in ſua Logica lib. 10. quæſt. 7. Petronius tom. 1. ſuæ Logicæ, lib. 1. quæſt. 4. art. 4. & tota ſchola Thomiſt. Scotus quæſt. 3. in Porphyrium, & in 2. diſt. 3. quæſt. 1. §. ad quæſtionem igitur concedo, vbi ait Logicum conſiderate ſecundas intentiones applicatas primis; *Logicus enim*, inquit, *conſiderat ſecundas intentiones applicatas primis.* Vide ipſum 1. priorum, quæſtione 2. concl. 1. & in reſponſione ad tertium. Sequuntur eum omnes Scotiſtæ. Ex recentioribus, Balduinus quæſito 2. de objecto Logicæ; Toletus quæſt. 5. proœmiali, concl. 4. Pererius lib. 1. de principijs, cap. vltimo; Vallius tom. 1. ſuæ Logicæ, part. 2. prolegomenorum, quæſt. 3. cap. 25. Eandem etiam docuerunt fere omnes antiqui, qui dixerunt Logicam agere de vocibus. Vt enim explicat Boetius præfatione in prædicamenta, non intellexerunt de vocibus primæ impoſitionis, quæ explicant ens reale, ſed de vocibus ſecundæ impoſitionis, quæ ſignificant ſecundas intentiones.

VIII. Dico primò, res omnes non eſſe objectum Logicæ, quomodocumque ſumantur.

*Prima concluſio, res omnes non eſſe obiectum Logicæ.*

Probatur concluſio, primò, quia vel conſiderantur res omnes vt ſunt entia, & ſic ſunt objectum Metaphyſicæ; vel conſiderantur ſecundum ſuas particulares rationes, & ſic ſunt objectum particularium ſcientiarum.

*Probatur.*

Probatur ſecundò. Logica non agit de rebus omnibus, explicando earum naturas & proprietates, imo de nulla re reali per ſe agit, ſed tantum per accidens, quatenus tractat de ſecundis intentionibus, & entibus rationis, quæ ſequuntur ad res cognitas. ergo res omnes non ſunt objectum Logicæ. Minor probatur. Si res omnes per ſe tractarentur in Logica, ergo principia, paſſiones, & cauſæ earum per ſe tractarentur in Logica; illud enim eſt objectum per ſe, cuius principia, partes, & paſſiones per ſe tractantur. ſed principia, partes, & paſſiones rerum omnium per ſe non tractantur in Logica. ergo nec res omnes.

Probatur denique, quia Logica eſt inſtrumentum ſciendi, ergo

conſiderat ipſa inſtrumenta. ſed hæc inſtrumenta nullo modo poſſunt eſſe res omnes. ergo &c.

Ad primum fundamentum contrariæ ſententiæ reſpondeo, Ariſtotelem in illis locis per Dialecticam partem topicam intelligere, non autem Logicam in genere. Ad ſecundum reſpondeo, negando minorem. Quæ enim traduntur in Logica, non conueniunt rebus prout ſubſunt ſecundis intentionibus, ſed maxima ex parte conueniunt ſecundis intentionibus, & entibus rationis. Verum quidem eſt Logicam ſæpe aſſumere res reales, & earum conceptus, vt facilius explicet propriam materiam; hoc autem eſt per accidens, quatenus entia rationis, quæ ſunt proxima materia Logicæ, non poſſunt conſiderari niſi in aliquibus rebus cognitis. Et ita Ariſtoteles applicat figuras ſyllogiſmorum & demonſtrationes ad litteras & elementa dictionum, quia entia rationis logica ſupponunt aliqua objecta cognita. Et ita Logica dici poteſt per accidens conſiderare res reales tanquam materiam remotam, in qua format materiam proximam, nempe entia rationis. Quæſtio autem eſt hoc loco de materia propria, per ſe, & proxima ipſius Logicæ, non autem de remota, & per accidens. *Ad contrarium fundamentum reſpondetur.*

Dico ſecundò, Vocem non eſſe objectum Logicæ. IX.

Probatur primò. Illud eſt objectum Logicæ, quod per ſe tractatur in Logica. ſed voces, quomodocumque ſumptæ, non tractantur per ſe in Logica, vt ex dicendis patebit. ergo voces non ſunt Logicæ objectum. *Secunda cõcluſio, voces non eſſe obiectum.* *Probatur concluſio.*

Probatur ſecundò. Logica eſt eadem apud omnes. ſed voces non ſunt eædem. ergo voces non ſunt Logicæ objectum.

Ad primum fundamentum aduerſariorum dico primò, fortè majorem eſſe falſam, vt dicemus; ſupponit enim objectum Logicæ debere ſumi ſicut ſumitur in artibus. Deinde, eſto ſit vera. Nego minorem; quia Logica non facit inſtrumenta ſciendi ex vocibus, ſed ex entibus rationis, quibus entibus per accidens imponit nomina, quia alias explicari non poſſunt. *Ad contraria fundamenta reſpondetur.*

Ad ſecundum reſpondeo, negando antecedens; in libris enim logicis non definiuntur, nec diuiduntur voces, ſed entia rationis, vocibus tantum explicata, quia aliter alijs innoteſcere non poſſunt.

Dices, Logica eſt habitus progymnaſticus, ſiue præexercens, ad recte operandum in ſcientijs; ergo debet verſari circa aliquid quod ſit ſimile rebus circa quas verſantur veræ ſcientiæ, ſicut ars gladiatoria, quæ eſt quidam habitus progymnaſticus, verſatur circa gladios pictos, & hoſtes pictos, qui ſunt ſimiles veris; eodem ergo modo Logica verſari debet circa aliquid quod ſit ſimile rebus veris. ſed nihil eſt magis ſimile quam voces, quæ ſunt ſigna & imagines re- *Obiectio.*

rum. ergo verſatur circa voces.

*Solutio.* Reſpondeo primò, Logicam non eſſe habitum progymnaſticum. Ad exemplum artis gladiatoriæ, dico diſparem eſſe rationem; quia idem eſt habitus ad bene torquendum gladium, ſiue ſit ligneus, ſiue ferreus, ſiue hoſtes ſint veri, ſiue ficti; tantum eſt diuerſitas in materia remota, non verò in proxima, nempe in notione gladij. At vero ſcientiæ reliquæ, & Logica, habent objecta formalia diuerſa, & diuerſam materiam proximam. Deinde directio & recta diſpoſitio vocum non poteſt haberi, niſi prius dirigantur & rectè diſponantur operationes intellectus, quarum voces ſunt ſigna. Directio ergo vocum apponet primas operationes eſſe directas, quod fit à Logica. Reſpondeo ſecundò, Logicam verſari circa ens rationis, quod eſt ſimile enti reali.

X.

*Tertia concluſio, operationes intellectus nulla ratione eſſe obiectū Logicæ.*

*Probatur fuſè cōcluſio quoad primam partem.*

Dico tertiò, operationes intellectus, ſiue ſumantur vt dirigibiles, ſiue vt directiuæ, non eſſe Logicæ objectum. Hæc concluſio duas habet partes, quarum quælibet probanda eſt.

Probatur autem primò prima pars, nempe quod operationes intellectus, vt dirigibiles, non ſint Logicæ objectum, hoc pacto. Logica intrinſecè dicitur organum, ſeu inſtrumentum ſciendi, à ſuo objecto circa quod verſatur, ſicut Mathematica, Phyſica, Metaphyſica, dicuntur ſcientiæ ſpeculatiuæ à proprijs objectis ſpeculatiuis. ſed ab operationibus intellectus Logica non dicitur tale inſtrumentum ſciendi. ergo operationes intellectus, vt dirigibiles, non ſunt objectum Logicæ. Major eſt nota per ſe. Minor probatur. Ideo dicitur Logica inſtrumentum ſciendi, quia tradit & conficit inſtrumentum ſciendi. ſed operationes intellectus, vt dirigibiles, non ſunt huiuſmodi inſtrumenta. ergo operationes intellectus, vt dirigibiles, non ſunt objectum Logicæ. Hæc minor probatur. Operationes intellectus, vt ſunt inſtrumenta, debent neceſſariò dirigere. ſed, vt ſunt dirigibiles, non poſſunt dirigere, quia adhuc ipſæ egent directione. ergo, vt ſic, non ſunt objectum Logicæ.

*Alia probationes concluſionis.* Probatur ſecundò. Secundum autores huius ſententiæ, Logica eſt habitus inſtrumentarius, dirigens operationes intellectus ad ſcientias comparandas. ſed non eſt habitus inſtrumentarius propter operationes dirigibiles. ergo operationes, vt dirigibiles, non ſunt objectum. Major conceditur ab omnibus etiam aduerſarijs. Minor probata eſt in præcedenti argumento. Conſequentia conſtat; quia ſpecificatio & denominatio eſſentialis cujuſcumque habitus pendet ab objecto ipſius habitus. ergo cum Logica eſſentialiter ſit & denominetur habitus inſtrumentarius, hæc denominatio neceſſario erit ex objecto. ſed iam probatum eſt non dici habitum inſtrumentarium ex operationibus dirigibilibus, quia non ſunt vllo modo inſtrumenta.

ta. Ergo operationes, vt dirigibiles, non ſunt Logicæ objectum.

Probatur tertiò. De ratione habitus inſtrumentalis eſt, vt quidquid in illo tractatur referatur ad aliud. ſed hoc eſſet falſum, ſi Logica conſideraret operationes, vt dirigibiles; imò ipſum objectum formale, quatenus ab illa conſideraretur, non ordinaretur ad aliud. ergo Logica hoc modo non eſſet habitus inſtrumentarius, quia non ageret primò & per ſe de inſtrumentis. Major eſt neceſſaria; neque enim concipi poteſt inſtrumentum, ſub ratione inſtrumenti, niſi ad aliud relatum. Minor probatur. Eatenus illa quæ tractantur in habitu inſtrumentario dicuntur ad alia ordinari, quatenus ſunt inſtrumenta facta & conſiderata ab ipſo habitu inſtrumentario. ſed operationes intellectus, vt dirigibiles, nec facta ſunt inſtrumenta, nec conſiderari poſſunt vt inſtrumenta. ergo nullo modo ad aliud ordinantur.

Probatur quartò, quia vix intelligi poteſt quid intelligant per operationes dirigibiles; quia operationem aliquam eſſe dirigibilem, ſecundum ipſos, nihil aliud eſt, quam vel poſſe bene vel male fieri, vel poſſe certe dirigi. ſi primum, falſum eſt poſſe eandem operationem bene & male fieri; omnis enim operatio neceſſario vel eſt conformis ſuo objecto, & ſic erit recta & bona, vel difformis ſuo objecto, & ſic erit mala. ergo numquam vna & eadem operatio poteſt modo malè fieri, modo benè, ſed, ſi ſit operatio exiſtens in rerum natura, neceſſario vel erit bona, vel mala & falſa. ſi ſecundum, hoc etiam eadem ratione falſum eſt; quia quæro an illa operatio quæ poteſt dirigi ſit in rerum natura, vel non. ſi primum; vel eſt conformis ſuo objecto, vel difformis. ſi eſt difformis, iam eſt indirigibilis & falſa. ſi vero ſecundum, ideſt, ſi operatio non eſt in rerum natura, iam nec eſt dirigibilis, nec indirigibilis, quia nihil eſt. Quod ſi forte iſti autores dicant Logicam conſiderare operationes intellectus, vt dirigibiles, non quia ipſæ operationes ſecundum ſe impermutatè modo poſſint fieri bonæ, modo malæ, ſed quia intellectus ipſe, ideſt potentia intellectiua, poteſt bene & male operari, fateor quidem hac ſola ratione Logicam dirigere operationem intellectus, quatenus per ſua inſtrumenta & regulas docet quomodo intellectus debeat res bene concipere, qui tamen ſecundum ſe poterat bene & male concipere. Sed hoc admiſſo, potius debuiſſent illi autores dicere intellectum, vt dirigibilem, eſſe objectum Logicæ, quam operationes, vt dirigibiles.

Probatur quintò. Intellectus & eius operationes ſpectant ad animaſticum, qui agit de anima, & eius potentijs ac operationibus. ergo non ad Logicam.

*Reſponſio aduerſariorum.* Reſpondent aduerſarij, non ſpectare ad Logicam ſecundum naturam ſuam, ſed quatenus dirigi poſſunt.

*Reiicitur.* Sed contra eſt, quia vel hæc dirigibilitas eſt paſſio quæ intrinſece ſequitur intellectum, & operationes illius, vel certe eſt paſſio mere extrinſeca, tributa intellectui & operationibus eius ab ipſo intellectu; aliud enim fingi non poteſt. ſi ſecundum, iam eſſe dirigibile erit ens rationis, quod tamen aduerſarij contendunt effugere. ſi primum, tunc eſſe dirigibile neceſſario ſpectat ad animaſticum. patet, quia non alia ratione ad animaſticum ſpectat conſideratio potentiarum, paſſionum, & operationum animæ, niſi quia natura ſua ſequuntur eſſentiam animæ. ſed dirigibilitas, ex hypoteſi, intrinſece ſequitur ipſum intellectum, & operationes illius, vt paſſio quædam. ergo ſpectabit ad animaſticum.

*Alia reſponſio.* Reſpondent, Eſſe dirigibile contrahere conſiderationem intellectus & operationum eius ſecundum ſe, ſicut eſſe curabile contrahit conſiderationem hominis ſecundum ſe; & ita poſſe eſſe diſtinctam ſcientiam de illis, vt dirigibiles ſunt, ſicut eſt diſtincta ſcientia de homine, vt curabilis eſt.

*Confutatur.* Sed contra, quia hinc ſequitur aliud abſurdum; quia tunc Logica eſſet ſubalternata ſcientiæ de anima, & ſic non diſtingueretur eſſentialiter ab illa, ſaltem ratione objecti; ſicut Medicina, quæ conſiderat hominem vt curabilem, eſt ſcientia ſubalternata Phyſicæ, & non diſtinguitur ab illa, ſaltem quoad objectum principale. Quod ſi Logica ſit ſubalternata ſcientiæ de anima, non poteſt addiſci ante ſcientiam de anima, nec ante alias ſcientias; ſcientia enim ſubalternata non poteſt tradi ante ſubalternantem, nec poteſt addiſci.

Reſpondent, Satis eſſe rudem aliquam cognitionem objecti ſcientiæ ſubalternatæ, quæ rudis cognitio poteſt haberi ſine cognitione ſubalternantis; & ita Logicus habet rudem cognitionem operationum intellectus, ſine ſcientia de anima.

Sed contra eſt, quia directio quæ habetur à Logica eſt perfectiſſima. ergo ſi directio hæc eſt propter operationes intellectus, vt dicunt iſti, neceſſario debet haberi cognitio perfectiſſima operationum; quia ſi directio Logicæ eſt perfectiſſima, neceſſario debet eſſe propria, & proportionata ipſis operationibus, ſecundum earum naturam. ſed hoc eſſe non poteſt ſine perfecta cognitione operationum ſecundum earum naturam. ergo Logico non ſatis eſt rudis aliqua cognitio operationum intellectus, ſed neceſſario requiritur perfecta cognitio, quæ ſine ſcientia animaſtica haberi non poteſt.

Digitized by Google

*Vltima probatio primæ partis conclusionis.*

Probatur vltimò. Illud eſt objectum in ſcientia, cuius principia, partes, & paſſiones tractantur in illa ſcientia, ex Ariſtotele 1. poſt. text. 2. ſed in Logica non traduntur principia, partes, & paſſiones operationum intellectus. ergo operationes intellectus non ſunt objectum Logicæ. Minor probatur, primò de principijs. In Logica nulla alia principia ſunt, præter genera, differentias, vniuerſalia, nomen, verbum, prædicatum, ſubjectum, majorem, minorem, medium &c. ſed hæc nullius operationis realis ſunt principia, in quantum attribuuntur ab intellectu ipſis operationibus, & rebus cognitis. ergo principia operationum intellectus, vt operationes ſunt, non traduntur in Logica. Minor probatur. Principia operationum realium debent eſſe realia, & in ipſis operationibus realiter illas conſtituentia. ſed prædicta principia non ſunt huiuſmodi, reſpectu operationum intellectus. ergo &c. Major eſt notiſſima. Minor autem ſuperioris ſyllogiſmi, nimirum illa principia, genus, differentiam &c. non eſſe principia realia in ipſis operationibus patet, quia operationes intellectus ſunt tres, vt diximus, ſimplex appræhenſio, affirmatio & negatio, & deductio vnius ex alio, ſeu diſcurſus. ſed illa principia non ſunt principia vllius ex his operationibus. ergo &c. Minor probatur inductione, & primò de prima operatione; quia in ſimplici appræhenſione qua appræhenditur homo vt animal rationale, nec eſt genus, nec differentia à parte rei in ipſa operatione, eum ipſa operatio ſit vna ſimpliciſſima entitas, quæ ſubſtantialiter eſt in ruſtico, & tamen ab illo non concipitur genus & differentia. vnde ſi à ruſtico petatur an homo ſit animal rationale, reſpondebit eſſe. ſi tamen ab eo petatur, an homo conſtituatur ex genere & differentia, & animal rationale ſit definitio hominis, omnino ignorabit. ergo genus & differentia non ſunt principia realia primæ operationis. principia enim operationis realis debent eſſe realia, cujuſmodi non ſunt genus & differentia, cum ſint principia quædam aduenientia rebus cognitis per primam operationem intellectus, id eſt, formata in ipſis rebus per operationem intellectus.

*Reſponſio aduerſariorum.*

Reſpondent, per genus intelligi fundamentum generis, verbi gratia, animalitatem in homine; per differentiam verò intelligi fundamentum differentiæ, id eſt, rationalitatem in eodem.

*Reiicitur.*

Sed contra eſt, quia animalitas & rationalitas nuſquam traduntur à Logica vt partes aut principia alicujus operationis, imò nec poſſunt tradi, cum ſpectent ad Phyſicum & Metaphyſicum; & tamen traduntur genus & differentia in Logica, tanquam principia & partes definitionis. ergo genus & differentia aliquid aliud ſignificant, non niſi formatum aliquid ab intellectu. ergo ſunt tantum principia formata ab intellectu. ergo ſunt entia rationis. Secundò, idem patet in-

ductione in ſecunda operatione intellectus; quia in Logica non traduntur alia principia ſecundæ operationis, niſi nomen, verbum, copula, ſubjectum, prædicatum, &c. ſed hæc non ſunt à parte rei in ſecunda operatione, ſed tantum per intellectum, qui diuidit operationem in ſubjectum, prædicatum, & copulam. vnde quando dico, Homo eſt doctus, à parte rei non eſt aliud quam doctrina inhærens homini, & particula, doctus, à parte rei non eſt magis prædicatum quam ſubjectum. imò nec eſt prædicatum nec ſubjectum, ſed ab intellectu formantur hæc omnia in ipſa operatione. quæ operatio eodem modo eſt in ruſtico, qui tamen numquam concipit ſubjectum & prædicatum vt partes operationis. De tertia operatione patet etiam inductione; quia in Logica non traduntur alia principia tertiæ operationis, quam terminus antecedens, major, minor, medius terminus, &c. ſed hæc tantum fiunt ab intellectu. ergo non ſunt principia tertiæ operationis realis; hæc enim operatio eſt etiam in ruſticis, qui tamen ne ſomnianr quidem de hujuſmodi principijs. Iam verò de paſſionibus idem probatur eadem ratione; quia in Logica non traduntur aliæ paſſiones, quam æquipollentia, conuerſio, appoſitio, prædicabile, definibile, ampliatio, reſtrictio, eſſe illatum, eſſe demonſtratum, &c. quæ omnia cum purè formentur ab intellectu, non poſſunt eſſe paſſiones operationum intellectus, quæ reales ſunt. De partibus denique, ſiue de ſpeciebus obiecti, quæ traduntur in Logica, conſtat etiam eadem ratione non eſſe ſpecies operationum intellectus, quæ reales ſunt, & tantum tres; quia ſpecies objecti Logicæ ſunt potiſſimum tres, definitio, enunciatio, & ſyllogiſmus, quæ, prout traduntur in Logica, ſunt mera entia rationis. Definitio enim, vt traditur à Logica, eſt inſtrumentum ſciendi, quod docet modum concipiendi rem ſecundum prædicata quidditatiua, ideſt per proprium genus, & per propriam differentiam. Deinde enunciatio, quæ vel eſt affirmatio vel negatio, compoſitio vel diuiſio, prout traditur à Logica, eſt merum ens rationis; eſt enim velut inſtrumentum quoddam, quo docemur res bene ad inuicem affirmare vel negare, ita vt tale vel tale debeat eſſe ſubjectum vel prædicatum in enunciatione. Idem etiam eſt de ſyllogiſmo. Syllogiſmus enim, prout traditur à Logica, eſt inſtrumentum cognoſcendi ignotum ex noto, per quandam diſpoſitionem terminorum factam ab intellectu ex modo & figura; quo fit vt ſyllogiſmus iſte hoc modo ſumptus nullo modo ſit tertia operatio, quæ realis eſt. Certè tertia operatio intellectus ſubſtantialiter eſt in ruſticis, & tamen in illis non eſt ſyllogiſmus, eo modo quo requirit Logicus. Sed aduertendum eſt quod quia definitio eſt inſtrumentum quoddam factum ab intellectu circa primam operationem intellectus, & enunciatio etiam ſit inſtrumentum quoddam

circa ſecundam operationem, ſimiliter ſyllogiſmus ſit inſtrumentum circa tertiam, ideo communi conſuetudine ſolemus primam operationem vocare definitionem, ſecundam enunciationem, tertiam verò ſyllogiſmum; cum tamen verè definitio, enunciatio, & ſyllogiſmus, provt traduntur in Logica, non ſint ipſæ operationes, ſed mera entia rationis facta circa ipſas operationes. In quo egregiè falluntur illi qui exiſtimant definitionem, enunciationem, & ſyllogiſmum, provt traduntur à Logica, eſſe primam, ſecundam, & tertiam operationem intellectus; quia, vt diximus, prima, ſecunda, & tertia operatio ſunt in omnibus, & tamen in omnibus non ſunt definitio, enunciatio, & ſyllogiſmus, provt traduntur à Logica. Hinc conſtat omnia quæ tractantur in Logica, vel eſſe principia, vel partes, vel paſſiones entis rationis. Sunt autem principia, partes, & paſſiones, illa quæ ſupra recenſuimus. Et hæc dicta ſint contra illos qui ponunt operationes intellectus, vt dirigibiles, objectum Logicæ.

Probatur nunc ſecunda pars concluſionis, contra illos qui dicunt operationes, vt ſunt directiuæ, eſſe objectum Logicæ. & primò quidem duabus vltimis rationibus quas fecimus, mutato ſolo nomine operationum dirigibilium in nomen operationum directiuarum. quæ duæ rationes, meo judicio, efficaciſſimæ ſunt. XI. *Probatur primò ſecunda pars cõcluſionis.*

Probatur ſecundò. Operationes non ſunt directiuæ, niſi quia ſunt prius directæ. non ſunt autem directæ à Logica, niſi per entia rationis. ergo potius entia rationis ſunt objectum. Quod operationes non ſint directæ à Logica, niſi per entia rationis, conſtat apertè inductione. verbi graria, hæc operatio, omne quod ambulat mouetur, homo ambulat, ergo homo mouetur, à Logica nulla alia ratione cenſetur directa, niſi quia ſit ſyllogiſmus in Barbara. *Probatur ſecũdò.*

Dices eſſe directam per lumen naturale intellectus. Sed contra; quia lumen naturale intellectus ſpectat ad quãcumque facultatem. ergo per lumen naturale intellectus Logica non dirigit operationes. Deinde hoc idem conſtat ex alijs ſcientijs; quia eodem plane modo aliæ ſcientiæ vtuntur operationibus directiuis veluti inſtrumentis, quo factæ ſunt & directæ ab ipſa Logica. ſed aliæ ſcientiæ non vtuntur inſtrumentis Logicis immediatè directis lumine naturali. ergo nec Logica dirigit per lumen naturale. Minor probatur in hoc ſyllogiſmo phyſico. omne corpus naturale eſt mobile. omne elementum eſt corpus naturale. ergo omne elementum eſt mobile. Nam immediata regula qua phyſicus dirigit hanc operationem, eſt primus modus primæ figuræ, id eſt Barbara. ergo Barbara in Logica eſt inſtrumentum directiuum illius operationis; Barbara autem non eſt operatio intellectus vllo modo. *Reſponſio aduerſariorum. Refellitur.*

Probatur tertiò. Si inſtrumenta Logica ſunt ipſæ operationes, *Probatur tertiò.*

maximè quia operationes directiuæ ſunt perfectiſſimo modo ideæ aliarum operationum dirigendarum, vt iſta ſententia docet. ſed operationes directiuæ nullo modo ſunt ideæ aliarum operationum dirigendarum, neque etiam eſt neceſſarium vt vlla inſtrumenta logica ſint hujuſmodi ideæ. ergo operationes nullo modo ſunt objectum. Minor propoſitio, quæ habet duas partes, probatur primò, quia, vt dicemus in quæſtionibus phyſicis, idea rei in omnium opinione vel eſt res ipſa ſecundum eſſe objectiuum, quod probabilius puto; vel certe eſt ipſa actualis operatio intellectus qua res cognoſcitur. ſed operatio aliqua directa jam præterita, quam ipſi volunt eſſe inſtrumentum directiuum, neque eſt operatio dirigenda, vt obijcitur intellectui, neque eſt operatio actualis, qua cognoſcitur operatio dirigenda. ergo nullo modo operatio directa & præterita, quæ iam non eſt, poteſt eſſe idea operationis dirigendæ. Deinde argumentor ad hominem. qui enim tenent hanc opinionem, dicunt Logicam non dirigere operationes intellectus, ſed tantum facere inſtrumenta directiua, quæ dicunt eſſe ideas perfectas operationum dirigendarum. tunc ſic argumentor. ſi inſtrumenta Logica ſunt ideæ operationum dirigendarum, ergo Logica per has ideas in intellectu ſcientifici facit & dirigit operationes; quod tamen negant iſti authores. Conſequentia patet; quia idea ſecundum communem ſententiam reducitur ad cauſam efficientem. ſed inſtrumenta Logica ſunt ideæ, ſecundum iſtos. ergo efficiunt, & verè dirigunt operationes in intellectu artificis. Secunda pars minoris ſupra poſita probatur, quia inſtrumenta logica non ſunt veræ ideæ, aut ſimulacra operationum dirigendarum, ſed ſunt præcepta & regulæ facultatis Logicæ.

*Soluuntur fundamenta aduerſariorum.*

Ad primum fundamentum eorum qui dicunt operationes, vt dirigibiles, eſſe objectum Logicæ, reſpondeo primò negando majorem; multo enim majorem habet ſimilitudinem Logica cum ſcientijs quam cum artibus, & conſequenter debet potius aſſignari objectum in Logica ſicut aſſignatur in ſcientijs. Sicut igitur in ſcientia illud eſt objectum adæquatum, cujus principia, partes, & paſſiones traduntur, & de quo paſſiones demonſtrantur, non verò illud in quod inducitur finis ſcientiæ; ita eodem modo debet aſſignari objectum in Logica, quod eſt ens rationis. Quod autem Logica ſimilior ſit ſcientiæ quam arti, conſtat primò, quia ars ex Ariſtotele 6. Ethic. cap. 4. eſt habitus cum recta ratione factiuus; vnde ars propriè dicta relinquit aliquod opus exterius poſt ſe, vt patet in mechanicis. Scientia verò eſt tantum cognitio rei per cauſam, 1. poſt. tex. 5. vnde ars & ſcientia non differunt penes hoc, quod ſcientia habeat demonſtrationes circa objectum, ars verò

*Reſponſio ad primum.*

minimè habeat (ars enim aliquando habet etiam demonſtrationes, quando opus eſt) ſed differunt quia ars aliquod opus poſt ſe exterius relinquit, & ad illud natura ſua tendit; ſcientia verò non item. Tantum enim ſcientia tendit ad cognitionem objecti, ſiue illa cognitio vlterius referatur ad aliquid aliud, ſiue non. Cum igitur Logica ſit potius cognitio rei per cauſam, quam habitus alicujus operis exterioris factiuus, potius in illa debet aſſignari objectum ſicut in ſcientia. Reſpondeo ſecundò, quod etiamſi Logica ſimilior eſſet arti quam ſcientiæ (quod tamen iam confutatum eſt) nego adhuc minorem eſſe vniuerſaliter veram. neque enim in omnibus artibus illud eſt proximum objectum, in quod inducitur finis artis; quia in pleriſque artibus objectum proximum eſt finis ipſe, non in abſtracto ſumptus, ſed in concreto, quatenus ſcilicet eſt inductus vel inducendus in aliquam materiam. vnde in illis artibus finis & objectum omnino conuertuntur, vt patet inductione in multis. Objectum enim proximum artis architectonicæ non ſunt ligna, cementa, & lapides, ſed eſt ipſa ſtructura domus; immediatè enim architectus verſatur circa ſtructuram domus aut fabricæ. Idem patet in frænifactoria, quæ immediatè verſatur circa frænum, non ferrum, & ideo dicitur fræni, non ferrifactoria. Hoc idem manifeſtius apparet in alijs facultatibus, quæ multum aſſimilantur artibus, vt in Rhetorica & Grammatica. objectum enim formale & materiale Rhetoricæ non eſt oratio, ſed ornatus orationis, ideſt oratio ornata. item objectum Grammaticæ non eſt oratio, ſed eſt congruitas orationis, ideſt oratio congrua. vnde vniuerſaliter loquendo de objecto proximo, adæquato, & formali in artibus, & facultatibus quæ ſimiles ſunt artibus, objectum erit finis ipſe, non in abſtracto, ſed in concreto ſumptus; & ſi ipſæ artes aliquid demonſtrant de hoc objecto, demonſtrant de illo ſic ſumpto. vnde ſi medicus aliquis demonſtrat de homine, illud demonſtrat non quomodocumque, ſed vt curabilis eſt, ideſt, illud demonſtrat de ſanitate inducta, aut inducenda in hominem. Hinc conſtat decipi illos qui dixerunt id eſſe proximum objectum artis, in quod inducitur finis artis, vt homo in medicina, in quem inducitur ſanitas. iſti enim aſſignant objectum remotum & materiale, quæſtio autem eſt de objecto proximo, adæquato, & formali. Dico igitur quod quamuis Logica aſſimilaretur artibus (quod tamen eſt falſum) adhuc tamen operationes intellectus non eſſent objectum, ſed objectum eſſet ipſa directio inducta aut inducenda in operationes intellectus. De fine autem Logicæ, quid ſit, & an ſit directio operationum intellectus, dicemus inferius.

Ad ſecundum, reſpondeo negando minorem, nimirum defini- *Reſponſio ad ſe-*

Digitized by Google

*fundum.* tionem, diuiſionem, ſyllogiſmum &c. eſſe operationes intellectus; ſunt enim entia rationis.

*Reſponſio ad tertium.* Ad tertium, nego etiam minorem; neque enim principia, partes, & paſſiones operationum intellectus, quæ reales ſunt, tractantur in Logica.

*Reſponſio ad quartum.* Ad quartum reſpondeo negando majorem; ſcientia enim moralis, cum non ſit vniuerſalis facultas ad alias ſcientias requiſita, poteſt habere objectum commune cum alijs ſcientijs, addita tamen aliqua ratione formali diſtincta, & ita poteſt habere pro objecto operationes voluntatis, quas etiam conſiderat animaſticus, vnde ſcientia moralis ſubalternatur ſcientiæ de anima. animaſticus enim conſiderat operationes voluntatis ſecunde ſe; moralis illa conſiderat vt ſunt recta ratione regulabiles. at Logica, cum ſit vniuerſaliſſimum inſtrumentum ſciendi requiſitum ad omnes ſcientias, nulli ſcientiæ debet ſubalternati ratione objecti, ſed debet habere objectum diſtinctum ab omnibus alijs.

Ad primum fundamentum eorum qui dicebant operationes intellectus, vt ſunt directiuæ, eſſe objectum Logicæ, reſpondeo negando minorem, nimirum inſtrumenta quæ facit Logica eſſe operationes intellectus directiuas; ſunt enim entia rationis. Deinde major propoſitio ſupponit falſum; ſupponit enim tunc tantum inſtrumenta eſſe objecta alicujus facultatis, quando illa facultas tantum facit inſtrumenta, non tamen vtitur factis. poſſunt autem inſtrumenta facta ab arte eſſe ejuſdem artis objectum, ſiue ars illis vtatur, ſiue non; & ita Logica, vt dicemus, non tantum facit inſtrumenta, ſed etiam ijs vtitur, hoc tamen non impedit quominus eadem inſtrumenta ſint objectum illius.

Ad ſecundum nego minorem; inſtrumenta enim facta à Logica poſſunt eſſe aliquid aliud præter opus intellectus. Ad probationem autem minoris, nego inſtrumenta directiua operationum dirigendarum debere eſſe illarum ideas; & quamuis deberent eſſe ideæ, operationes tamen intellectus directiuæ nullo modo poſſunt eſſe ideæ aliarum operationum dirigendarum.

XII. *Vltima concluſio, Ens rationis Logicum eſſe objectum Logicæ.* Dicendum vltimò eſt, objectum adæquatum & formale Logicæ eſſe ens rationis Logicum, in tota ſua latitudine acceptum, non quomodocumque, ſed tantum quatenus eſt directiuum, vel coordinatiuum operationum intellectus. Dicitur autem directiuum, quatenus continet ſub ſe inſtrumenta, regulas, & præcepta dirigentia potentiam intellectiuam ad bene operandum, & ad res modo ſcientifico cognoſcendas, quæ tamen inſtrumenta, regulæ, & præcepta non in rebus ipſis inuenit formaliter, ſed de rebus ipſis, & in ipſis debitè cognitis, vi luminis naturalis effingit & format, non quidem pro libitò

& incertè, ſed certa quadam, determinata & infallibili ratione, iuxta certam, determinatam, & infallibilem cognitionem præcedentem rerum. Quod vt melius intelligatur,

*Explicatur & elucidatur concluſio.*

Sciendum eſt hominibus inditum eſſe à natura naturale quoddam deſiderium ſciendi, quod nec perfici nec expleri poteſt, niſi per veras, aut ſaltem veriſimiles conceptiones rerum, tam ſecundum ſe, quam etiam ſecundum conuenientiam & diſconuenientiam cum alijs rebus. Cum verò tanta ſit diuerſitas rerum inter ſe, tanta etiam ac tam multiplex conuenientia & diſconuenientia cum alijs, vt vix, imò ne vix quidem, hujuſmodi conceptiones de illis haberi poſſint, neceſſarium fuit quoddam directorium, in quo velut in compendio quodam tam infinita penè rerum varietas ad certa quædam capita redigeretur. Et quia ejuſmodi directorium ex rebus ipſis nullo modo confici potuit, neceſſarium fuit vt accederet intellectus, qui lumine ſuo naturali quaſi permeando & penetrando tantam rerum diuerſitatem, animaduerteret earum conuenientiam & diſconuenientiam ad inuicem, compararet illa inter ſe, conuenientes vniret, diſcordantes ſepararet, atque adeo res omnes ſecundum ſe quidem inordinatas vi ſua coordinaret, & ſingulas in ſingulis quibuſdam ordinibus reponeret, prout animaduerteret res ipſas inter ſe conuenire aut differre. Hæc igitur coordinatio rerum quam facit intellectus, eſt directorium illud quod dicebamus, in quo docemur ſingula ſuis conceptibus, quantum fieri poteſt, concipere, & conſequenter hæc ab illis ſeparare, his illa conjungere. Quæ quidem rerum diſpoſitio, cum à nulla alia ſcientia niſi à Logica habeatur, meritò Logica debet cenſeri directorium rerum concipiendarum; quod indicat ipſe Ariſtoteles, dum Logicam vocat organum, inſtrumentum, ſeu modum ſciendi. qui quidem ſciendi modus modo paulo ſuperius explicato inuetus eſt. Cum enim illi primi Philoſophi lumine naturali intellectus philoſophati cœpiſſent, animaduerterunt quædam in aliquo conuenire, quædam differre; quædam magis conuenire, quædam minus; quædam ineſſe alijs & de illis poſſe affirmari, quædam ſuſtentare alia & illis quaſi ſubdi; quædam intrinſecè & intimè rebus conuenire, quædam extrinſecè & ſeparabiliter, &c. Quæ verò animaduerterunt primo modo, ità ordinarunt per intellectum, vt id in quo conuenirent res formauerint & effinxerint tanquam vnum quid commune illis, & vocauerunt id genus; & ità facta eſt vna coordinatio aut caput rerum. quæ tamen coordinatio non erat in ipſis rebus, niſi remotè & fundamentaliter, hoc eſt, non fuit actu completè, vt loquitur Scotus, ſed tantum beneficio intellectus. Quæ verò animaduerterunt ſecundo modo, ità diſpoſuerunt per intellectum, vt id quo res diſcreparent effinxerint eſſe quaſi litem quandam & diſcordiam, & ſic vocarunt differentiam; & ſic fa-

*Scotus.*

ctà eſt alia ſeries rerum. Quæ animaduerterunt tertio & quarto modo, ità ordinarunt, vt id in quo res magis conuenirent conceperint velut principatum ampliorem, & ſic vocarunt ſuperius; id verò in quo res minus conuenirent conceperint velut principatum minorem, & ità vocarunt inferius; & ſic factæ ſunt duæ aliæ coordinationes rerum. Quæ ſexto modo, conceperunt vt ſuſtentaculum ſuſtentans illam formam, & ſic vocarunt ſubjectum. Quæ aduerterunt ſeptimo modo, conceperunt vt quid intimum & domeſticum, & ſic vocarunt eſſentiam. Quæ veró appræhenderunt vltimo modo, conceperunt vt peregrinum, & ſic vocarunt accidens; & ità totidem alia capita aut coordinationes rerum formarunt, quæ tamen in rebus non erãt completè, ſed remotè. Hæ autem diſpoſitiones & coordinationes rerum hoc præſtant, vt quoties aliquid de nouo & in particulari à nobis cognoſcendum ſit, ſtatim nos dirigant quomodo debeamus illud concipere & cognoſcere. habentes enim in promptu has coordinationes & directoria, ſtatim apparebit an illud quod cognoſcendum eſt ſit ſimile generi, & an debeat concipi vt genus & quid commune, an certè debeat concipi vt ſpecies, an vt prædicatum &c. Hoc igitur beneficium nobis contulit Logica, quæ omnes rerum conceptus objectiuos ad certa capita & ad certas ſeries redegit. & ita vnum caput rerum eſt, verbi gratia genus, ad quod reducuntur innumeri fere conceptus objectiui; & ità animal debet concipi vt genus, ſubſtantia vt genus, viuens vt genus, elementum vt genus, &c. Item alia coordinatio eſt ſpecies, ad quam ſimiliter reducuntur innumerabiles rerum conceptus, vt homo eſt ſpecies, leo eſt ſpecies, &c. & ſic de alijs coordinationibus. Ex his colligo, quod cum neceſſarium ſit vniuerſale aliquod ſciendi inſtrumentum ad operationes intellectus dirigendas, & ad ſcientias adipiſcendas, & hujuſmodi inſtrumentum, ſaltem ſcientificum & perfectum, non poſſit aliunde confici, quam redigendo cõceptus rerum ad certa quædam capita, & tradendo præcepta, normas, & regulas vniuerſales circa res, in quantum cognoſcibiles, & hoc totum præſtet Logica, neceſſariò ipſa Logica occupatur in his inſtrumentis & normis conficiendis; quæ cum non ſint in rebus ipſis realiter, ſed formentur in illis in quantum cognitæ ſunt, neceſſariò erunt entia & proprietates rationis. Et hinc etiam eſt quod Logica dicatur ſcientia rationalis; quia quamuis Logica ſit habitus quidam realis in intellectu exiſtens, quia tamen verſatur circa hujuſmodi coordinationes aut entia rationis, quæ à ſola ratione in rebus formantur, illiſque attribuuntur, ideo Logica dicitur rationalis, quaſi tota poſita in puris actionibus rationis. aliæ enim ſcientiæ etiam de rebus realibus, vel in anima vel extra exiſtentibus, tractant. Explicata hoc modo noſtra ſententia,

Digitized by Google

Probatur primò. Illud eſt objectum in aliqua ſcientia, cujus principia, partes, & paſſiones tractantur in illa ſcientia. hujuſmodi eſt ens rationis in Logica, vt ſuprà probatum eſt. ergo &c. XIII. *Probatur primò explicata concluſio.*

Probatur ſecundò. Logica eſſentialiter eſt habitus inſtrumentarius, dirigens operationes intellectus per ordinem ad ſuum objectum, vt diximus. ergo inſtrumentum eſt eius objectum, à quo eſſentialiter dicitur habitus inſtrumentarius. ſed hoc inſtrumentum non eſt aliud quam ens rationis traditum à Logica, vt ſupra probatum eſt. ergo ens rationis eſt objectum. *Probatur ſecundò.*

Probatur vltimò. Illud eſt objectum Logicæ, ſecundum quod inſeruit alijs ſcientijs. ſed alijs ſcientijs tantum inſeruit ſecundum ens rationis. ergo illud erit objectum. Minor probatur. Secundum ea Logica inſeruit alijs ſcientijs, quæ aliæ ſcientiæ aſſumunt à Logica. ſed aliæ ſcientiæ non aſſumunt à Logica niſi entia rationis. ergo ſecundum entia rationis Logica inſeruit alijs ſcientijs. Hæc minor patet inductione; quia aliæ ſcientiæ non aſſumunt aliud à Logica, niſi modum definiendi, demonſtrandi, argumentandi, quid ſit genus, quid ſpecies, &c. quæ omnia ſunt entia rationis. *Probatur tertiò.*

Obijcies primò. Non alia ratione entia rationis ponuntur objectum Logicæ, niſi quia Logica per entia rationis, veluti per inſtrumenta quædam, dirigat operationes intellectus, aut alia quæcumque inſtrumenta. ſed hoc eſt falſum; quia per illa inſtrumenta melius diriguntur operationes, quæ notiora ſunt; hujuſmodi potius ſunt operationes intellectus reales, quam entia rationis, quæ ob nimiam, imò nullam ferè entitatem quam habent, ignotiſſima ſunt. ergo operationes intellectus potius erunt objectum. XIV.

Reſpondeo majorem eſſe veriſſimam. per entia enim rationis Logica dirigit operationes intellectus, & inſeruit alijs ſcientijs, & melius quam per vlla alia inſtrumenta. ſed minor eſt falſa. primò, quia falſum eſt operationes intellectus debere dirigi & coordinari per illud quod notius quomodocumque eſt. ſic enim deberent dirigi per res ipſas ſenſibiles exteriores cognitas, res enim illæ notiſſimæ ſunt, & tamen illis nullo modo poſſunt dirigi operationes. quam ob cauſam 1. Elenchi initio dixit Ariſtoteles nos vti vocibus in diſputatione loco rerum, quia res ad hoc non interueniunt. non debent igitur operationes dirigi per illud quod notius eſt quomodocumque, ſed per illud quod eſt notius in ratione inſtrumenti apti ad dirigendas operationes. in ratione autem inſtrumenti notiora ſunt entia rationis, quam operationes intellectus. primò, quia operationes intellectus, ſiue vt dirigibiles, ſiue vt directiuæ, nullo modo ſunt inſtrumenta Logica, nec notiora, nec ignotiora, vt iam probauimus. deinde quia quamuis operationes intellectus poſſent eſſe inſtrumenta directiua, non tamen

eſſent notiora in ratione inſtrumenti & ſigni, ſed tantum ratione entitatis. quod patet apertè in rebus, & vocibus ſignificatiuis quæ loco rerum ponuntur in propoſitionibus; multo enim notiores nobis ſunt voces in ratione ſigni aut inſtrumenti ſignificatiui, quamuis exiguam habeant entitatem, quam ſint res quarum ſunt ſigna, etiam habentes maximam entitatem. vnde cuicumque etiam ruſtico notiſſima eſt hæc propoſitio, quoad voces, Deus non eſt corporeus, & tamen, quoad res ipſas, eſt valde ignota; & ſic de alijs vocalibus propoſitionibus. Hoc autem inde prouenit, quia iam conſtat apud omnes nomina fuiſſe liberè impoſita rebus, vt quoties audiatur talis & talis vox, intelligatur talis aut talis res, quãuis ſæpiſſime res ſignificatæ ſint ignotiores vocibus. Aliud eſt ergo loqui de notiori in ratione entitatis, aliud de notiori in ratione inſtrumenti. Sicut igitur voces ſunt nobis notiores in ratione inſtrumenti ſignificatiui, quam res ſignificatæ, etiamſi res ſignificatæ majorem habeant entitatem; ita entia rationis, quamuis minimæ entitatis ſint, in ratione tamen ſignorum aut inſtrumentorum libere ab intellectu formatorum, & iam ſcientificis omnibus innoteſcentium, notiora ſunt ipſis operationibus intellectus, quæ habent majorem entitatem. Ratio eſt, quia major aut minor notitia inſtrumenti aut ſigni liberè impoſiti, non creſcit ex majori aut minori entitate illius rei quæ conſtituitur pro inſtrumento aut ſigno, ſed major aut minor notitia hujus inſtrumenti aut ſigni tantum creſcit, prout magis aut minus conſtat apud homines eſſe rem aliquam conſtitutam pro inſtrumento aut ſigno, ſiue res illa ſit maximæ, ſiue minimæ entitatis. facilius igitur hac ratione per entia rationis diriguntur operationes intellectus; quia iam ſunt inſtrumenta formata, & communiter recepta à ſcientificis; ſicut facilius dirigitur ſtilus per vmbram ſuam, quam per ſeipſum, vel per alium ſtilum. entia autem rationis ſequuntur operationes rectas, ſicut vmbra recta rectum ſtilum; ideo per entia rationis, tanquam per vmbras quaſdam notiſſimas, optimè poſſunt dirigi operationes intellectus, & ita Logica per entia rationis facilius & melius docet, dirigit, & tradit modum ritè coordinandi conceptus rerum. Addo quod Logica dum dirigit operationes intellectus tantum ad hoc attendit, an nimirum operationes quas dirigit ſint conformes ipſis inſtrumentis & regulis directiuis earum. tunc autem optimè ſcit eſſe conformes, quando ad ipſas operationes aduertit reſultare eaſdem proprietates, quas prius in ipſis inſtrumentis directiuis eſſe animaduertit. nihil autem curat aut conſiderat an inſtrumenta directiua ſint quid reale vel rationis, ſint notiora vel ignotiora; ſed ſatis illi eſt operationes prædictas modo prædicto eſſe conformes inſtrumentis. quam conformitatem facillimè aduertit, dummodo aliquam habeat notitiam inſtrumenti directiui. Huius exemplum cla-

riſſimum eſt in architectonica arte. ſicut enim architectus tantum conſiderat ſtructuram domus ſecundum ſe, illamque efficit nihil planè conſiderando aut cogitando an ſtructura illa vel modus ædificandi ſit ens reale vel rationis, ſed abſtrahit ab his omnibus; ita Logica conſiderans & efficiens modum ſciendi, & veluti ſtructuram operationum intellectus, nihil conſiderat an modus iſte vel ſtructura operationum ſit in rebus ipſis quid reale vel rationis, quid notius vel ignotius, genereitas vel ſpecieitas; hoc enim Metaphyſici eſt, Logico autem ſufficit conſiderare modum iſtum ſecundum ſe, & illum efficere rectè & ſcientificè, ſicut bonus architectus, niſi forte per accidens aliquando per quaſdam operationes reflexas.

Obijcies ſecundò. In definitione ſyllogiſmi, qua dicitur, Eſt oratio in qua quibuſdam poſitis aliquid ab his quę poſita ſunt neceſſariò ſequitur, nulla fit mentio entis rationis, & ſic in alijs definitionibus Logicæ. ergo ea quę tractantur in Logica non conueniunt enti rationis.

Reſpondeo, in illa definitione non fieri mentionem entis rationis in actu ſignato, ideſt non expreſſe nominari hoc vocabulum, ens rationis, fieri tamen mentionem entis rationis in actu exercito, ideſt, illa oratio tali & tali modo diſpoſita vere eſt ens rationis. Quid enim aliud eſt diſpoſitio extremorum cum medio termino, quam opus rationis. Idem eſt dicendum de alijs definitionibus & demonſtrationibus Logicis, ſi quæ ſint hujuſmodi.

Obijcies tertio. Objectum in ſcientia debet eſſe vnum, ex Ariſtotele 1. poſt. tex. 44. ſed ens rationis eſt multiplex. ergo non eſt objectum Logicæ.

Reſpondeo, hoc argumentum magis probare contra ſententiam eorum qui dicunt objectum eſſe operationes intellectus. deinde dico, ens rationis, quod eſt objectum Logicæ, eſſe vnum vnitate proportionis. omnia enim entia rationis Logica ſecundum proportionem quandam conueniunt.

Obijcies quartò. De objecto ſcientiæ debemus præcognoſcere an ſit, & quid ſit, 1. poſt. text. 2. ideſt an tale objectum ſit in rerum natura aliquo modo, & quid ſignificet tale objectum. ſed non præcognouit Ariſtoteles quid ſignificet ens rationis. ergo non eſt objectum.

Reſpondeo ex eodem Ariſtotele 1. poſt. text. 21. & Auerroë ibidem, non eſſe opus præcognoſcere quid nominis ſubjecti, ideſt tradere ſignificationes illius, quando ſubjectum eſt notiſſimum; ſicut qui traderet ſcientiam de homine, non deberet præmittere ſignificationem hujus nominis, Homo, eſt enim notiſſima. vnde quia eſt notiſſimum quid ſignificet ens rationis, ideo non pręmiſit



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Ariſtoteles, ſed vt notum reliquit. ſimiliter non probauit an ſit ens rationis, nec probari debet, ſed ſupponi; quia omne ſubjectum debet ſupponi in ſcientia, non probari, maximè ſi ſit notum. notiſſimum autem eſt dari ens extra animam, & ens in anima. ens autem in anima tantum eſt ens rationis.

Obijcies vltimò. De objecto ſcientiæ debent demonſtrari paſſiones, 1. poſt. text. 21. ſed de entibus rationis non demonſtrantur paſſiones in Logica. ergo entia rationis non ſunt objectum.

Reſpondeo, de objecto, vel ejus inferioribus, demonſtrari debere paſſiones; quod factum eſt in Logica. nam de inferioribus entis rationis, vt de genere, de ſpecie, &c. explicantur & demonſtrantur paſſiones. & hoc apertè conſtat ex Metaphyſica, cujus objectum eſt ens in communi. de quo tamen ſic in communi ſumpto non demonſtrauit Ariſtoteles paſſiones, ſed tantum demonſtrauit de ſpeciebus ejus in particulari, ſcilicet de ſubſtantia, & de alijs prædicamentis.

# QVÆSTIO SECVNDA.

SIVE

*Appendix ad prædictam quæſtionem, in qua examinantur aliqua ſpectantia ad ens rationis quæ in ea ſupponuntur, & tamen in dubium reuocantur.*

I. QVONIAM in prædicta quæſtione de Logicæ objecto, videmur duo ſupponere; Primum, cognitum, prædicatum, ſubjectum, &c. non eſſe formaliter denominationes extrinſecas; ſecundum, eſſe illa entia rationis; ideo hoc loco de vtroque, breuiter tamen, agendum nobis eſt.

*Refelluntur Suarius & Hurtadus.*

Quod igitur ad primum, non me latet Suarium, Hurtadum, alioſque recentiores exiſtimare concreta hæc formaliter eſſe denominationes extrinſecas petitas ab intellectu cognoſcente, prædicante, ſubjiciente, &c. verum neque me latet nouum hoc eorum placitum cum veritate ſtare non poſſe. Quod vt intelligatur, aduerto hujuſmodi concreta dupliciter ſpectari poſſe; primò cauſaliter, ſecundò formaliter. ſi ſpectentur cauſaliter, certum eſt poſſe dici denominationes extrinſecas; dicunt enim vt cauſam cognitionem, prædicationem, ſubjectionem, &c. quæ illis extrinſecæ ſunt non intrinſecæ. Difficultas ergo eſt de illis formaliter ſpectatis, vtrum nempe formaliter importent formam realem extrinſecam, an vero aliquid intrinſecum, videlicet relationem rationis.

II. *Vera ſententia.*

Dicendum autem eſt primò, formaliter ſpectata non eſſe denominationes extrinſecas.

*Eiuſdem prima probatio.*

Probatur primò, quia nulla planè denominatio formalis ſaluari poteſt per ſolam formam quæ ſit extrinſeca ſubjecto quod denominatur, quando denominatio fit per prędicationem de ineſſe. ergo, &c. Antecedens probatur, quia omnis prædicatio formalis de ineſſe cum ſit de aliquo ſubjecto, ſupponit in illo effectum alicujus cauſæ formalis vnde deſumitur ipſa prædicatio. at effectus formalis nihil eſt aliud quam forma in ſubjecto. ergo omnis prædicatio formalis ſupponit formam in ſubjecto à qua proximè & formaliter deſumitur prædicatio. ergo nulla poteſt eſſe denominatio extrinſeca modo explicato. ergo vlterius nec concreta de quibus agimus ſunt formaliter denominationes extrinſecæ.

*Secunda probatio.*

Probatur ſecundò. cognitum, prædicatum, &c. ſunt concreta aliqua. ſed omne concretum dicit formam & ſubjectum habens illam formam, non autem ſubjectum & formam ad illud terminatam; vt inductione patet. ergo etiam hæc concreta dicent formam & ſubjectum habens illam formam. at ſubjectum eſt paries, exempli gratia, quando cognoſcitur. ergo forma debet eſſe in pariete. ergo paries (& idem eſt de cæteris) non denominatur cognitus formaliter per formam extrinſecam. ergo eſſe cognitum formaliter non eſt denominatio extrinſeca. hæc de prima parte difficultatis propoſita.

Videamus iam quid dicendum ſit de ſecunda parte, ideſt, vtrum hujuſmodi concreta ſignificent principalirer, & tanquam formam impottent relationem rationis.

III. *Concluditur cognitum, prædicatum, & ſimilia eſſe formaliter entia rationis.* *Scotus.*

Dicendum autem eſt ſecundò importare. ita fere omnes antiqui contra recentiores citatos. in primis illam habet Subtilis Doctor noſter in 1. diſt. 35. quæſt. vnica, §. hoc poteſt poni ſic. docet enim in priori ſigno rationis antequam Deus intelligat ſe intellexiſſe lapidem, & poſtquam illum actu ſimplici intellexit, ſtatim conſurgere in lapide relationem intellecti ad intellectionem diuinam; multa etiam alia addit in hanc rem. idem habet in 1. diſt. 45. quæſt. vnica citata, §. ad argumenta; vbi ait à voluntate diuina, ex eo quod velit aliquid, produci in objecto relationem voliti, ſicut etiam producitur ab intellectu alia relatio rationis intellecti quando aliquid intelligit. idem ex Scotiſtis renent Doctor illuminatus Franciſcus Mayronius in 1. diſt. 46. quæſt. 1. Ioannes Anglicus ſuper vniuerſalia Scoti, in expoſitione quæſt. 5. citatque Mayronium, & inſuper laudat Bonettum, quod in prædicamentis, cap. de relatione, in hanc iuerit ſententiam, Meuriſſius lib. 1. rerum Metaphyſicarum quæſt. 3. in principio, & concluſione 3. ejuſdem quæſtionis, Philippus Faber, *Mayronius.* *Ioannes Anglicus.* *Bonettus.* *Meuriſſius.* *Faber.*

diſput. 4. prologi cap. 3. num. 24. & alij Scotiſtæ omnes. In eadem eſt ſententia Angelicus Doctor in 1. diſt. 40. quæſt. 1. art. 1. ad 1. & 2. vbi tradit operationes immanentes intellectus & voluntatis cum non tranſeant in externam materiam, non habere paſſiones reales reſpondentes ſibi, niſi per modum ſignificandi & grammaticaliter; & ſtatim explicans quid ſint iſtæ paſſiones per modum ſignificandi, docet eſſe relationes rationis per modum cujuſdam paſſionis, vt ſciri, cognoſci, prædeſtinari; & ſubijcit relationem prædeſtinati relinqui in creatura ex actu diuino. eadem eſt etiam ejus ſententia 1. part. quæſt. 17. art. 7. & quæſt. 7. de potentia, art. 11. illum ſequuntur ejus diſcipuli, Heruæus quodlibeto 3. quæſt. 1. art. 1. §. quantum ad 1. & quodlibeto 7. quæſt. 4. & in tractatu de ſecundis intentionibus ſæpe, Bacconius lib 2. quodlib. quæſt. 6. vbi ait hoc ſentire S. Thomam, Perronius primo tomo ſuæ Logicæ, lib. 2. quæſt. 1. art. 3. & alij omnes, quos ex recentioribus ſequutus eſt Paulus Vallius primo tomo ſuæ Logicæ, in prima parte prologomenorum quæſt. 2. cap. 6. vbi fuſiſſimè hanc ſententiam explicat.

*S. Thomas.* *Heruaus.* *Bacconius.* *Perronius.* *Vallius.*

IV. Probatur primò ex philoſopho, qui 5. metaph. text. 20. docet ſcibile & cognoſcibile eſſe relatiua, eo quod ſcientia & cognitio referantur ad ipſa. ergo per Ariſtotelem important relationem etiam tanquam rem ſignificatam; eodem enim modo terminus relatiuus dicit relationem, quo hic terminus album albedinem, & quodcunque aliud concretum ſuam formam. idem tradit in cap. ad aliquid de ſcibili & ſenſibili, quæ vult dici ad conuertentiam, ideſt, ad ſcientiam & ſenſum. iam eadem eſt ratio ſcibilis & cognoſcibilis, & eorum de quibus loquimur, ideſt, cogniti, prædicati, &c. ergo cognitum, prædicatum, &c. dicunt formaliter relationem rationis.

*Prima probatio.*

*Secũda probatio.* Probatur ſecundò ratione. quando concipio eſſe cognitum, verbi gratia, eſſe prædicatum, &c. vel concipio hoc eſſe in aliquo, vel in nullo, alicubi vel nullibi. non poteſt dici quod in nullo & nullibi hæc concipiantur, quia ipſa nomina neceſſario inuoluunt aliquid cognoſci & prædicari; ergo alicubi & in aliquo. peto ergo vbi & in quo. iam vel neceſſario erunt in ipſa operatione. & hoc non, quia cum eſſe cognitum, eſſe prædicatum, &c. ſint denominationes paſſiuæ, non poſſunt eſſe in cognitione actiua, quia cognitio non cognoſcitur nec prædicatur. ergo neceſſario debent concipi in re cognita & prædicata.

*Reſponſio aduerſariorum.* Reſpondebis fortaſſis, nullibi debere concipi habere eſſe ſubjectiuè, ſed tantum eſſe circa aliquid, non tamen in illo.

*Reiicitur dicta reſponſio.* Sed contra eſt. eſſe cognitum, eſſe prædicatum, concipiuntur admodum accidentis conjuncti ſuo objecto. ergo neceſſario concipi

debent

debent vt habentia eſſe ſubjectiuum in aliquo. conſequentia probatur; quia quicquid concipitur ab intellectu eique obijcitur, vel obijcitur vt aliquid per ſe, & ſic per modum ſubſtantiæ, vel vt aliquid in alio, & ſic per modum accidentis; nec inter hæc duo medium reperitur. ergo eſſe cognitum, eſſe prædicatum, &c. quæ ſunt entia rationis, obijciuntur intellectui, vel per modum ſubſtantiæ, vel per modum accidentis. non primum, vt apertè conſtat; ergo ſecundum. his duobus argumentis addi poſſent multa alia, quæ tamen breuitatis cauſa omitto.

Verum vt clarè & facilè noſtram capias ſententiam, obſerua quod ſicut in dies videmus agentia naturalia producere quoſdam effectus & proprietates naturales in ſubjectis & patientibus à ſe diſtinctis, itavt proprietates illæ realiter afficiant ipſa ſubjecta in quibus reſultant; ita ex hoc, tanquam ex optima occaſione dubitandi, datur nobis occaſio concipiendi ex actione & cognitione noſtri intellectus ſequi quoſdam effectus in rebus extrinſecis circa quas ſua actione & cognitione verſatur. cum tamen non animaduerramus has proprietates realiter afficere res in quibus concipiuntur reſultare, ideo dicuntur à nobis entia rationis; & hoc modo optimè poſſe & debere concipi entia rationis aduenire rebus cognitis, conſtat etiam ex modo operandi ipſius Dei; cum enim Deus Opt. Max. quicquid extra ſe in rebus operatur, operetur ſolùm intelligendo & volendo (ipſe enim dixit & facta ſunt, mandauit & creata ſunt) & abſurdum videatur exiſtimare & concipere voluntatem diuinam tranſire veluti ex ipſo Deo, & in re creata recipi vt ibi aliquid efficiat, neceſſario debemus concipere ad voluntatem diuinam immanentem in ſuo principio, ideſt in Deo, & vt immanentem à nobis conceptam, reſultare effectus quos ipſe vult in creaturis, & eo ipſo quo ipſe vult ſine vllo alio; eodem igitur modo optimè poſſumus concipere ad operationes noſtri intellectus reſultare effectus quoſdam noſtro modo intelligendi, non reales, ſed rationis. in quo differimus à Deo, qui cum ſit infinitæ virtutis, poteſt effectus quoſcunque reales ſolo intellectu & voluntate ſua producere.

Dices. ſi vera eſt hæc noſtra ſententia, ſequitur hoc concretum, volitum, exempli gratia, eſſe etiam formaliter tale, per aliquid quod ex volitione reſultet in re volita; eadem enim videtur ratio voliti, viſi, dexteri, &c. ac cogniti, prædicati, &c. atqui hoc abſurdum videtur. ergo &c. *Obiectio aduerſariorum.*

Reſpondeo concedendo ſequelam cum noſtro Doctore Subtili locis ſupra citatis, & negando id eſſe abſurdum. imo dico id eſſe maximè rationi conſentaneum, & efficaciter probari ijſdem argumentis, quibus idem probauimus de cognito, prædicato, &c. *Occurritur prædictæ obiectioni.*



Digitized by Google

*Alia obiectio.* Sed inquies, quid illud eſt quod ex volitione reſultat in re volita, & denominat illam formaliter volitam? non enim eſt relatio rationis, quia exiſtit nemine cogitante. ſed nec etiam aliquid reale, quia voluntas nihil reale extra ſe producit.

*Reſponſio.* Reſpondeo, eſſe ens diminutum, quod communiter appellari ſolet ens rationis, non quidem propriè dictum, vt benè docet *Scotus.* Scotus in 1. diſt. 45. quæſt. vnica, quia non ſequitur ad actum rationis, ſed impropriè dictum, ſiue negatiuè, quia nempe habet eſſe quoddam diminutum quod non pertingit ad eſſe reale; vnde & dici ſolet habere eſſe rationis, quia præcipua entia diminuta, quorum vſus aliquis eſt in ſcientijs, conſequuntur ad operationes rationis, vt eſſe prædicatum ſequitur ad operationem intellectus, qua vnum de alio prædicatur, eſſe ſyllogiſmum ſequitur ad operationem ejuſdem, qua ex duabus præmiſſis aliud deducit, & ſimilia, à quibus deinde omne entia diminuta quæ non perueniunt ad eſſe reale dicta ſunt entia rationis.

*Inſtantia.* Sed vlterius dices, quomodo hæc entia diminuta non ſunt ens reale, quandoquidem habent eſſe nemine cogitante; ens autem reale eſt illud quod habet eſſe nemine cogitante?

*Reiicitur.* Reſpondeo, non omne illud quod eſt diminutè, & ſecundum quid extra animam, & nemine cogitante, eſſe reale, ſed illud tantum quod eſt extra animam realiter. Et hinc intelligitur diſcrimen quod intercedit inter ens reale & rationis in tota ſua latitudine ſumptum; conſiſtit enim in hoc, quod ens rationis ſit ens quoddam productum à cauſa quæ in tali productione non habet virtutem producendi ens reale. dico ens quoddam, vt diſtinguam illud à non ente ſimpliciter. addo productum à cauſa quæ non habeat virtutem producendi ens reale, quia quotieſcunque alicubi datur aliqua ratio entis quæ à cauſa proficiſcatur, cujus vis non ſit ex aliquo defectu vel in ipſa cauſa, vel in effectu, potens conferre illi eſſe reale, ſemper illa ratio entis eſt rationis, non realis. quando autem cauſa eſt potens conferre eſſe reale, tunc ratio entis eſt realis. vtrum antem ſit cauſa potens necne producere effectum realem, ſtatim patet videndo quid ſit illud quod ab ea producitur, an pertineat ad aliquod prædicamentum, &c. Quod autem attinet ad relationes rationis, nobis certum eſſe debet eas tunc conſurgere, quando conſurgit in objecto aptitudo ad nouam denominationem, quæ aptitudo eſt procul dubio aliqua ratio entis relatiui, & deficit in conditionibus quæ ad relationem realem requiruntur. Neque dici poteſt reſpondere nos id quod eſt in quæſtione; nam hæc duo vt nota accipienda ſunt. primò, ex eo quod potentiæ aliquæ verſentur circa multa objecta, acquiri in ipſis objectis nouas

aptitudines, vt alio modo denominentur quam prius denominarentur ante operationes illarum potentiarum, atque has aptitudines eſſe aliquo modo entia. ſecundo, multas operationes quæ tribuunt hujuſmodi aptitudines objectis, non poſſe illis dare nouum eſſe reale, in ipſis objectis per potentiarum operationes productum, vel reſultãs. hæc autem ſi negentur, facile à quolibet probari poſſunt. vnde ſtatim conſequitur talem rationem entis, quæ per hujuſmodi potentiarum operationes de nouo exiſtit, non eſſe realem, ſed rationis.

V. Ex his omnibus ſequitur relationem non realem, ſequi ad directam & ſimplicem operationem cujuſcunque potentiæ, dummodo duæ adſint conditiones. prima eſt vt illud ſubjectum in quo dicitur reſultare relatio non realis ex operatione extrinſeca ejus potentiæ quæ eſt cauſa efficiens illius relationis, ſit capax nouæ denominationis quæ ex prædicta operationo oriatur, vt paries, qui ex viſione extrinſeca hominis fit de nouo capax vt denominetur viſus. ſecunda vt operatio extrinſeca potentiæ non ſit in eodem ſubjecto ſibi extrinſeco productiua formæ realis à qua fiat denominatio. Eſt doctrina noſtri Doctoris Subtilis in 1. diſt. 35. quæſt. vnica, §. hoc poteſt poni ſic, &c. & clarius 5. Metaph. quæſt. 11. vbi ait falſum eſſe relationem rationis fieri actu reflexo, ſit enim (inquit) primo actu directo intellectus, &c. idem habet in 1. diſt. 45. quæſt. vnica, §. ad argumenta; vt mirum ſit Paulum Vallium primo tomo ſuæ Logicæ, quæſt. 4. cap. 1. dixiſſe, ipſum 7. Metaph. quæſt. 10. & Antonium Andream ibidé velle hujuſmodi relationes produci tantum per operationem reflexam; vt enim recte aduertit Meuriſſius lib. 1. ſuæ Metaph. quæſt. 3. ne quidem entium rationis in illis locis meminerunt. Eſt præterea hæc doctrina omnium aliorum quos ſupra nominaui. Et probatur facile, quia ad productionem relationis non realis fruſtra ponitur aliud quam directa operatio potentiæ alicujus circa ſuum objectum. ergo illa ſatis eſt. Antecedens probatur. quia ſi aliquid aliud requiritur, maximè quia ens rationis non habet aliud eſſe præter eſſe objectiuum in intellectu quod ſolum eſt per cognitionem reflexam, non directam; vel quia adhoc vt parieti viſo, verbi gratia, conueniat ens rationis, requiritur explicita & reflexa cognitio ipſius entis rationis, quę illud parieti tribuat; ſed ex neutro capite requiritur. ergo &c. Major clara eſt. Minor probatur de eſſe objectiuo actuali; quia hujuſmodi eſſe non eſt id in quo conſiſtit ens rationis in genere prout ſe extendit ad entia diminuta, ſed eſt id tantum in quo conſiſtit ens rationis proprie dictum; ens enim rationis de quo hoc loco agimus & quod ſe extendit ad entia diminuta in hoc conſiſtit, quod ſit ens quoddam quod non habet eſſe reale, ſed eſſe diminutum, vnde ſic deſcribi poteſt; eſt ens quoddam ab ea cauſa productum quæ in tali productione non habet vim

*Corollarium, relationem videlicet rationis fieri per operationem directam.*

*Doctor ſubtilis.*

*Reiicitur Paulus Vallius.*

*Meuriſſius.*

*Probatio primi corollarii.*



Digitized by Google

efficiendi ens reale. Deinde ſatis eſt vt aliquod ens rationis hoc eſt relatio rationis propriè dicta, habeat eſſe objectiuum in intellectu indirectè, ad quod ſufficit ſimplex & directa cognitio, neque reflexa requiritur, vt relatio non realis conueniat rebus; quia ſi poteſt habere aliud eſſe prçter objectiuum directè, neceſſario ſecundum illud, quodcunque ſit, conuenit rebus quas ſuo modo afficit, ſine alia explicita intellectus attributione. Probatur prçterea quia ex eo quod paries præcisè videatur ab oculo acquirit de nouo aptitudinem, vt poſſit denominari viſus denominatione relatiua ad videntem; ſed iſta aptitudo nō eſt aliquid reale. ergo ex eo quod paries præcisè videatur, acquiritur in illo relatio non realis. ergo per directam & ſimplicem viſionem objecti. Major clara eſt. Minor probatur, nam ſi iſta aptitudo eſt aliquid, vel parieti intrinſecum, vel extrinſecum; neutrum dici poteſt. ergo &c. non inrrinſecum, vt concedunt aduerſarij, quia ex eo quod paries videatur, nihil reale in eo producitur, cum potentia viſiua, non ſit productiua alicujus entis realis extra ſe. Neque extrinſecum; nam ſi eſt aliquid hujuſmodi, maximè eſt viſio, quæ circa parietem verſara eſt, at viſio licet faciat parietem cauſaliter aprum, vt denominetur relatiuè ad viſum, non tamen facit aptum formaliter; ſicur qui dealbat parietem, non facit parietem formaliter aptum ad diſgregandum viſum, ſed ſolum cauſaliter. adhoc autem vt aliquid ſit formaliter aptum ad aliud, debet habere in ſe formaliter aptitudinem; cum aptitudo ſit denominatio quæ fit à forma intrinſeca, quæ quidem forma aliquando eſt realis, aliquando rationis, provt ad ens reale vel ad ens rationis terminatur. Hçc breuiter hac de re dicta ſint ad majorem quæſtionis de objecto Logicæ claritatem.

*Probatio ſecunda.*

## QVÆSTIO TERTIA.

### *Vtrum Logica ſit ſcientia.*

I. POST diſputationem de objecto Logicæ, ex cujus cognitione dependet cognitio naturę & eſſentię ipſius Logicæ, ſequitur vt agamus de natura ipſius Logicæ, & vt oſtendamus quid ſit. Tunc autem apparebit quid ſit, ſi verum genus, veramque differentiam illius oſtendamus. hic igitur agemus de genere illius non quidem remoto (certum enim eſt apud omnes genus remotum Logicę eſſe habitum intellectiuum,) ſed de proximo; deinde agemus de differentia ejus. Vt autem cognoſcamus genus proximum Logicæ videndum eſt an ſit vnus ex illis 5. habitibus intellectiuis qui numerantur ab Ariſtotele 6. Ethic. cap. 3. an nimirum ſit ſcientia, vel ars, vel prudentia, vel ſa-

pientia, vel intellectus ſeu habitus principiorum; non enim apparet ad quem habitum ex iſtis quinque reducatur Logica. Certum autem eſſe debet ad aliquem ex illis reduci, quicquid dicant aliqui recentiores Itali, vt Zabarella lib. 1. de natura Logicæ, cap. 3. Vallius 1. tomo ſuæ Logicæ, in 2. parte prolegomenorum, quæſt. 4. cap. 11. 12. 13. 16. 17. & 18. Balduinus in quæſito an Logica ſit ſcientia, & alij, quos ſequutus eſt Smigletius primo tomo ſuæ Logicę in quęſtionibus proœmialibus. Ratio breuiter eſt, quia ex Ariſtotele omnis habitus intellectiuus, quo verum ſimpliciter negando vel affirmando dicimus, eſt vnus ex illis quinque. ſed Logica eſt hujuſmodi habitus, ergo eſt vnus ex illis quinque, ideſt, vel eſt ars, vel ſcientia &c. Hinc refelluntur qui dicunt Ariſtotelem loco citato non enumerare omnes habitus intellectiuos, ſed illos tantum qui per ſe perficiunt intellectum; hinc, inquam, refelluntur, quia Ariſtoteles, vt ipſemet ait, enumerat omnem habitum quo verum dicimus affirmando vel negando. hujuſmodi eſt Logica. ergo &c. Neque dicas nos verum dicere per facultates quæ probabiliter de omni re diſputant, vt per Dialecticam; & tamen Dialecticam, & hujuſmodi alias facultates probabiles, non eſſe vllum ex illis quinque habitibus, & conſequenter Ariſtotelem non enumerare omnem habitum intellectualem quo verum dicimus; ne, inquã, hoc dicas. primò, quia per Dialecticam, aut hujuſmodi alias facultates, non dicimus verum ſimpliciter, ideſt, certo, neceſſario, & ſine formidine; de qua veritate loquitur Ariſtoteles. vnde ibi apertè ab habitibus quibus verum dicimus, excluſit opinionem, & ſuſpicionem; quia quamuis aliquando per opinionem dicamus verum, eſt tamen cum formidine oppoſiti, & cum incertitudine. ſed Logica eſt habitus quo verum ſimpliciter & ſine formidine dicimus. Ergo neceſſario erit vnus ex illis quinque habitibus, vel certe Ariſtoteles fuit mancus. ſecundò, quia quando dicitur Ariſtotelem numeraſſe tantum habitus per ſe perficientes intellectum, Logicam autem non perficere per ſe intellectum; Peto quid ſit perficere per ſe intellectum. vel enim per perficere per ſe intelligunt Authores hujus reſponſionis idem quod propter ſe & gratia ſui, & hoc eſt falſum; quia ſic ars & prudentia non ſunt habitus per ſe perficientes intellectum; non enim propter ſe, ſed propter aliud perficiunt, ideſt, propter opus. vel per, per ſe, intelligunt, ideſt, ſine alio; & hoc etiam modo Logica in ordine ad ſuum objectum, per ſe, ideſt, ſine alio, perficit intellectum. videri poſſunt Philippus Faber Theoremate primo Philoſophiæ naturalis, cap. 3. & Iulius Pacius loco citado. Certum ergo ex his remaneat. Logicam ad aliquem ex illis quinque habitibus pertinere. Quæſtio itaque ſupereſt tantum, ad quemnam ex illis reuocari debeat, vtrum nempe ad ſcientiam vel artem; de his enim duobus tantum controuerſia eſt inter au-

*Zabarella.*
*Vallius.*
*Balduinus & Smigletius contendunt Logicam eſſe tantum habitum inſtrumentarium.*
*Reiiciuntur.*
*Reſponſio ipſorũ.*
*Reiicitur.*
*Philippus Faber.*
*Iulius Pacius.*

tores. Nam non eſt intellectus vel habitus principiorum; quia habitus principiorum eſt habitus per quem certò, euidenter, & infallibiliter aſſentimur quibuſdam propoſitionibus,quę probari non poſſunt, aut certè non debent, ſed aſſumuntur ad alia probanda, & ideo dicuntur principia. hujuſmodi ſunt multæ præmiſſæ, euidenter notæ lumine naturæ. Non eſt etiam Prudentia, quia Prudentia ex Ariſt. 6. Ethic. cap. 5. eſt habitus agendi vera cum ratione circa ea quæ ſunt homini bona vel mala, ideſt, eſt habitus quidam quo redditur homo aptus vt agat cũ vera ratione in agibilibus quæ agenda ſunt homini, tanquam bona illi, vel mala; circa hæc enim verſatur Prudentia. Non eſt denique ſapientia; quia ſapientia ex Ariſtotele eodem 6. Ethic. cap. 7. eſt ſcientia ſimul cum intellectu eorum quæ honorabiliſſima ſunt natura; ideoque ſapientia dicitur verſari circa vniuerſaliſſimas cauſas & prima principia, quia ſapientia reddit primas cauſas omnium rerum.

II. Prima ſententia, & ſatis communis inter recentiores, præſertim in Gallia, eſt Logicam eſſe artem propriè dictam. ita Iulius Pacius in procemio ante explicationem primi cap. Porphyrij, Balforeus noſter in ſua Logica, quæſt. 5. prooemiali, & alij. Ex Italis etiam non pauci eandem amplexi ſunt ſententiam, vt Horatius Cornachinus fusè in indagatione Logica, Antonius Bernardus Mirandulanus initio inſtitutionis in Logicam, & lib. 4. Apologiæ, ſect. 1. Flamminius Nobilius quæſt. penultima in Logicam, & alij.

*Sententia recentiorum quorumdam Logicam eſſe artem. Balforeus. Pacius. Cornachinus. Mirandulanus. Flaminius Nobilius.*

III. Secunda ſententia eſt, Logicam eſſe ſcientiam propriè dictam. quæ ſententia antiquiſſima eſt & celeberrima; illam enim docuerũt Stoïci ex Plutarcho, ex Alexandro etiam in procemio topicorum, & ex Diogene in vita Zenonis; Plato etiam, & cum illo Platonici & Academici omnes. Eandem ſententiam docere debent omnes illi, qui dicunt Logicam eſſe partem Philoſophiæ, vt Simplicius in Prædicamenta, Boëtius in Porphyrium, & alij. Hanc etiam expreſsè docuit Ariſtoteles lib. 1. Priorum, vbi ait ſe acturum de ſcientia demonſtratiua. idem ibi docent Alexander & Philoponus. idem etiam colligitur ex eodem Ariſtotele 2. poſter. cap. vltimo, vbi ait omnem habitum quo dicimus verum, eſſe vel ſcientiam, vel habitum principiorum. idem clariſſime colligitur ex 6. Ethic. cap. 3. Eandem ſententiam apertè indicant Auerroës 1. Priorum initio, Auicenna cap. 1. ſuæ Logicæ, Albertus Magnus cap. 1. in Porphyrium, D. Thomas 4. Metaph. lect. 4. & tota Schola Thomiſtica, Scotus noſter quæſt. 1. in Pędicabilia, & cum eo omnes ejus diſcipuli; vt non mirum ſit Fonſecam 2. Metaph. cap. 3. quæſt. 1. ſect. 7. dixiſſe hanc ſententiam eſſe veterum Scholaſticorum, & omnium fere grauium autorum. Vt hæc ſententia explicetur, ejuſque veritas percipiatur.

*Vera ſententia Logicam eſſe propriè dictam ſcientiam. Stoici. Plato. Simplicius. Boëtius. Philoponus. Auerroës. Auicenna. Albertus Magnus. D. Thomas. Scotus.*

IV. Præmitto primò, ſcientiam tripliciter ſumi poſſe. primò, valdè im-

propriè pro quacunque notitia aut cognitione rei. in quo ſenſu ſumpſit ſcientiam Ariſtoteles in antepręͅdicam. cap. 2. vbi Grammaticam vocat ſcientiam. ſecundò, pro cognitione certa & euidente rei per cauſam, ſiue illa cognitio ordinetur ad aliquid aliud, ſiue ſit gratia ſui. tertiò, pro cognitione certa & euidente rei per cauſam, ita vt illa cognitio tantum ſit gratia ſui, & vlterius non ordinetur. & hoc tertio modo Zabarella lib. 1. de natura Logicæ, Balduinus in quæſt. an Logica ſit ſcientia, & alij recentiores, volunt ab Ariſtotele ſumi ſcientiam propriè dictam, ita vt nulla ſit propriè ſcientia, niſi ſit ſpeculatiua. Primo igitur & ſecundo modo vix vlli ſunt qui negent Logicam eſſe ſcientiam; de tertio modo tota controuerſia eſt. quare vt videamus an Logica ſit propriè ſcientia, oſtendendum eſt Logicam vel eſſe cognitionem ſpeculatiuam, vel certe oſtendendum eſt ſecundum Ariſtotelem & veritatem ſcientiam propriè dictam non ſolum compræhendere cognitionem ſpeculatiuam, ſed etiam cognitionem practicam quę ad aliquid aliud ordinetur. Ego vtrumque oſtendam, & non tantum vnum; primum quidem quæſtione ſequenti; ſecundum hac quam præ manibus habemus. Vt ergo oſtendatur, *Zabarel. Balduinus.*

V. Præmitto ſecundò, Ariſtotelem nunquam dixiſſe ſcientiam propriè dictam debere eſſe gratia ſui, ſed tantum dixiſſe ſcientias ſpeculatiuas debere eſſe gratia ſui. vnde 1. poſter. cap. 2. definiens ſcientiam, nunquam dixit illam debere eſſe gratia ſui, ſed tantum ait, ſcire eſſe rem per cauſam cognoſcere, propter quam res eſt, quod illius cauſa eſt, & non contingit aliter ſe habere. Quæ quidem definitio ſecundum omnes, nullo excepto, eſt definitio ſcientiæ propriè dictæ. quod apertè ipſe Ariſtoteles oſtendit loco citato, & 6. Ethic. cap. 3. vbi illam eandem definitionem repetit; in qua tamen definitione Ariſtoteles nullo modo indicat ſcientiam debere eſſe gratia ſui. vnde etiam illi qui dicunt Logicam non eſſe ſcientiam, fatentur Ariſtotelem nón expreſsè poſuiſſe illam conditionem ſcientiæ, ſed tantum ſubobſcurè indicaſſe, præſertim 6. Ethic. cap. 3. & in prædicta definitione; ait enim ſcientiam eſſe illius quod non poteſt aliter ſe habere, vel quod non eſt contingens. quando autem cognoſcitur aliquid quod non poteſt aliter ſe habere, aut quod non eſt contingens, videtur debere cognoſci gratia ſui. Verum hinc nihil efficiunt aduerſarij; innumeræ enim res ſciuntur & cognoſcuntur etiam demonſtratiuè, quæ non ſunt contingentia, nec poſſunt aliter ſe habere, & tamen non ſunt nec ſciuntur gratia ſui. primò enim, principia demonſtrationis demonſtrantur & ſciuntur cognitione ſcientifica, & aliquando cognitione meliori, & certiori habitu principiorum, primo poſteriorum, & tamen non cognoſcuntur vllo modo gratia ſui, ſed in ordine ad concluſionem: principia enim, ſeu præmiſſæ, intrinſecè cognoſcuntur in ordine ad con-

cluſionem, ſicut media ad finem. Secundò, in Phyſica paſſim demonſtrantur & cognoſcuntur principia eſſendi & cognoſcendi, vt materia, forma, motus, &c. quæ non poſſunt aliter ſe habere, & tamen non cognoſcuntur gratia ſui, cum intrinſecè ordinentur ad principiatum, ideſt, ad corpus naturale. ſecundus locus in quo volunt aduerſarij Ariſtotelem inſinuaſſe ſcientiam propriè dictam debere eſſe gratia ſui, eſt 2. Metaph. text. 3. ſed nihil omnino eo colligere poſſunt. nam verba Philoſophi hæc ſunt, *Rectè autem ſe habet, Philoſophiam ſcientiam veritatis contemplatricem appellaſſe; ſpeculatiuæ enim finis, veritas, practicæ autem, opus*, vel vt habet verſio Gulielmi Du-Vallij, *Rectè autem ſe habet, Philoſophiam ſcientiam veritatis appellare; ſpeculatiuæ etenim finis, veritas, practicæ autem, opus.* Quæ verba clariſſima ſunt. quis enim vnquam negare poteſt, finem ſcientiæ ſpeculatiuæ eſſe cõtemplationem veritatis, & practicæ opus; & Philoſophiam rectè dici ſcientiam contemplatricem veritatis, quamvis non ſolius veritatis, ſed etiam operationis. quod apertè docet ibidem Auerroës, qui vniuerſam Philoſophiam dicit in duas ſecari ſcientias, ideſt, in ſpeculatiuam, & practicam, & finem vnius eſſe ſcire, finem alterius eſſe operari; quæ quamvis verè ſit ſcientia, & habeat demonſtrationes, non tamen eſt ſcientia ſpeculatiua, quia non præſtat illud, ideſt, non habet demonſtrationes in ordine ad ſcire, ſed in ordine ad agendum. Concludendum ergo eſt, Ariſtotelem ibi tantum dixiſſe Philoſophiam, ideſt ſcientiam ſpeculatiuam, eſſe ſcientiam contemplatricem veritatis, practicam autem eſſe ſcientiam contemplatricem operis, ideſt referri ad operationem; non autem dixiſſe ſcientiam propriè dictam, & in communi ſumptam, eſſe gratia ſui, & contemplatricem tantum veritatis. ſcientiam autem ſpeculatiuam vocat Philoſophiam, non quia neget ſcientiam practicam eſſe Philoſophiam, ſed quia magis videtur elucere ratio Philoſophiæ in ſcientia ſpeculatiua, quam practica, etiamſi practica etiam habeat veram rationem Philoſophiæ, vt conſtat ex Ariſtotele primo topic. cap. 12. vbi Philoſophiam, ideſt naturalem Philoſophiam & Moralem, diſtinguit à Dialectica; quia Dialectica de tribus illis generibus propoſitionum quæ ponit ibi Philoſophus, ideſt, de Naturalibus, Moralibus, & Logicis, agit tantum ſecundum opinionem, Philoſophia vero agit de iiſdem ſecundum veritatem. vbi per Philoſophiam neceſſariò debet intelligere, non tantum ſcientiam ſpeculatiuam, ſed etiam practicam & moralem. quo fit vt ſcientia Moralis verè ſit Philoſophia, etiam ſecundum Ariſtotelem. Non ergo negauit ſcientiam practicam eſſe Philoſophiam 2. Metaph. citato, ſed dixit ſcientiam ſpeculatiuam eſſe Philoſophiam ob rationem dictam, ſicut ob eandem rationem 4. Metaph. cap.

*Gulielmus Du Val.*

*Auerroës.*

cap. 2. & 3. Metaphyſicam antonomaſticè vocat Philoſophiam, & Metaphyſicum Philoſophum; non tamen propterea Phyſica & Mathematica non erunt partes Philoſophiæ vt paſſim docet Ariſtoteles, & fatentur fere omnes. Cum igitur Ariſtoteles 2. Metaph.text.3. non dicat ſcientiam propriè dictam debere eſſe gratia ſui, nec ibi excludat ſcientias practicas à ratione ſcientiæ (tantum enim ait non eſſe ſpeculatiuas) imo apertè ibi dicat eſſe ſcientias, ordinari tamen ad operationem, fit vt inde nihil probetur circa propoſitam controuerſiam. Secundò ſolet afferri teſtimonium Ariſtotelis 1. Metaph. Summa 1. cap. 2. ad probandum ſcientiam propriè dictam eſſe gratia ſui. ex quo loco ſic argumentantur. Qui philoſophantur tantum vt depellant ignorantiam, philoſophantur tantum vt ſciant, id eſt, propter ipſum ſcire, & non propter aliquid aliud. ſed qui primo philoſophati ſunt, ex Ariſtotele, hoc ſolum præſtiterunt vt depellerent ignorantiam. ergo tantum vt ſcirent. ergo gratia ſui. Sed hinc nihil efficitur; ibi enim Ariſtoteles tantum docet quomodo inuenta fuerit Philoſophia, id eſt, ſcientia ſpeculatiua, vt diximus. ait autem fuiſſe inuentam ad depellendam ignorantiam, & conſequenter propter ipſum ſcire. nunquam tamen aſſerit non aliam eſſe philoſophiam aut ſcientiam quam ſpeculatiuam; imo capite præcedente apertè indicat artes & ſcientias practicas humanæ vitæ neceſſarias, inuentas fuiſſe ante ſcientias ſpeculatiuas. alia ſimilia loca ſolent afferri ex Ariſtotele, ſed quæ planè nihil probant.

Præmitto tertiò, quod cum ſola demonſtratio ſit ſyllogiſmus ſcientialis, id eſt, generans ſcientiam in nobis, 1. poſter. text. 5. & demonſtratio ſit vnica & ſola regula qua poſſimus cognoſcere veram ſcientiam, ita vt vbicumque inuenitur vera demonſtratio faciens ſcire rem per cauſam propter quam res eſt, & quod illius cauſa eſt, & non contingit aliter ſe habere, ibi neceſſario & ſemper ſit vera & propria ſcientia, vt videamus an Logica ſit hujuſmodi ſcientia, oportet videre an habeat tales demonſtrationes, quales efficiunt talem ſcientiam. & quidem qui negant Logicam eſſe ſcientiam, coguntur fateri per demonſtrationes Logicas generandam hujuſmodi ſcientiam, niſi eſſet illa particula, *Et non contingit aliter ſe habere*, in definitione ſcientiæ, per quam ſolam particulam dicunt excludi Logicam à ratione ſcientiæ. nam fatentur per hanc demonſtrationem, omnis ſyllogiſmus conſtans ex veris, primis, neceſſarijs, notioribus, prioribus, & cauſis concluſionis, generat ſcientiam; fatentur, inquam, per hanc demonſtrationem Logicam, & alias ſimiles, generari quidem cognitionem certam & euidentem rei per propriam cauſam, non tamen generari ſcientiam quæ non poſſit aliter ſe habere, in quo deficit à vera ſcientia, vt iſti volunt. VI.

VII. Præmitto quartò, illam particulam, *Et non contingit aliter ſe habere*, poſſe facere quadruplicem ſenſum. Primò, vt *non poſſit aliter ſe habere*, idem ſit ac dicere, fieri non poteſt quin poſita cauſa ſic diſpoſita, ſeu poſitis præmiſſis ſic diſpoſitis, neceſſario ponatur & inferatur effectus ſeu concluſio neceſſitate illationis ſeu conſequentiæ, vt docet Albertus Magnus 1. Poſter. text. 1. & ſi intelligatur hoc modo illa particula, omnino quadrat ſcientiæ quæ habetur per dictam demonſtrationem Logicam, vt conſtat. Secundò, poteſt eſſe ſenſus, vt res ipſa quæ ſcitur non poſſit aliter ſe habere; quia ſcilicet ſcientia eſt præmiſſarum neceſſariarũ & non contingentium, ſicut clariſſimè ipſe Ariſtoteles hanc particulam explicat text. 7. primi Poſter. & ſi explicetur dicta particula hoc ſecundo modo, eodem planè modo conueniet ſcientiæ habitæ per demonſtrationem Logicam, ſicut cuicunque ſcientiæ; res enim quæ ſcitur in demonſtratione Logica ſuprapoſita, non poteſt aliter ſe habere, eſt enim ex præmiſſis neceſſarijs, & quæ aliter ſe habere non poſſunt. Tertiò, poteſt eſſe ſenſus, *non contingit aliter ſe habere*, ideſt, res quæ ſcitur non poteſt eſſe abſque tali cauſa, à tali enim cauſa ſola eſſe poteſt, & non ab alia, ſicut dicunt Auerroës & Philoponus, 1. Poſter. initio. & hoc etiam modo illa particula conuenit ſcientiæ Logicæ. ſicut enim quod homo ſit riſibilis, non aliunde eſt niſi ex eo quod ſit animal rationale; ita demonſtratio non aliunde generat ſcientiam, niſi ex hoc quod ſit ſyllogiſmus conſtans ex primis, veris, neceſſarijs, &c. Quartò, poteſt eſſe ſenſus, *non contingit aliter ſe habere*, ideſt, res quæ ſcitur debet eſſe ſecundum ſe neceſſaria, & non contingens quod aliter ſe habere poſſit, ita vt rem aliter ſe habere non poſſe nihil aliud ſit, quam ipſum ſcibile, quod per demonſtrationem ſcitur eſſe neceſſarium, quatenus neceſſarium opponitur contingenti. nam illud dicitur neceſſarium, quod aliter ſe habere non poteſt; illud vero contingens, quod aliter ſe habere poteſt. quam explicationem amplectuntur recentiores, qui dicunt Logicam non eſſe ſcientiam; quia ſcilicet eſt de rebus contingentibus, & non neceſſarijs. ſed neque hæc explicatio excludit Logicam à vera ratione ſcientiæ definitæ à Philoſopho. ad cujus probationem,

*Albertus Magnus.*

*Auerroës. Philoponus.*

VIII. Præmitto quintò, quod quando dicitur ſcientiam eſſe de neceſſarijs, hoc nihil aliud eſſe quam ſcientiam debere eſſe de rebus aut entibus quæ eodem modo inuariabiliter ſe habent, vt docetur 6. Metaph. text. 5. dicuntur autem eodem modo ſemper ſe habere, non vt ſunt ſingulares, exiſtẽtes à parte rei; vt ſic enim quam plurimæ res, imo res omnes purè phyſicæ continuò variantur & corrumpuntur; ſed ſecundum ſe, & ſpectando ipſarum prædicata quidditatiua, quæ eodem modo ſe habent. vnde res hac ratione ſumptæ dicuntur æternæ, perpetuæ, neceſſariæ, & incorruptibiles. res enim quæ ſunt objectum

ſcientiæ, debent eſſe æternæ, neceſſariæ, & incorruptibiles, 1. Poſter. text. 21. & 6. Ethic. cap. 3. Hoc poſito neceſſario ſeu objecto ſcibili, quod eſt objectum ſcientiæ, opponitur contingens varijs modis ſumptum, ſed potiſſimum prout idem eſt quod factibile à nobis, id eſt, prout eſt idem quod illud quod à nobis fieri vel non fieri, & hoc vel illo modo propter noſtram libertatem in agendo fieri poteſt. qua ratione authores citati contendunt Logicæ objectum eſſe contingens, malè tamen. quod vt capias, aduertè aliquid poſſe dici factibile à nobis, & habere principium in nobis vt fiat, dupliciter. primò, quia cum ſimus agentia libera, poteſt aliquid à nobis fieri & non fieri. ſuppoſito tamen quod iam decreuimus & velimus id facere, non poteſt à nobis aliter & aliter fieri, ſed certo quodam modo, determinato, & neceſſario, neceſſitate ex ſuppoſitione. & quidem hoc tantum modo contingens ſeu factibile à nobis verè eſt neceſſarium, ea neceſſitate quæ requiritur ad objectum ſcientiæ propriè dictæ, vt conſtat apertè in Phyſicis; quia de operationibus intellectus, imaginationis, memoriæ, potentiæ motiuæ, potentiarum omnium executiuarum, quatenus in homine ſunt, eſt vera & propria ſcientia, & tamen omnes iſtæ potentiæ ſubduntur imperio voluntatis, vt operentur & non operentur ad nutum ipſius voluntatis. ſuppoſito tamen quod voluntas imperet earum operationes, eodem modo, certò, neceſſariò, & determinate ſemper fient. ſecundò poteſt dici aliquid eſſe à nobis factibile, quia non ſolum poteſt fieri & non fieri ex imperio noſtræ voluntatis, ſed etiam quando decreuimus iam illud facere, poteſt natura ſua, quia eſt intrinſecè defectibile, aliter & aliter fieri. & contingens hoc modo ſumptum eſt objectum artis & prudentiæ, quod excluditur à ratione ſcibilis propriè dicti. an autem objectum artis & prudentiæ dicatur aliter & aliter ſe habere in vniuerſali, vt omnino non ſit per ſcientiam ſcibile, an vero quatenus artifex & prudens hic & nunc in particulari aliter & aliter benè & malè operentur, controuertitur inter authores. hic ſatis erit dicere objectum artis dici ab Ariſtotele aliter & aliter ſe habere hoc vltimo modo, quia ſcilicet hic & nunc artifex & prudens operantes, aliter & aliter operantur. Hinc colligitur objectum Logicæ non eſſe contingens ea ratione qua volunt aduerſarij. ens enim rationis non eſt ſicut objectum artis & prudentiæ; quamvis enim poſſit à nobis fieri & non fieri, quando tamen fit, certò, determinato modo, & neceſſariò ſemper fit, quod non eſt in arte. quod autem hoc modo fit, eſt objectum neceſſarium, & ſcibile per ſcientiam, vt conſtat in actibus intellectus, imaginationis, potentiæ motiuæ, &c.

Præmitto denique, Logicam aliam eſſe docentem, aliam vtentem; quicquid reclament Zabarella, Balduinus, & alij. nam traditur hæc diuiſio ab antiquiſſimis Philoſophis & Theologis, vt à Scoto 2. Me- IX. *Reijciuntur Zabarella & Balduinus.*

*Scotus. D. Thomas. Auerroës.*

taph. cap. 3. text. 15. & alibi, D. Thoma 4. Metaph. lect. 4. & vtriuſque aſſeclis, & colligitur aperte ex Ariſtotele 1. topic. cap. 2. & Auerroë paraphraſi 3. ibidem; vbi ait Auerroës artem Topicam, ſeu Dialecticam, compleri & perfici duabus rebus, cognitione videlicet, & vſu ſeu exercitio rerum cognitarum.

*Oſtenditur aliam eſſe Logicam docentem, aliam vtentem.*

Clarius etiam colligitur ex Ariſtotele 1. topic. cap. 9. & Auerroë ibidem, vbi dicitur quod problemata & præcepta quæ in Dialectica traduntur, ſint & ordinentur ad hoc, vt eis vtamur ad auxiliandum alijs artibus & ſcientijs, quod fieri non poteſt niſi per vſum Dialecticæ. Et cum ſit eadem plane ratio totius Logicę quoad hoc, ideſt, quoad cognitionem & vſum, imò multo major, apertè conſtat hęc diuiſio Logicæ ex doctrina Ariſtotelis. hoc obiter dixerim, ne deterreatur quiſpiam ſi diuiſionem hanc à quibuſdam recentioribus impugnari animaduertat. Impugnari quidem poteſt, ſed non expugnari; quippe quam tot graues philoſophi, ratione duce, defendunt. vide Storellam lib. An Logica ſit ſcientia, obiect. 10.

*Storella.*

vbi hanc diuiſionem optimè tuetur. Logica docens eſt cognitio modi generalis ſciendi, ſeu cognitio generalium præceptorum Logicæ: Logica vtens aliud nihil eſt, quam vſus ipſe ſeu exercitium Logicę docentis.

*Reijciuntur Balduinus & Zabarella, ipſorumque argumentis ſit ſatis.*

verum clamant Zabarella, Balduinus, & alij, Logicam vtentem & docentem non diſtingui; quod ſic probant. ſi diſtinguerentur, maximè quia docens eſt gratia ſui, & ita eſt ſcientia, vtens autem eſt gratia alterius, & ita non eſt ſcientia. ſed hoc, inquiunt, eſt falſum, quia etiam docens eſt gratia alterius. ergo &c. Verum reſpondeo nihil hinc efficere aduerſarios, quia quamvis vtraque Logica ordinaretur ad alias ſcientias, diſtingui tamen ad inuicem quis non videt? Aliud eſt enim tradere præcepta Logicæ, & illa ſcire, aliud eſt illa eadem ſcita & tradita rebus applicare, & illis vti; ſicut aliud eſt ſcire præcepta Rhetoricæ, aliud perorare, aliud eſt ſcire modum fabricandi, aliud eſt fabricare: & tamen hęc omnia ſunt in ordine ad aliud. Secundò clamant; male dicitur Logica vtens, cum potius deberet dici vſitata; Logica enim nunquam vtitur ſuis inſtrumentis & pręceptis, ſed his vtuntur aliæ ſcientiæ. Sed tantumdem efficiunt, quia Logica optimè dici poteſt & vtens & vſitata. vtens quidem, quatenus cum ſingulis ſcientijs ad ſuas demonſtrationes efficiendas vere concurrit Logica. vnde ſicut Phyſicus aut Mathematicus dicitur vti pręceptis Phyſicis aut Mathematicis, quia facit demonſtrationes in quibus obſeruantur hujuſmodi pręcepta, ita Logica aut Logicus dicetur vti præceptis Logicis, quia concurrit ad efficiendas demonſtrationes in quibus obſeruantur præcepta Logica. Quod autem Logica vere concurrat ad demonſtrationes aliarum ſcientiarum efficiendas, patet manifeſta inductione; quia nulla demonſtratio fit ſecundum formam ſyllogiſticam, niſi ab habente habitum Logicæ, & pręcepta illius, ergo nunquam

fiet demonſtratio niſi medio habitu Logicæ, ſed omnis habitus, quo medio verè elicitur & fit operatio, concurrit ad ipſam operationem efficiendam. ergo Logica concurrit ad omnes demonſtrationes veras; ergo optimè dicitur vtens, quia nempe concurrit ad demonſtrationem faciendam, in qua ſemper obſeruantur præcepta Logicæ. Quo fit vt ad eandem demonſtrationem efficiendam concurrant tum Logica, tum ſcientia alia particularis quæ ſubminiſtrat materiam, tum etiam alij habitus aut facultates, vt Grammatica, Rhetorica, &c. verbi graria, cum ſit hęc demonſtratio, omne corpus naturale eſt mobile, omne mixtum eſt corpus naturale, ergo omne mixtum eſt mobile, ad hanc demonſtrationem primò concurrit ſcientia particularis, ideſt, Phyſica, quæ præbet materiam, ſecundò Logica, quatenus illa demonſtratio eſt ſub tali forma ſyllogiſtica, tertiò concurrit Grammatica, quatenus eadem demonſtratio ſit per orationem congruam, hoc enim nec præſtat Logica, nec Phyſica; abſolutè tamen & ſimpliciter illa demonſtratio erit, & dicetur eſſe illius ſcientiæ particularis, tum propter materiam quam præbet illa ſcientia, tum propter Logicam particularem quam habent ſingulæ ſcientiæ, & ſecundum quam ad ſuas demonſtrationes efficiendas regulantur. Vnde dicta demonſtratio ſimpliciter dicenda eſt Phyſica, quia quamvis Logica & Grammatica ſuo modo efficiant illam, tamen quia demonſtratio ſimpliciter ſpecificatur ſecundum nos, & denominatur ex materia & objecto proprio, ac modo ſpeciali demonſtrandi, & hoc totum habeatur à Phyſica, ideo Phyſica primas habet partes in illa demonſtratione, & non Logica, aut Grammatica. hi enim habitus minus principaliter concurrunt, ſicut inſtrumenta vniuerſalia, nec habent ſpecialem concurſum in ſingulis demonſtrationibus, ſed vniuerſalem, ideſt, eodem modo concurrunt cum ſingulis ſcientijs particularibus ad ſuas demonſtrationes. Et ob hanc eandem rationem optimè Logica dici poteſt etiam vſitata, quatenus ſcilicet ſcientifici particulares veluti principalia agentia, circa demonſtrationes vtuntur habitu Logico veluti inſtrumento ad demonſtrationes efficiendas. hoc tamen ipſo quod ſcientifici Logica vtantur, ipſa verè concurrit ad demonſtrationes faciendas. qua etiam ratione dicitur dirigere operationes intellectus, quatenus nimirum habitus Logicæ, vt inſtrumentum vniuerſale, concurrit modo prædicto ad ſingulas demonſtrationes & operationes intellectus ritè faciendas. vnde dirigit operationes non ſolum quatenus docens eſt, ſed etiam quatenus vtens. In quo manifeſtè falluntur recentiores quidam, qui dicunt Logicam quidem facere inſtrumenta directiua operationum intellectus, non tamen illis vti, & ita non dirigere operationes intellectus. Nam intelligi non poteſt quomodo inſtrumenta ſint directiua, niſi modo iam explicato. ſi enim

ſunt directiua, ſunt reſpectu alicujus qui eget directione, ergo debent ab illo aſſumi, ergo debet illis vti, ergo aliquid faciunt & dirigunt. de ratione enim inſtrumenti eſt efficere, maxime ſi ſit inſtrumentum in anima, cujuſmodi eſt habitus vniuerſalis Logicæ. Hic quæri ſolet, an Logica docens & vtens ſint duo habitus, ſeu duæ facultates realiter diſtinctæ. Ad quam quæſtionem breuiter reſpondeo negatiuè; vnde tota illa facultas ſeu habitus qui dicitur Logica, reſpectu diuerſorum poteſt dici docens, & vtens ſeu vſitata. Nam Logica, quatenus tradit inſtrumenta & præcepta ſciendi, & illa ſolum ſpeculatur, non applicans illa vlli materiæ particulari, dicitur docens, atque adeo ſcientia acquiſita per Logicam ſolum docentem, eſt diſtincta ab omnibus alijs ſcientijs. illa vero eadem Logica ſeu facultas intellectualis, quatenus aſſumitur ab alijs ſcientijs ad demonſtrationes faciendas circa materias particulares, dicitur vtens ſeu vſitata; & ità, vt vtens eſt, non generat ſcientiam diſtinctam à ſcientijs particularibus à quibus eſt aſſumpta, & cum quibus concurrit, concurrit enim cum illis ſcientijs particularibus vt inſtrumentum aſſumptum ad demonſtrationes illarum ſcientiarũm ritè faciendas. vnde Logica vtens, non tam Logica, quam vſus Logicæ docentis circa materiam alienam, dici debet. His præmiſſis,

*Logica docens & vtens diſtinguntur tantum formaliter.*

X. *Prima concluſio, Logicam non eſſe artem propriè dictam.*

Dico primò Logicam non eſſe artem propriè dictam. eſt contra primam ſententiam. Dico artem propriè dictam, quia ſi artis nomen ſumatur pro omni habitu intellectus, tam ſpeculatiuo quam practico, vt illud ſumpſit Ariſtoteles 1. topic. cap. 1. & alibi ſæpe, non eſt negandum Logicam eſſe artem; ſicut neque negandum eſt eſſe artem, provt artis nomine ſignificatur omnis habitus pręceptiuus pręter prudentiam, ſiue relinquat opus poſt ſe, ſiue non, ſiue tranſeat in externam materiam, ſiue non. qua ratione nomine artis vſus eſt Ariſtoteles 1. mag. Mor. cap. vltimo, vbi diuidit operationes in factionem & actionem, & dicit prudentiam verſari circa actionem. ergo relinquitur in ejus ſententia, omnes alias operationes quæ non ſunt prudentia, eſſe factiones, & circa has artem verſari.

XI. *Probatio concluſionis.*

Probatur concluſio; quia ars propriè & ſtrictè ſumpta 6. Ethic. cap. 4. eſt habitus cum vera ratione factiuus, ſeu recta ratio rerum factibilium aut faciendarum. ad quod requiritur vt ejus operatio ſit tranſiens in materiam externam, & relinquat aliquod opus poſt ſe; idem enim eſt eſſe habitum cum vera ratione effectiuum, ac eſſe habitum cujus operatio ſit tranſiens in materiam externam, & relinquens opus poſt ſe. ſed Logica non eſt hujuſmodi habitus. ergo Logica non eſt ars propriè & ſtrictè ſumpta. Minor clariſſima eſt, nec ab vllo negari poteſt. Major probatur, quoad illam partem quæ aſſerit artem propriè dictam eſſe habitum cum vera ratione factiuum ſeu effectiuum,

Digitized by Google

ex philoſopho 6. Ethic. cap. 4. vbi expreſsè illam tradit, *Quoniam*, inquit, *neque vlla ars eſt quæ non ſit habitus cum ratione effectiuus, neque vllus ejuſmodi habitus qui non ſit ars, efficitur vt & ars & habitus cum ratione vera effectiuus idem ſit.* Quod ad illam etiam partem quæ aſſerit habitum cum vera ratione effectiuum tranſire in materiam externam, probatur manifeſtè ex 2. Phyſic. text. 1. & 2. vbi naturam ab arte in eo diſtinguit, quod natura ſit principium motus in eo in quo eſt, ars vero efficiat aliquid extra artificem. & ſi contingat aliquem per artem efficere in ſemetipſo aliquid, vt medicum, verbi gratia, ſeipſum ſanare, ait hoc eſſe accidentarium arti, quæ debet tranſire in materiam ab artifice ſeparatam. vnde 9. etiam Metaph. cap. 3. *Omnes*, inquit, *artes & factiuæ ſcientiæ, potentiæ ſunt; principia enim tranſmutatiua in alio, prout aliud eſt.* & 1. mag. Mor. cap. 33. *Factilium*, inquit, *præter facturam, finis ſupereſt alius, ſicut domificatiuæ finis, præter facturam, domus eſt.*

Confirmatur. ars propriè dicta verſatur circa ea quæ poſſunt aliter & aliter ſe habere, teſte philoſopho 6. Ethic. cap. 4. ſed Logica non verſatur circa hujuſmodi; ex tali enim operatione ſequitur neceſſario tale ens rationis, & tale ens rationis oſtendit neceſſario talem operationem bonam vel malam, neque in noſtra eſt poteſtate fingere quælibet entia rationis quacumque ratione, neque tali modo exercere operationem. ergo Logica non eſt ars propriè dicta. Ex hac confirmatione habes quid reſpondendum ſit ad locum Ariſtotelis 6. Ethic. cap. 4. quo quidam recentiores vti ſolent vt probent Logicam eſſe artem; quia nimirum ars ex Philoſopho ibi, eſt circa ea quorum principium eſt in nobis, quæ poſſunt benè & malè fieri. Logica autem circa hujuſmodi, inquiunt, verſatur. ergo eſt ars. Reſpondendum enim eſt falſam eſſe minorem, ſi ea, quorum principium eſt in nobis, ſumantur propriè; hæc enim debent eſſe talia, vt non ſolum fiant à nobis, & à voluntate noſtra pendeat vt fiant vel non fiant, ſed debent etiam pendere in hoc, vt bene vel male fiant, ita vt noſtra voluntas det illis talem vel talem ſpeciem & eſſentiam, quod non conuenit rebus Logicis. vide Philippum Fabrum Theoremate citato. *Eiuſdem confirmatio.*

XII. *Concluſio prima.*

Dico ſecundò, Logicam, vt eſt ens, ſi propriè loquamur, non debere dici ſcientiam diſtinctam ab illis ſcientijs particularibus, quæ illam aſſumunt ad ſuas demonſtrationes ritè faciendas.

XIII. *Prima probatio concluſionis.*

Probatur concluſio. Primò, illa ſcientia eſt diſtincta, quæ per propria principia, & per proprias demonſtrationes diſtinctam generat cognitionem. ſed Logica vt ens non generat hoc modo diſtinctam cognitionem ab illa quæ generatur per ſcientias particulares, ſed ad illam eandem efficiendam vt inſtrumentum vniuerſale concurrit. er-

Google

*Secunda.* go non eſt diſtincta ſcientia. Secundò, ſcientia diſtincta debet habere propria principia 1. poſt. text. 19. ſed Logica vtens nón demonſtrat per propria principia, ſed per aliena, ideſt per principia ſcientiarum cum quibus concurrit ad faciendas earum demonſtrationes. ergo &c. *Tertia.* Tertiò, vſus ſeu exercitium ſcientiæ vel artis, non eſt ipſa ſcientia aut ars, vt ſupra diximus. ſed Logica vtens eſt vſus Logicæ docentis. ergo non eſt ſcientia diſtincta, ſicut orare & fabricare, non eſt Rhetorica aut Architectonica. Illud autem aduertendum eſt, quod quando diximus Logicam, vt vtens eſt, non procedere ex proprijs principijs, ita intelligi debere, non quia probet per principia quædam communia ſingulis ſcientijs, quale eſt illud principium, de quolibet eſt verum aſſerere vel negare; ſed quia non procedit aut probat per principia diſtincta ab illis, ex quibus ſcientiæ particulares quæ vtuntur Logica ſuas probant concluſiones. vnde Logica, quando concurrit cum Phyſica, probat per principia Phyſica, quando concurrit cum Theologia, probat per principia Theologica. & hac ratione dicitur procedere per principia communia, ideſt non propria, ſed aliena.

XIV. *Concluſio ſecũda.* Dico tertiò. Logica, vt docens eſt, quæque abſolute & antonomaſticè Logica dicitur, eſt verè & propriè ſcientia.

XV. *Prima probatio.* Probatur primò ex Philoſopho loco ſupra citato, vbi docet, vt vidimus, omnem habitum intellectiuum quo verum ſimpliciter negando vel affirmando dicimus, eſſe vel artem, vel ſcientiam, vel prudentiam, &c. ſed Logica eſt habitus intellectiuus, quo verum ſimpliciter negando vel affirmando dicimus. ergo Logica eſt vnus ex illis habitibus, non ars, nec prudentia, &c. ergo ſupereſt vt ſit ſcientia.

*Secunda.* Probatur ſecundò ratione. illa eſt ſcientia propriè dicta, quæ generat cognitionem rei per cauſam propter quam res eſt, &c. ſed in Logica habetur hujuſmodi cognitio. ergo Logica eſt proprie ſcientia. major eſt Philoſophi 1. poſt. text. 5. & ab omnibus conceſſa. minor probatur inductione, per demonſtrationes Logicas in quibus generatur hujuſmodi cognitio rei per cauſam, vt patet in his demonſtrationibus; omnis ſyllogiſmus conſtans ex primis, veris, prioribus, notioribus, & cauſis concluſionis, generat ſcientiam. atqui omnis demonſtratio eſt hujuſmodi ſyllogiſmus. ergo omnis demonſtratio generat ſcientiam. Item. omnis diſpoſitio ſyllogiſtica habens vtcumque præmiſſam vniuerſalem affirmatiuam, neceſſariò & euidenter concludit ſine vlla exceptione. ſed Barbara, ideſt diſpoſitio in Barbara, eſt hujuſmodi. ergo Barbara euidenter & neceſſariò concludit. In quibus omnibus & ſimilibus demonſtrationibus, generatur ſcientia rei per cauſam, &c. ſicut in quacumque ſcientia ſiue ſpeculatiua ſiue practica.

Dices

Digitized by Google

Dices. ſcientia debet probare ex proprijs principijs. ſed Logica non habet propria principia. ergo non habet veras demonſtrationes. ergo non eſt ſcientia.

Reſpondeo negando minorem, vt patet in dictis demonſtrationibus; omnia enim illa principia, cauſæ, & definitiones, ex quibus factæ ſunt illæ demonſtrationes, ſunt Logicæ, ab ipſamet Logica inuenta & tradita. Sed

Obijcies primò ex Ariſt. 2. Metaph. text. 5. abſurdum eſt quærere XVI.
ſcientiam & modum ſciendi. ſed per modum ſciendi intelligitur Logica. ergo Logica non eſt ſcientia.

Confirmatur ex eodem Ariſtotele, qui 6. Metaph. & alibi ſæpe, tres tantum facit ſcientias, propriè dictas ſpeculatiuas ſaltem, Phyſicam, Mathematicam, & Metaphyſicam, nec Logicam illis adnumerat. ergo &c.

Confirmatur ſecundò ex eodem, qui 1. Metaph. cap. 1. & alijs locis explicans quæ ſint ſcientiæ ſpeculatiuæ, quæ practicæ, Logicam nec inter has nec inter illas numerauit, ſed dixit Logicam eſſe inſtrumentum & organum omnium ſcientiarum, vt conſtat ex Diogene Laërtio in vita Ariſtotelis.

Reſpondeo, Ariſtotelem eo loco loqui de auditoribus veritatis in communi, quales ſcilicet eſſe debeant, & quæ methodi & modi procedendi in ſingulis ſcientijs addiſcendis tradi debeant auditoribus, & ait proprios modos procedendi in ſcientijs primò omnium eſſe auditoribus tradendos antequàm ſcientias addiſcant; abſurdum enim eſt quærere ſcientiam, verbi gratia, Mathematicam, & ſimul quærere modum procedendi in illa; prius enim oportet ſcire modum & methodum procedendi in ſcientia, & deinde quærere & addiſcere ſcientiam. vnde per modum ſciendi non intelligit Logicam, ſed methodum procedendi in omnibus ſcientijs; ſingulæ enim ſcientiæ (vt iam ſuppono ab omnibus conceſſum) habent proprios modos procedendi, qui in ingreſſu ſcientiarum tradi ſolent, ne auditores ſimul quærant ſcientiam & modum ſciendi. Secundò, eſto, per modum ſciendi intelligatur Logica. id tamen nihil probat, non enim dixit Ariſtoteles modum ſciendi, ideſt Logicam, non eſſe ſcientiam, ſed dixit abſurdum eſſe quærere ſimul ſcientiam & modum ſciendi; ideſt, modus ſciendi, qui eſt Logica, prius debet addiſci, & ante alias ſcientias, & non ſimul cum illis.

Ad primam confirmationem reſpondeo primò, argumentum eſſe ab authoritate negatiua, & conſequenter parum vrgere. Secundò, dico Philoſophum eo loco enumerare tantum ſcientias quæ ita ſunt ſpeculatiuæ, vt intrinſecè & natura ſua non ſint inſtrumenta ordinata ad omnes alias ſcientias perfectè acquirendas; vno verbo,

enumerate ſcientias quæ tantum ſunt ſpeculatiuæ, & non inſtrumenta vniuerſalia. Logica autem, quamvis ſit, vt ſequenti quęſtione docemus, ſcientia ſpeculatiua, eſt tamen vere aliarum ſcientiarum inſtrumentum, ad illas perfectè acquirendas, vt infra dicemus, perfectè neceſſaria.

Ad ſecundam confirmationem eodem modo reſpondendum eſt, Philoſophum nempe eo loco enumerare tantum ſcientias quæ non ſint vniuerſale inſtrumentum ad omnes alias ſcientias perfectè acquirendas, cujuſmodi eſt Logica.

Obijcies ſecundò cum Paulo Vallio. Scire eſt rem per cauſam cognoſcere. ſed in Logica non ſunt res. ergo &c.

Reſpondeo, per rem intelligi ſcibile, ideſt, id quod ſcitur, ſiue realiter ſit extra animam, ſiue non. Deinde dico, vel per rem intelligitur res extra animam; & hoc non eſt neceſſarium ad ſcientiam, vt patet de operationibus intellectus & voluntatis. vel per rem intelligitur aliquid reale, aliquando exiſtens realiter ſiue in anima, ſiue extra; & neque hoc eſt neceſſarium ad ſcientiam, vt patet de priuatione, de infinito, de vacuo, de quibus omnibus eſt ſcientia in Phyſicis. immo hoc patet etiam in fictitijs, de quibus habetur demonſtratio aut ſcientia per diſſenſum, ideſt, quod non ſint, & nihil ſint &c. ergo de ente rationis poteſt haberi ſcientia multo magis, non tantum per diſſenſum, ſed etiam per aſſenſum; quia quamvis formaliter ens rationis ſit objectiuè tantum in intellectu, non eſt tamen merè fictitium, connotat enim intrinſecè poſitiuum, determinatum, & certum fundamentum ad quod ſequitur.

Obijcies tertiò. Logica verſatur circa ea quæ à nobis fieri poſſunt, ideſt circa ſecundas intentiones. ſed quæ fiunt à nobis ſunt contingentia, contingentia autem non ſunt propriè ſcibilia. ergo Logica agens de hujuſmodi contingentibus non eſt ſcientia.

Reſpondeo, ex dictis conſtare quomodo ſcientia ſit de ijs quæ à nobis fieri poſſunt. facilè etiam conſtat ex dictis de contingentibus in vniuerſali, ſicut in Phyſicis de corruptibilibus in vniuerſali, poſſe etiã eſſe ſcientiam, quia corruptibilia & contingentia in vniuerſali conſiderata, ſunt neceſſaria, & æternæ veritatis. vnde non minus ſunt neceſſariæ hæ propoſitiones & principia; primus modus primæ figuræ concludit vniuerſalem affirmatiuam per neceſſariam conſequentiam; ſecundus modus primæ figurę concludit vniuerſalem negatiuam per neceſſariam conſequentiam; ſyllogiſmus demonſtratiuus generat ſcientiam; ſyllogiſmus topicus opinionem, &c. quam iſta principia, & iſtæ propoſitiones, animal rationale eſt riſibile; corpus mixtum eſt colorarum, eſt corruptibile, &c.

Obijcies vltimò. Logica eſt ianua per quam ad reliquas ſcientias

ingredimur, eiſque omnibus modum ſciendi præſcribit; ergo cum inter reliquas ſcientias aliæ ſint ſpeculatiuæ aliæ practicæ, ipſaque omnes dirigat, debuit vel non eſſe ſcientia, vel ſimul eſſe ſpeculatiua & practica. ſed non eſt ſimul ſpeculatiua & practica. ergo relinquitur vt non ſit ſcientia.

Reſpondeo, non eſſe neceſſe vt id quod quomodocunque eſt principium directiuum aliorum, habeat in ſe formaliter naturam eorum quibus præſcribit modum operandi. nam prudentia præſcribit modum operandi omnibus virtutibus iuxta leges honeſtatis, & tamen non habet propterea in ſe earum naturam. vnde ex hoc capite præciſè Logica non eſt ſcientia nec ſpeculatiua nec practica, imo nec ſcientia; ſed ex alijs capitibus, & propter alias rationes, partim ſupra explicatas, partim ſequenti quæſtione explicandas.

Ex dictis colligitur Logicam eſſe partem Philoſophiæ, vt bene explicant Simplicius in prædicamenta, D. Boëtius in Porphyrium in Prologo, & alij veteres, & conſtat manifeſtè ex Ariſtotele 1. Topic. cap. 12. vbi tria facit genera problematum, naturalia, moralia, & rationalia, ſeu Logicalia; & ait Topico vel Dialectico de omnibus his eſſe agendum ſecundum opinionem, id eſt, vt habeat aſſenſum opinatiuum de illis; Philoſopho autem de his etiam omnibus eſſe agendum, ſed ſecundum veritatem, vt nempe habeat de illis aſſenſum verum & neceſſarium per cauſam. ſed nullus alius Philoſophus per ſe poteſt de quæſtionibus Logicis demonſtratiuè, & ſecundum veritatem agere, niſi ſolus Logicus, quia eſſet tranſcendere de genere in genus. ergo Logicus agens de illis ſecundum veritatem, eſt Philoſophus; ergo Logica eſt Philoſophia. Nec refert eandem rem non poſſe eſſe inſtrumentum & partem alicujus, & conſequenter Logicam, cum ſit inſtrumentum Philoſophiæ, non poſſe eſſe ejus partem. non enim refert (eſt enim id apertè falſum) quia, vt optimè notauit D. Boëtius initio ſecundæ editionis in Porphyrium, manus fabri eſt pars fabri & ſimul etiam inſtrumentum, imo eſt inſtrumentum inſtrumentorum, ex Ariſtotele 3. de anima cap. 8. Galeno primo de vſu partium, cap. 2. & 4. falſum ergo eſt idem non poſſe eſſe ſimul inſtrumentum & partem. Nec etiam refert facultatem quæ præparat inſtrumenta alteri facultati non eſſe partem illius, vt patere videtur in frænifactoria, quæ fræna facit pro arte militari, Logicam autem facere inſtrumenta Philoſophiæ, & conſequenter non eſſe partem illius, non, inquam, refert; falſa enim eſt major, ſi illa facultas quæ præparat inſtrumenta alijs ſcientijs, ſimul etiam vtatur illis iam factis, vt facit Logica, vt diximus. Deinde dico argumentum tantum probare facultatem quæ præparat inſtrumenta pro alia ſcientia, non eſſe illam ſcientiam pro qua facit

XVII. *D. Boëtius & Simplicius rectè docent Logicam eſſe partem Philoſophiæ.*

*D. Boëtius.*

*Galenus.*

inſtrumenta, & ita frænifactoriam non eſſe equeſtrem; non tamen probare ex facultate quæ facit inſtrumenta, & ex illis pro quibus facit inſtrumenta non fieri quoddam totum; hoc enim vere ex frænifactoria, equeſtri, & alijs artibus fit, cum fiat vna ars in genere, omnes artes ſub ſe complectens. eodem ergo modo Logica, quamvis non ſit aliqua ex illis ſcientijs quibus inſeruit, vere tamen ex ipſa Logica, & Phyſica, alijſque ſcientijs quibus inſeruit Logica, conflatur vna totalis Philoſophia, quæ dicitur humanarum diuinarumque rerum ſcientia.

## QVÆSTIO QVARTA.

### *An Logica ſit ſcientia ſpeculatiua, vel practica.*

I. POSITO quod Logica ſit ſcientia, diſputandum nobis remanet, ſitne ſpeculatiua vel practica. qua in re omittenda in primis à nobis eſt Ludouici Viuis 8. lib. de ciuit. Dei, cap. 4. impudentia, vbi reprehendit Dialecticos quod in hac quæſtione explicanda immorentur.

*Prima ſententia Logicam eſſe ſcientiam practicã. Eckius. Mathiſius. Conimbricenſes. Rubius. Suarius. Vaſquez. Rapinaus in Nucleo diſputationũ Logicarum diſp. prima, quæſt. 6.*

II. Prima ſententia eſt eorum qui volunt Logicam eſſe ſcientiam practicam. ita Mathiſius cap. 1. ſuæ Logicæ, Eckius quæſt. 4. proœmiali, Murſia hoc loco, Conimbricenſes quæſt. 4. proœmiali, Antonius Rubius, Gabriel Vaſquez, & ex parte Suarius in Metaphyſica, alijque recentiores communiter.

*Secunda ſententia Logicam eſſe ſpeculatiuam. Scotus. Antonius Andreas. Faber. Rapinaus. Capreolus. D. Thomas. Soncinas. Sotus. Petronius. Collegium Complutenſe.*

Secunda ſententia eſt, Logicam eſſe ſcientiam ſpeculatiuam. Ita Scotus queſt. 4. prologi, num. 3. Antonius Andræas 6. Metaph. quæſt. 3. Philippus Faber, & cęteri Scotiſtæ omnes; vt mirum ſit Conimbricenſes aſſerere Scotum cum tota ſua ſchola in re idem opinari quod ij qui dicunt Logicam eſſe practicam. Eadem eſt ſententia Thomiſtarum, Capreoli, apud quem pro eadem ſententia citatur D. Thomas, Soncinatis, Soti, Petronij, Collegij Complutenſis, & aliorum. ad ſolutionem difficultatis

III. Præmitto, ad praxis propriè dictæ rationem quatuor eſſe neceſſaria. primum eſt, vt ſit actio alterius facultatis ab intellectu; quia omnis actio mentis, cum ſit cognitio, ſi ſecundum ſe ſpectetur eſt theoria, quę praxi opponitur. idcircò Logica theoretica dicitur à Scotiſtis, quia non dirigit illam actionẽ quæ propriè praxis nominatur. ſecundum eſt, vt illa actio libera ſit, quemadmodum docet Philoſophus 6. Ethic. cap. 2. his verbis, πράξεως μὲν ἀρχὴ ἡ προαίρεσις, hoc eſt, *praxis principium eſt electio.* electio autem à principio libero proficiſ-
IV. citur, quo fit vt actiones animę vegetantis aut ſentientis impropriè ap-

pellentur praxes. tertium, vt praxis ſit poſterior ordine naturæ actione intellectus, quia id quod dirigitur poſterius eſt eo quod dirigit. ſed praxis ſemper dirigitur ab aliquo habitu intellectus, ſiue ſit ars, ſiue prudentia, ſiue ſcientia, quia voluntas nunquam fertur in incognitum. denique neceſſe eſt vt praxis dirigatur, non tantum quoad exercitium actus, ſed etiam quoad ſpecificationem ejuſdem. nam actiones intellectus & ſenſuum exteriorum, à prudentia diriguntur, & à voluntate imperantur, ſed non vt mens hoc vel illo modo intelligat ſuum objectum, aut oculus hoc vel illo modo videat, ac proinde voluntas non præcipit quoad ſpecificationem. at vero praxis propriè ſumpta dirigitur vtroque modo. nam prudentia & Philoſophia moralis ita dirigunt actionem voluntatis, vt præſcribant illi hoc ita eſſe faciendum, hoc loco, hoc tempore, aliaſque adhibent circunſtantias. atque hoc eſt dirigere quoad ſpecificationem actus, & per conſequens voluntatis actio eſt verè praxis, non actio intellectus, vt bene docent Scotus quæſt. 4. prologi, Antonius Andreas 1. Metaph. quæſt. 2. Philippus Faber ad quęſt. citatam prologi, Rhada, & ceteri Scotiſtæ omnes; D. Thomas 1. part. quæſt. 79. art. 11. & quęſt. 3. de veritate art. 3. Capreolus quæſt. 2. prologi, Sotus quæſt. 4. procœmiali Logicæ, & alij ex Thomiſtis; Auicenna 1. Metaph. Euſtratius 1. Ethic. vbi definit praxim habitum ſecundum electionem, Magiſter Maſius quæſt. 10. ſect. 1. procœmialis Logicæ, & alij: probaturque à Scoto manifeſtè ex Philoſopho 3. de anima, cap. 10. vbi ait intellectum extenſiuè fieri practicum, quia nimirum in ſe non habet praxim, ſed ſolum prout extenditur ad operationes alterius facultatis dirigendas. Fonſeca, alijque recentiores poſt ipſum, negant axioma hoc, intellectus extenſione fit practicus, apud Ariſtotelem loco citato haberi. verum, vt rectè aduertit Maſius loco citato, vehementer errant. & verò mirabile eſt Fonſecam voluiſſe negare apud Ariſtotelem reperiri quod communiter tam Arabes quam Latini (vt aduertit idem Maſius) Ariſtoteli tribuunt. ſed probemus apud Ariſtotelem haberi. poſtquam Philoſophus diuiſiſſet intellectum in practicum & ſpeculatiuum, inquit, principium intellectus practici, eſſe appetitum; ſic enim habet, *Cujus eſt appetitio, ab eo agendi principium ducit mens, quæ in actione cernitur.* ex quo loco ſic argumentor. principium mentis practicæ eſt appetitus. ergo mens practica includit appetitum, tanquam ipſius principium. intellectus itaque per extenſionem ad appetitum fit practicus. Negare ergo non poteſt Fonſeca apud Ariſtotelem reperiri prædictum axioma. hinc poſſumus accuratam praxis definitionem hoc pacto tradere; Praxis eſt operatio alterius facultatis ab intellectu, libera, poſterior intellectione, apta conformis fieri recto rationis iudicio. hoc prænotato

*Scotus.*

*Antonius Andreas.*

*Philippus Faber.*

*Rhada.*

*D. Thomas.*

*Capreolus.*

*Sotus.*

*Auicenna.*

*Euſtratius & Magiſter Maſius rectè exiſtimant praxim eſſe operationem voluntatis.*

*Error Fonſecæ & aliorum recentiorum benè reprahenditur à Maſio.*

*Definitio vera Praxis.*

*Concluſio, Logicã eſſe ſcientiam ſpeculatiuam, non practicam*

*Probatio multiplex concluſionis.*

V. Dicendum eſt, Logicam non eſſe ſcientiam practicam, ſed ſpeculariuam.

Probatur concluſio, & primò quoad primam partem. ſcientia practica refertur ad praxim, diciturque practica à praxi ad quam refertur. ſed Logica non refertur ad praxim. ergo non eſt practica. Major conceditur ab omnibus, & certa eſt. Minor probatur ex dictis. praxis eſt actus voluntatis, non intellectus, vt probatum eſt. ſed Logica non refertur ad dirigendas operationes & actus voluntatis. ergo non refertur ad praxim. Minor probatur; quia Logica tantum refertur ad directionem operationum intellectus. Secundò, in ſententia Ariſtotelis, veritas non poteſt eſſe vera praxis, & verum opus; contradiſtinguntur enim inter ſe, non minus quam rationale & irrationale, cum veritas, quando eſt finis, conſtituat habitum ſpeculatiuum in ratione ſpeculariui, praxis autem & opus practicum in ratione practici. atqui cognitio recta, vt ſic, ad quam refertur Logica, eſt veritas. ergo cognitio recta, vt ſic, non eſt vera praxis, quę ideo ſemper debet eſſe actio à cognitione diſtincta. ergo &c. Quod ad poſteriorem partem, probatur quoque facile concluſio ex iam dictis. Logica refertur ad cognitionem rectam, & conſequenter ad veritatem. veritas autem, vt iam diximus, conſtituit habitum ſpeculatiuum in eſſe ſpeculariui. ergo &c. Confirmatur, quia Ariſtoteles ſemper opponit cognitionem actioni & affectioni, & veritatem operi, cum illam finem ſpeculatiuæ affirmet, hoc vero finem practicæ. vnde ſi cognitio eſſet actio vel opus, confunderentur fines ſcientiæ ſpeculariuæ & practicæ, verumque eſſet actionem eſſe quoque finem ſpeculatiuæ ſcientiæ, & cognitionem ac veritatem eſſe finem practicæ; quod nemo dicet. Denique Logica tota eſt in ſpeculatione, ſpeculatur enim modum ac rationem definiendi, diuidendi, & argumentandi, quę ſpeculatio nullo modo refertur ad praxim. ex eo enim quod optimè ſcio modum argumentandi, definiendi, &c. non ſcio modum dirigendi actiones voluntatis, quæ ſunt praxes. ergo &c.

*Reſpondetur contrariis argumentis.*

VI. Obijcies primò. cognitio ſpeculatiua non refertur aliò, ſed in obiecti ſui contemplatione conquieſcit. ſed Logica refertur aliò, nempe ad ſcientias, quarum ipſa eſt inſtrumentum. ergo Logica non eſt ſcientia ſpeculatiua.

Reſpondeo, cognitionem ſpeculatiuam poſſe nonnunquam aliò referri, quia cognitio principiorum, ideſt majoris & minoris propoſitionis ſyllogiſmi, refertur ad cognitionem concluſionis, etiam in ſcientijs ſpeculatiuis; nec tamen vllus vnquam dixit cognitionem principiorum in ſpeculatiuis ſcientijs eſſe practicam. vnde quamvis Logica cognitio referatur ad alias ſcientias, non tamen deſinit eſſe ſpeculatiua, quia non refertur ad alias ſcientias tanquam ad opus aut

praxim, ſed tanquam ad cognitionem.

Obijcies ſecundò ex Fonſeca. omnis ſcientia dirigens aliquas operationes eſt practica. ſed Logica eſt hujuſmodi. ergo eſt practica.

Reſpondeo diſtinguendo majorem juxta dicta. ſcientia dirigens aliquas operationes à cognitione diſtinctas &c. eſt practica; concedo majorem; non diſtinctas à cognitione, nego majorem. cujus diſtinctionis ratio ex dictis ſumenda eſt.

Obijcies tertiò. ſi cognitio poteſt eſſe praxis, corruit noſtrum fundamentum. ſed poteſt eſſe praxis. ergo &c. ſola minor probatione indiget, & ſic probatur. omnis actus virtutis eſt praxis vera & propriè dicta, cum ex directione prudentiæ fiat. ſed cognitio poteſt eſſe actus virtutis, vt quando imperatur à voluntate ob honeſtum finem aliquem, videlicet vt honeretur Deus, defendatur Eccleſia. ergo cognitio poteſt eſſe praxis.

Reſpondeo negando minorem, cujus probationis diſtinguo minorem. cognitio ſecundum ſe poteſt eſſe actus virtutis, nego minorem; cognitio vt volita, concedo minorem. ergo cognitio poteſt eſſe vera praxis, diſtingo conſequens. cognitio ſecundum ſe, nego conſequentiam; cognitio vt volita, concedo conſequentiam. Alia quæ obijci poſſunt, in præcedentibus ſoluta ſunt.

VII. *Quis ſit finis Logicæ, tam intrinſecus, quam extrinſecus.*

Quæres quiſnam ſit Logicæ finis? Reſpondeo duplicem eſſe finem Logicæ, vnum intrinſecum, alium extrinſecum. finem intrinſecum eſſe, tradere & ſpeculari inſtrumenta & præcepta ſciendi vniuerſalia; quod quidem Ariſtoteles exactè præſtitit in ſua Logica. finem vero extrinſecum eſſe, dirigere operationes intellectus, & ſimul cum alijs ſcientijs concurrere ad demonſtrationes & definitiones earum ritè & ſcientificè faciendas. Et ex his conſtat, vt & ex ſuperioribus, quidditas & definitio Logicæ. poteſt autem Logica definiri dupliciter. primò per genus proximum, & propriam differentiam, hoc modo. Logica eſt ſcientia inſtrumentorum ſciendi ſpeculatrix & effectrix. vbi ſcientia eſt genus, reliquæ particulæ ſunt loco differentiæ. ſecundò poteſt definiri per genus remotum, & per differentiam remotam; vt ſi dicamus, Logica eſt habitus intellectualis directiuus operationum intellectus.

*Duplex traditur definitio Logicæ.*

Digitized by Google

# QVÆSTIO QVINTA.

## *An Logica ſit ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias acquirendas.*

I.

*Prima ſententia, Ianduni, Ianelli, & recentiorum negantium.*

IN hac controuerſia, quæ inter recentiores ſummoperè agitatur, prima ſententia eſt eorum qui negant Logicam eſſe ſimpliciter neceſſariam ad alias ſcientias acquirendas. Videtur ſententia Ianduni 1. Metaph. quæſt. 2. Iauelli tract. 1. Logicæ cap. 3. eamque ſequuntur communiter recentiores.

*Secunda ſententia affirmans. Ammonius. Simplicius. Philoponus. Alexander. Boetius. Algazel. Beſſarion Cardinalis. Albertus Magnus. D. Thomas. D. Auguſtinus. Aulus Gellius. Cicero.*

Secunda ſententia præcedenti contraria, affirmat Logicam eſſe ſimpliciter neceſſariam, & non tantum ſecundum quid. Ita ſentire videntur Ammonius & Simplicius in prædicamenta, Philoponus & Alexander initio priorum, Algazel cap. 2. ſuæ Logicæ, Beſſarion Cardinalis lib. contra calumniatores Platonis cap. 5. Boëtius initio Porphyrij à ſe tranſlati, Aulus Gellius lib. 16. cap. 8. Albertus Magnus in Logicam tract. 1. cap. 3. D. Thomas initio perihermenias, & opuſc. 56. idem ſentit Cicero de finibus, & in Bruto; ait enim Logicam, ſiue Dialecticam, eſſe neceſſariam ad Iuriſprudentiam. idem indicat plurimis in locis D. Auguſtinus, vt lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 38. & lib. 8. de ciuit. Dei cap. 36. & 38. & contra Petilianum lib. 1. & contra Creſconium Grammaticum lib. 1. cap. 13. vbi Paulum Apoſtolum inſignem appellat Dialecticum, qui non timuit cum Stoïci diſputare; & cap. 17. vocat ſimiliter Chriſtum Dominum Dialecticum, qui vi rationum Iudæos conuincebat; & lib. 2. de ordine cap. 13. idem clarè docet,

*Præclara Diui Auguſtini de Logica ſententia.*

vbi de Logicæ inuentione loquens, ait, *Quomodo ratio ad alia fabricanda tranſiret, niſi ipſa prius ſua quaſi machinamenta quædam & inſtrumenta, diſtingueret, notaret, dirigeret, proderetque ipſam diſciplinam diſciplinarum, quam Dialecticam vocant? hæc docet docere, hæc docet diſcere, in hac ſeipſa ratio demonſtrat, atque aperit quæ ſit, quid velit, quid valeat, ſcit ſcire, ſola ſcientes facere, non tantum vult, ſed etiam poteſt.* Quibus verbis neſcio an quippiam clarius aut elegantius dici potuit, non modo ad hanc ſententiam aſtruendam, verumetiam ad illa omnia quæ ſupra de Logica diximus confirmanda, quod ſcilicet ſit ſcientia, tota in inſtrumentis & machinamentis rationis poſita, &c. cum hac ſententia

II.

*Statuitur Logicã eſſe ſimpliciter neceſſariam ad alias ſciẽtias per-*

Dicendum eſt Logicam arteficialem (de ea enim hoc loco ſermo eſt) vel ſecundum omnes ſuas partes, vel ſecundum aliquas tantum, vel propria induſtria acquiſitam, vel à præceptoribus habitam, eſſe ſimpliciter neceſſariam ad cæteras ſcientias addiſcendas perfectè. Dixi vel

Digitized by Google

vel ſecundum omnes ſuas partes, vel ſecundum aliquas tantum, quia in præſenti non curo an ſit neceſſaria ſecundum omnes partes vel nó; tanrum affirmo abſolutè Logicam arreficialem eſſe neceſſariam, ſaltem quo ad aliquam partem, eam ſcilicet quæ agit de definitione & demonſtratione. Dixi etiam, vel propria induſtria acquiſitam, vel à præceptoribus habitam, quia hoc etiam parum refert. vnde tanrum aſſero Logicam eſſe neceſſariam, vndecunque & quomodocunque acquiratur. Debet autem hæc concluſio intelligi de ſcientijs perfectè acquirendis naturaliter, non autem ſupernaturaliter. *fectè acquirēdas.*

III. *Variæ probationes concluſionis.*

Probatur concluſio, primò ex Ariſt. qui 1. Phyſic. text. 10. 12. & deinceps, & 4. Metaph. text. 8. & 1. de partibus animalium cap. 2. in fine, docet priſcos Philoſophos grauiter erraſſe & paralogiſaſſe propter ignorantiam Logicæ.

Probatur ſecundò ratione. ſcire ſimpliciter & non ſophiſtico modo, eſt remper cauſam cognoſcere &c. ſed hujuſmodi ſcientia non poteſt haberi vllo modo ſine Logica. ergo &c. minor (in qua ſola poteſt eſſe difficultas) probatur. quia hæc ſcientia non habetur niſi per demonſtrationem perfectam, vt clarum eſt; & demonſtratio perfecta non haberur ſine Logica arteficiali. ergo &c.

*Effugium aduerſarius præcluditur.*

Dices demonſtrationem eſſe inſtrumentum arteficiale factum lumine narurali inrellectus, & conſequenter ſcienriam etiam acquiri poſſe lumine narurali inrellectus.

Sed contra, quia nos non negamus inſtrumenta Logica fieri ab intellectu, ſed tantum dicimus alias ſcienrias non poſſe perfectè acquiri ſolo lumine naturali inrellectus. vnde quando aduerſarij dicunr, demonſtratio eſt inſtrumentum arteficiale factum lumine naturali intellectus, ergo ſcienria etiam aequirirur ſolo lumine naturali inrellectus, neganda eſt conſequentia. Confirmatur. quia ſcientia eſt effectus demonſtrationis. ſed implicat haberi effectum ſine cauſa etiam inſtrumentali. ergo implicar habere ſcienriam ſine demonſtrarione, vel definitione, & implicar habere hæc ſine Logica arteficiali. ergo &c.

Probarur terriò. perfectè ſciens debet excludere omnem formidinem & credulitatem erga oppoſitum illius quod demonſtratur non poſſe aliter ſe habere, 1. poſt. texr. 5. ſed, ſecundum Ariſtotelem ibidem, non alia ratione excludimus omnem formidinem & credulitatem oppoſiti, niſi quia habemus veram demonſtrationem ſecundum mareriam & formam. ergo &c.

Probarur vltimò. omnis vera ſcientia, ram definiriua quam demonſtratiua, debet eſſe de rebus vniuerſalibus & æternis. ſed res non ſunt ex ſe ærernæ & vniuerſales vniuerſalirate completa & Logica, ſed arteficio Logicæ abſtrahentis naturas rerum à conditionibus indi-

uiduantibus, & cauſis corruptionis, vt infra docebimus. ergo &c.

IV. Obijcies primò cum aduerſarijs. Si Logica eſſet ſimpliciter neceſſaria ad aliarum ſcientiarum perfectam acquiſitionem, omnes aliæ ſcientiæ dependerent à Logica, & ita Logica eſſet cæteris omnibus præſtantior; quod eſt abſurdum.

*Aduerſariorum rationes proponuntur, & ſoluuntur.*

Reſpondeo concedendo omnes ſcientias pendere à Logica vt à neceſſario inſtrumento directiuo; nego tamen ideo Logicam eſſe cæteris ſcientijs præſtantiorem, quia hoc attendi debet ex objectis ſcientiarum. Deinde ſi accipiatur Logica formaliter, in quantum eſt directrix & cauſa aliarum ſcientiarum, ſub hac ratione dico eſſe præſtantiorem, ſicut omnis cauſa, etiam viliſſima, in quantum cauſa, eſt præſtantior ſuo effectu, etiam præſtantiſſimo, vt effectus eſt; non tamen ideo Logicā alijs ſcientijs abſolutè & ſimpliciter eſt præſtantior.

Obijcies ſecundò. Logica non alia ratione dicitur neceſſaria, niſi ratione inſtrumentorum ſuorum. ſed nullum inſtrumentum Logicum eſt ſimpliciter neceſſarium alijs ſcientijs. ergo Logica non eſt neceſſaria.

Reſpondeo negando minorem; ad alias enim ſcientias ſunt neceſſaria inſtrumenta Logica, maximè vero demonſtratio, ſyllogiſmus, & definitio.

Obijcies tertiò. ſufficit lumen naturale intellectus. ergo Logica non eſt neceſſaria.

Reſpondeo negando antecedens, cujus falſitas patet ex dictis.

Dices. aliæ ſcientiæ fuerunt de facto inuentæ ante Logicam per ſolum lumen naturale. ergo &c.

Reſpondeo fuiſſe quidem multas facultates inuentas ante Logicam, præcipuè vero illas quæ ſunt neceſſariæ ad vſum & inſtitutionem vitæ humanæ; illæ tamen quæ inuentæ ſunt ante Logicam, omnino fuerunt imperfectæ, ſine certitudine, & veris conditionibus ſciētiæ. ſi enim abſurdum eſt ſimul quærere perfectam ſcientiam & modum ſciendi, vt ait Ariſtoteles text. 5 ſecundi Metaphyſices, abſurdius certè eſt quærere ſcientiam ſine modo ſciendi.

Obijcies quartò. ſi Logica neceſſaria eſſet ad alias ſcientias, cum etiam Logica ſit ſcientia, eſſet neceſſaria ad ſeipſam; vel ergo ad illam eſſet neceſſaria alia Logica, & ad illam alia, & ſic in infinitum; vel non eſt neceſſaria, & ſufficit Logica naturalis. ſi primum, datur proceſſus in infinitum; ſi ſecundum, idem dici poterit de alijs ſcientijs. ergo &c.

Reſpondeo. quamvis Logica ſit neceſſaria ad alias ſcientias, ad illam tamen nihil neceſſarium eſſe præter lumen naturale intellectus. vnde non eſt par ratio de Logica, & de alijs ſcientijs; Logica enim arteficialis non innititur alteri Logicæ arteficiali, ſed Logicæ tantum naturali, & quibuſdam principijs naturæ lumine cognitis. vnde non

eſt ſeipſam neceſſaria, quamvis ipſa deinde ad ſcientias ſit neceſſaria, propter rationes allatas in fauorem noſtræ ſententiæ. ſed, inquies, abſurdum eſt ſimul quærere ſcientiam & modum ſciendi. Reſpondeo, dato quod per modum ſciendi intelligatur Logica, non tamen dictú hoc, locum habere vbi idem eſt habitus qui dicitur ſcientia & modus ſciendi, vt in Logica accidit. vnde Logicus eodem ſyllogiſmo quo probat ſyllogiſmum in Barbara eſſe bonum, probat etiam aliqua ratione & ſyllogiſmum ipſum quem facit eſſe bonum; quod in alijs ſcientijs non contingit, nam diuerſo medio in illis probatur concluſio & forma ſyllogiſtica. addo dici etiam poſſe vnam partem Logicæ neceſſariam eſſe ad aliam, eo plane modo quo in humano corpore vnum membrum alteri inſeruire videmus. fatendum tamen eſt ſemper primam partem Logicæ, quæcunque illa ſit inuentam fuiſſe & traditam vi luminis naturalis. hoc autem quod diximus intelligendum eſt de prima inuentione Logicæ, & partium illius; quia ſi loquamur de Logica provt nunc de facto addiſcitur, non eſt neceſſarium vt ſecundum vllam ſui partem precedat in diſcente, ſed ſatis eſt ſi ſit Logica naturalis in diſcente, & artificialis in docente.

Obijcies vltimò. nullus habitus eſt neceſſarius ad operandum ſimpliciter, ſed tantum ad facilius operandum. ergo Logica non eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſcientias, ſed tantum ad bene eſſe.

Reſpondeo variè ad hoc argumentum reſponderi ſolere. aliqui enim dicunt hoc argumento tantum probari, poſſe aliquem ſine Logica cognoſcere, bene ſe argumentari, verum non poſſe eſſe certum an modus ille argumentandi ſit bonus ſecundum ſe, an vero ſolum quia eſt in tali materia. hæc reſponſio bona eſt. alij dicunt diſtinguendum eſſe conſequens argumenti. Logica ſumpta determinate pro ſolo habitu, concedunt conſequentiam; Logica autem ſumpta indeterminatè vel pro actu vel pro habitu, negant conſequentiam. dum enim dicunt Logicam eſſe neceſſariam ad ſcientias, ſenſum volunt eſſe, Logicam actualem, hoc eſt cognitionem preceptorum Logicæ, eſſe neceſſariam ad ſcientias; quia cum vnus habitus dicitur neceſſarius ad alium, ſenſus eſt ex communi vſu, actum vnius eſſe neceſſarium ad actum alterius.

# QVÆSTIO SEXTA.

## *Vtrum detur vniuerſale à parte rei.*

I. *Prima ſententia. Soncinas. Caietanus. Petronius. Aquarius. Buccaferreus. Collegium Complutenſe. Vallius. Rubius. Hurtadus, &c.*

SI vlla ſit in Philoſophia præclara quæſtio, & inter authores controuerſa, hæc vna eſt.

Prima ſententia eſt Thomiſtarum quorundam, qui volunt res non eſſe vniuerſales citra intellectus operam. ita Soncinas 7. Metaph. quęſt. 40. Cajetanus de ente & eſſentia cap. 4. & alij apud Aquarium 6. Metaph. dilucidatione 6. & Petronium 1. tomo ſuæ Logicæ, quęſt. 1. lib. 4. qui eoſdem ſequuntur. Ex recentioribus Ludouicus Buccaferreus primo de anima in text. 8. Smigletius primo tomo ſuæ Logicæ hoc loco, Suarius diſput. 6. Metaph. ſect. 1. Collegium Complutenſe, Vallius, Rubius, Hurtadus, Conimbricenſes, & alij.

*Secunda ſententia. Ariſtoteles. Galenus.*

Secunda ſententia præcedenti oppoſita, eſt illorum qui volunt dari vniuerſale à parte rei, & res ante omnem operationem intellectus eſſe vniuerſales. ita Philoſophus locis infra citandis, Galenus lib. 2. de methodo medendi, cap. 7. vbi aſinis ſtupidiorem eſſe affirmat illum qui vniuerſalia negat. aſinus enim viſo vno camelo ſtatim fugit, & viſo alio adhuc fugit, eo quod eandem naturam ſibi inimicam in vtroque agnoſcat, & tamen intellectum non habet qui vniuerſalia fingere poſſit. nouit igitur & aſinus camelorum genus, illudque ab hominum & boum genere diſtinguit. vnde (inquit idem Galenus) ſi idem aſinus nunquam alium hominem vidiſſet præter dominum aut curatorem ſuum, tamen ſi quis fortè alius in via ſeſe ei objiceret, non continuo fugeret, ſed ſecurus tranſiret & intueretur, quaſi ex hominum genere & domino ſuo ſimilem eſſe ſciret, quamvis dominum non eſſe nouerit; nam adueniente domino longè aliter afficitur, ſiquidem & caudam quatit, & blandius intuetur, micat auribus, & more ſuo rudit. ergo non ſolum genus à genere, verum etiam indiuiduum ab indiuiduo ita ſecernit, vt latentem in ijs naturam aliquo modo perſpicere videatur. Nec alia ratione, vt notat noſter Balforeus

*Scaliger.*

hoc loco, Scaliger vniuerſale ab ipſa natura oſtendi probat. quippe non alia ratione, inquit, pullus miluum metuit, nec metuit ardeam, niſi quia connatam ſecum habet milui ſpeciem vniuerſalem, qua ſingulares omnes milui continentur. In hac eadem ſententia eſt D. An-

*S. Anſelmus.*

ſelmus lib. de Incarnatione cap. 2. vbi ait eum qui hanc ſententiam non capit, myſterio Incarnationis capiendo ineptum eſſe. *Qui*, inquit, *non poteſt intelligere aliquid eſſe hominem præter indiuiduum, nullatenus intelliget hominem niſi humanam perſonam; omnis enim indiuiduus homo*

*perſona eſt. quomodo ergo iſte intelliget hominem eſſe aſſumptum à verbo, non perſonam, ideſt, aliam naturam, non aliam perſonam eſſe?* Immo ait etiam ineptum eſſe myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis capiendo, in quo nimirum reperitur vna eſſentia in tribus perſonis. ex Theologis eandem ſequuntur Scotus in 2. diſt. 3. quæſt. 1. & 7. Metaph. quæſt. 16. *Scotus.* Lychetus ibidem diſt. 3. Antonius Trombetta 7. Metaph. quæſt. 8. & *Meuriſſius.* 9. Meuriſſius lib. 2. tetum Metaphyſicarum cap. 3. quæſt. 4. Doctores *Doctores Pariſienſes.* Pariſienſes quæſt. 2. in Porphyrium, & reliqui Scotiſtæ communiter. *Trombetta.* ex alijs Albertus Magnus, Paulus Venetus, &c. quos ex recentioribus *Albertus Magnus.* Gallis ſequuntur Rapinæus in Nucleo diſputationum Logicarum, *Paulus Venetus.* diſput. 2. quęſt. 4. Carpentarius in Alcinoum de doctrina Platonis, *Carpentarius.* digreſſione poſt caput 8. Scaliger Exetcit. 307. num. 22. Abta de Raconis hoc loco, & alij. ex Italis Georgius Raguſæus in tomo diſputationum Peripateticarum diſput. 24. cap. 4. 5. 6. & 7. ex Scotis noſtris *Rapinæus.* *Balforeus.* *Raguſæus.* *Cheynæus.* *Abra de Raconi.* Balforeus hoc loco, quæſt. 2. de vniuetſali, per multas ſectiones, Cheynæus in analyſi lib. 7. Metaph. ſcholio in cap. 12. ejuſdem libri, & alij. denique ex Hiſpanis (vt alios omittam) Valleſius ptimo controuerſiarum, quæſt. 11. & Suatius lib. 4. de Anima cap. 3. dubio 5. per *Valleſius.* totum fete dubium, vbi & andem ſententiam in Logica ſe docuiſſe *Suarius.* ait. Neque ab hac ſententia exiſtimo alienum D. Thomam. nam de *S. Thomas.* natura generis, cap. 7. agnoſcit clariſſimè in natuta vniuetſali duplicem vnitatem. vnam quæ ei conuenit ante operationem intellectus, quamque ait communicari omnibus indiuiduis, nihilque aliud eſſe, quam vniformitatem definitionis, non tantum formalis, ſed etiam objectiuæ, qua fit vt plura indiuidua ſint vnum quid eſſentia & ſpecie; aliam veto quæ ex opetatione intellectus in natuta conſurgit. idem videtut docere opuſculo de principio indiuiduationis, vbi ait, naturam ſpeciei eſſe multis communicabilem quantum eſt de ſe, reddi verò incommunicabilem ratione ſuppoſiti in quo ineſt, & formam quidem multiplicari ad diuerſitatem ſuppoſitorum quibus communicatur, manere tamen vnam ſecundum eſſentiam communicatam. idem habet 1. part. quæſt. 11. art. 3. in corpore; *Illud, inquit, vnde aliquod ſingulare eſt hoc aliquid, nullo modo eſt multis communicabile; illud vero vnde Socrates eſt homo multis communicari poteſt, ſed id vnde eſt hic homo non poteſt communicari niſi vni tantum. ſi ergo Socrates per id eſſet homo, per quod eſt hic homo, ſicut non poſſunt eſſe plures Socrates, ita nec eſſe poſſent plures homines.* hic locus longè clariſſimus eſt pro noſtra ſententia; nam apertiſſimè ait ſpeciem, ſiue naturam ſpecificam, diſtingui à diffetentia numerica, & dari in rebus aliquid quod ſit multis communicabile. vide eundem D. Thomam 3. part. quæſt. 2. art. 5. ad 2. & 1. contra gentes, cap. 42. argument. 7.

II.

*Ammonius. Louanienſes. Caietanus. Vniuerſale ante multa, in multis, & poſt multa. Eugubinus.*

Præmitto primò antiquos, vt conſtat ex Ammonio præfatione in Prædicabilia, Louanienſibus, Cajetano, & alijs, triplex diſtinxiſſe vniuerſale, nempe vniuerſale ante multa, vniuerſale in multis, & vniuerſale poſt multa vniuerſalia. Ante multa, vocabatur ab illis Idæa in Deo vel in mente artificis, vel illa quam falſò aliqui cum Ariſtotele putant à Platone fictam. de qua acceptione videatur Eugubinus primo de perenni Philoſophia, cap. 10. vniuerſale in multis, eſt natura ipſa communis in pluribus ſingularibus. Vniuerſale poſt multa, vocatur eadem natura, prout ab intellectu concipitur abſtracta à ſingularibus, quod ab alijs vocatur vniuerſale proximè prædicabile, ſiue vniuerſale Logicum, vt mox dicam.

III.

*Vniuerſale aliud Logicum, aliud Metaphyſicum. D. Thomas.*

Præmitto ſecundò, duplex adhuc ſolere diſtingui vniuerſale, Logicum nimirum, & Metaphyſicum, quod alij etiam Phyſicum appellant. indicatur hæc diuiſio à D. Thoma loco citato de natura generis, cap. 7. & 3. part. quæſt. 2. art. 5. ad 2. vbi duplicem agnoſcit vniuerſalitatem, vnam in intellectu, alteram in rebus ſingularibus. ait enim humanam naturam non habere rationem communis ſpeciei ſecundum quod eſt in vno ſolo indiuiduo, ſed ſecundum quod eſt abſtracta ab omnibus indiuiduis per intellectum, vel ſecundum quod eſt in omnibus indiuiduis: *Natura*, inquit, *non habet rationem communis ſpeciei ſecundum quod eſt in vno ſolo indiuiduo, ſed ſecundum quod eſt abſtracta ab omni indiuiduo prout in nuda contemplatione conſideratur, vel ſecundum quod eſt in omnibus indiuiduis, &c.* agnoſcit ergo S. Thomas duplicem vniuerſalitatem, vnam in intellectu, alteram in rebus ſingularibus. Indicatur etiam eadem diuiſio à Scoto in 2. diſt. 3. vbi vnum agnoſcit vniuerſale, quod probat fuſiſſimè dari à parte rei, aliud, quod docet fieri ab intellectu poſſibili, & per illam operationem per quam habet vt ſit proximè potens prædicari de inferioribus prædicatione dicente, hoc eſt hoc. Ecce agnoſcit Subtilis Doctor duplex prædictum vniuerſale. Eandem diuiſionem ex recentioribus tradit noſter Chynæus loco citato, & ex Ariſtotele deduci poteſt. nam Ariſtoteles de vniuerſali agens, indicat aliquando fieri tantum ab intellectu, vnde primo de Anima, *Vniuerſale*, inquit, *aut nihil eſt, aut poſterius*, nimirum intellectu abſtrahente, vt multi interpretantur. aliquando indicat reperiri in rebus ipſis ante omnem mentis operam, vt lib. 1. de interpretatione cap. 5. & 8. & 7. Metaph. text. 45. vbi definit vniuerſale, id quod aptum eſt dici de multis, exprimiturque illa aptitudo per verbum græcum *πέφυκε*, hoc eſt, natum eſt. ergo naturæ ſeu res ipſæ ex Ariſtotele, erunt natura ſua vniuerſales. Vniuerſale Metaphyſicum eſt natura realis formaliter vna in indiuiduis ſecundum ſe, per realem inexiſtentiam in illis. Vniuerſale Logicum eſt ipſa natura realis Phyſicè vniuerſalis, abſtracta ab indiuiduis; dicitur-

*Locus celebris D. Thomæ pro vniuerſali logico & Metaphyſico.*

*Scotus.*

*Chynæus.*

*Ariſtoteles.*

que ſic abſtracta vniuerſalis Logicè, ſiue vniuerſale Logicum, quia illam abſtractam conſequuntur in eaque reſultant vnitas & aptitudo, quæ ſunt duæ relationes rationis Logicæ, ad quas deinde conſequitur relatio proximè prædicabilitatis, ratione quarum conſideratur vniuerſale à Logico, non autem à Metaphyſico, ſaltem per ſe. Quæſtio ſolet eſſe inter authores per quam operationem intellectus fiat hoc vniuerſale Logicum. verum reſpondeo breuiter iuxta dicta queſt. 2. fieri per operationem directam & abſolutam intellectus poſſibilis abſtrahentis naturam ab inferioribus. ita videntur ſentire Doctor Subtilis loco citato, D. Thomas de ente & eſſentia, cap. 4. & prima parte, queſt. 75. art. 1. ad 1. quibus adhæret Cardinalis Toletus in proœmium Porphyrij queſt. 2. & quæſt. 3. aduerto tamen vniuerſale Logicum completè acceptũ non cõſiſtere in natura abſtracta precisè, ſed in illa pro vt eſt fundamentũ relationũ vnitatis & aptitudinis quæ in illa reſultãt. Probatur facile; quia vniuerſale Logicum, poſitis vnitate & aptitudine, ponitur. ſed vnitas & aptitudo rationis conſequũtur abſolutã & directam operationem intellectus, eaque poſita ponuntur. ergo &c. minor patet ex ſupra dictis quæſt. 2. & ex eo quod poſito actu abſtractionis, ponantur fundamentum & terminus vtriuſque relationis, ergo & vtraque relatio. conſequentia patet; quia poſitis ſufficienti fundamento & termino, non poteſt non reſultare relatio rationis. antecedẽs patet; quia natura cum actu abſtractionis qui circa ipſam verſatur, eſt fundamentum, & inferiora naturæ ſunt terminus. hæc breuiter.

*Oſtenditur vniuerſale Logicum fieri per operationem directam & abſolutam intellectus poſſibilis.*

*D. Thomas.*

*Scotus.*

*Toletus.*

IV.

Premitto tertiò, inter relatos authores controuerſiam eſſe, vtrum nemine cogitante inter duo ejuſdem ſpeciei vel ejuſdem generis reperiatur realis aliqua vnitas; ex cujus ſolutione totius præſentis controuerſiæ deciſio pendet. Scotiſtæ enim poſt Scotum loco citato contendunt talem vnitatem eſſe admittendam. negant alij. Ad hujus rei intelligentiam aliqua obiter notanda ſunt. primò notandum eſt vnitatem, ſaltem concomitanter, eſſe negationem diuiſionis. dico ſaltem concomitanter, quia non eſt hujus loci ſtatuere quid vnum formaliter dicat. de qua re in Metaphyſica. ſecundum quod notandum eſt, eſt quod cum vnũ ſequatur ens, omnem gradum entis ſequi debere gradum vnitatis; gradum autem entis ita ſe habere, vt quo magis diuiſibilis eſt, eo minus vna ſit, & quo minus diuiſibilis, eo magis vna. vnde eſt vt cũ omnis diuiſio indiuiduo repugnet, vnitas indiuidui cæterarum maxima cenſeatur, & quo magis ad vnitatem indiuidui accedunt cæteræ, eo majores habeantur. tertium quod notandum eſt, eſt diuiſionem cui opponitur vnitas duplicem eſſe. quædam enim eſt materialis, cauſata per principia indiuiduantia, & huic opponitur vnitas priuans tali diuiſione vel diuiſibilitate, quæ eſt vnitas numerica.

*Scotus.*

alia eſt diuiſio formalis, quæ eſt per formam, ideſt, principia eſſentialia. exempli gratia, Petrus, & hic equus, diuiduntur per ſua principia conſtitutiua eſſentialia, quæ ſunt rationale & irrationale. & huic diuiſioni opponitur vnitas eſſentiæ, vel formalis, qua aliqua conueniũt in aliquo principio formali conſtitutiuo, vt Petrus & Paulus conueniunt in rationalitate vel natura humana. hæc diuiſio formalis habet latitudinem, quia cum fiat per principia eſſentialia, aliquando propria, aliquando communia, ea quæ per propria diuiduntur, minus ſunt diuiſa quam quæ per communia; minus enim Petrus diſtinguitur vel diuiditur à Paulo, quam à lapide, quam ab albedine, &c. vnitas vero vice verſa ei oppoſita, quia priuat omni diuiſione quantum poteſt, major inuenitur in ijs quę minus communibus principijs conſtituuntur. itaque vnitas numerica maxima eſt, quia omni omnino priuat diuiſione; cæteri autem gradus quanto minus communibus principijs conſtituuntur, tanto majorem ſortiuntur vnitatem. His prænotatis, accedo Scoto noſtro & ejus diſcipulis, & dico, inter duo ejuſdem ſpeciei vel generis reperiri nemine cogitante realem aliquam vnitatem, quę à quibuſdam eſſentialis, ab alijs formalis dici ſolet. Probo hoc clariſſimè, & primò quidem ex Philoſopho 5. Metaph. text. 8. & 12. vbi hoc tradit; diſtinguit enim modos vnius, & ait quædam eſſe vnum munero, alia vnum ſpecie, alia vero vnum genere. ibi vero non eſt ſermo de intentionibus rationis, ſed de modis vnitatis realis. datur ergo in ſententia Ariſtotelis aliqua vnitas realis generica & ſpecifica, à numerica diſtincta, eaque minor, non niſi inter illa quæ ſunt ejuſdem generis vel ſpeciei. ergo &c. Idem colligitur ex textu 51. ſeptimi Metaphyſ. vbi ait rationem animalis eſſe eandem in omnibus animalibus & ſpeciebus animalis. Secundò ſic argumentor ex eodem Ariſtotele 10. Metaph. text. 14. vnius contrarietatis duo ſunt extrema. ſed talia extrema non ſunt duo ſecundum vnitatem numeralem, cum hoc album non tantum ſit contrarium huic nigro, ſed omnibus nigris. ergo quodlibet extremum eſt vnum vnitate minori quam ſit numerica. ergo datur talis vnitas. Tertiò. naturæ de ſe ſunt communes multis, & non ſingulares, alioquin quorſum inter Philoſophos tanta eſſet altercatio de principio indiuiduationis, non enim eſt tantum jurgium de principio tantum per intellectum. ſed non poſſunt eſſe communes multis, niſi detur inter plura ejuſdem ſpeciei vel generis vnitas de qua diſputamus, vt clarum eſt. ergo datur. Reſpondet Cajetanus de ente & eſſentia cap. 4. naturam de ſe eſſe communem tantum negatiuè, non poſitiuè, ideſt de ſe neque eſſe particularem, neque communem, ſed indifferentem ad vtrumque. Sed contra hanc ſolutionem ſic diſputo. natura humana, verbi gratia, de ſe non eſt incommunicabilis. ergo de ſe eſt communicabilis. conſequentia patet; quia argumentum

*Probatur cum Scoto dari inter plura ejuſdem generis vel ſpeciei realem vnitatem.*

*Refellitur reſponſio Caietani.*

mentum à negatiua ad affirmatiuam de contrario prędicato optimum eſt, quando ſupponitur ſubjectum eſſe juxta exigentiam verbi, vt in præſenti. confirmatur; quia inter communicabile & incommunicabile non datur medium. ergo de quocunque negatur vnum, alterum affirmari poſſe neceſſe eſt. Quartò, circumſcripto omni intellectu, hic ignis, verbi gratia, generat hunc ignem ſibi ſimilem in forma, quia generans generat ſibi ſimile ptopter formam; illa autem generatio eſt vniuoca. ſed generatio vniuoca requirit vnitatem formæ in generante & genito, & illa vnitas non eſt numerica. ergo datur aliqua alia vnitas à numerali diſtincta, per quam plura nemine cogitante ſunt vnum. denique hæc veritas argumentis omnibus infra adducendis ptobari poteſt. His prænotatis,

V. Dicendum eſt cum authoribus ſecundæ ſententiæ dari vniuerſale Metaphyſicum à parte rei.

*Oſtenditur pluribus dari vniuerſale Metaphyſicum à parte rei.*

Probatur primo ex Ariſtotele 2. de anima, text. 60. vbi ait vniuerſale eſſe πῶς ἐν τῇ ψυχῇ, ideſt, *quodammodo in anima*; ſi autem non eſſet à parte rei formaliter, ſed tantummodo in anima, non diceretut eſſe quodammodo, ſed ἁπλῶς & ὅλως, ideſt, *ſimpliciter & omnino.* Dicitur autem eſſe in anima quodammodo, quia eſt in anima non pet ſe, ſed pet ſui ſpeciem & imaginem. primo de interpretatione cap. 5. & 8. & 7. Metaph. text. 45. definit vniuerſale, vt optimè notat Balforeus noſter, id quod aptum eſt dici de multis; exprimiturque illa aptitudo græcè per verbum πέφυκε hoc eſt, *natum eſt.* ergo naturæ ſeu res ipſæ ex Ariſtotele erunt natura ſua vniuerſales. Denique Philoſophus 8. Metaph. text. 15. ait ideo definitionem eſſe vnam, quia eſt vnius naturæ. ex quo ſic licet argumentari. natura, ex Ariſtotele, prius eſt vna quam ejus definitio vna ſit. hæc autem natura quæ dicitur vna, non eſt natura ſingularis, nam ſingulare non definitur. ergo eſt natura vniuerſalis vna priuſquam definiatur. ergo à parte rei eſt vna.

VI. Probatur ſecundò ratione, hoc pacto. Petrus & Paulus nemine cogitante habent eandem naturam, non numero, ergo ſpecie. ergo datur vnitas ſpecifica nemine cogitante. ergo vniuerſale à parte rei. major, de qua ſola eſt diſceptatio, ſic probatur. vnitas naturæ, ſiue formalis, ſaltem concomitanter eſt negatio diuiſionis naturæ, ſiue formalis. ſed Petrus & Paulus nemine cogitante non ſunt diuiſi formaliter. ergo formaliter ſunt vnum nemine cogitante. major à nemine negatur, nec negari poteſt; quæ enim non ſunt diuiſa formaliter, ſunt vnum formaliter. minor certa videtur; ſed quia ab aduerſarijs negatur, ſic probari poteſt. illa ſunt diuerſa formaliter & in natura, quæ diſtinguuntur differentijs eſſentialibus, vt homo & equus ſunt diuerſi eſſentialiter & formaliter, quia habent diuerſas eſſentias quibus inter ſe differunt. ſed duo homines non differunt formaliter;

nec diuiſi ſunt per differentias eſſentiales & formales, quia vterque eſt homo, & ſolo numero diſtinguntur. ergo non ſunt diuiſi formaliter. hoc argumentum alio modo poteſt formari, hoc nempe pacto. natura humana in Petro & Paulo eſt indiuiſa formaliter in ſe, & diuiſa formaliter à qualibet alia. ergo eſt vna formaliter. conſequentia patet. antecedens ſic probo. ſi eſt diuiſa in ſe, ergo per differentias eſſentiales; de his enim quæſtio eſt. ergo natura humana erit plures naturæ & plures ſpecies, quia per quamlibet differentiam eſſentialẽ conſtituitur vna ſpecies eſſentialiter diuerſa ab alijs. vel ergo vtraque erit humanitas, vel non. ſi vtraque erit humanitas, ergo humanitas ab humanitate eſſentialiter diſtinguitur, ergo humanitas non erit humanitas, quia nihil poteſt eſſe id à quo eſſentialiter diſtinguitur. ſi vero vtraque illa ſpecies non ſit humanitas, ſed altera humanitas ſit, altera aliud quidpiam, ergo humanitas partim eſt humanitas, partim non eſt humanitas.

*Reſponſio aduerſariorum.*

Dices hoc argumento probari humanitatem quidem in ſe eſſe indiuiſam in quolibet indiuiduo, & conſequenter habere vnitatem formalẽ, hoc eſt, eſſe vnam naturã & non plures; non tamen ſequi humanitates diuerſas numero, eſſe indiuiſas, quia reuera ſunt duæ, & nõ vna.

*Reiicitur prædicta reſponſio.*

Sed contra eſt, quia vel Petrus & Paulus, exempli gratia, in ratione humanitatis ſunt diuerſi eſſentialiter, vel non. ſi non, ergo ſunt vnum & idem. ſi ſunt diuerſi eſſentialiter, ergo ſunt diuerſæ ſpeciei, & conſequenter alter eorum non erit homo, vt prius argumentati ſumus.

Confirmatur, quia ſi Petrus & Paulus non ſunt magis vnum à parte rei, quam Petrus & aſinus, ergo non majus eſt fundamentum in illis vt intellectus aliquid vtrique commune concipiat, nec magis abſtrahi poterit vnus conceptus à Petro & Paulo, quam à Petro & aſino. Neque dicas ſimilitudinem operationum præbere intellectui fundamentum ſufficiens abſtrahendi aliquid vtrique commune, ne, inquam, hoc dicas; quia ex hac reſponſione manifeſtè ſequitur proceſſus in infinitum; nam peto rurſus de operationibus idem quod de Petro & Paulo; & ſic in infinitum. vnde qui confugiunt ad operationes extrinſecas, & ſimilitudinem petunt in ordine ad extrinſeca, nulla ratione expedire ſe poſſunt à proceſſu in infinitum; rurſus enim petam, vt iam dixi, an ſimilitudo extrinſecorum petatur in ordine ad alia extrinſeca, vel non, & redibit ſemper argumentum.

Probatur tertiò. datur realis ſimilitudo inter duo indiuidua alicujus ſpeciei, verbi gratia, Socratem & Platonem; ergo realis aliqua vnitas, non numerica; ergo vniuerſalis; ergo datur à parte rei vniuerſale. conſequentia patet, quia omnis realis ſimilitudo fundari debet in vera & reali vnitate, alioqui relatio realis non eſſet niſi aliquis cogitaret. quod autem ſimilitudo fundetur in vnitate, docet Ariſtote-

les in cap. ad aliquid, vbi ait, *Eadē ſunt quorum ſubſtantia vna, æqualia quorū quantitas vna, ſimilia quorum qualitas vna.* ſenſus enim eſt, fundamentū relationis inter duas qualitates eſſe vnitatē qualitatis; fundamentū ſimilitudinis in quātitate, quam dicimus æqualitatem, eſſe vnitatem quantitatis; denique fundamentū ſimilitudinis in eſſentia, quæ vocatur identitas, eſſe vnitatem eſſentiæ, juxta eundem Ariſtotelem 5. Metaph. cap. 9. *Identitas eſt quædam naturæ vnitas*; eadem enim eſſe dicimus, quorū ſubſtantia eſt vna, vt aſſerit ibidem Ariſtoteles, & cap. 15. text. 20. Porro vnitas quæ fundat hanc ſimilitudinem non poteſt eſſe vnitas numerica, quia hæc potius eſt fundamentum diſſimilitudinis inter duo indiuidua, neque fundat relationem identitatis inter duo. ergo eſt ſpecifica & formalis.

Reſpondet primò Franciſcus Suarius diſput. 6. Metaph. ſect. 3. & cum illo alij, non requiri formalem vnitatem ad fundandam relationem ſimilitudinis, ſed ſufficere vnitatē quam vocant fundamentalem. *Reſponſio Suarii.*

Sed contra eſt primò. nam quæro inprimis cur Ariſtotelem abſolutè & ſimpliciter, & conſequenter non de fundamentali ſeu virtuali vnitate ſed actuali loquentem, ita interpretentur? Quæro deinde cur non poſſet aliquis eadem planè facilitate dicere vnitatem quæ ponitur in definitione vniuerſalis eſſe fundamentalem & virtualem, qua ipſi dicunt vnitatem quam Ariſtoteles abſolutè loquens ponit eſſe fundamentum ſimilitudinis eſſe fundamentalem & virtualem, non formalem & actualem. hoc autem non concedent, opinor, aduerſarij. ergo &c. Tertiò ſic argumentor: ſimilitudo & conuenientia duorum indiuiduorū ejuſdem ſpeciei, quam ajunt fundari & poſitam eſſe in vnitate fundamentali, debet explicari per negationem aliquam differentiæ eſſentialis, & per indiuiſionem formalem. ergo eſt vnitas formalis. antecedens probatur; quia omnis vnitas, ſaltem concomitanter, eſt negatio diuiſionis; ergo & hæc, ſed non alterius quam formalis. ergo &c. Denique, vt benè aduertit Meutiſſius, hæc reſponſio de vnitate fundamentali non videtur ad rem; nam conuenire fundamentaliter, eſt conuenire ratione fundamenti, eſſe vnum fundamentaliter, eſt eſſe vnum ratione fundamenti. iam hæc fundamenta ſunt intrinſecè ſingularia, & conſequenter diuerſa. ergo taliter non poſſunt eſſe ratio conuenientię. ad ſaluandam realem conuenientiam, neceſſarium omnino eſt admittere aliquid commune illis quæ conuenire dicuntur. ergo &c. *Refellitur multipliciter.*

Reſpondent ſecundò alij, vt duo aut plura dicantur vnum in aliquo, non ſufficere negationem differentiæ. quod inde probant, quia malè, inquiunt, argumentaretur aliquis in hunc modum. duo corui non differunt in albedine; duo pauperes in regno. ergo ſunt vnum in albedine, vnum in regno. *Reſponſio aliorum recentiorum.*

Reiicitur. Sed contra, quia quod dicitur mirum non eſt, quia corui non habent albedinem, neque pauperes regnum. quod ſi haberent, & in eo non differrent, valida eſſet prædicta ſolutio. cum igitur duo indiuidua naturæ humanæ, naturam humanam habeant, in eaque non ſint diuerſa, erunt vnum, quia *Quæ non differunt in aliqua perfectione, modo illam habeant, omnino in illa vnum ſunt*, teſte Ariſtotele 5. Metaph. text. 11.

Probatur tertiò. ad vniuerſale ſufficit vnitas formalis naturæ in pluribus. ſed natura humana, verbi gratia, eſt formaliter vna in pluribus. ergo eſt vniuerſalis. major probatur primò, quia vniuerſale debet eſſe vnum in multis, ſeu indiuiſum in multa quæ ſint ejuſdem rationis cum ipſo, exempli gratia, homo in multos homines; definitur enim à Philoſopho id quod eſt aptum natura ſua eſſe in multis vnum. ſed natura per vnitatem formalem eſt hujuſmodi, quia ea retenta poteſt natura quæ dicitur vniuerſalis diuidi in plura talia qualis ipſa eſt. Secundò, ad vnitatem vniuerſalis ſatis eſt vt plura indiuidua conueniant in ſpecie aliqua, & plures ſpecies in aliquo genere. hoc autem habetur ab vnitate formali. ergo vnitas formalis ſatis eſt ad vniuerſale. minor docetur à Philoſopho 1. de cœlo cap. 9. in quem locum vide Auerroëm. Et hinc refelluntur aliqui recentiores, dicentes ad vniuerſale requiri vnitatem præciſionis, quam dicunt conſiſtere in negatione diuiſionis in plura ejuſdem naturæ & rationis, vnitatem, inquam, priuatiuam, ideſt conjunctam cum aptitudine ad talem diuiſionem. verbi gratia, ad hoc vt natura humana ſit vniuerſalis, non tantum requiritur vt ſit quid vnum formaliter, ideſt, in plures ſpecie homines indiuiſibile, ſed præterea vt de facto non ſit diuiſus in plures numero homines, quamvis diuidi poſſit. hinc, inquam, refelluntur iſti recentiores, quia vniuerſale debet eſſe vnum in multis, ſeu indiuiſum in multa quæ ſint ejuſdem rationis cum ipſo. atqui fieri non poteſt vt quod eſt vnum vnitate præciſionis, actu & re ipſa ſit vnum in multis, ſiue indiuiſum in multa ejuſdem rationis & nominis, cum per illos vnitas præciſionis ſit negatio diuiſionis in plura ejuſdem nominis & rationis. ergo fieri nequit, vt quod eſt vnum vnitate præciſionis ſit vniuerſale. minor probatur ex dictis præmittendo vltimò, quibus adde ſequentes rationes. Primò, impoſſibile eſt vt aliqua duo per idem conueniant vniuocè, ſimulque differant ad inuicem; implicat enim manifeſtam contradictionem idem eſſe principium conuenientiæ realis vniuocæ & diſconuenientiæ realis. atqui Petrus & Paulus, exempli gratia, realiter & vniuocè conueniunt in natura humana, cum vterque ſit homo. ergo non differunt realiter in natura humana. ſimiliter Petrus & Paulus differunt, quod vnus eſt Petrus, alter Paulus. ergo non habent eſſe Petri & Pauli ab eodem à quo habent eſſe hominis; alioqui ſi

per eundem gradum Petrus eſſet Petrus & homo, per eundem gradum differret à Paulo per quem cum illo conueniret. hoc argumentum eſt ipſius etiam Beati Thomæ 1. part. quæſt. 11. art. 3. in corpore. Confirmatur primò; quia illud in quo Petrus & Paulus conueniunt eſt ens reale. atqui omne ens reale eſt vnum realiter. iam ſi illud in quo conueniunt eſt vnum realiter, atque illud eſt humanitas; ergo humanitas quæ in illis eſt, in illis vna eſt realiter. Confirmatur ſecundò; quia quot modis dicitur vnum oppoſitorum, tot modis & alterum. at eſſe diuiſum & eſſe vnum ſunt oppoſita. ergo quot modis dicetur diuiſio, ſiue, ergo quot ſunt genera ſeu modi diuiſionis, tot erunt genera vnitatis. ſed alia & alia eſt diuiſio qua Petrus diuiditur ſeu differt ab equo, & qua differt à Paulo; nam prior eſt eſſentialis, ſecunda non. ergo etiam vnitas &c. Secundò. ſi natura non haberet vnitatem formalem in pluribus, exempli gratia, indiuiduis, ſed ejus vnitas formalis multiplicata eſſet in indiuiduis, nulla eſſet neceſſitas vnitatis numericæ. quod ſic oſtendo. Accipiatur vnitas formalis Petri & Pauli. iam quęro quem effectum habeat in Paulo. dices illam facere vt Paulus ſit vna ſubſtantia, vnum viuens, vnum animal, vnus homo. Sed vrgeo ego, & quæro an faciat vt Paulus ſit vnus homo numero, an vero ſpecie tantum, cum alio. ſi hoc ſecundum, iam habemus intentum; ſi primum, ergo vnitas formalis eſt numerica. Denique quæ ſunt indiuiſa eſſentialiter ante operationem intellectus, ſunt vnum eſſentialiter. atqui Petrus & Paulus, exempli gratia, nemine cogitante ſunt eſſentialiter indiuiſi. ergo ſunt eſſentialiter vnum.

Dices eſſe vnum negatiuè non poſitiuè.

Sed contra eſt. Primò, quia iam ſupra præmittendo tertio hæc ſolutio reprobata eſt. Secundò ad hominem argumentor. vnitas poſitiua per aduerſarios nihil aliud eſt quam natura poſitiua, cum negatione alicujus diuiſionis in ſe, & diuiſione à quocunque alio. atqui vnitas quæ eſt inter Petrum & Paulum, exempli gratia, eſt natura poſitiua, cum negatione diuiſionis eſſentialis, & diuiſione à quocunque alio. ergo vnitas illa eſt poſitiua. major probatur. quia ſi ad vnitatem poſitiuam requiritur carentia omnis diuiſionis, ſequitur neque ipſam numericam vnitatem Petri eſſe poſitiuam, cum illa omni diuiſione non careat; ſiquidem Petrus habet partes diuerſas, ſaltem ſecundum locum, & caput in ſupremo loco, pedes in inferiori &c. præterea corpus & animam, quæ ſunt partes realiter diſtinctæ. Sed cum aduerſarijs noſtris

Obijcies primò. Ariſtoteles 1. de anima ait vniuerſale nihil eſſe, VII.
aut poſterius, ideſt, per operationem intellectus poſterius aduenientem. ergo &c. hoc argumentum ſemper eſt in ore aduerſariorum.

Reſpódeo tamen nullius eſſe momenti. Primò enim dici poteſt, vt ſupra diximus, Ariſtotelem loqui de vniuerſali Logico, ſeu poſt multa. Secũdo dici etiam poteſt nihil aliud voluiſſe, quam naturã vniuerſalé præciſam, & velut auulſam à conditionibus indiuiduantibus, non exiſtere niſi in mente. at hoc certe nihil nobis repugnat, ſed Platonicis tantũ idejs; quippe non docemus vniuerſale exiſtere extra ſingularia, ſed tantum habere vniuerſalitatem ſine mentis auxilio. Hæc ſecunda ſolutio eſt D. Thomæ in illum locum Ariſtotelis. Plato, inquit D. Thomas, voluit animal vniuerſale aliquid eſſe, & eſſe prius particulari, quia poſuit vniuerſalia ſeparata, & ideas; Ariſtoteles autem vult quod vt ſeparatim nihil eſt in rerum natura, & ſi aliquid eſt, dicit illud eſſe poſterius.

*S. Thomas.*

Obijcies ſecundò. Si natura ex ſe eſt vniuerſalis, vel eſt vniuerſalis & vna in indiuiduis, vel alicubi extra indiuidua per ſe ſubſiſtens. ſecundum dici non poteſt, vt patet ex dictis. ergo primum. ſed neque hoc; quia quod eſt in indiuiduis, in ijſque exiſtit, eſt ſingulare; ſiquidem nihil verè exiſtere poteſt, niſi ſingularitatem habeat.

*Reſpondetur argumentis aduerſariorum.*

Reſpondeo, naturam eſſe vnam & vniuerſalem in indiuiduis. cum enim ex ſe habeat vniuerſalitatem, non amittit illam, dum per accidens, ſiue per aliquid ipſius eſſentiæ extrinſecum (vt eſt differentia indiuidualis) fit ſingularis. nam natura in ſe non intrinſecè, ſed tantum extrinſecè eſt ſingularis & vni appropriata, in ſe verò eſt communis; quia exiſtentia, ſingulariſatio, & contractio, quæ natura ſunt poſteriora, non adimunt id quod ipſi naturæ prius conuenit, prioritate ſaltem ſecundum ſubſiſtendi conſequentiam; ſicuti forma adueniens materiæ non tollit intrinſecam rationem materiæ, ſed illam permanentem intrinſecè perficit, nec ipſius vniuerſalitatem & potentiam ad omnes formas tollit, ſed tantum extrinſecè contrahit. eodem modo differentiæ indiuiduales contrahunt naturam in ſe manentem vniuerſalem, licet in ſenſu compoſito, ſiue quatenus conjuncta eſt differentiæ indiuiduæ, non poſſit denominari vniuerſalis, ſed ſit ſingularis, denominatiuè videlicet & extrinſecè. Ad id ergo quod dicebatur, nihil exiſtere in indiuiduis niſi ſit ſingulare ſingularitatemque habeat; niſi ſit ſingulare per ſe primò, vel per ſe, ſed non primò, negatur; niſi ſit ſingulare extrinſecè & denominatiuè, conceditur.

Ex hac ſolutione facile conſtat quid ſit reſpondendum ad ſimilem objectionem, quæ ſolet fieri in hunc modum. quidquid eſt in eodem numero, eſt vnum numero. ſed vnitas illa naturæ quam nos eidem attribuimus eſt in indiuiduo vno numero. ergo eſt vnitas numerica.

*Scotus.*

Reſpondet enim dupliciter ad hoc argumentum Scotus. primò, retorquendo argumentum hoc pacto. quidquid eſt in vna ſpecie, eſt vnum ſpecie. color ergo in albedine eſt vnum ſpecie. ergo, inquit

Scotus, non habet vnitatem minorem; non ſequitur. ſecundò, reſpondet diſtinguendo majorem. quidquid eſt in eodem indiuiduo numero, eſt vnum numero, denominatiuè verum eſt; eſt vnum numero per ſe primò, vel per ſe non primò, falſum eſt. exemplum affert Scotus. corpus, inquit, denominatiuè dicitur animatum, homo per ſe primò; ſuperficies, inquit, etiam dicitur alba denominatiuè, ſuperficies verò alba, dicitur alba per ſe primo modo. Ad hanc ſolutionem intelligendam, aduerte ſingulare multiplex eſſe, ſicut multiplex eſt vniuerſale; vt bene notauit poſt Scotum Raguſæus, cap. 5. diſputationis citatæ. tribus enim modis contingit aliquid ſingulare eſſe, vel vnum numero. vno modo, per ſe, & primò. alio modo, per ſe, ſed non primò. tertio modo, non per ſe, ſed ſecundum denominationem. Illud dicitur ſingulare per ſe & primò, quod ex ratione ſua finali, non autem per aliquid aliud dicitur tale; & hoc modo ſola indiuidualis differentia dicitur ſingularis, quia talis eſt per ſe, non per aliquid ipſi additum. Illud verò eſt ſingulare per ſe, ſed non primò, quod in ſe quidem formaliter ſingularitatem habet, illam tamen non habet ex ſe, ſed ratione alicujus alterius; vt totum ex natura ſpecifica & indiuiduali differentia conſtitutum, per ſe vnum numero & ſingulare dicitur, tamen quia ſingularitatem non habet ex ſe, ſed ratione differentiæ indiuidualis à qua in eſſe indiuidui conſtituitur, ideò ſingulare per ſe & primò non dicitur, quemadmodum ipſa differentia indiuidualis. Illud denique dicitur ſingulare ſecundum demonſtrationem, quod ex ſi quidem ſingulare non eſt, ſed ei ſingularitas accidit. & hoc modo natura ſpecifica in indiuiduo exiſtens ſingularis dicitur, quatenus ei ſingularitas accidit. ſicut ſuperficies, non per ſe, ſed ſecundum denominationem, vt ex Scoto retuli, dicitur alba, quia non eſt talis ex ſua ratione formali, ſed eatenus alba dicitur, quatenus albedo ei accidit.

*Raguſæus.* *Scotus.*

Sed contra inquies, ſi natura intrinſecè & de ſe eſt communicabilis & vniuerſalis, ergo non poteſt eſſe extrinſecè ſingularis; oppoſitum enim ejus quod per ſe alicui competit, non poteſt ei competere.

Reſpondeo, conceſſo antecedente negandam eſſe conſequentiam.

Ad probationem reſpondent aliqui primò negando vniuerſale & ſingulare eſſe oppoſita, quia habent ſe ſicut actus & potentia, determinans & determinabile, contrahens & contrahibile, quæ non ſunt oppoſita, quandoquidem ex ſua natura poſtulant vniti in eodem compoſito. ſed, inquies, vnum & multa ſunt oppoſita. atqui vniuerſale eſt vnum, ſingularia ſunt multa. ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. vnum & multa opponuntur; ſi agatur de eodem genere vnitatis & multitudinis, cõcedo majorem;

ſi de diuerſo, nego majorem. porro vniuerſale eſt vnum vnitate generica vel ſpecifica, ſingularia autem ſunt multa multitudine numerica. hæc itaque non opponuntur. Reſpondent alij ſecundò, quod quamvis eſſent oppoſita, poſſent tamen eidem naturæ ſimul competere, dummodo alterutrum extrinſecè conueniat. hac autem ratione hęc duo conuenire per ſe paret: ſingularitas namque extrinſecè, vniuerſalitas verò intrinſecè naturæ competit. Simile quid, vt diximus, videmus in materia Phyſica, quæ exiſtens in compoſito Phyſico, ſi ſecundum ſe conſideretur, eſt intrinſecè indeterminata, cum tamen extrinſecè ſit determinata per formam compoſiti. quod exemplum valde notandum eſt. aliud exemplum afferunt alij. Idem homo, inquiunt, qui dormit, verbi gratia, aut ſedet in naui, & quieſcit ſecundum ſe, & mouetur extrinſecè ratione nauis mouentis.

Obijcies tertiò, & eſt impugnatio præcedentis ſolutionis. natura Petri eſt actu in rerum natura, & extra ſuas cauſas producta. ergo propriè & per ſe exiſtit. ergo non eſt vniuerſalis extrinſecè, & ſecundum ſe ſpectata.

Reſpondeo naturam Petri eſſe actu in rerum natura, & productam, ſed ſecundariò, quatenus nimirum conjuncta eſt indiuiduo, quod per ſe primo producitur. atque ita ſolum habetur quod ſit ſecundariò ſingularis, ſeu potius ſingulariſata; &, quod hinc ſequitur, tantum denominatiuè ſingularis.

Dices. totum compoſitum eſt productum. ergo quæuis ejus pars. ergo non tantum ſecundariò.

Reſpondeo, quamvis partem eſſe productam, ſed aliquam primariò, aliquam ſecundariò, aliquam per ſe, aliquam per aliud. explicatur exemplo. totus homo eſt rationalis (etiamſi animal quod in ipſo eſt, præcisè ſumptum, non ſit rationale) ideo tantum quia rationale ſaltē afficit animal; ita totus homo eſt productus, etiāſi natura in ſe ſpectata, non ſit primariò producta. & quemadmodum homo mediante indiuiduo eſt albus, ita etiam proportionaliter natura vniuerſalis mediante indiuiduo producitur, eſt ſingularis, & exiſtit. ad argumentum ergo neganda eſt conſequentia.

Inſtabis. natura humana in Petro intrinſecè exiſtit. ergo intrinſecè eſt ſingularis.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. nam ſi illud intrinſecè ſignificet quod natura Petri primò afficiatur ab exiſtentia, nego antecedens; ſi verò intrinſecè ſignificat tantum per modum intrinſecum toti compoſito, concedo antecedens. ſed tamen nulla eſt conſequentia; inde enim ſolum ſequitur eſſe ſingulariſatum.

Dices. generans in productione indiuidui primò & per ſe tendit in naturam ſpecificam. ergo illa primò & per ſe producitur. antecedens probatur

probatur primò, quia generans in productione tendit ad productionem ſui ſimilis. productum autem non eſt ſimile producenti, niſi in ſpecie. ergo tendit in ſpeciem. ſecundò, quia generans intendit per generationem ſe conſeruare. ſed non poteſt ſe conſeruare niſi in natura ſpecifica. ergo in illam primò tendit.

Reſpondeo, generantem ordine intentionis primò tendere in naturam ſpecificam, vt oſtendunt rationes allatæ, ſed ordine executionis primò tendere in indiuiduum, ſecundariò verò in naturam vniuerſalem, ſpecificam, vel genericam, quæ ſunt in indiuiduis.

Obijcies quartò. Nulla datur vnitas naturæ communis multis indiuiduis. ergo &c. antecedens patet. impoſſibile eſt vt maneat vnitas quædam cum diuiſione quæ illam vnitatem deſtruit. ſed diuiſio numerica deſtruit vnitatem formalem communẽ naturæ. ergo impoſſibile eſt vt vnitas formalis communis naturæ maneat cum ejus diuiſione numerica. minor probatur. Intelligamus naturam hominis ſine conditionibus indiuiduantibus. hæc natura erit vna eſſentia communis, vt certum eſt. habet ergo vnitatem formalem communem. deinde intelligamus aduenire differentias numericas, tunc vlterius ſic argumentor. hæ differentiæ diuidunt illam naturam humanam. ergo deſtruunt aliquam ejus vnitatem. non numericam, quia illam natura non habebat. ſupponimus enim illam fuiſſe abſtractam ab omni ſingularitate, quæ eſt principium omnis vnitatis numericæ adæquatum. deinde illa erit vnitas communis, qualis non eſt vnitas numerica.

Confirmatur. Si datur vnitas naturæ in pluribus, neque differentiæ appropriant, neque abſtractio vnit naturam, conſequens eſt abſurdum. ergo &c. ſequela probatur. antequam intelligatur natura humana per differentias appropriari, intelligitur vna communis ſpecie. poſtquam differentiæ acceſſerunt, remanet vna communis ſpecie, per nos. ergo non appropriant differentiæ; proprium enim opponitur communi 2. Polit. cap. 2. quod ſi appropriant, cui communitati hęc appropriatio opponetur? num numericæ? at hoc dici non poteſt; natura enim illa non erat ante appropriationem communis numericè. implicat enim eſſe aliquid commune numericè, 5. Metaph. text. 16. vbi Ariſtoteles ait, Socrates enim non de multis, quare non dicitur omnis Socrates, ſicut dicitur omnis homo. debent ergo illæ differentiæ, ſi appropriant, tollere vnitatem communem & ſpecificam; quod tamen non faciunt. Quod abſtractio non vniat naturam, probatur; quia natura exiſtens à parte rei eſt vna ſpecie. at natura per abſtractionem non eſt plus quam vna ſpecie. ergo &c.

Reſpondeo ad ſolutionem argumenti, diſtinguendam eſſe in natura ſecundum ſe ſumpta duplicem vnitatem. vnam, quæ vocari poteſt intrinſeca; aliam, quæ dici poteſt extrinſeca. vnitas intrinſeca ni

hil aliud eſt, quam indiuiſio eſſentiæ ſecundum prædicata eſſentialia: vnitas extrinſeca, eſt ipſi vnitas intrinſeca ſiue formalis, non tamen præcisè & ſecundum ſe ſumpta, ſed vt connotat & annexam habet negationem differentiarum indiuiduarum. Hoc poſito facilis eſt argumenti ſolutio. cum enim quæritur quam vnitatem tollat diuiſio naturæ per differentias indiuiduales? reſpondeo tollere vnitatem naturæ, non quidem ſecundum ſe ſumptam, ſed vt connotat & annexam habet negationem differentiarum indiuidualium. res exemplo manifeſta erit. Diſputant Philoſophi & Theologi quomodo perſonalitas & ſubſiſtentia diſtinguantur à natura. quidam aſſerunt diſtingui ab illa tanquam modum ſubſtantialem illi additum. alij, præſertim veteres, quibus aſſentior, in hoc tantum à natura diſtingunt, quod naturæ exiſtenti ſuperaddat tantum duplicem negationem, actualis videlicet & aptitudinalis inhærentiæ; ita vt ſubſiſtentia nihil aliud ſit, quam natura exiſtens connotans duplicem prædictam negationem. Cum autem illis obijcitur, Verbum diuinum incarnatione aſſumpſiſſe naturam humanam exiſtentem, & tamen non aſſumpſiſſe ſubſiſtentiam; reſpondent ideò non aſſumpſiſſe ſubſiſtentiam, quia non aſſumpſit naturam provt connotat illam duplicem negationem actualis & aptitudinalis inhærentiæ, imò verò aſſumpſit cum actuali dependentia. Pari modo dicimus nos ad argumentum propoſitum, hoc ipſo quod differentiæ indiuiduales adueniunt naturæ, tollunt à natura vnitatem formalem, non præcisè, ſed vt annexam habet & connotat negationem differentiarū indiuidualium in natura; quæ quidem negatio ante aduentum differentiarum indiuidualium præceſſit. Quæres; Illa vnitas formalis, provt connotat negationem differentiarum indiuidualium, eſtne vnitas vniuerſalis? Reſpondeo, ſecundum omne quod dicit, non eſſe, non enim eſt ſecundum negationem illam; eſt tamen ſecundum poſitiuum illud quod realiter non diſtinguitur à natura. eſt ergo inadæquatè, non adæquatè.

Obijcies quintò. Si natura remanet vniuerſalis in multis, ipſa ſingularia eſſent vniuerſalia. ſed hoc eſt abſurdum. ergo &c. ſequela majoris probatur. omne quod ſequitur aliquam naturam ratione ſui, prædicatur ſine aliqua additione & ſimpliciter de ſuppoſito illius naturæ. ſed per nos communitas ſequitur naturam humanam ratione ſui. ergo communitas prædicatur de ſuppoſito illius naturæ. atqui hoc eſt abſurdum; abſurdum enim eſt Socratem eſſe communem. major probatur; quia quæ ſequuntur realiter naturam communem, prædicantur de ejus inferioribus; quia enim homo eſt rationalis, ideo Socrates eſt rationalis. hinc Porphyrius capite de ſpecie ait, omne attributum quod conuenit ſuperiori conuenire etiam inferiori; & Ariſtoteles in regulis antepradicamentalibus ait, quod quandocunque

vnum dicitur de alio, quęcunque dicentur de attributo dicentur etiam de ſubjecto. Hoc argumentum eſt Cajetani lib. de ente & eſſentia, cap. 30. & acriter vrget Vallius tomo 1. ſuæ Logicæ, tractatu de vniuerſalibus in communi, parte 1. quæſt. 3. cap. 9. *Caietanus.* *Vallius.*

Reſpondeo, varias ad hoc argumentum ab authoribus afferri ſolutiones, inter omnes autem duas eſſe celebriores. primam vt intelligas, aduerte ſatis eſſe ſi natura communicando ſeipſam eſſentialiter indiuiduo communicat omnia prædicata abſoluta, non autem prædicata relatiua in ordine ad ipſa indiuidua, cujuſmodi eſt ipſa communicabilitas; ſicut à pari, quando albedo communicat ſe accidentaliter parieti, communicat etiam denominatiuè omnia prædicata ſua eſſentialia abſoluta, ita vt paries denominetur diſgregatiuus viſus, non autem communicat denominatiuè prædicata quæ ſunt in ordine ad ipſum ſubjectum, cujuſmodi eſt eſſe informatiuum ſubjecti; non enim poteſt eſſe paries denominari informatiuus ſubjecti. Ad argumentum ergo reſpondeo diſtinguendo majorem. omne quod ſequitur aliquam naturam ratione ſui, prædicatur ſine aliqua additione & ſimpliciter de ſuppoſito illius naturæ; ſi ſit prædicatū abſolutum, concedo majorem; ſi ſit relatiuum in ordine ad ipſa indiuidua, nego majorem. ad minorem, ſed per nos communitas ſequitur naturam humanam ratione ſui, diſtingo; ſequitur vt prædicatum relatiuum, concedo minorem; vt abſolutum, nego minorem. deinde neganda eſt conſequentia. Secunda reſponſio ad hoc argumentum, eſt eorum qui vniuerſaliter negant propoſitionem illam, Quidquid conuenit ſuperiori conuenit inferiori, & negationis rationem afferunt, quia, inquiunt, aduerſarij ipſi vniuerſalia fatentur eſſe immutabilia & æterna, nec tamen volunt hæc ſingularibus competere, neque dicas, inquiunt, has proprietates conuenire vniuerſali tantum beneficio mentis. nam ſi velis tantum has proprietates naturæ tribuere per præciſionem intellectus, ſequetur eaſdem tantum à ratione dependere, ſicque vniuerſalia per ſe generari & corrumpi; quod tamen omnes negant. Dicunt ergo ad ſolutionem argumenti, affectiones & proprietates eſſe in duplici differentia. quędam enim ſunt naturæ & ſuppoſiti ſimul, vt riſibilitas, diſciplinæ capacitas. aliæ ſunt naturæ, non ſuppoſiti, vt incorruptibilitas, æternitas, vniuerſalitas, communitas &c. illa autem quæ afferuntur in argumento vera eſſe de ijs affectionibus & proprietatibus quæ ſunt naturæ & ſuppoſiti, non verò de ijs quæ ſolum ſunt naturæ, cujuſmodi eſt vniuerſalitas. in forma itaque negant ſequelam majoris, & ad ejus probationem diſtingunt majorem. omne quod ſequitur aliquam naturam ratione ſui, prædicatur ſimpliciter de ſuppoſitis illius naturæ; ſi illud quod ſequitur naturam, ſequatur illam vt proprietas ejus & ſuppoſitorum ſimul, vera eſt major; ſi illud quod

ſequitur, ſequatur rantum vt proprietas naturæ, falſa eſt major. vtraque hęc reſponſio bona eſt, & nullo negotio defendi poteſt.

Obijcies ſextò. Quidquid eſt in indiuiduo, eſt idem cum illo. ſed vniuerſale eſt in indiuiduo. ergo vniuerſale eſt idem cum illo.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. quidquid eſt in indiuiduo, eſt idem cum illo; eſt idem cum illo adęquatè, nego majorem; eſt idem cum illo inadęquatè, concedo majorem. Idem reſpondendum eſt omnibus qui negant totum diſtingui à partibus, cum ſimile argumentum obijcitur illis de mareria prima, quæ partialiter & inadæquatè eſt idem cum toto.

Obijcies ſeptimò. Superius & inferius opponuntur relatiuè. at relatiua non poſſunr eſſe ſimul in eodem ſubjecto. ergo in vno indiuiduo non poſſunr vniri ſingulare & vniuerſale.

Reſpondeo, correlationes oppoſitas non poſſe eſſe ſimul in eodem ſubjecto adæquato, & totaliter ſumpto; poſſe tamen reperi in eodem ſubjecto inadæquatè ſumpto. vnde mareria & forma ſunt duo correlatiua, & ramen vna recipitur in alia, & ambæ in vno tertio, videlicet toto. quidni ergo natura communis & differentia ſingularis includantur in vno & eodem ſingulari ſubjecto.

Obijcies octauò. Si natura quę eſt in Socrate, exempli gratia, eſt apta ineſſe multis, Socrates non magis erit ſingularis quam vniuerſalis. conſequens eſt abſurdiſſimum. ergo & antecedens. major pater; quia quemadmodum eſt ſingularis per hæcceitatem, ira eſt vniuerſalis per naturam communem. ergo &c.

Reſpondeo negandam eſſe majorem. ad cujus probationē dico illum non eſſe vniuerſalem per communem naturam, & ramen eſſe ſingularem per hęcceiratem. cujus diſparitaris ratio eſt, quia hęcceitas eſt propriè actus naturæ, facitque illam eſſe hanc, & incommunicabilem. aptitudo verò, quamvis ſit concomitanter in Petro, non eſt tamen in Petro vt proprius actus Perri. exemplo clara res erir. Indiuiſibilitas animæ non eſt in Socrate, aur in corpore Socratis, vt proprius actus ejus; vnde totus Socrates dicitur diuiſibilis & mortalis, quia totum diuidi poteſt & mori, licet in eo ſit vna pars indiuiſibilis & immortalis. eodem planè modo rotus Socrares dicitur incommunicabilis & ſingularis, licer ſir in eo natura communicabilis & vniuerſalis.

Obijcies nonò. Nullum ſimile eſt idem. Perrus & Paulus, exempli gratia, ſunr ſimiles. ergo non ſunt idem in natura humana.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. Nullum ſimile eſt idem numero, concedo majorem (cujus ratio eſt, quia ejuſdem numero ad ſeipſum non eſt relatio realis) ſpecie, aut genere, nego majorem.

Obijcies decimò. Ex noſtra ſentenria ſequeretur aliquid exiſtere in duobus locis, & non in medio; exiſteret enim in Petro & Paulo, ver-

bi gratia, & non in loco inter vtrumque intercepto. hoc autem eſt abſurdum. ergo &c.

Reſpondeo negando minorem, nempe eſſe abſurdum illud quod infertur in argumento. & ratio eſt, quia vnitas quæ eſt inter Petrum & Paulum, eſt vnitas eſſentialis non localis, qua propter ſecundum ſe nec tempore nec loco ſeparati poteſt.

Objicies vndecimò. Ex hac noſtra ſententia ſequeretur naturam vniuerſalem eſſe ſimilem naturæ diuinæ; quemadmodum enim illa eſt in tribus perſonis, ita hęc eſt in pluribus indiuiduis. hoc autem admittere Chriſtiano Philoſopho indignum videtur. ergo &c.

Reſpondeo ridiculum planè eſſe argumentum. longè enim diſpar ratio eſt de eſſētia diuina in tribus perſonis, & natura vniuerſali in pluribus indiuiduis. vnde triplicem diſparitatem inter vtramque afferunt recentiores aliqui Scotiſtæ apud Rhadam in 2. ſentent. controu. 3. art. 1. in 2. opinione. *Scotiſta. Rhada.* Prima eſt, quia natura diuina ſecundum propriam vnitatem determinatur ad exiſtentiam, & eſt de ſe exiſtens per eſſentiam; natura verò creata nec determinatur ad exiſtere, nec ad non exiſtere per eſſentiam, ſed abſtrahit ab vtroque. nam ſi determinaretur ad exiſtere, eſſet de ſe & per eſſentiam exiſtens; ſi verò ad non exiſtere, impoſſibile eſſet ipſam eſſe. Secunda diſparitas eſt, quia natura diuina eſt implurificabilis. nam licet ſit in pluribus ſuppoſitis, eſt tamen in eis ſine diuiſione, & vna numero, ac penitus indiuiſa & indiſtincta. natura verò creata eſt multiplicabilis, ac diuiſibilis in plura, & de facto inuenitur diuiſa extrinſecè in ſuis inferioribus. Tertia diſparitas eſt, quia ſuppoſitum diuinæ naturæ non participat naturam diuinam, ſed totam illam in ſe habet; propter quod ſuppoſitum per eſſentiam vocatur. ſuppoſitum autem naturæ creatæ, eſt ſuppoſitum per participationem naturæ creatæ, quæ eſt alia & alia alietate numerica in pluribus ſuppoſitis & ſingularibus. Ex his conſtat etiam ſolutio alterius argumenti, quod objici poteſt contra noſtram ſententiam; nempe, ſi natura humana eſt vna in multis vnitate reali, vel eſt ita in multis, vt ſit tota in vnoquoque indiuiduo, vel vt tantum ſit tota in omnibus. neutrum dici poteſt. ergo &c. non primum, quia ſequeretur non eſſe totam in alijs; totum enim eſt id extra quod nihil eſt accipere. neque ſecundum, quia hinc ſequeretur non eſſe vniuerſalem; cujus tamen contrarium contendimus. Reſpondendum enim eſt primò, non eſſe totam in vnoquoque indiuiduo, neque tamen hinc ſequi non dari vniuerſale à parte rei. quamvis enim totam naturam in ſe abſolutè eo modo quo diuinæ perſonæ habent non habeat vnumquodque indiuiduum, ſed illam participat, natura tamen ſpecifica eſt in illis verè, vna & indiuiſa ſpecie. Secundò, reſpondendum eſt concedi poſſe totam naturam (ſpecificam tamen intelligendo) eſſe in vnoquoque in-

diuiduo, ſed non totaliter & adæquatè. explicatur exemplo. ſol à me videtur, & totus videtur; ſed non totaliter, nam etiam alij ſolem vident. idem planè contingit in caſu noſtro. eſt enim in Petro, verbi gratia, tota natura humana, ſed non adæquatè & totaliter, nempe ita vt in alijs non ſit. Ad illud quod dicitur, Totum eſt id extra quod nihil eſt accipere, reſpondeo hoc verum eſſe, ſi totum ſumatur totaliter, non autem ſi alio modo. exemplum afferri poteſt de anima rationali, quæ eſt tota in manu, verbi gratia, & tamen quia non eſt totaliter, aliquid eſt accipere, nempe eandem animam ſecundam ſuam totam entitatem in alia parte. Dici etiam poteſt, ad hoc vt iſta propoſitio vera ſit, ſumi deberè illam negatiuè, vt ſenſus ſit, Nihil ſit extra illud accipere quod non ſit ipſum.

Obijcies duodecimò. Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe. ſed Petrus & Paulus ſunt eadem vni tertiò, nempe naturæ. ergo inter ſe. hoc autem eſt abſurdum. ergo &c.

Reſpondeo hoc axioma verum eſſe, ſi tertium in quo conueniunt ſit incommunicabile, alioquin non eſſe verum. patet hoc manifeſtè in myſterio Trinitatis. alij diſtingunt hoc axioma hoc pacto. quæ conueniunt vni tertio conueniunt inter ſe; eo modo quo conueniunt vni tertio, verum eſt; alio modo, falſum eſt.

Obijcies decimotertiò, ex hac noſtra ſententia ſequi vnum & idem ſimul & ſemel eſſe miſerum & beatum; eadem enim natura ſpecie quę eſt in cœlis beata, in inferno eſt miſera. Secundò, ſequitur Deum de nouo nihil poſſe amplius creare, vel annihilare. quod probatur, quia creatio eſt productio rei ex nihilo, ideſt, cujus nulla pars antea præexiſtit. atqui non poterit anima rationalis, verbi gratia, neque reliqua entia fieri ex nihilo, ſuppoſita noſtra ſententia. ergo &c. ſimiliter probatur animam non poſſe annihilari, ideſt, ita deſinere eſſe vt nulla ejus pars remaneat; quia deſtructa anima Petri, exempli gratia, remanet adhuc eſſentia ſpecifica animæ in alijs animalibus. Tertiò, ſequitur dari ideam Platonicam, ſuppoſito quod Deus conſeruata natura ſpecifica & communi, annihilaret omnes hæcceitates omnium hominum.

Reſpondeo, hæc & ſimilia aduerſariorum argumenta puerilia eſſe & friuola. vnde ad primũ dico, non eſſe abſurdum vnum & idem ſpecie ſimul eſſe miſerum & beatum; quanquam valde impropriè dicatur natura ſpecifica beari vel torqueri. hæ enim actiones & paſſiones ſunt ſingularium; nam Chriſtus eſt qui beatur, Iudas qui torquetur. Sed, inquies, melior ſaltem pars Antechriſti iam exiſteret, natura videlicet humana; quod eſt abſurdum. Reſpondeo, exiſtere illud quod erit melior pars Antichriſti, non autem quod de facto iam ſit, & quod de facto ad Antichriſtum pertineat. eodem modo certum

eſt iam exiſtere materiam primam quæ erit materia prima corporis Antichriſti, non tamen iam eſt materia prima ejus corporis. Ad ſecundum reſpondeo, ad creationem ſufficere vt creatura ſit facta ex nihilo in genere rerum Phyſicarum & exiſtentialium. eodem modo dico ad annihilationem ſufficere ſi corrumpatur totum Phyſicum & totum exiſtentiæ. Ad tertium reſpondeo, Deum non poſſe conſeruare naturam humanam ſolam exiſtẽtem ſpoliatam omnibus hæcceitatibus & indiuiduis. & ratio eſt manifeſta; quia exiſtentia rei alicujus, ſi exiſtit, exiſtere debet in eo cujus eſt eſſentia.

Obijcies decimoquartò. Differentiæ indiuiduales non minorem habent oppoſitionem & impoſſibilitatem inter ſe, quam habeant differentiæ ſpecificæ; & ideo impoſſibile eſt quod actu & formaliter ſint in eadem natura ſpecifica, ſicut impoſſibile quod differentiæ ſpecificæ actu & formaliter ſint in eadem natura generica, vt docet Porphyrius in cap. de differentia, & Ariſtoteles 7. Metap. text. 42. quod optimè declaratur ex eo quod accidit in compoſitis Phyſicis. ſicut enim plures formæ ſubſtantiales non poſſunt ſimul eſſe in eadem materia, ita neque etiam plures differentiæ in eadem natura: & ratio eſt, quia compoſita Metaphyſica, quæ intelliguntur eſſe ex natura & indiuiduatione, non minorem diſtinctionem requirunt quam compoſita Phyſica ex materia & forma, & ideo ſicut hæc non ſolum formam, ſed etiam materiam ſibi appropriant, ita etiam illa non ſolum indiuiduationem, ſed etiam naturam habent propriam. & confirmatur, quia ſicut in Phyſicis vnaquæque forma determinat ſibi certam materiam, ita etiam in Metaphyſicis vnaquæque indiuiduatio determinat ſibi naturam. & ſicut materia per aduentum formæ ita fit propria hujus cõpoſiti, vt non relinquatur communis alijs, ita etiam natura per aduentum indiuiduationis debet fieri propria hujus indiũidui. & denique ſicut materia per vnicam formam ita actuatur, vt nõ remaneat ſimul actuabilis per aliam, ita etiam natura per vnicam indiuiduationem ita indiuiduatur, vt non remaneat ſimul indiuiduabilis per aliam.

Reſpondeo, hoc argumentum non eſſe magni momenti, quia in eo comparatur materia Phyſica vna numero cum materia Metaphyſica vna ſpecie, vel genere. deberet enim inſtitui comparatio, ad hoc vt argumentum bene procederet, inter materiam Phyſicam vnam ſpecie vel genere, & materiam metaphyſicam vnam ſpecie vel genere, vel certè inter materiam Phyſicam vnam numero, & materiam metaphyſicam vnam numero. Deinde etiam materia aliqua Phyſica vna numero eſt capax plurium formarum; vt patet in materia mixtorum, in qua, ſecundum probabilem ſententiam, ſunt formæ elementorum actu cum forma mixti. idem etiam contingit in viuentibus, in quibus præter animam admittendæ neceſſariò ſunt formæ

partiales. Dices non eſſe has formas vltimas. Reſpondeo neque differentias indiuiduales eſſe vltimas in hoc ſenſu, quod adæquatè contrahant naturam genericam vel ſpecificam, quantum contrahibilis eſt.

Obijcies vltimò, ex hac noſtra ſententia ſequi Petrũ diſtingui à Paulo ſola tenuiſſima entitate, nempe ſola differentia indiuiduali, & eſſe eumdem ſecundum omnes alias entitates, quæ plurimæ ſunt; verbi gratia ſecundum naturam humanam, ſecundum animalitatem, ſecundum corporeitatem &c. quocirca deberet Petrus potius dici eſſe idem cum Paulo, quam diuerſus ab illo.

Reſpondeo, falſum eſſe Petrum diſtingui à Paulo ſola tenuiſſima entitate, nempe differentia indiuiduali; nam diſtinguitur etiam materia & forma, quæ ſunt partes phyſicæ ejus. Deinde ſit ita, diſtinguatur ſola tenuiſſima entitate. dico vnitatem indiuidualem qua caret, majorem eſſe omnibus alijs iſtis vnitatibus; & idcirco ſimpliciter Petrum & Paulum plura dici debere.

Quæres primò, an aptitudo naturæ vt ſit in pluribus, ſit mera non repugnantia naturæ ejuſdem.

Reſpondeo negatiuè. cujus rationem deſumo ex Philoſopho 2. de anima, text. 34. & 35. vbi ſic loquitur; Naturaliſſimum operum quæ in viuentibus, quæcumque perfecta & non mutilata ſunt, aut generationem ſpontaneam habent, eſt facere aliud quale ipſum, animal quidem animal, plantam autem plantam, vt ipſo ſemper & diuino participent, ſecundum quod poſſunt. omnia enim illud appetunt, & illius cauſa agunt omnia, quæcumque agunt ſecundum naturam. ipſum autem cujus cauſa duplex eſt; hoc quidem cujus, illud verò cui. quoniam igitur communicare non poſſunt ipſo ſemper & diuino, continuatione, propterea quod nihil contingit corruptibilium idem & vnum numero permanere, ſecundum quid poteſt participare vnum quodque. ſic communicat, hoc quidem magis, illud verò minus, & permanet non ipſum, ſed quale ipſum, numero quidem non vnum, ſpecie autem vnum. hæc Ariſtoteles, ex quibus ſic argumentor. Naturæ ſpecifica & generica habent poſitiuam inclinationem & appetitum ad immortalitatem, habent realem & naturalem propenſionem ad eſſe, & ad ſui conſeruationem. ſed exiſtere in pluribus & communicari multis facit ad conſeruationem naturæ ſpecificæ & genericæ. ergo naturæ ſpecifica & generica habent naturalem & poſitiuam aptitudinem ad exiſtendum in pluribus. Si quęras quid ſit hęc aptitudo; reſpondeo, nihil eſſe naturæ ſuperadditum realiter, ſed tantum formaliter.

VIII. Quæres ſecundò, an gradus Metaphyſici diſtinguantur ex natura rei. Reſpondeo breuiter diſtingui. Eſt ſententia Doctoris Subtilis in 2. diſt. 3. quæſt. 1. & 7. Metaphyſicæ ac alibi ſæpe, Mayronij noſtratis in 1.

*Probatur gradus Metaphyſicos di-*

in 1. diſt. 2. quæſt. 2. Antonij Andreæ 7. Metaphyſ. quæſt. 7. Radæ *ſlingui nemine cogitante.*
in 2. controuerſia 3. Fabri in philoſophia naturali, theoremate 90. & *Doctor Subtilis.*
94. Meuriſſij lib. 1. rerum Metaphyſ. quæſt. 7. concluſione 2. Smiſin- *Faber.*
gi tomo 1. tract. 2. diſput. 1. quæſt. 2. & omnium Scotiſtarum, quos *Antonius Andreas.*
ex recentioribus ſequuntur Fonſeca 2. Metaph. cap. 2. text. 11. & lib. *Rada.*
4. cap. 2. quæſt. 4. ſect. 3. & lib. 7. cap. 12. quæſt. vnica, Ægidius de *Ægidius de præſentatione.*
præſentatione, primo tomo in primam ſecundæ, lib. 5. quæſt. 5. art. 2. *Raguſæus.*
Georgius Raguſæus in tomo Peripateticarum diſputationum diſput. *S. Thomas & alii.*
24. ſępe, & alij. Eſtque ipſius ſancti Thomæ prima parte quæſt. 11. art. *Cōtra Murtiam.*
3. in corpore, vt ſupra vidimus. eſt tamen contra aliquos Thomiſtas, *Suarium.*
quos ex recentioribus ſequuntur Murcia in caput de genere quæſt. 2. *Rubium.* *Conimbricenſes.*
Suarius diſput. 6. Metaph. ſect. 9. num. 9. Hurtadus, Conimbricen- *Hurtadum & alios.*
ſes, Rubius, & alij. Probatur reſponſio primò ex Ariſtotele, qui (vt
bene notat Fonſeca 7. Metaphyſ. cap. 12.) non alia de cauſa ſuſcepit
grauem illam quæſtionem diſcutiendam, qua ratione ex genere &
differentia vna vel pluribus vnum aliquid conſtare poſſet, niſi quia
ſunt ex natura rei diſtincta. ſiquidem nulla eſſet difficultas, ſi ſola ra-
tione & conſideratione noſtra diſtinguerentur, quia prius commu-
niori confuſoque conceptu appræhendimus genus rei definitæ, dein-
de eandem proprio & peculari. Verum & ex ſolutione quam adhibet
eidem quæſtioni text. 43. idem colligitur. ait enim propterea ex gene-
re & differentia fieri vnum, quia natura generis & differentiæ aut
ſunt vna & eadem natura, aut ſic ſe habent vt materia ad formam, ita
ſcilicet vt natura generis ſit ex ſe indeterminata ad ſuas ſpecies, differē-
tia autem ex ſe determinata ad illas, naturamque generis determinans;
quam poſteriorem diſiunctionis partem ipſe vbiqúe amplectitur ac
ſequitur, inquit Fonſeca. Confirmatur, quia vt notat idem Fonſeca, ſi *Fonſeca.*
non diſtinguuntur niſi, ratione friuola eſſet quæſtio quam idem Ari-
ſtoteles tractat. cap. 6. lib. 7. Metaphyſ. cum quærit ſintne idem quod
quid eſt, & id cujus eſt? ſi primæ ſubſtantiæ & earum communes na-
turæ ſeu quidditates (quæ ſunt ipſum quod quid eſt) idem eſſent om-
nino ex natura rei, & à ſolis conceptionibus noſtris diſtinctionem ha-
berent; falſumque eſſet remota conſideratione noſtra id quod idem
ait 3. de anima text. 9. aliud eſſe magnitudinem, nempe ſingularem,
aliud magnitudinis eſſe ſeu quidditatem communem. vide eundem
Fonſecam qui alia loca Philoſophi rectè vrget; vide etiam Vallium *Vallius.*
primo tomo ſuæ Logicæ part. 1. de vniuerſalibus in communi, quæſt.
3. cap. 14. vbi hanc noſtram ſententiam probat etiam eſſe ad mentem
ejuſdem Philoſophi, aitque contrariam ſententiam non diſcrepare à
ſententia nominalium; quod ſanè veriſſimum eſt. Ariſtoteli ſubſcribit
Porphyrius capite de differentia, vbi ait differentiam eſſe id quo ſpe-
cies ſuum genus excedit, in ſui nimirum intrinſeca compoſitione, non

in noſtra appræhenſione & capite de ſpecie, ait participatione ſpeciei plures homines eſſe vnum hominem; non participatione ejus conceptus communis, quem de hominibus quatenus homines dicuntur formamus, ſed ea qua illa communem hominis naturam habent. Probatur ſecundò reſponſio ratione fundata in communi modo philoſophandi. Acriter diſceptatur apud Philoſophos de principio indiuiduationis in rebus, quo videlicet addito rebus communibus illæ fiunt ſingulares ac indiuiduæ: ſed hoc otioſè admodum & ridiculè fieret, niſi inter res communes, & differentias indiuiduales, intercederet diſtinctio nemine cogitante, & non ſolum per appræhenſionem noſtram. ergo &c. Denique vt omittam alia argumenta quæ ex dictis deduci poſſunt, ſic argumentor cum Meuriſſio. ſi gradus non diſtinguuntur niſi per intellectum, & nullo intellectu cogitante ſunt omnino indiſtincti, ſicut verum eſt rationalitatem Petri, verbi gratia, eſſe actum primum ratiocinandi, ita verum erit animalitatem ejuſdem Petri eſſe actum primum ratiocinandi; At hoc eſt falſum. ergo &c. Dices illam ſimplicem entitatem prout eſt rationalis eſſe actum primum ratiocinandi, non autem prout eſt animal, aut viuere, aut ſubſtantia, quia quantumvis entitas illa, ſit actu vna, & indiſtincta, & adæquatè ſpectata ſit ſimul viuens, ſentiens, & rationalis, &c. Inadæquatè tamen ſpectata nunc eſt ratio vnius puta ratiocinationis, & non alterius. Sed contra eſt, quia ſimplicem illam entitatem eſſe actum primum ratiocinandi vt eſt rationalis, & non vt eſt animal, vel eſt entitatem illã eſſe actum primum ratiocinandi, prout concipitur tantum rationalis, & non concipitur animal, vel vt à parte rei eſt rationalis, & non animal. Si dicatur poſterius, habetur intentum, nam aliquid poſſe ratiocinari, qua rationale à parte rei, & non qua animal eſt rationale, & animal non eſſe idem à parte rei. Si prius, contra eſt; ſi per poſſibile, vel impoſſibile Petrus non eſſet animal, & eſſet ſubſtantia rationalis, haberet actum primum ratiocinandi, non tantum vt conciperetur rationalis, & non conciperetur animal, Sed vt reuera eſſet rationalis, & non eſſet animal, ergo nunc habet actum primum ratiocinandi non tantum qua concipitur rationalis & non concipitur animal, ſed vt à parte rei eſt rationalis & non animal. Conſequentia probatur, quia rectè probatur hoc natura ſua non eſſe illud, quando illo circumſcripto remanet hoc; ſed circumſcripto animali, remaneret adhuc rationale, ergo natura ſua animal non eſt rationale. Dices quod tunc Petrus foret alia entitas. Optimè, ergo foret alia entitas, per ſubſtractionem alicujus, ex cujus ablatione ſequeretur alia entitas, non autem per ablationem rationalis, ergo foret alia entitas per ablationem alicujus quod non eſſet rationale, ergo rationale, & illud quod per poſſibile, vel impoſſibile eſſet ablatum, non ſunt idem.

*Meuriſſius.*

*Reſponſio aduerſariorum.*

*Confutatur.*

*Alia reſponſio eorundem.*

*Reiicitur.*

Ex his omnibus ſequitur principium indiuiduationis eſſe nemine cogitanre à natura indiuiduata diſtinctum, optimeque à Scoto, & alijs poſt ſubtiliſſimum Auicennam 5. Metaph. appellatam hæcceitatem, ſiue differenriam indiuidualem. Quod diſtinguatur à narura, patet ex argumentis ſupra allatis, pro diſtinctione graduum. Quod autem ſit hæcceitas, patet, quia non minus conrrahitur natura ſpecifica ad indiuiduum per aliquid poſitiuum ejuſdem generis, quam natura generica ad ſpeciem; quia quemadmodum genus eſt in potentia ad ſpeciem tanquam ad aliquid per ſe inferius ſui generis, ita etiam ſpecies ad indiuiduum. ſed natura generica contrahitur ad ſpeciem, per aliquid poſitiuum reale ſuperadditum & ſui generis, ad quod illa eſt in potentia, videlicet per differentiam ſpecificam. ergo etiam ſpecie per realem poſitiuam differentiam proprij generis, ſiue per hæcceirarem, contrahitur. vtrum autem diſtinguatur ab exiſtentia hæc differentia indiuidualis, vel non, dicemus in Metaphyſica.

*Principium indiuiduationis eſt hæcceitas.* *Auicenna.* *Scotus.* *Probatur.*

# QVÆSTIO SEPTIMA.

## *Quot ſint vniuerſalia.*

I. *Variæ ſententiæ de numero vniuerſalium.* *Maior.* *Simplicius.* *Balduinus.*

MAjor noſtras tractatu de accidente exiſtimat poſſe ad libitum plura vel pauciora vniuerſalia conſtitui. Abra de Raconis queſt. 3. vniuerſalium exiſtimat eſſe octo. Balduinus, Cajetanus, & alij cenſenr eſſe ſex, addunt enim quinque communiter receptis, indiuiduum vagum. Simplicius, & alij ponunt duo. Suarius, Fonſeca, & alij recentiores communiter volunt eſſe quinque. in hac re, quæ eſt parui momenti, breuiter

II. *Statuitur 1. non eſſe 5. vniuerſalia.*

Dicendum exiſtimo, primò non eſſe formalirer quinque vniuerſalia, multo minus plura.

Probatur concluſio, quia vniuerſale formaliter ſumptum eſt vnum in multis inferioribus. ſed non poſſunt dari quinque, multo minus plura, quæ reſpiciant multa ranquam inferiora. ergo &c. minor probabitur paulo poſt. major de vniuerſali Logico ſic oſtenditur. Vniuerſale Logicum fit formaliter per abſtractionem intellectus, vt dictum eſt ſuperiori quæſtione. ergo vel per abſtractionem formalem, ideſt, per abſtractionem qua abſtrahitur aliquid vt forma à ſubjecto cui conjuncta eſt; vel per abſtractionem vniuerſalem, ideſt, qua aliquid abſtrahitur à ſuis inferioribus, non per formalem. ergo per vniuerſalem. Quod non fiat per formalem probatur. abſtractio formalis, vt iam dixi, eſt quando vna res ſine altera, cui tamen conjuncta eſt,

*Probatur concluſio.*

tanquam forma, conſideratur. ſed tali abſtractione abſtrahi poſſunt res ſingulares, verbi gratia, accidens aliquod, hæc enim albedo poteſt ſine pariete cui ineſt conſiderari, & conſequenter abſtrahi abſtractione formali abſque eo quod fiat vniuerſalis. ergo vniuerſale formaliter non fit per abſtractionem formalem. Conſequentia conſtat, quia vniuerſale non fit per illam abſtractionem, quam, aliquid manens ſingulare, habere poteſt. idem argumentum fieri poteſt de vniuerſali Metaphyſico.

*Reſponſio aduerſariorum.*

Reſpondebis albedinem illam (& idem eſt de quouis alio accidente) non abſtrahendam à pluribus ſubjectis, ſed ab vno tantum, ac proinde non fore vniuerſalem.

*Reiicitur.*

Verum hoc nihil eſt, nam ponamus Deum collocare hanc numero albedinem manentem hanc in centum, verbi gratia, ſubjectis, & deinde ab illis omnibus per intellectum abſtrahi. quid tunc fiet? eritne tum per abſtractionem illam, albedo ſingularis, vniuerſalis? non opinor hoc dicent aduerſarij, & tamen ſecundum datam reſponſionem id dicere tenentur, quia in illo caſu abſtrahetur abſtractione per quam fit vniuerſale.

*Alia eorundem euaſio.*

Dices, quando dicitur ad rationem vniuerſalis ſufficere vt ſit in multis quomodocunque, id ita intelligi debere, vt ipſum etiam vniuerſale, in multis illis multiplicetur, quod non poſſet dici de illa albedine remanente in iſtis centum ſubjectis.

*Verum pugnat cum ipſorum principiis.*

Hæc reſponſio optima eſt, quia ex illa habemus intentum. concedit enim non ſatis eſſe ad vniuerſale vt ſit in multis quibuſcunque, ſed requiri vt ſit in multis inferioribus, quod eſt id quod intendimus. Patet, quia ſecundum hanc reſponſionem vniuerſale, ita debet eſſe in multis, vt natura quę eſt vniuerſalis in illis multiplicetur, ſed nō poteſt multiplicari niſi in inferioribus, cum albedo eadem in multis conſtituta ſubjectis non multiplicetur quamvis ſubjectum ſit multiplicatum. ergo vniuerſale debet eſſe vnum in multis inferioribus. Et certè niſi modus eſſendi & prędicandi vniuerſalis accipiatur reſpectu inferiorum, tot erunt, vt examinanti clarum erit, vniuerſalia quot prædicamenta, quod omnes fere aduerſarij admittere refugiunt.

III.

*Statuitur 2. genus & ſpeciem eſſe duo vniuerſalia.*

Dicendum exiſtimo ſecundò, genus & ſpeciem eſſe duo vniuerſalia diſtincta.

*Probatio concluſionis.*

Probatur facile aſſertio, quia differunt in ratione vnitatis in multis inferioribus. ergo ſunt diuerſa. antecedens eſt clarum. conſequentia etiam non minus clara.

IV.

*Statuitur 3. genus & ſpeciem eſſe formaliter vniuerſalia.*

Dicendum tertiò, genus & ſpeciem eſſe formaliter vniuerſalia.

Probatur nullo negotio ex dictis; vniuerſale eſt vnum in multis inferioribus vt ſic, atque de ijs vt ſic prædicatur. ſed genus & ſpecies vt ſic, ſunt talia. ergo &c. major patet ex dictis. minor probatur, quia

ſpecies reſpectu generis eſt verè & propriè inferius. item indiuidua & ſingularia ſunt vera ſpeciei inferiora. ergo genus & ſpecies ſunt in multis inferioribus & de illis prædicantur. *Probatur.*

**V.** Dicendum quartò. Vniuerſale formaliter adæquatè diuidi à genere & ſpecie, & plura non dari vniuerſalia. *Statuitur denique vniuerſale formaliter adæquatè diuidi à genere & ſpecie.*

Probatur primò ex Ariſtotele, qui primo de partibus animalium cap. 4. in hac noſtra videtur eſſe ſententia; nam ibi duorum tantum vniuerſalium vniuocorum meminit, generis nempe & ſpeciei. ergo ex mente Ariſtotelis duo tantum reperiuntur vniuerſalia formaliter, genus nempe, & ſpecies. *Prima concluſionis probatio.*

Probatur ſecundò. tot tantum ſunt vniuerſalia quot tantum ſunt vnitates & aptitudines eſſendi in multis. ſed vnitates & aptitudines eſſendi in multis duæ tantum ſunt, ſpecifica videlicet, & generica. ergo duo tantum ſunt vniuerſalia, genus nimirum & ſpecies. *Secũda probatio.*

Probatur tertiò ex abſtractione qua abſtrahitur vniuerſale; abſtrahitur enim à multis ejuſdem rationis. ſed multa ejuſdem rationis vt ſic non poſſunt eſſe niſi inferiora, inferiora autem ſunt tantum duo, ſpecies videlicet & indiuidua. ergo duo tantum ſunt vniuerſalia reſpicientia illa inferiora, ſcilicet genus & ſpecies. Confirmatur, quia vniuerſale per abſtractionem dicitur habere eſſe quoddam denudatum à conditionibus indiuiduantibus, quod non diceretur, niſi deberet abſtrahi à pluribus inferioribus. ergo &c. *Tertia probatio.*

**VI.** Quæres an duo ſint tantum prędicabilia formaliter ſumpta, ſicut duo ſunt tantum vniuerſalia formaliter ſumpta?

Reſpondeo prædicabilia eſſe formaliter quinque diſtincta, quamuis duo tantum ſint vniuerſalia. ratio eſt quia quod de multis ſecundum idem nomen & eandem nominis rationem prędicatur, ſiue illa multa ſint inferiora, ſiue nõ, eſt prædicabile. non ita vniuerſale, quod neceſſariò requirit vt illa multa de quibus dicitur ſint inferiora. Iam verò quia quod de multis ſecundum idem nomen & eandem nominis rationem prædicatur, aut de illis dicitur neceſſariò, aut contingenter tantum; ſi contingenter, eſt accidens quintum prędicabile; ſi neceſſariò, vel eſſentialiter, vel accidentariò. ſi hoc ſecundo modo, eſt proprium quartum prædicabile; ſi primo, vel eſt tota eſſentia, & eſt ſpecies; vel pars tantum, & eſt genus; ſi differt à cæteris, eſt differentia; fit vt quinque ſint prædicabilia. Ex quo infer vniuerſale materialiter ſumptum eſſe quintuplex, licet non formaliter. & juxta hoc intelligendi videntur antiqui philoſophi cum dicunt vniuerſalia eſſe quinque, tantum enim volunt eſſe. quinque materialiter non formaliter, vſurpant enim eo loco vniuerſale provt confunditur cum prædicabili. Contra hanc doctrinam nihil objici poteſt, quod ex dictis facile ſolui non poſſit. *Prædicabilia eſſe quinque, vniuerſalia formaliter tantum duo, quãuis materialiter quinque.*

# QVÆSTIO OCTAVA.

## *Quodnam ſit ſummum genus in prædicamento ſubſtantiæ.*

I.

*Occam, Maior, & alij v.lunt Deum eſſe in prædicamento.*

NOMINALES arbitrati ſunt ſummum genus prædicamenti ſubſtantiæ eſſe ſubſtantiam completam in tota ſua latitudine, ideſt, prout compræhendit tam finitam quam infinitam. ita ſenſiſſe dicuntur Occam in 1. diſtinct. 8. quæſt. 5. Gregorius in 1. diſt. 8. quæſt. 3. art. 2. Gabriel ibidem, Major noſtras, Holcot, Bonettus & alij, quos ſequuntur aliqui recentiores in vniuerſitate præſertim Louanienſi teſte Smiſingo, aſſerentes non majus abſurdum eſſe ponere Deum in prædicamento ſubſtantiæ cum alijs rebus creatis, quam ejuſdem nomen Calepino vna cum aliarum rerum creatarum nominibus inſerere.

*Refellitur prædicta ſententia nominalium, primò ex Ariſtotele, 2. ex Patribus, 3. ratione.*
*Plato.*
*Plautinus.*
*Marſilius Ficinus.*
*S. Dionyſius.*
*S. Auguſtinus.*
*S. Damaſcenus.*
*Clemens Alex.*
*Cyrillus Alex.*
*S. Anſelmus.*

Verum hæc ſententia non videtur recipienda. aduerſatur enim imprimis Ariſtoteli expreſsè neganti Deum & materiam primam eſſe in prædicamento. quod etiam cum ipſo dicendum putant ex ſententia Platonis, Platonici, vt videre eſt in Iamblicho 2. myſterior. Plautino Ænneade 3. Marſilio Ficino lib. 1. Theologiæ Platonicæ, & alijs; & rectè quidem, nam in Parmenide (vt alia ejus loca omittam) illam clare docet. Aduerſatur deinde Patribus, vt Diuo Dionyſio de myſtica Theologia cap. 3. & de diuinis nominibus cap. 3. Diuo Auguſtino lib. 7. de Trinitate cap. 3. 4. & ſequent. Diuo Damaſceno lib. 1. de fide Orthodoxa cap. 1. & 8. Clementi Alexandrino lib. 5. Stromatum, Cyrillo Alexandrino, Diuo Anſelmo, & alijs qui expreſsè dicunt Deum non contineri in prædicamentis. Quare ob eorum authoritatem Academia Oxonienſis art. 25. condemnauit eos qui aſſeterent primam cauſam genere contineri. Aduerſatur denique rationi; quia ſubſtantia prædicamentalis non dicitur tantum id quod per ſe ſubſiſtit, ſed etiam quod accidentibus ſubſtat, ex Ariſtotele cap. de ſubſtantia. ſed Deus non poteſt ſubſtare vllis accidentibus, vt fide certum eſt. ergo &c. Et

*S. Auguſtinus.*

hæc ratio eſt Diui Auguſtini 7. de Trinitate cap. 5. vel 32. vt notat Doctor Subtilis conterraneus, loco citando. §. *teneo opinionem meam mediam.* Confirmatur, quia intentum Philoſophi in ordinandis prædicamentis fuit, vt res quæ videntur inter ſe confuſæ, diſtinguerentur; Deus autem ſatis cognoſcitur eſſe diſtinctus à creaturis, ac proinde non videtur fuiſſe ejus intentum Deum prædicamentis compræhendere, ſed tantum coordinare res creatas. Confirmatur ſecundò. Natura diuina non eſt vniuerſalis, nec per modum generis, nec per

modum ſpeciei; prædicamenta autem ſunt coordinationes generum, & ſpecierum. ergo &c. Quod Deus non ſit ſpecies probatur, quia ſpecies eſt natura communis multis indiuiduis, at natura diuina eſt determinata ad vnum tantum indiuiduum.

*Reſponſio quorundam.*

Dices ſpecies eſt prædicabilis & ſubijcibilis; & ſub vtraque ratione dicitur ſpecies. ergo natura diuina ſaltem vt ſubijcibilis eſt generi, & vt conſtat genere & differentia poreſt dici ſpecies.

*Reiicitur.*

Sed contra eſt, quia ad rationem ſpeciei ſubijcibilis non ſatis eſt ſubijci generi quomodocunque, ſed requiritur vt ſubijciatur tanquam ſpecies, hoc eſt tanquam natura communis multis; nam etſi indiuidua ſubijciantur generi, quia tamen ſubijciuntur vt naturæ ſingulares, non vt communes, ideo non ſubijciuntur vt ſpecies, neque propter hanc ſubjectionem, habent rationem ſpeciei. Ex quo etiam infertur naturam diuinam non habere genus, genus enim non niſi ratione ſpecierum tale nuncupatur, at natura diuina non eſt ſpecies. Infertur prærerea Deum poni non poſſe in prædicamento ſubſtantiæ tanquam indiuiduum, quia nec eſt indiuiduum genericum nec ſpecificum, qualia ſolum indiuidua in prædicamento reponuntur.

*Argumenta pro ſententia Nominalium proponũtur & ſoluuntur.*

Dices Philoſophus primo Ethicorum ad Nicomachum cap. 7. expreſsè Deum ponit in prædicamento, agens enim de bono, *Nam & in ſubſtantia dicitur* (inquit) *vt Deus & mens.* ergo dum excludimus Deum à prædicamento recedimus à mente Philoſophi.

Reſpondeo Ariſtotelem eo loco, exempli gratia illud attuliſſe, in exemplis autem ipſum non ſemper requirere veritatem, præſertim quando aliquid profert in re de qua tum non diſputatur. Patet hoc ex primo de anima cap. 5. vbi ſcribit Deum compoſitum eſſe ex elementis, & 5. Metaph. cap. 26. ſcribit Deum eſſe animal, cum tamen 12. Metaph. vbi de Deo ex profeſſo diſputat id neget, doceatque ipſum eſſe ſimplicem, & corpore ac ſenſu carentem.

Sed inquies, Philoſophus 10. Metaph. text. 4. aſſerit menſuram rerum quæ ſub aliquo genere ponuntur, ad idem cum illis genus reuocari debere. ergo cum Deus ſit rerum omnium menſura, ad earum Categorias reduci poterit.

Reſpondeo Ariſtotelem intelligendum eſſe de menſura ejuſdem ordinis cum menſuratis; Deum autem menſuram eſſe ſuperioris ordinis nullus dubitat. Certè ſi argumentum quicquam probaret, concluderet Deum poni in omnibus prædicamentis accidentium, quod tamen nolunt ipſi aduerſarij.

Dices ratio ſubſtantiæ eſt vniuoca Deo & creaturæ. ergo vt ſic poterit eſſe genus reſpectu Dei & creaturæ. ergo Deus poterit poni in prædicamento.

Reſpondeo conceſſo antecedente negando vtramque conſequen-

*Scotus.* tiam, quam etiam benè negat poſt Scotum ſuppoſito antecedente *Meuriſſius.* Meuriſſius lib. 1. rerum Metaphyſicarum quæſt. 8. in fine, vbi admittit ſubſtantiam ad Deum & creaturam eſſe vniuocam, negat tamen Deum eſſe in prædicamento ſubſtantiæ. duplicem rationem negationis (omiſſis multis quæ ſatis friuolè afferuntur à recentioribus) de-*Scotus.* ſumo ex Doctore Subtili conterraneo in 1. ſentent. diſt. 8. quæſt. 3. Eſt autem prior hæc. Conceptus cui repugnat proprietas generis nequit eſſe genus. iam vero conceptus ille ſubſtantiæ qui eſt vniuocè communis Deo & creaturæ talis eſt. nequit ergo eſſe genus. minor, de qua ſola poteſt eſſe diſceptatio, probatur clarè. proprietas generis eſt vt ſit finitum, ſiue quod idem eſt, nullum genus eſt indifferens ad finitum & infinitum, quia ſumitur vel à re, vel ſaltem realitate finita, vel infinita quæ eſt in potentia ad rem vel realitatem à qua ſumitur differentia. ſed talis conceptus ſubſtantiæ eſt indifferens, vt per ſe patet. ergo talis conceptus non poteſt eſſe genus. vide Doctorem Subtilem. Secunda ratio propter quam ratio illa ſubſtantiæ quamvis vniuoca non ſit genus, eſt quia tunc ſubſtantia infinita eſſet ſpecies, quod tamen falſum eſt, quia non eſt compoſitum, vt eſt ſpecies, ſed eſt quid ſimplex. & hujus ratio eſt, quia genus eſt quid potentiale, & differentia quid actuale, & quaſi quid extraneum à genere, ac propterea veram compoſitionem faciens. At verò ſubſtantia quando contrahitur, per finitum & infinitum non contrahitur, tanquam per differentias & per extrinſeca, ſed per modos intrinſecos, ac propterea nulla inde inferri poteſt compoſitio. non eſt ergo ratio illa ſubſtantiæ genus, quia non reſpicit infinitum tanquam differentiam, nec ſubſtantiam infinitam vt ſpeciem. hæc ratio melius intelligetur ex ijs quæ in Metaph. dicenda ſunt de modis intrinſecis. legi interim poteſt Scotus citatus loco citato, vbi ſubtiliſſime explicat quod diximus. vide etiam Philippum Fabrum in Philoſophia naturali, theoremate 96.

II. Secunda ſententia eſt eorum qui volunt ſummum genus hujus prædicamenti eſſe corpus. diuiſi tamen ſunt inter ſe in explicanda ratione corporis quod aſſignant; nam aliqui volunt corpus corruptibile eſſe ſummum genus, vnde excludunt cœlum, vt pote in ipſorum ſen-*Auerroës.* tentia incorruptibile, ab hoc prædicamento. ita docent Auerroës 10. *Ioannes Gandauenſis.* Metaph. cap. vltimo, Ioannes Gandauenſis quæſt. 12. Nyphus, & alij *Nyphus.* Auerroiſtæ, quos ſequuntur non pauci recentiores Itali. Alij verò volunt corpus in genere, prout ſe extendit ad corruptibile & incorrupti-*Hyeronymus Picolhomineus.* bile, eſſe ſummum genus. in qua ſententia fuit olim ſubtiliſſimus & ſanctiſſimus Præceptor meus Hyeronimus Picolhomineus, qui & pro *Albertus Magnus.* eadem citabat Albertum Magnum in prædicament. cap. 2. Ægidium *Ægidius.* *Durandus.* quodlibeto primo quæſt. 8. Durandum, & alios.

Verum neque hæc ſententia mihi placet. Et primo quidem quia eſt manifeſtè

manifeſtè contra Philoſophum, qui 5. Metaph. text. 15. & 7. Metaph. text. 5. & 8. Metaph. text. 1. ponit cœlum, aſtra, ſolem, lunam, & dęmonia in prædicamento ſubſtantiæ. Denique 12. Metaph. text. 5. diuidit ſubſtantiam in ſenſibilem & inſenſibilem, agit autem de ſubſtantia prædicamenta, vt patet ex text. 2. ergo in ejus ſententia etiam ſubſtantiæ inſenſibiles reponuntur in prædicamentis. Secundò diſplicet hæc ſententia, quia negat ſubſtantiam completam finitam eſſe vniuocam, quod falſum eſſe ſtatim patebit.

Sed vrgent aduerſarij, corruptibile & incorruptibile differunt genere, ex philoſopho 10. Metaph. text. 26. ergo corruptibile & incorruptibile non ſunt ſub eodem genere prædicamentali.

Reſpondeo primò D. Thomam 1. part. quæſt. 66. art. 2. ad ſecundum, & quæſt. 88. art. 2. ad quartum explicantem illum locum, per genus intelligere materiam quæ eſt genus Phyſicum, non autem genus Metaphyſicum; vnde ſecundum hanc explicationem neganda eſt argumenti conſequentia. Reſpondeo 2. Balforeum conterraneum, Craſſotium, & alios, ibi per genus intelligere ſpeciem; vnde ſic argumentatur eo loco Philoſophus, vt ex Auerroë conſtat. contraria omnia differunt ſpecie. corruptibile & incorruptibile ſunt contraria. ergo differunt ſpecie. verum cum ita concludendum eſſet, concluſit corruptibile & incorruptibile differre genere; genus ergo pro ſpecie ſumpſit. Quod verò eo loco per genus intelligat Ariſtoteles ſpeciem, patet manifeſtè ex text. 24. & ſeq. qui præceſſerant text. 26. in quibus aſſerit differentiam ſpecificam fieri per contrarietatem; & poſtea text. 26. quærit an corruptibile & incorruptibile faciant differentiam ſpecificam, & dicit facere ſpecificam, quod ſint vel eſſentiæ, vel fluant ex eſſentia; quare, inquit, Plato errabat, quia hominem corruptibilem ejuſdem ſpeciei ponebat cum idæa, cum differant non ſolum ſpecie, ſed etiam genere, homo enim eſt ſub animali, ideæ vero ſub incorruptibili. Concludunt ergo hi authores Ariſtotelem ſumpſiſſe differre genere, pro differre ſpecie alioqui vitioſa eſſet ejus argumentatio; nam idem maius extremum quod fuit in propoſitione non repeteretur in concluſione, vt fieri debet. vtraque hæc reſponſio probabilis eſt, ſecunda tamen videtur magis ad mentem Philoſophi, & expeditior.

*D. Thomas.*
*Balforeus.*
*Craſſotius.*
*Auerroës.*

Sed, inquies, illud quod in noſtra ſententia eſt commune intelligentijs & corporeis ſubſtantijs, eſtne aliquid ſimplex, an verò compoſitum? neutrum enim videtur dici poſſe.

Reſpondeo aliquid dupliciter dici ſimplex. primò poſitiuè, quia excludit compoſitionem ex materia & forma. ſecundò negatiuè, quia licet materia & forma non conſtet, compoſitionem tamen ex illis non excludit. primo modo ſubſtantia quę communis eſt intelligentijs

& corporeis ſubſtantijs, non eſt ſimplex; poſteriori modo eſt ſimplex, & ſimplex hoc modo poteſt de compoſito enunciari, quamvis alio modo non poſſit.

*Nicoſtratus apud Simplicium.*

Sed inſtat Nicoſtratus apud Simplicium, corporeo & incorporeo nihil poteſt conuenire vniuocè tanquam genus, & ſic probat. ſi aliquid poſſet eſſe genus vniuocum reſpectu corporei & incorporei, vel illud eſſet corporeum, vel incorporeum; non corporeum, quia non poſſet dici de incorporeo; ſed nec incorporeum, quia non poteſt dici de corporeo. ergo nihil poteſt eorum comparatione eſſe genus.

Reſpondeo hoc argumentum nihil ſoliditatis habere, quia ſimili argumento probari poſſet animal non eſſe commune homini & boui tanquam vtriuſque genus. ſi enim animal eſſet genus commune reſpectu vtriuſque, vel eſſet rationale, vel irrationale; non rationale, quia ſic non poſſet dici de irrationali; nec irrationale, quia non poſſet dici de rationali. Quemadmodum ergo huic argumento debet reſpōderi directè, nullum animal definitum aut determinatum eſſe, quod non ſit rationale aut irrationale, ſed commune & indefinitum eſſe poſſe neutrum actu, & vtrumvis poteſtate, vt optimè indicauit Porphyrius capite de genere, cum dixit differentias in genere eſſe nō actu ſed poteſtate; ita eodem modo, dici debet in noſtro caſu omnem ſubſtantiam determinatam, aut corpoream eſſe aut incorpoream, ſed indefinitam & indeterminatam neutram actu eſſe, ſed vtramque poteſtate. hoc poſito

*Porphyrius.*

III.

*Tertia ſententia ſubſtantiam cōpletam finitam eſſe ſummum genus.*
*Themiſtius.*
*D. Thomas.*
*Alexander.*
*Scotus.*
*Balforeus.*
*Aquarius.*
*Bannes.*

Vera ſententia eſt eorum qui dicunt ſubſtantiam completam finitam eſſe ſummum genus. citantur pro hac ſententia à Balforeo noſtrate in ſua Logica, Themiſtius lib. 3. Phyſicorum cap. 1. D. Thomas opuſculo 42. cap. 5. & prima parte quæſt. 50. art. 2. ad primum, Alexander, & alij. Eſt etiam Scoti, loco ſupra citato, Scotiſtarum omnium, & aliorum veterum tam Philoſophorum quam Theologorum, qui videri poſſunt apud recentiores, præſertim apud Balforeum loco citato, Aquarium 1. Metaphyſicæ dilucidatione prima, Bannes prima parte quæſt. 3. art. 5. qui in eadem ſunt ſententia. Cum hac igitur ſententia

IV.

*Sententia authoris.*

Dicendum eſt ſummum genus prædicamenti ſubſtantiæ eſſe ſubſtantiam completam finitam.

Probatur primò aſſertio ex locis ſupracitatis Philoſophi, in quibus luce clarius continetur.

*Eiuſdem prima probatio.*

Probatur ſecundò. Poteſt ratio communis ſubſtantiæ completæ finitæ abſtrahi perfectè ab omnibus ſubſtantijs completis. ergo poteſt illa ratio ſic abſtracta eſſe ſummum genus, quia in illa ratione, illa à quibus abſtracta eſt illa ratio communis perfectè conueniunt, nempe in hoc quod ſint ſubſtantiæ completæ; hæc enim ratio non conuenit

illis ratione differentiarum.

Confirmatur, quia qualitas eſt ſummum genus ex communi Philoſophorum conſenſu, reſpectu corporeæ & incorporeæ, naturalis & ſupernaturalis, verbi gratia, caloris, & gratiæ. ergo etiam ſubſtantia categorica poterit eſſe genus reſpectu corporum & ſpirituum.

Probatur tertiò ad hominem. Aduerſarij conſtanter defendunt denarium numerum prædicamentorum. non poſſunt autem commodè tueri negando ſummum genus prædicamenti ſubſtantiæ eſſe ſubſtantiam completam. Non ergo philoſophantur conſequenter. Quod non poſſint id tueri ſuppoſita neceſſitate denarij numeri prędicamentorum ſic oſtendo. Angeli omnes conueniunt in hoc genere vniuoco, quod ſint ſubſtantiæ completæ ſpirituales. ſed omne genus eſt in aliquo prædicamento. ergo hoc genus quod eſt vniuocum ad omnes Angelos erit in aliquo prædicamento; non in prædicamento ſubſtantiæ, quod primum ponunt inter decem communiter recepta, vt ipſimet dicunt. ergo aliud dari debet prædicamentum ſubſtantiæ in quo ponatur vt ſummum genus. ergo dabuntur vndecim prædicamenta. ergo vlterius, non poſſunt aduerſarij defendere denarium numerum prædicamentorum ſuppoſito quod ſubſtantia completa finita non ſit ſummum genus prædicamenti ſubſtantiæ. Quomodo ergo illum defendunt? ipſi viderint. Sed

V.

*Argumenta aduerſariorum diſſoluuntur.*

Obijcies primò pro ipſis. Ariſtoteles vult intelligentias eſſe infinitas ſimpliciter. ergo non vult contineri in prædicamento ſubſtantiæ. antecedens eſt euidens ex ijs quæ habet 12. Metaphyſicæ, vbi ex infinitate motus cælorum colligit infinitatem tum primi motoris tum intelligentiarum.

Reſpondeo Ariſtotelem nolle eſſe infinitam virtutem formaliter in omnibus cælorum motoribus, ſed duntaxat virtualiter, quatenus nimirum omnes intelligentiæ mouent dependenter à primo motore, qui habet virtutem infinitam mouendi, & in quem ſempiterni illi motus ex ejus ſententia reduci debent. Ex quo patet Franciſcum Suarium diſput. 35. Metaph. ſect. 2. num. 52. non benè philoſophatum, nec ſatis perpendiſſe hunc locum, cum dixit nihil ſolidè poſſe ad illum reſponderi pro tuendo Philoſopho.

*Refellitur Suarius.*

Obijcies ſecundò. 9. Metaph. text. 27. docet Ariſtoteles æterna non habere potentiam. iam in ſententia ejuſdem Ariſtotelis cælum eſt æternum. ergo non habet in ejus ſententia potentiam. ſed quæ ponuntur in prædicamentis conſtant actu & potentia. ergo cælum non eſt in prædicamento. Prerea 10. Metaph. cap. 5. docet ea differre genere, quorum non eſt communis materia; & inter quæ non eſt mutua generatio. ergo cælum, & intelligentiæ ſunt in diuerſo prædicamento ab alijs ſubſtantijs, non enim in ſententia ejus eſt eadem mate-

ria cœlorum & aliarum ſubſtantiarum. Denique 12. Metaph. text. 26. docet Ariſtoteles principia categoriarum, eſſe materiam, formam, priuationem, potentiam, & actum. in cælo autem nec eſt priuatio, nec potentia, quia alias periret. ergo ſecundum Ariſtotelem cælum non eſt in prædicamento.

Reſpondeo primo loco non excludi ab æterno potentiam Metaphyſicam, ſed potentiam Phyſicam, quæ eſt ad eſſe & non eſſe. Ad ſecundum locum dico dictum illud non eſſe intelligendum vniuerſaliter, ſed exempli gratia, & particulariter atque indefinitè. vnde ſecundum ipſum Ariſtotelem, ſcientia, & albedo, verbi gratia, non habent communem materiam nec mutuam tranſmutationem, & tamen ponuntur in eodem prædicamento. Ad vltimum locum facilis eſt reſponſio, & primo quidem ad illud quod affertur de potentia iam reſponſum eſt. Ad illud de priuatione, dico in cælo eſſe priuationem, in ſententia Ariſtotelis, non quidem fortaſſis ad eſſentialem formam, ſed ad locum, nam pars cæli quæ eſt ad orientem, non eſt ad occidentem, & ſic ſaltem ratione partium, in ſententia Ariſtotelis, cælum continet priuationem. Et vero in ſententia Ariſtotelis cælum eſſe in prædicamento conſtat clarè ex ſupra citatis locis ejuſdem, & confirmatur vlterius ex eo, quod motus explicatus ab eodem, 3. Phyſicorum, pertineat ad cælum, non pertinet autem niſi ad categorias teſte eodem, eodem tertio text. 3. ergo &c.

Obijcies tertiò. ſubſtantia completa finita non eſt genus. ergo non eſt genus generaliſſimum, ſiue ſupremum genus. antecedens probatur, quia non eſt extra rationem modorum contrahentium, cum iſti modi ſint eſſentialiter ſubſtantia.

Reſpondeo negando antecedens, & ejus probationem; quia vt ſubſtantia completa finita ſit extra rationem ſuarum differentiarum, ſufficit vt eæ non ſint ſubſtantiæ completæ; hoc enim ipſo, non includunt rationem ſubſtantiæ completæ quam diuidunt.

Obijcies quartò. ſi poteſt dari ratio aliqua vniuoca ſubſtantiæ completæ finitæ, poterit etiam dari ratio aliqua completi accidentis vniuoca ad omnia accidentia completa, atque ita accidens completum erit ſummum genus ad omnia accidentia; quod tamen falſum eſt.

Reſpondeo hoc argumentum non facere contra me, qui libenter admitto vniuocationem accidentis, de qua re in Metaphyſica. addo nec multum facere contra eos qui talem vniuocationem reſpuunt, facile enim reſpondere poterunt, ex omnibus accidentibus in quolibet prædicamento, ſemper ſummum genus eſſe aliquam rationem accidentis completi, quæ prædicatur vniuocè de ſuis inferioribus; hoc autem ſatis eſſe, vt ſicut ſubſtantia completa eſt vniuocum, ita accidens

completum, quantitas nimirum, qualitas, & quæ ſunt ſumma genera in prædicamentis accidenrium, ſint vniuoca. Quare autem ex omnibus deinde generibus accidenrium non poſſit abſtrahi vna ratio accidentis compleri vniuoca, rario eſt manifeſta, quia illa deberet poſſe prædicari de ſummis generibus; ſumma aurem genera non ſunt compoſita ex genere & differenria, cum ſint ſumma, & conſequenter impoſſibile eſt vt aliquid de illis vniuocè prædicetur.

Obijcies quintò. entitas realis rei & ejus prædicata quidditariua ſunt idem, & differunr ſola ratione. ergo illa in quorum entirate non eſt vlla pars ejuſdem rationis, non poſſunr habere vllum prædicatum quidditatiuum ejuſdem rationis. ergo neque vniuocum.

Reſpondeo primò in hoc argumenro fieri tranſitum à ſenſu materiali ad ſenſum formalem. vnde ſi hoc argumentum valerer, ex eo inferri poſſet animam rationalem & animam equi non conuenire vniuocè in ratione animæ ſenſitiuæ, quo nihil in Philoſophia abſurdius. Reſpondeo ſecundò hoc argumentum non ſubſiſtere, quia dum dicitur, ergo illa in quorum enrirate non eſt vlla pars ejuſdem rarionis, &c. vel inrelligitur pars Phyſica, vel Metaphyſica; ſi primum, argumenrum eſt prorſus nugatorium, idem enim eſt dicere, habere parrem Metaphyſicam ejuſdem rarionis, ac habere idem prædicatum quidditariuum; ſi ſecundum, adhuc nec ferenda eſt propoſitio, quia nulla planè aſſignari poreſt ratio, cur in ſententia communi, materia cæli & materia rei corruptibilis in ratione principij quanritatis non ſinr vniuoca.

# QVÆSTIO NONA.

## *An dentur in creatis relationes reales.*

VARII ſunt hac in re Philoſophi & Theologi non tantum veteres ſed etiam recentiores. I.

Prima ſententia eſt eorum qui negant in creatis relariones reales: hæc ſententia eſt celebris apud antiquos Philoſophos, eamque Capreolus in 1. diſt. 30. tribuit Aureolo ibidem; neque ab ea valde alieni ſunt multi Nominales; eandemque amplectunrur nonnulli recenriores in Vniuerſirare Pariſienſi. *Prima ſententia negans relationes reales Aureoli & N.minalium.*

Fundamenta hujus ſententiæ ſunt hæc. Primum, ſi relatio eſt aliquid reale deberet produci. ſed non poreſt produci cum nullam habeat cauſam à qua producatur. ergo &c. Quod non habeat cauſam à qua producarur, probatur primò ex Philoſopho 5. Phyſ. text. 10. vbi docet ad relationem non eſſe motum. atqui cauſa naruralis nihil po- *Probatur primò.*

teſt producere ſine motu. ergo &c. Secundò probatur hoc pacto. ſit paries albus in India; efficiatur iam hic Andegaui alius paries albus; quæ erit cauſa relationis realis ſimilitudinis in pariete in India ad illum qui eſt Andegaui? Non enim dici poteſt parietem qui eſt in India eſſe cauſam à qua emanet ipſa relatio, poſito tamen quod alius paries hic Andegaui dealbetur, quia nimirum natura albedinis talis ſit vt ſi ponatur alter paries albus in quavis diſtantia, ipſa in ſe producat relationem ſimilitudinis ad illum. Non, inquam, poteſt hoc dici, quia nulla poteſt aſſignari cauſa proximè determinans parietem in India exiſtentem, ad producendam in ſe relationem hoc potius tempore quam alio, vel hanc potius quam aliam; nam omnis cauſa determinans, vel ponit aliquid in re quæ determinatur, vel certè ipſi aliud approximat, ſicut applicans lignum igni, determinat aliquo modo ignem ad lignũ comburendum; at verò in noſtro caſu nihil ſimile reperitur. ergo &c. Nec etiam dici poteſt dealbantem parietem hic Andegaui, eſſe cauſam relationis in pariete qui eſt in India, quia indè ſequeretur dari actionem in diſtans. Neque dicas dealbantem hic Andegaui non eſſe propriè cauſam illius relationis, ſed tantum eſſe cauſam ſicut remouens prohibens, ſicut ille qui remouet impedimentum in lapide quo impediebatur ne deſcenderet deorſum, dicitur aliquomodo cauſa motus deorſum, non quia influit realiter in motum, ſed quia aufert impedimentum, quo poſito, motus à grauitate lapidis elici non poterat. Ne, inquam, hoc dicas, quia remouens prohibens remouet aliquod impedimentum, quod lapidi eſt indiſtans, ſed dealbans parietem hic Andegaui non remouet aliquod impedimentum indiſtans parieti qui eſt in India, vt patet, imò illud quod eſt diſtans nõ poteſt habere rationẽ impedimẽti, ſicut neque illud quod eſt diſtãs cauſæ productiuæ poteſt eſſe neceſſaria conditio requiſita ad hoc vt ipſa producat ſuũ effectũ.

*Probatur 2.* Secundum illud non eſt aliquid reale quod aduenit rei ſine vlla ejus mutatione. hujuſmodi autem eſt relatio. ergo &c. major eſt euidens. minor probatur ex Ariſtotele 8. Phyſic. text. 18. aſſerente, poſito termino fundamentum nihil ſubire mutationis. ſed poſito termino aduenit fundamento præexiſtenti relatio. ergo nullam adfert in fundamento mutationem.

*Probatur 3.* Tertium (vt multa alia omittam) ſi datur in creatis relatio realis, ſequuntur multa abſurda. primò enim ſequitur neceſſe à fundamento diſtinctam, nec indiſtinctam. non diſtinctam, quia ſic poſſet Deus illam ſine fundamento conſeruare; cur enim hoc non poſſet? at hoc videtur abſurdum, quia ſeparata relatione adhuc eſſent relata, verbi gratia, ſeparata relatione ſimilitudinis à duobus parietibus albis, adhuc illi parietes eſſent ſimiles, conueniret enim illis definitio ſimilium quam habet Ariſtoteles 5. Metaph. cap. 15. Similia ſunt illa quorum

eſt vna qualitas. hoc autem eſt impoſſibile. ergo &c. Confirmatur, quia in diuinis eo ipſo quo eſſentia communicatur filio per generationem, eſt identicè paternitas. ergo in humanis eo ipſo quod potentia generatiua exiuit in actum, & dedit eſſe filio, eſt identicè paternitas abſque vllo addito. antecedens eſt certum. conſequentia probatur, quia nulla apparet ratio diuerſitatis quod attinet ad præſens negotium. Non etiam poteſt illa relatio realis eſſe à fundamento indiſtincta, quod ſic oſtendi poteſt. Omne illud quod quandoque eſt in potentia in aliqua ſpecie entis realis, quandoque in actu, eſt diſtinctum ab ipſo nemine cogitante. ſed fundamentum relationis prædicamentalis quandoque eſt in potentia, quandoque in actu, in ſpecie relationis prædicamentalis, quæ eſt in ſententia contra quam agimus, vna aliqua ſpecies entis realis diſtincta à qualibet alia ſpecie. ergo nemine cogitante fundamentum proximum eſt diſtinctum à relatione. major patet, quia impoſſibile eſt vt idem inquantum idem, modo ſit potentia, modo actu, in aliqua ſpecie; nam idem inquantum idem ſemper facit idem, vt docet Ariſtoteles ſecundo de generatione text. 56. minor clara eſt in pariete albo, qui aliquando eſt potentia tantum ſimilis, cum caret termino coalbo; aliquando vero actu eſt ſimilis, cum illum terminum habet. hæc ratio dici poteſt à priori, quia Ariſtoteles exiſtimauit ſe illam deduxiſſe ex natura entis realis prædicamentalis, quod adæquatè diuidit in ens potentia & ens actu 5. Metaph. text. 14. Secundò, ſi relatio ſit ens reale, à poſteriori efficaciter conuincit argumentum Scoti in 2. diſt. 1. quæſt. 4. eſſe diſtinctam à fundamento. *Scotus.* eſt autem hujuſmodi. Perit relatio prædicamentalis nemine cogitante & non perit ejus fundamentum proximum. ergo non eſt idem nemine cogitante cum fundamento proximo. Antecedens probatur in relationibus, verbi gratia, fundatis in quantitate. ſit lignum palmare, & lapis palmaris, in lapide erit relatio æqualitatis ad lignum propter quantitatem ejuſdem extenſionis; comburatur deinde lignum, in lapide peribit æqualitas quæ prius erat ad lignum, quia in communi ſaltem ſententia, non eſt relatio realis ad terminum non exiſtentem, & tamen quantitas lapidis quæ erat proximũ fundamentum illius æqualitatis remanet vt prius. ergo &c. Conſequentia tenet per regulam Ariſtotelis 1. topicorum cap. 1. ſi alterum interimitur, alterum autem non, profecto non idem ſunt; & loco 15. ſi poteſt alterum ſine altero eſſe, non ſunt idem. ſed in caſu poſito, perit relatio non pereunte fundamento. ergo &c. Secundò, ſi dantur relationes reales, ſequitur proceſſus in infinitum. hoc autem eſt abſurdum. ergo &c. ſequela patet. accipiamus, verbi gratia, relationes ſimilitudinis, æqualitatis, &c. ſi hæ ſunt relationes reales, ſequi proceſſum ſic oſtendo. ſi hæ ſunt reales, vna relatio poteſt fundare aliam. ſed ſi vna poteſt fundare aliam

ſequitur proceſſus in infinitum. ergo ſi hæ ſunt reales ſequitur proceſſus in infinitum. major probatur. ideo duæ albedines fundant relationem ſimilitudinis, quia conueniunt in vnitate ſpecifica. ſed duæ relationes paternitatis conueniunt in vnitate ſpecifica. ergo fundabunt etiam relationem ſimilirudinis. ergo vna relatio fundabit aliam. ergo vlterius vera eſt major, quod ſi relationes ſimilitudinis ſint reales, vna relatio poterit fundare aliam. minor eadem facilitate probatur. ſi vna relatio paternitatis, exempli gratia, fundat relationem ſimilitudinis ad aliam paternitatem, duæ rurſus ſimilitudines fundatæ in duabus paterniraribus, cum ſint ejuſdem rationis, fundabunt etiam alias, & ſic in infinitum. ergo ſi vna relatio fundat aliam, ſequitur proceſſus in infinitum.

II.

*Secunda ſententia affirmans, Scoti, S. Thomæ, &c.*

Secunda ſententia & communis, Scoti, ſancti Thomæ, & vtriuſque ſectatorum, vult dari in creatis relationes reales.

*Probatur primò.*

Fundamenta ſunt. Primum, quia Ariſtoteles diuiſit ens reale finitum in decem genera ſiue prædicamenta, quorum vnum eſt relatio. ergo relatio in ſententia Ariſtotelis eſt ens reale.

*Probatur ſecũdò.*

Secundum. ex communi hominum ſenſu denominationes relatiuæ abſque vlla fictione intellectus repetiuntur in rebus creatis, nam Paulus, exempli gratia, qui genuit filium, eſt verè pater etiam ſi nullus intellectus cogitet, & vnus paries albus ſimilis eſt alteri parieti albo nullo intellectu cogitante.

*Confirmatur primò.*

Confirmatur, quia certum eſt nos non poſſe concipere paternitatem ſine ordine ad filium, nec ſimile ſine ordine ad aliud ſimile; quando autem concipimus patrem in ordine ad filium, aut ſimile in ordine ad aliud ſimile, exiſtimamus nos concipere aliquid quod verè eſt à parte rei, nam non ideo pater eſt pater, quia à nobis concipitur eſſe pater, nec ideo paries albus eſt ſimilis alteri parieti albo, quia à nobis concipitur eſſe ſimilis, ſed potius rectè concipitur eſſe ſimilis, quia à parte rei eſt ſimilis.

*Confirmatur vlterius.*

Confitmatur præterea, manente quacũque cogitatione quam habeo de pariete alteri ſimili, nihilominus fieri poteſt à patte rei ex ſimili diſſimilis. exempli gratia, ſi cogitem ſimilitudinem inter duos parietes albos, & vnum cómparem ad alium, poſſum continuare illam cogitationem, & eo tempore quo cogito illos parietes eſſe ſimiles, poteſt alter illorum parietum denigrari; tunc verè & à parre rei paries ex ſimili fiet diſſimilis, etiamſi ego continuem cogitationem illam, qua concipio ſimilitudinem inter duos dictos parietes. ergo clarum eſt relationes ſimilitudinis, non pendere ex fictione mei intellectus, ſed illas eſſe verè à parte rei independenter ab intellectu.

*Probatur denique.*

Denique probatur hæc ſententia ex myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis. Certum eſt de fide dari relationes realites in perſonis diuinis. ergo

eriam

etiam dantur in creatis. hæc ſunt præcipua argumenta vtriuſque ſententiæ.

Dico primò. Probabile eſt non dari formaliter relationes reales in creatis. III.

*Probabile non eſt dari in creatis relationes reales. Probatur.*

Probatur argumentis allatis, pro prima ſententia, quam proculdubio reddunt probabilem. vnde ad argumenta ſecundæ ſententiæ, ſi quis velit hanc concluſionem tueri, facilè hoc pacto reſpondere poterit.

Ad primum dicat primò non tanti faciendam eſſe Ariſtotelis authoritatem, & veritati comprobatæ præponi debeat. dicat ſecundò Ariſtotelem nunquam admiſiſſe relationes reales formaliter, ſed tantum loquutum fuiſſe de relatis quæ ratione ſui materialis ſeu ſubjecti & fundamenti reales ſunt. IV.

*Reſpondetur ad argumenta contraria.*

Ad ſecundum reſpondeat diſtinguendo antecedens, Paulus qui genuit filium eſt verè pater, ideſt, habet fundamentum relationis paternitatis nemine cogitante, concedat antecedens. formaliter eſt verè pater, vt videlicet actu referatur per aliquid reale, neget antecedens; refertur enim tantum per intellectum. Et ex hoc reſpondere poterit ad confirmationes.

Ad tertium quod eſt contrariæ ſententiæ potiſſimum fundamentum, dicat verum eſſe dari in ſanctiſſima Trinitate relationes reales, neget tamen conſequentiam. ergo dantur in creatis. Ratio diſparitatis quo ad hoc Dei & creaturarum eſt, quia diſtinctio realis debet attendi penes ens reale, & in diuinis nulla eſt diſtinctio realis, niſi attendatur penes relationem vnius perſonæ ad alteram; ſit vt relatio debeat eſſe realis. In creatis autem nihil eſt quod ſine relatione reali, diſtinctũ eſſe non poſſit, proindeque nihil cogit illas admittere.

Dico ſecundò probabilior eſt ſecunda ſententia. V.

*Probabilius eſt dari relationes reales in creatis. Probatur.*

Probatur tum quia eſt communis Grauiorũ Authorum ſententia; tum quia nititur rationibus quas pro 2. ſententia propoſuimus, quæ, ſufficienter per prædictas ſolutiones, non eneruantur, vt diligenter conſideranti patebit. Hinc

Ad primum primæ ſententiæ. reſpondeo ſenſum Philoſophi eo loco eſſe, ad relationem intrinſecus aduenientem per ſe non terminari motum, quod veriſſimum eſt. Loquitur ergo Philoſophus de relatione intrinſecus adueniente, non autem de extrinſecus adueniente, cum fateatur motum per ſe terminari ad vbi, quod tamen, vt conſtabit ex Phyſicis, eſt relatio extrinſecus aduenlens. Alij dicunt ſenſum illius loci eſſe, ad relationem non eſſe motum per ſe, quamvis poſſit eſſe per accidens. Alij denique dicunt Ariſtotelem loqui de motu ſenſibili, non autem de inſenſibili. Ad illud quod adfertur de duobus parietibus quorum vnus ſit hic Andegaui, alter in India, videlicet non poſſe aſſi- VI.

*Reſpondetur ad argumenta contraria.*

gnari cauſam productiuam relationis realis inter illos. facilis eſt reſponſio. dico enim cauſam productiuam principalem relationis in pariete qui eſt in India eſſe generantem, qui in illo albedinem produxit; cauſam tamen proximam & immediatam eſſe ipſam albedinem parietis exiſtentis in India in cujus virtute continetur relatio. Generans autem dicitur cauſa principalis, quia producendo albedinem quæ eſt fundamentum relationis dedit illi virtutem, vt ad eam poſſet ſequi relatio quotieſcunque ponuntur conditiones neceſſariò requiſitæ; Albedo verò parietis exiſtentis in India, dicitur cauſa proxima relationis, quia poſitis quibuſdam conditionibus, ab ea per naturalem conſecutionem ipſa relatio emanat. Addi etiam poteſt probabiliter, illum qui dealbat parietem hic Andegaui, eſſe cauſam relationis conſurgentis in alio pariete qui eſt India, quatenus ponit actu terminum, qui eſt conditio neceſſariò requiſita ad relationem prædicamentalem, vt ipſa à ſuo fundamento proximo producatur. Ad id quod quæritur, qua ratione albedo parietis exiſtenris in India, determinetur ab eo qui eſt hic Andegaui dealbans parietem? Reſpondeo ſimili quodam modo determinari, quo in ſententia probabili mulrorum Theologorum, determinantur ſpecies intellectuales Angelicæ ad repræſentanda de nouo objecta, ex eo quod ipſa in loco diſtantiſſimo accipianr exiſtentiam; hæc autem non eſt vlla determinatio Phyſica per receptionem alicujus intrinſeci, ſed ſolum per poſitionem alicujus extrinſeci, quod neceſſariò requiritur, adhoc vt relatio à ſua cauſa immediata producatur.

Ad ſecundum. reſpondeo Ariſtotelem eo loco agere de relatione intrinſecus aduenienre quæ non aduenir fundamenro per motum ad ſe, per ſe terminatum.

*Relatio diſtinguitur à fundamento nemine cogitante. Scotus.*

Ad tertium reſpondeo omnem relationem, de qua agimus, diſtingui nemine cogitante à fundamento, relationem tamen intrinſecus aduenientem diſtingui tantum formaliter, extrinſecus verò etiam realiter. hoc demonſtrar ratio allata ex Scoto, ad quam parum benè reſpondent recentiores dicentes pereunte termino perire relationem quo ad complementum quod habet à termino, non veró quo ad eſſe ſuum incompletum quod habet in ſubjecto; perire formaliter relationem ſecundum conceptibilitatem ad terminum, non verò realiter ſecundum entitatem quæ identificatur cum fundamento; perire quo ad id quod dicit in obliquo quod eſt terminus, non quo ad id quod dicit in recto, quod eſt ordo ad terminum; perire terminariuè non inhæſiuè &c. Nam contra has & ſimiles ſolutiones ſic diſputo; illud quod perit relationis ex eo tantum quod pereat terminus, vel eſt aliquid reale prærer terminum qui ſupponitur perire, vel non. ſi non. ergo nihil reſpondent, ſolum enim dicunt pereunte termino relatio-

niſ perire tantum terminum relationis. ſi ſit aliquid perire præter terminum, ergo aliquid reale relationis quod erat in fundamento perit non pereunte ipſo fundamento, erat ergo nemine cogitante diſtinctum à fundamento. Iam ſic, vlterius de hoc reali relationis quod perit, vel poterat prædicari nemine cogitante ratio referendi ad aliud vel non; hoc ſecundum dici nequit, quia non eſſet quid relationis, relatio enim non habet partes componentes aut integrantes de quibus non poſſit dici, quod quælibet ſit relatio. ergo dici debet quod iſtud reale relationis quod perit erat eſſentialiter relatio. Omitto alia argumenta breuitatis cauſa quæ videri poſſunt apud Petronium, tomo 2. ſuæ Logicæ, quæſt. 1. de relatione, art. 15. Aquarium 5. Metaph. dilucidatione 19. Murciam tractatu de relatione, quæſt. 5. Balforeum noſtrum in ſua Logica, cap. de relatione, quæſt. 2. ſect. 3. Zanardum, & alios recentiores qui hanc ſententiam ſequuntur. Ad contraria argumenta facilis eſt reſponſio. ad primum aliqui cum Capreolo negant Deum poſſe illud præſtare, alij concedunt. ſi concedatur, dici poteſt tunc duos illos parietes fore tantum ſimiles fundamentaliter, non verò formaliter. ad definitionem ſimilium ex Ariſt. dico illam eſſe cauſalem, quia conuenit ſolum ſimilibus fundamentaliter acceptis, & hoc idem tenentur dicere omnes qui volunt relationem formaliter eſſe aliquid reale. ſimili modo reſpondendum eſt ad argumentum quod alij adferunt de duobus corporibus bicubitis, dicendum enim eſt, vnū illorum poſſe intelligi tantum quantum eſt alterum, duobus modis, formaliter nimirum, & fundamentaliter; ſeparata relatione, non erunt formaliter æqualia, ſed fundamentaliter. Ad argumentum Theologicum, quod ſubijcitur, quod eſt ſecundum, reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam. ratio eſt, quia vt communiter docent Theologi, quæ in creaturis ſunt diſperſa, in diuinis debent eſſe vnita; & quia quicquid eſt in Deo debet eſſe Deus & idem cum illo; non autem quicquid eſt in fundamento creato cum illo debet identificari. ad probationem conſequentiæ, dico ideo non poſſe in creaturis relationem identificari cum fundamento, quia ſequerentur abſurda & incommoda ſupra allata. Ad illud quod ſecundo loco adijcitur de proceſſu in infinitum, nego ſequi. ratio eſt, quia ſiſtendum eſt in illa relatione, quæ eandem denominationem ſuſcipit, quam præbet fundamentum, quod illam neceſſariò & intrinſecè ſecum affert. licet ergo paternitas, verbi gratia, ſimilitudinis relatione referatur ad aliam paternitatem, & illa ſimilitudo ſit alteri ſimilitudini ejuſdem cum illa ſpeciei ſimilis, non tamen eſt ſimilis per aliam ſimilitudinem ſed ſeipſa, nam denominatio quam ipſa dat eſt ejuſdem ſpeciei cum ea quam præbet fundamentum, & intrinſecè illam ſecum affert. ergo non poteſt referri &c. hæc reſpōſio procedit de relationibus ejuſdem rationis

*Petronius. Balforeus. Aquarius. Murcia. Zanardus.*

*Vna relatio fundat aliam ſine proceſſu in infinitum.*

& denominationis; verum quia poteſt vrgere aduerſarius de relationibus diuerſæ rationis & denominationis, in illis ſaltem ſequi proceſſum; duæ enim ſimilitudines fundatæ in duabus paternitatibus, verè diſtinguntur, ergo fundant ſaltem relationem diſtinctionis; rurſus illæ duæ relationes diſtinctionis, ſunt ejuſdem ſpeciei, ergo fundant relationem ſimilitudinis, & ſic in infinitum ſequitur proceſſus. Reſpondeo neque etiam in relationibus diuerſæ rationis ſequi proceſſum in infinitum. negandum enim eſt quod ſupponitur ab aduerſarijs, diſtinctionem videlicet eſſe verè & propriè relationem, niſi ſecundum dici, & ex noſtro modo concipiendi, ſeu rationis; quia ſcilicet ſignificatur per terminum, qui ſolum ex modo concipiendi relationem importat; verè enim diſtinctio non eſt niſi negatio, nam vnum diſtingui ab alio, ſolum eſt non eſſe illud. certum autem eſt rationem formalem relationis in ſola negatione non poſſe conſiſtere. Quod dixi de negatione, nempe non eſſe verè & propriè relationem, idem dico de alijs ejuſmodi quæ negationem includunt, vt diſſimile, diuerſum, oppoſitum, &c. Vnde Beatus Thomas 1. parte apertè docet oppoſitionem quæ eſt inter aliqua non eſſe relationem. ratio eſt, quia eſſentia relationis in hoc conſiſtit, vt ſubjectum referat & ferat quodammodo ad ipſum terminum, ita vt ſubjectum habeat per relationem totum ſuum eſſe ad terminum; hujuſmodi autem relationes non ſolum non ferunt ſubjectum ad terminum, ſed potius auocant, retrahunt, &, vt ſic loquar, auferunt ab illo, & ideo omnino pugnant cum ratione relationis; vnde Ariſtoteles in cap. de quantitate, dicit vnum contrarium non dici ad alterum, & propterea magnum & paruum, non eſſe contraria, quia dicuntur ad ſe inuicem. Huc ſpectat, quod idem Angelicus Doctor, quæſt. 28. primæ partis, art. 1. in corpore, vocat relationem inclinationem vnius ad alterum, quæ ſine dubio non eſt inter ſimile & diſſimile, & cætera hujuſmodi, quatenus talia ſunt. hinc patet etiam, quid dicendum ſit ad illud quod contra objiciunt recentiores, videlicet relationem vnam non poſſe fundare aliam, quia id quod in aliquo genere eſt tale vt quo, non poteſt in eodem eſſe tale vt quod. eſt enim penitus falſum quod aſſumunt, nam etiam in ſententia ipſorum, potentia intellectiua eſt qualitas, & tamen qualificatur per actū intelligendi. Et verò quemadmodum licet cognitio ſit id quo objectum cognoſcitur, poteſt tamen eſſe alterius cognitionis objectum & eſſe id quod cognoſcitur; ita quare non poteſt relatio eſſe id quod refertur, licet ſit id quo aliud refertur? Videri poteſt Doctor Subtilis in 2. diſt. 1. quæſt. 4. & in 4. diſt. 6. quæſt. 10. vbi benè oſtendit relationem vnam fundare aliam; quem in hoc præter ejus diſcipulos ſequuntur Vallius tomo 1. ſuæ Logicæ cap. ad aliquid, quæſt. 5. cap. 11. Suarius diſput. 47. ſect. 11. & quod mirum eſt, ex recentioribus Tho-

*S. Thomas.* *S. Thomas.* *Scotus.* *Vallius.* *Suarius.*

miſtis, Pettonius tomo 2. ſuæ Logicæ, quæſt. 1. de relatione, art. 12. quæſt. 5. ad quintam, & quæſt. 9. ad quintum, qui & in eandem ſententiam pertrahere conatur D. Thomam. *Petronius.*

VII. Quæri hic poteſt, ſuppoſito quod relatio ſit ens reale, vtrum dici debeat multiplicari ad multiplicationem numericam termini, & terminari ad abſolutum, vel non? Verum breuiter reſpondeo ad primū affirmatiuè cum Scoto noſtrate in 3. diſt. 8. quæſt. 1. & omnibus ejus diſcipulis, quos ex recentioribus ſequuntur Smigletius primo tomo ſuæ Logicæ diſput. 10. quæſt. 14. Vallius tomo 1. ſuæ Logicæ in cap. ad aliquid quæſt. 10. cap. Ioannes Stekius exercitatione 9. Logicæ dubio 16. & alij. & probatur breuiter, quia relatio dicit ordinem ad terminum. ergo hæc relatio ad hunc terminum, quia non dicit ordinem ad terminum in confuſo. Confirmatur, hæc paternitas fundatur ſuper hoc genuiſſe hunc filium; nam paternitas in ſpecie fundatur ſuper generationem filij in ſpecie. ergo & numerica ſuper generatione filij numerica. ergo multiplicatis filijs numero, multiplicantur filiationes & paternitates numero, quia & termini, & rationes fundandi multiplicantur. *Probatur relationem multiplicari ad multiplicationem termini. Scotus. Smigletius. Vallius. Stekius.*

Reſpondeo ad ſecundum cum eodem Scoto noſtrate in 1. diſt. 30. Murcia tract. de relatione quæſt. 6. Smigletio tomo citato, diſput. 10. quæſt. 9. Stekio exercit. 9. Logicæ dubio 12. & alijs, omnem relationem realem creatam in abſolutis terminari ad abſolutum. Probatur quia ad id terminatur relatio ad quod refert ſuum fundamentum, ſed refert in abſolutis ſuum fundamentum ad abſolutum. ergo &c. minor probatur, quia paternitas, exempli gratia, conſtituit patrem filij, non filiationis; ſimilitudo facit vnum parietem ſimilem alteri parieti, non ſimilitudini. ergo relatio refert ad abſolutum. Confirmatur quia relatio in termino ne quidem eſt conditio requiſita ad terminandum; nam ſi per impoſſibile terminus non referretur ad fundamentum, adhuc fundamentum poſſet referri quantum eſt ex ſe. *Probatur relationem terminari ad abſolutum. Scotus. Murcia. Smigletius. Stekius.*

# QVÆSTIO DECIMA.

## *An admitti debeant relationes extrinſecus & intrinſecus aduenientes? & an admitti debeant tranſcendentales?*

I.

*Scotus. Cardinalis Sarnanus. Vvallo. Sirectus. Franciſcus de Pitigianis. Faber. Durandus. Louanienſes.*

CELEBRIS eſt diuiſio relationis in intrinſecus & extrinſecus aduenientem. traditur à Scoto noſtrate quodlibeto 11. quæſt. 4. & in 3. diſt. 1. quæſt. 1. & in 4. diſt. 13. quæſt. 1. Cardinali Sarnano in directorio Theologico, pagina quadringenteſima, Vvallone in libro formalitatum Scoti, folio 41. 42. 43. & 44. Sirecto apud eundem folio 40. Franciſco de Pitigianis primò Phyſic. in commentarijs ad 12. quæſt. Scoti, & alibi ſæpe, Philippo Fabro in Philoſophia naturali, & alijs Scotiſtis omnibus. Ex alijs eandem diuiſionem admittunt Durandus in 3. diſt. 5. quæſt. 2. Gabriel ibidem, diſtinct. 1. quæſt. 1. Doctores Louanienſes in expoſitione prædicamenti ad aliquid, & alij, cum quibus

II.

*Probatur admitti debere relationes intrinſecus & extrinſecus aduenientes contra Suarium, Vallium, Smigletium, & alios.*

Dicendum eſt admitti debere diuiſionem relationis in intrinſecus & extrinſecus aduenientem. Antequam hæc concluſio (quæ eſt contra Suarium, Vallium, Smigletium, & alios recentiores) probetur, ſciendum eſt per relationes intrinſecus aduenientes, intelligere nos, illas, quæ neceſſariò ponuntur poſitis fundamento & termino, & quæ per eandem actionem per quam illa ponuntur, accipiunt ſuum eſſe, ita vt per nullam potentiam poſſint non poni, exempli gratia, ſimilitudo inter duos parietes albos, & hujuſmodi. Per extrinſecus aduenientes, intelligimus illas, quæ non neceſſariò ſequuntur extrema poſita in actu; ita vt fundamentum & terminus poni poſſint, non poſita relatione, ſed relatio adhuc requirat actionem agentis extrinſeci ad ſui productionem; hujuſmodi eſt, verbi gratia, vbi intrinſecum per quod corpus applicatur loco; poteſt enim eſſe locus, & corpus, & tamen corpus non eſſe applicatum loco, ſiue quod idem eſt non habere relationem præſentiæ vel vbi ad illum locum. hoc poſito

*D. Boetius. Scotus.*

Probatur breuiter concluſio ex Diuo Boëtio de trinitate, dicente, vt notat Scotus in commentarijs ad libros de anima, quæſt. 7. ſex vltima prædicamenta non eſſe res abſolutas. ergo formaliter important (inquit Scotus) reſpectum realem, ſed non intrinſecus aduenientem, quia ponitur in prædicamento ad aliquid. ergo extrinſecus. ergo da-

tur reſpectus intrinſecus & extrinſecus aduenïens.

Confirmatur ex Ariſtotele qui idem voluit, nempe ſex vltima prædicamenta eſſe relationes; ſed non intrinſecus aduenientes, vt fatentur aduerſatij, dum dicunt impoſſibile eſſe poni fundamentum & terminum, & non poni relationem, ergo extrinſecus, ergo dantur relationes extrinſecus & intrinſecus aduenientes. major patet, & primò quidem de actione & paſſione clarum id eſt ex textu 20. libri 5. Metaphyſices, vbi ait actionem poni in prædicamento ad aliquid, non quod ſit relatio intrinſecus adueniens, ſed quod ſicut intrinſecus adueniens eſt vera relatio, ita etiam actio & paſſio, quæ vniuocè in ratione relationis cum intrinſecus adueniente conueniunt. Situm eſſe nihil aliud ſignificare Ariſtoteli quam poſitionem aliquam vel ordinem partium, imo ſitum eſſe, eſſe denominatiuum à ſitu vel poſitione, euidens eſt; poſitionem autem & ſitum Ariſtoteles cap. ad aliquid, ad prædicamentum ad aliquid retulit propter rationem dictam de actione & paſſione, non quod ſit relatio illius prædicamenti, ſed quod ſit verè & vniuocè cum intrinſecus adueniente relatione conueniens. idem fecit Ariſtoles cap. de actione & paſſione, vbi ſitum & poſitionem vult eſſe relationem. Vbi vero & quando (inquiunt Louanienſes) omnium conſenſu loci & temporis circumſtantias deſignant; ſi enim principaliter vel locum vel tempus ſignificarent, eſſent prædicamenti quantitatis. Quod deinde prædicamento habere nihil abſoluti ſignificetur locuples nobis eſt teſtis Ariſtoteles cap. 19. libri 5. Metaph. quo loco dicit habitum, medium quid eſſe inter tunicam habentem, & tunicam ipſam quæ habetur, id quod non aliud certè eſſe poteſt quam relatio quædam veſtitus ad eum qui veſtitur, vel, vt ita dicam, ipſa ratio veſtiendi.

*Doctores Louanienſes.*

III. *Argumenta recentiorum ſoluuntur.*

Dices cum recentioribus implicare contradictionem poni fundamentum & terminum, & non poni relationem. ergo nulla datur relatio extrinſecus adueniens.

Confirmatur quia ſi vlla daretur talis relatio, conueniret vniuocè cum intrinſecus aduenïente, quod fieri non poteſt, quia ſic non darentur 10. ſuprema genera, quod eſt falſum. ergo &c.

Reſpondeo nullo modo implicare contradictionem id quod aſſeritur; vnde aduerſarij in argumento petunt principium; hoc enim illis probandum eſt quod aſſumunt vt certum.

Ad confirmationem concedo omnia vltima ſeptem prædicamenta vniuocè conuenire in ratione relationis. Ad id quod infertur de numero prędicamentorum fateor poſſe aſſignari pauciora quam decem; eſt enim denarius numerus arbitrarius, vnde plura vel pauciora ad libitum conſtitui poſſunt, vt dicemus in Metaphyſica cum agemus de accidente. multa alia futilia à citatis recentioribus obijciuntur, ſed illa

quiuis ex dictis nullo negotio ſoluere peterit.

**IV.**

*Dari relationes tranſcendentales; volunt. Suarius. Albertinus. Rubius. Conimbricenſes. Fonſeca. Hurtadus.*

Supereſt diſputandum vtrum dentur relationes tranſcendentales. Quæ quæſtio duplicem poteſt habere ſenſum. Primus eſt an dentur aliquæ relationes quæ tranſcendunt & vagantur per plura prædicamenta. Secundus eſt an dentur relationes eſſentiales rebus abſolutis in primo modo dicendi per ſe. In primo ſenſu certum videtur dari relationes tranſcendentales, relatio enim cauſę ad effectum, verbi gratia, vagatur per omnia prædicamenta. De ſecundo ergo ſolum poteſt eſſe controuerſia inter authores, quorum aliqui exiſtimant dari, ita Cajetanus de ente & eſſentia, cap. 7. & 1. part. quæſt. 77. art. 7. Fonſeca 5. Metaph. cap. 15. quæſt. 1. ſect. 4. Suarius diſput. 47. Metaph. ſect. 3. Rubius in prædicamento ad aliquid quæſt. 5. Albertinus tomo 2. Corollariorum Theologicorum, Conimbricenſes, Hurtadus & alij. Alij tales relationes negant; ita ex veteribus Scotus noſtras in 4. diſt. 12. quæſt. 1. *Contradictio* (inquit) *eſt quod in per ſe ratione abſoluti includatur aliquis reſpectus, quia tunc eſſet abſolutum & non abſolutum.* idem docet 7. Metaph. quæſt. 1. & in 1. diſt. 3. quæſt. 5. Lychettus ibidem, Faber in 3. diſt. 1. quæſt. 1. cap. 2. Vvallo, & reliqui Scotiſtæ; ex Thomiſtis Capreolus in 1. diſt. 30. quæſt. 1. art. 1. in reſponſione ad 9. Aureoli, & ibidem art. 2. ad 1. Gregorij, Ferrarienſis 2. contra gentes, cap. 12. & alij, quos vide apud Smigletium tomo 1. ſuæ Logicæ, diſput. 10. quæſt. 8. cum his.

*Negant prædictas relationes Scotus & Scotiſtæ Capreolus Ferrarienſis, Smigletius, & alij.*

**V.**

*Concluſio non dari tales relationes.*

Dicendum eſt nullas dari tales relationes, ſed illas eſſe planè fictitias.

*Probatur 1. ex Ariſtotele.*

Probatur primò authoritate Ariſtotel. qui nulla relata agnouit niſi vel ſecundum dici vel ſecundum eſſe; relationes autem tranſcendentales aduerſariorum neq; ſunt ſecundum dici, neque ſecũdum eſſe. ergo &c. minor de qua ſola poteſt eſſe difficultas ſic oſtenditur, relata ſecundum dici apud Ariſtotel. ſunt illa, quorum eſſe non eſt idem quod ad aliquid eſſe; relata ſecundum eſſe apud ipſum ſunt relata prædicamentalia: hujuſmodi non ſunt relata tranſcendentalia aduerſariorum. ergo non ſunt relata ſecundum dici, nec ſecundum eſſe. ergo vlterius, non ſunt relata nota Philoſopho.

*Probatur 2. ex S. Auguſtino.*

Probatur ſecundò ex D. Auguſtino libro ſeptimo de Trinitate, capite primo, vbi docet abſurdum & inopinatiſſimum eſſe, eſſentiam vllius rei dici relatiuè, primò quia, inquit, ſi eſſentia diceretur relatiuè non eſſet eſſentia, eſſentia enim eſt ad ſeipſam, relatio ad aliud; & per eſſentiam conſtituitur res ad ſeipſam, per relationem verò ad aliud. ſi ergo quis relationem dicat eſſentiam alicujus rei, dicet eſſentiam, non eſſe eſſentiam, quia dicet non eſſe ad ſeipſam ſed ad aliud; nam quatenus eſt ad aliud, non eſt ad ſeipſam, quatenus autem non eſt ad ſeipſam, non eſt eſſentia. ergo quatenus eſt ad aliud, non eſt eſſentia.

eſſentia. Secundò, quia omnis eſſentia quæ relatiuè dicitur, eſt etiam aliquid excepto relatiuo, ita vt aliud ſit per quod ſit, aliud per quod ſit relatiuum. quod ipſe probat inductione in homine, cum dicitur dominus, vel ſeruus, in equo, cum dicitur iumentum, in nummo, cum dicitur arrha; hom o enim, equus, & nummus, ad ſe dicuntur, & ſubſtātiæ ſunt, dominus verò, ſeruus, iumentum, & arrha, ad aliquid, & relatiuè dicuntur; ſi igitur non eſſet homo, i deſt aliqua ſubſtantia, non eſſet qui relatiuè dominus diceretur, & ſi non eſſet equus quædam eſſentia, non eſſet quod iumentum relatiuè diceretur, & ſi nummus non eſſet aliqua ſubſtantia, nec arrha poſſet relatiuè dici. Idem ratione quoque oſtenditur, quia nihil relatiuè dici poteſt ad aliud, niſi aliquid ſit ad ſeipſum. At eſt ad ſeipſum eſſentia, ad aliud relatione. ergo eſſentia eſt quid excepta relatione. Quæ duæ S. Auguſtini rationes manifeſtè conuincunt, relationem non eſſe eſſentiam vllius rei; ex ijſque egregiè oſtendit contra Arianos patrem in diuinis, non differre eſſentialiter à filio, quod paternitas ſit idem cum eſſentia patris, tamen paternitas, cum ſit relatio, non eſt de eſſentia patris, eſſentia enim patris eſt illa qua pater eſt ad ſe, paternitas verò non eſt ad ſe, ſed ad filium. ergo non differt eſſentia à filio, licet paternitate differat. quod ſi relatio poſſet eſſe de eſſentia abſoluti, nihil planè valeret ratio D. Auguſtini, ſed relatione differre eſſet eſſentia differe. At quia hoc ex ratione propria eſſentiæ abſurdum reputat Auguſtinus, ideo rectè oſtendit patrem non differre eſſentialiter à filio. Quod ſi dicas relationem eſſe in ſe eſſentiam quandam, id refellitur; non enim eſt eſſentia abſoluti, quæ facit rem in ſe eſſe aliquid, qui eſt conceptus proprius eſſentiæ, ſed quæ facit eſſe ad aliud, qui eſt conceptus eſſentiæ ſecundum quid.

*Probatur. 3. ex Scoto.*

Probatur denique ex Scoto loco citato. quod eſt de eſſentia rei abſolutæ, conſtituit illam in eſſe abſoluto. ſed reſpectus, ſiue relatio, nequit conſtituere naturam abſolutam in eſſe abſoluto. ergo reſpectus, ſiue relatio, nequit eſſe de eſſentia rei abſolutæ. maior eſt euidens. minor non minus clara eſt, quia implicat contradictionem, per relationem conſtitui abſolutum in eſſe abſoluto; relatio enim dat eſſe reſpectiuum, ſeu eſſe requirens terminum, & hic eſt ejus effectus formalis, non verò dat eſſe abſolutum, ſeu eſſe non requirens terminum; ſunt enim iſta duo eſſe oppoſita, & vnum oppoſitum non dat eſſe formale alterius oppoſiti.

VI.

*Soluuntur obiecta ab aduerſariis.*

Obijcies primò. dantur aliqua entia quæ ita pendent ab alijs, vt ſi alia eſſent impoſſibilia, eſſent ipſa quoque impoſſibilia. ergo dantur aliqua entia quæ dicunt eſſentialem relationem ad aliam. antecedens patet, quia ſi actus eſſent impoſſibiles, impoſſibilis etiam eſſet potentia, & ſic de alijs.

Reſpondeo conceſſo antecedente negando conſequentiam, aliud enim eſt vnum non poſſe eſſe niſi ſit aliud, & aliud eſt vnum dicere relationem eſſentialem ad aliud; pater enim non eſt niſi ſit filius, & tamen non dicit relationem eſſentialem ad filium. Ratio autem cur ſi actus non eſſent poſſibiles, potentia non eſſet poſſibilis, eſt quod actus ſit effectus neceſſariò poſſibilis, ſuppoſita poſſibilitate potentię, cum actus poſſibilitas, in ſententia aduerſariorum ſaltem, nihil aliud ſit, quam ipſa potentiæ facultas. ex quo infertur potentias non ſpecificari eſſentialiter per actus & objecta, modus enim tendendi in actus & objecta, oritur à potentia eſſentialiter cõſtituta. ſpecificantur. ergo tantum extrinſecè & ſecundum nos ab illis. videri poſſunt Zabarella in textum 33. ſecundi de anima, Faber in Philoſophia, & alij.

*Zabarella. Faber.*

Obijcies ſecundò. hinc ſequitur creaturam eſſentialiter non pendere à Deo, accidens non referri eſſentialiter ad ſubſtantiam &c. hoc autem eſt abſurdum. ergo &c.

*D. Thomas. Caietanus. Smigletius.*

Reſpondeo conceſſa majori negando minorem cum D. Thoma 1. part. quæſt. 45. art. 3. ad tertium, vbi ait relationem dependentiæ à Deo eſſe accidens creaturæ. vide etiam Cajetanum ibidem, qui idem docet. idem dicendum eſt de accidente.

Obijcies tertiò. multa ſunt quæ non poſſunt concipi ſine alijs rebus. ergo dicunt ordinem tranſcendentalem ad illas.

Reſpondeo retorquendo argumentum. pater non poteſt concipi ſine filio. ergo refertur tranſcendentaliter ad filium, non ſequitur. ad argumẽti ergo ſolutionem aduertè talia dupliciter ſpectari poſſe. primo abſolutè, ſecundo relatiuè. ſi abſolutè conſiderentur, falſum eſt argumentum ſi relatiuè & prędicamentaliter, verum eſt, ſed non probat relationes illas eſſe eſſentiales rebus quę referuntur, ſecundum ſe, & abſolutè conſideratis; ſed ſolum eſſe illis eſſentiales ſecundum quod relatiuæ ſunt. vnde, vt iam dixi, pater vt pater eſt, non poteſt concipi ſine filio, & contra, nec filius vt filius ſine patre, & præterea pater vt pater eſt reſpicit filium, & contra, cum tamen neque paternitas, neque filatio ſint relationes trãſcendentales, ſed prædicamentales. idem proportione ſeruata dicendum eſt de multis quæ à citatis recentioribus adducuntur. plura hac de re videri poſſunt apud Smigletium loco citato.

# QVÆSTIO VNDECIMA.

*Vtrum ex duabus propoſitionibus de futuro in materia contingente vna determinatè ſit vera, altera falſa.*

CAITE quinto libri de intetptetatione egetat Atiſtoteles de tegulis veritatis & falſitatis inter ptopoſitiones pugnantes quantitate vel qualitate, vel vtraque ſimul: maximè autem inculcauerat illã, quæ, vt 4. Metaph. à text. 9. fusè docet, eſt omnium ſcientiarum fundamentum, nimirum ex duabus conttadictotijs alteram debere neceſſariò eſſe veram, altetam falſam. Cum ergo hoc ſtatuiſſet cap. 5. incipit cap. 6. dubitare an hæc regula ſit vera etiam in ptopoſitionibus ſingularibus de futuro in materia contingente ad vtrumlibet. qua in re, & de ejus mente, & de tei vetitate diſctepant intet ſe authotes.

Prima ergo ſententia, eſt eorum qui exiſtimant ex duabus propoſitionibus dictis, non poſſe vni determinatè veritatem, alteri determinatè falſitatem conuenire, ſed vtriq; indeterminatè, & ſub diſiunctione acceptę, conuenite tam vetitatem quam falſitatem, ita vt ex his duabus propoſitionibus, Plato diſputabit cras, Plato non diſputabit ctas, neutra determinatè ſit vera aut falſa, ſed indeterminatè vtraque accepta, vel hæc ſcilicet vel illa. Tribuitut hæc ſententia Diuo Thomę, & illam ſequuntur ex Thomiſtis Capteolus, & Ferrarienſis, quibus addde Catharinum lib. de prædeſtinatione ſub initium, Dominicum del Pie del Puerto, lib. 1. de vetitate propoſitionis, cap. 6. Palatios in 1. diſtinct. 38. diſput. 8. Balforium noſtrum in ſua Logica, quæſt. 2. in lib. de interpret. ſect. 2. 3. 4. & 5. Toletum, & de Raconis, hoc loco.

*Prima ſententia negans Thomiſtarum & Dominici del Pie del Puerto. Palatios. Catharini. Balforei. De Raconis. Toleti, &c.*

Secunda ſententia & veriſſima eſt eorum qui exiſtimant ex duabus ptopoſitionibus ſingularibus de futuro contingenti alteram eſſe determinatè veram, altetam determinatè falſam. Eſt ſententia Ariſtotelis, vt infra dicemus, Scoti, & Sectatorum omnium, & pto eadem citantur à Conimbricenſibus hoc loco, ſanctus Bonauentura, Alexãdet Alenſis, Gregorius Ariminenſis, & alij, quos ſequunrut ijdem Conimbticenſes, vna cum Suario opuſculo de abſoluta ſcientia futurorum contingentium, cap. 2. num. 6. M[illegible]ſano Hirlando hoc loco, qui ait conrrariam ſententiam damnatam fuiſſe à Sixto IV. Summo Pontifice, contta Petrum Arin. quam cenſuram manu ſcriptam ait

*Secunda ſententententia affir. Scoti & Scotiſtarum. Alenſis. Bonauentura. Grgorii Ariminenſis & aliorum.*

*Detegitur calumnia Morſani.*

aſſeruari in Academia Louanienſi. *Reſpondeo*, inquit, *propoſitiones ſingulares de futuro contingente ſunt determinatè ſiue diſtinctè veræ, aut determinatè falſæ. oppoſitum, ſcilicet propoſitiones hujuſmodi non eſſe determinatè veras vel falſas, eſt damnatum à Sixto IV. Pontifice contra Petrum Arin. quæ cenſura aſſeruatur in Academia Louanienſi. ratio eſt, quia videtur euertere Dei præſcientiam, & pugnare cum fide & lumine naturæ.* hæc ille. Verum, quantum aſſequi potui, apertè calumniatur, quia credibile nō eſt Doctores Louaniēſes in ſua Logica hanc ſententiam docturos fuiſſe (vt faciunt) ſi talis apud illos cenſura aſſeruaretur. nec ſacram ſancti Dominici religionem, pænes quam eſt cura ſacri Palatij, talis cenſura latuiſſet. hanc eandem eſſe ſententiam D. Thomæ infra oſtendam. Ad quæſtionis ſolutionem

II. Præmitto primò ſupponere nos hoc loco dari futura contingentia, ideſt, quæ ita ſint futura, vt poſſint non eſſe, nam ſi omnia ita ſint, vt neceſſario ſint, rectè infert Philoſophus hoc loco, nullum relinqui locum conſultationi, cum conſultatio non fiat de neceſſarijs. voco autem hic contingentia, ea ſolum quæ pertinent ad agentia libera, pendentq; à libertate. talè contingens eſt ambulatio hominis, exēpli gratia, quia quando homo ambulat, ita ambulat vt poſſit non ambulare, ac proindè libere ambulat. ita vſurpamus contingentiam hoc loco, quamvis aliquando latius ſumatur.

Præmitto ſecundò, Philoſophos & Theologos duplicem diſtinguere neceſsitatem. altera dicitur neceſsitas ſimpliciter, ſiue antecedens, altera neceſsitas ex ſuppoſitione, ſiue conſequens. neceſsitas ſimpliciter & antecedens dicitur, cum cauſa eſt ex principijs intrinſecis, & ex ſe, ita determinata ad effectum, vt poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum non poſsit non agere. Neceſsitas cōſequens, ſiue ſecundum quid, eſt cum cauſa nullam habet neceſsitatem ponendi effectum ex intrinſecis ſuis principijs; ſed ſolum ex ſuppoſitione, quod ponat effectum quem potuiſſet non ponere, conſequens eſt quod effectus ſit, ac proinde non poſsit non eſſe, ex ſuppoſitione quod poſitus ſit. vel etiā dicitur aliquando neceſsitas ex ſuppoſitione, quando aliquid ſequitur infallibiliter ex eo quod Deus in cauſa ſecunda ponat aliquod, quo mediante determinatur ad productionem effectus. hæc neceſsitas non tollit contingentiam, vt docent Theologi, nec etiam libertatem, ſed illam ſupponit.

Præmitto tertiò poſſe multas æquiuocationes committi in illis vocabulis, determinatè, & determinata. nam aliqui ſumunt illa duo pro eodem. alij diſtingunt. vt tollantur æquiuocationes, aduerte hanc propoſitionem, propoſitionum de futuro contingenti altera eſt determinatè vera, poſſe facere duplicem ſenſum. primò vt ſit ſenſus, altera eſt determinatè vera, quia objectum illius habet determinatio-

nem vel in ſe, vel in cauſa ſecunda; & hoc ſecundo ſenſu non poteſt dici propoſitionum futurorum contingentium alteram eſſe determinatè veram, quia objectum hujus propoſitionis, ego cras ſtudebo, nullam habet determinationem in cauſa, cum cauſa nunc ſit ad vtrúque indifferens: neque habet determinationem in ſe, cum objectum nondum ſit poſitum, ſed tantum ſit futurum. hinc colliges quænam ſit diſparitas inter propoſitiones de futuro contingente, & de præterito, vel de præſenti; nam quando effectus fuit, non eſt amplius in potentia cauſæ vt effectus ſit vel non ſit, fuerit vel non fuerit; ac proinde propoſitioni de præterito, verbi gratia, huic, Petrus peccauit, reſpondet aliqua determinatio ex parte objecti. ſimiliter cum res eſt de facto, habet de facto determinationem objecti, ac proinde propoſitionis de præſenti objectum habet determinationem in ſe, quia eſt de facto. objecta vero propoſitionum de futuro contingente, nec habent determinationem in ſe, quia non ſunt poſita, nec in cauſa ſecunda, quia cauſa ſecunda manet indifferens. ex hoc duplici ſenſu, diximus ſecundum non poſſe verificari in futuris contingentibus; primum vero poſſe, oſtendemus poſtea.

Præmitto deniq; quod quando quæritur vtrum in propoſitionibus de futuro contingente detur determinata veritas, illius quæſtionis duplicem poſſe eſſe ſenſum. primus eſt, vt quæratur, an ex duabus contradictorijs poſſit determinari, vel ab homine, vel à Deo, altera quę ſit vera, altera quæ ſit falſa, ita vt vocabulū, *determinata*, appellet propoſitionem ipſam, non autem veritatem. Secundus, vt quæratur an ſuppoſito quod de vna aſſignata detur veritas, an hæc ipſa veritas ſit determinata, ita vt propoſitio illa non ſit indifferens ad eſſe veram, & non eſſe veram, ſed iam ſit determinata ad eſſe veram, atque adeo ipſius veritas ſit determinata, quo ſenſu terminus, *determinata*, cadit ſupra veritatem. Certum eſt autem inter hos duos ſenſus eſſe diſcrimen, quia poſſum vnam determinatam propoſitionem ſumere quam ſcio eſſe determinatam, quia illam determinatam ſumo, verbi gratia, hanc, Petrus cras curret, & tamen dubitare, an veritas ipſius ſit determinata, necne, verbi gratia, poſſum dubitare, an hæc propoſitio determinata, Petrus cras curret, ſit vera, an falſa, an confuſè vel vera vel falſa. attuli has diſtinctiones, vt fieret clarior ſenſus quæſt. his poſitis

Dico primò propoſitionem diſiunctiuam complectentem vtramque partem contradictionis in contingentibus de ſubjecto ſingulari eſſe determinatè veram, verbi gratia, hanc, Petrus cras curret, vel non curret, & ſimiles. III. *Prima concluſio.*

Hæc concluſio præterquam quod ſit Ariſtotelis, per ſe eſt clara, quia non poteſt dici quod neutra pars illius propoſitionis ſit vera, quia ſi neutra eſſet vera, neque hæc, Petrus curret, eſſet vera, neque *Eiuſdem probatio.*

illa, Petrus non curret, quod implicat contradictionem, vt patet conſideranti; nam ſi hæc, Petrus curret, non eſt vera, ideo non eſt vera, quia curſum enunciat futurum de Petro, qui de facto non eſt futurus, ac proinde ſi illa, Petrus curret, non eſt vera, ideo non eſt vera, quia hæc, Petrus non curret, vera eſt: ad veritatem autem propoſitionis disiunctiuæ, ſufficit veritas alterius partis.

IV. *2. Concluſio.* Dices ſecundò, ex duabus propoſitionibus ſingularibus contradictoriis de futuro contingente alteram eſſe veram, alteram falſam, & poſſe ſaltem à Deo determinari illam quæ vera eſt, & illam quæ falſa, ſiue determinatio cadat ſupra propoſitionem, ſiue ſupra veritatem.

*Prima probatio eiuſdem.* Probatur primò concluſio ex ſcripturis, in quibus multæ hujuſmodi propoſitiones determinantur eſſe veræ; ex. gratia, quando dixit Chriſtus Dominus Petro, *ter me negabis*, quando dixit, *præcedam vos in Galilæam*. Mille ſunt hujuſmodi propoſitiones apud Prophetas prædicentes aliquid determinatè futurum.

*Secunda.* Probatur ſecundò. accipio duas contradictorias, verbi gratia has, Petrus cras curret, Petrus non curret. vel illa, Petrus cras curret, eſt vera, vel non eſt vera. ſi eſt vera, poteſt determinari altera contradictoriarum quæ ſit vera. ſi non eſt vera, ergo verè Petrus non curret, & conſequenter vera erit hæc altera contradictoriarum, Petrus non curret.

*Tertia.* Probatur tertiò. impoſſibile eſt vt id quod dicitur non ſit vel conforme illi rei quam enunciamus, vel difforme. ergo, quicunq; aliquid affirmat, vel dicit falſum, vel verum. ergo vlterius qui dicit, Petrus curret, vel dicit falſum, vel verum, quia non poteſt vtrumque ſimul dicere, falſum videlicet & verum. ſi ergo dicit falſum, illa propoſitio determinata eſt falſa. ſi verum, ergo vera. Confirmatur; quia à parte rei Petrus curret, vel non curret; impoſſibile enim eſt vt ſimul currat, & non currat, aut neque currat, neque non currat.

Confirmatur ſecundò; quia ſi is qui dicit, Petrus cras curret, neque dicit verum, neque falſum diſtinctè, vt aliqui volunt, ſed verum vel falſum confuſè; ſimiliter qui dicit, Petrus cras non curret, neque dicet verum, neque falſum diſtinctè, ſed verum vel falſum confuſè. ergo qui dicit, Petrus cras non curret, non contradicit illi qui dicit Petrus cras curret, quia non negat quod alter affirmat, nec minus dicit verum, vel falſum, quam alter.

*Quarta.* Probatur quartò. quotieſcunque aliter enunciatur fore quam ſit futurum, falſo enunciatur. ergo ſi enunciatur diſtinctè fore quod non eſt diſtinctè futurum, falſo enunciatur. ergo vlterius ſi propoſitio de futuro contingente non ſit determinatè vera, qui illam determinatè affirmat, falſum dicit. ergo qui dicit abſolutè & determinatè, Petrus

cras curret, falſum dicit. & ſic etiam ex aduerſariorum principijs colligitur ſequi contradictoriarum de futuro contingenti alteram determinatè eſſe falſam, & conſequenter alteram veram.

*Quinta.* Probatur quintò, quia in propoſitionibus vniuerſalibus de contingenti futuro, altera eſt diſtinctè vera, altera falſa; verbi gratia, in his, omnis homo curret, aliquis homo non curret cras, accipio vniuerſalem falſam, omnis homo curret cras; ſi illa ſit falſa, vti reuera eſt, ejus falſitas debet deprehendi, ex eo quod aliqua ſingularis conprehenſa ſub vniuerſali ſit falſa, alioqui ſi nulla ſingularis ſit falſa, nec vniuerſalis erit. quod ſi aliqua propoſitio ſingularis ſit falſa contenta ſub illa vniuerſali, ergo propoſitionum ſingularium de futuro contingenti altera eſt determinatè falſa.

*Sexta.* Probatur denique ex cognitione Dei. Deus cognoſcit determinatè quæ contradictoriarum ſit futura. ergo poteſt Deus aſſignare ex contradictorijs illam quæ eſt vera. conſequentia clara eſt. antecedens probatur, quia alioquin Deus non vetè & certò pronuntiaret rem futuram. Confirmatur. res eo modo objiciuntur menti diuinæ ſicut ſunt; quod ſi res nec eſſet futura, nec non futura determinatè, ſed confuſè, vel futura, vel non futura, non poſſet cognoſci à Deo res abſolutè futura, ſed tantum confuſè futura, vel non futura, & ſic Deus non poſſet abſolutè pronuntiare rem eſſe futuram.

*Euaſio aduerſariorum, nominatim, Balforei, & Franciſci de Arriba.* Reſpondent aliqui ex recentioribus cum Balforeo noſtro loco citato, & Franciſco de Arriba lib. operis conciliatorij gratiæ & liberi arbitrij, ex principijs (vt ipſi exiſtimant) D. Thomæ, Deum videre hæc omnia, vt ſibi realiter præſentia, non vt futura, Deo enim omnia ſunt præſentia in ſua æternitate.

V.

*Prædicta euaſio nulla oſtenditur.* Sed contra hanc doctrinam optimè argumentatur ex recentioribus Scotiſtis Smiſingus rom. 1. tract. 2. diſput. 4. quæſt. 3. contra in primis eſt, quia falſum eſt futura eſſe ab æterno realiter præſentia æternitati Dei, etiam in ſententia D. Thomæ, vt ex ipſis Thomiſtis docet Ægidius in ſuo caſtigatorio aduerſus corruptorem doctrinæ ſancti Thomæ; cujus Ægidij magna ſanè eſſe debet in præſenti materia auctoritas, cum D. Thomæ auditor fuerit, & prædictum librum ſcripſerit aduerſus Pariſienſem quendam doctorem, qui ſententiam de reali præſentia rerum in æternitate S. Thomæ tribuebat, quam ob cauſam ipſum arguit Ægidius erroris. Idem de D. Thomę ſentenrentia tradũt alij Thomiſtæ veteres, inter quos ſunt Hiſpalenſis in 1. diſtin. 38. Heruæus ibidem, & Syleſter in defenſorio doctrinæ S. Thomæ. Et vero D. Thomam realem futurorum præſentiam in æternitate numquam cogitaſſe, ſed ſolum admiſiſſe objectiuam, qua videlicet res omnes actuali Dei cognitioni ſemper objiciuntur, colligi poteſt ex varijs ejuſdem locis, prǽſertim ex quæſt. 86. primæ part. art. 4. vbi ſic lo-

*S. Thoma. Ægidius. Hiſpalenſis. Heruæus. Syluester.*

*Probatur clarè neque ſecundum rei veritatem, neque iuxta mẽtem S. Thomæ, futura eſſe realiter Deo præſentia.*

quitur; *in ſeipſis quidem futura cognoſci non poſſunt niſi à Deo, cui etiam ſunt præſentia, dum in curſu rerum ſunt futura, in quantum ejus æternus intuitus ſimul fertur ſupra totum temporis curſum.* quibus verbis cognoſcit eam tantum futurorum in æternitate præſentiam, quæ tribui poteſt rei cognitæ, ab intuitu & cognitione diuina. quare cum prima parte ſic ſcribit; *omnia quæ ſunt in tempore, ſunt Deo ab æterno præſentia, non ſolum ea ratione qua habet rationes apud ſe præſentes, vt quidam dicunt, ſed quia ejus intuitus fertur ab æterno ſuper omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate,* loquitur etiam de objectiua præſentia; ideo enim dicit res eſſe Deo præſentes, quod ejus intuitus fertur in illas. quod ſi loqueretur de reali præſentia in æternitate, dicere debuiſſet contra, ideo intuitum Dei in res ferri, quia ſunt ei præſentes. vnde prædictis verbis non vult reddere rationem ob quam à Deo futura cognoſcantur, ſed tantum explicare vult modum, quo Deus omnia ſibi præſentia ſimul habeat. ſimiliter cum ſubjungit hæc verba, *vnde manifeſtum eſt quod contingentia infallibiliter à Deo cognoſcuntur, in quantum ſubduntur diuino conſpectui ſecundum ſuam præſentialitatem,* non reddit rationem quare cognoſcantur futura à Deo, quod videlicet ſubdantur conſpectui ejus (hæc enim ratio eſſet nugatoria, cum futura cognoſci à Deo, & ſubdi conſpectui ejus, ſint prorſus idem) ſed explicat modum quo cognitio Dei eſt infallibilis, quia ſcilicet diuinus ejus intuitus fertur in ipſas res futuras ſecundum realem & actualem exiſtentiam ac præſentiam quam aliquando in ſeipſis habebunt. hæc de mente D. Thomæ. agamus iam ratione contra allatam reſponſionem, contra quam ſic diſputo 1. euertendo fundamentum, quo nituntur aduerſarij qui realem præſentiam aſtruunt; etſi enim æternitas ſit indiuiſibilis, & infinitate ſua omne tempus ambiat, non tamen fit vt quicquid eſt futurum, ei ſemper & ab æterno coëxiſtere realiter debeat, ſed ſolum vt quicquid eſt, ſtatim ac eſt & quamdiu eſt, ei toti neceſſariò debet coëxiſtere. Patet exemplo immenſitatis Dei; etſi enim hæc indiuiſibilis ſit in partes parmentes, ſicut æternitas in ſucceſſiuas, ſitque infinita, & ambiat omne ſpatium, vt æternitas omne tempus, hinc tamen non fit vt quicquid illi immenſitati aliquando præſens erit in aliqua certa parte ſpatij, nunc & ſemper eidem loco præſens eſſe debeat, & ab ęterno fuerit; immo neque vt quod nunc ei pręſens exiſtit, in quavis parte ſpatij in qua ipſa eſt, pręſens exiſtat; verbi gratia, ex eo quod quis noſtrum diuinę illi immenſitati nunc coëxiſtat in hac ſchola, non fit vt ratione hujus realis coëxiſtentiæ, ſemper coëxtiterit ei realiter in hac eadem ſchola, immo neque fit vt nunc coëxiſtat in templo in quo ipſa eſt; ſolum fit, ex eo quod ſit indiuiſibilis & infinita, vt nihil poſſit eſſe pręſens vlli ſpatio, quin in illo toto, & in qualibet ejus parte, ſit toti illi immenſitati pręſens

ſens; pari ergo ratione, ex eo quod æternitas ſit indiuiſibilis & infinita, fiet quidem, vt nihil vnquam poſſit exiſtere realiter in certa differentia temporis, quin in ea tota, & qualibet eius parte, toti æternitati realiter coexiſtat, non tamen fit vt ratione coexiſtentiæ realis qua illi æternitati coexiſtit res exiſtens realiter in aliqua differentia temporis, ei coextiterit realiter ab æterno, ſemperq; illi coexiſtat. ſecundò ſic argumentor à priori hoc pacto, impoſſibile eſt quod in ſe non exiſtit actu, nihilq; habet propriæ & intrinſecæ durationis exiſtere actu realiter in aliena & intrinſeca duratione, ſed futura nec in ſeipſis modo exiſtunt, aut quidquam proprij eſſe & intrinſecæ durationis habent, nec ab æterno extiterunt, aut habuerunt; eſſe aliunde æternitas Dei eſt duratio illis extrinſeca, ergo impoſſibile eſt ea modo realiter in æternitate eſſe, aut ab æterno fuiſſe. Major de qua ſola poteſt eſſe difficultas, probatur facile; quia exiſtere in alio tanquam in extrinſeco, ſupponit tanquam aliquid prius, exiſtere ſimpliciter, ac proinde exiſtere in ſe; coexiſtere enim eſt alteri coexiſtere, & ſupponit eſſentialiter exiſtentiam in ſe duorum quæ dicuntur coexiſtere, quomodo enim Petrus, exempli gratia, coexiſtet realiter Paulo, ſi vterque non exiſtat in ſe à parte rei.

Confirmatur & declaratur à ſimili, nullum enim corpus poteſt exiſtere in loco communi, vt in hac ſchola, quin exiſtat in proprio, vt in aliqua huius ſcholæ parte ſibi adæquata; Imò non poteſt exiſtere in loco ſibi proprio & adæquato, niſi prius ratione intelligatur exiſtẽs in ſeipſo, habenſque proprium eſſe; ſimiliter nullus motus ſublunaris poteſt realiter exiſtere in duratione motus primi mobilis ſeu realiter ei coexiſtere, ſi non exiſtat in ſe realiter, nec quicquam habeat proprij eſſe, & intrinſecæ durationis, ergo à pari, nulla res poteſt realiter exiſtere in æternitate Dei ſeu realiter illi coexiſtere, quin prius ratione intelligatur exiſtens in ſeipſa, habenſque proprium eſſe & intrinſecam durationem; Atque ad hanc rationem reuocantur facilè aliæ rationes petitæ ex varijs abſurdis, cujuſmodi præcipuè ſunt hæc duo; quod ſequatur ex reali illa præſentia futurorum in æternitate, tempus præteritum, & futurum, ſimul inter ſe realiter coexiſtere, quod eſt abſurdiſſimum, hoc enim verè ſequeretur, quia cum ex ſententia aduerſariorum, præteritum, & futurum, ſemper & ab æterno realiter exiſtant in æternitate, vt iam probauimus, conſequens omninò eſt ea ſemper & ab æterno realiter in ſe exiſtere, atq; adeo realiter ſimul inter ſe coexiſtere. Secundum eſt quod ſequatur res omnes verè eſſe ab æterno, & conſequenter, mundum ab æterno creatum eſſe, quod autem hoc ſequatur, patet; Nam res omnes ex hipotheſi ab æterno realiter exiſtunt in æternitate, hoc autem habere non poſſunt niſi actu in ſeipſis exiſtant ab æterno, quod eſt verè ac ſimpliciter eſſe ab æter-

no. Ex his probatum manet futura non coexiſtere ab æterno realiter æternitati Dei; jam oſtendo realem præſentiam futurorum in æternitate non eſſe rationem cur Deus certo & infallibiliter cognoſcat hoc autem oſtendo, primo; quia hujuſmodi præſentia fictitia eſt & impoſſibilis vt conſtat ex dictis, ergo &c. ſecundo, etiam ſi poſſibilis eſſet tamē prius eſſet rem eſſe futuram in ſua propria duratione, quam eſſe præſentem in æternitate, vt jam oſtendi, ergo in illo priori eſſet cognita tanquam futura in propria ſua duratione antequam cognoſceretur tanquam præſens in æternitate, ergo præſentia illa non eſſet ratio cognoſcendi rem futuram vt futuram; prius enim eſſet cognita vt futura quam eſſet præſens in æternitate. Neque contra hanc doctrinam noſtram ſentiunt patres quos immerito obijciunt nobis aduerſarij; Obijciunt enim patres aſſerere res futuras Deo eſſe præſentes, ac proinde in eo non eſſe proprie pręſcientiam. Ita Auguſt. lib. 2. ad Simplicianum quęſt. 2. quid eſt, inquit, prǽſentia niſi ſcientia futurorum, quid autem futurum eſt Deo, qui omnia ſupergreditur tempora? ſi enim in ſcientia res ipſas habet, non ſunt ei futuræ, ſed pręſentes, ac per hoc non jam pręſcientia, ſed tantum ſcientia dici poteſt; immerito inquam obijciuntur patres, pręſertim Auguſtinus hoc loco; nam Auguſtini Scopus eſt oſtendere non eſſe talem præſcientiam qualis in nobis eſt, etenim in nobis rerum pręſcientia eſt veluti preſentia quędam, & præcognitio rei futurę ita confuſa & imperfecta, vt quando res ipſa pręcognita fit pręſens, multo clarius & perfectius videatur; vnde nos eandem rem bis cognoſcimus, ſemel imperfectè, quando futura eſt, & ſemel perfectè quando pręſens; talis non eſt pręſcientia & pręcognitio Dei, tam enim perfectè intelligit futura quam præſentia, neque bis, ſed tantum ſemel rem cognoſcit, quia eius cognitio ęque perfecta eſt ſiue res cognita ſit futura ſiue pręſens, ex quibus patet res futuras eſſe Deo præſentes objectiuè per præſentiam perfectam, nobis per imperfectam; quia videlicet tam perfectè cum adhuc ſunt futuræ diuinæ cognitioni objiciuntur, quam ſi à parte rei jam actu exiſterent, quod non fit in nobis; Dico igitur diuum Auguſtinum ſolum negaſſe præſcientiam in Deo qualis eſt in nobis. Immerito etiam objiciunt nobis alium loquendi modum patrum nempe in æternitate non eſſe, fuit, & erit, ſed tantum, eſt, quo loquendi modo vtitur inter alios diuus Auguſt. in Pſalmum centeſimum primum; immeritò inquam objiciunt, nam facilè reſpondetur patres hoc loquendi modo ſolum velle in æternitate ſecundum ſe ſpectata, vt pote duratione indiuiſibili & tota ſimul, nullam eſſe ſucceſſionem partium, quæ ſignificantur per, fuit, & erit; hoc autem non impedit ea quæ in ſeipſis ſucceſſionem habent & inuicem ſibi ſuccedunt, ſucceſſiue etiam coexiſtere æternitati, nam rei permanenti qua-

*S. Auguſtinus.*

*D. Auguſtinus.*

lis eſt æternitas res aliæ ſibi inuicem ſuccedentes ſucceſſiue etiam coexiſtere debent ex quo intelligitur hanc ſucceſſioné non tenere ſe ex parte æternitatis quæ eſt permanens, & ſine vlla ſucceſſione, ſed ex parte rerum coexiſtentium æternitati, quarum nunc vna, nunc alia, eſt præſens æternitati, ſicut vna poſt aliam ſucceſſiue exiſtit.

VI. *Obiectio aduerſariorum.*

Dices niſi futura ſint realiter æternitati Dei præſentia aut illam non cognoſcet Deus, quo nihil abſurdius, aut ſi ea cognoſcit, admittenda erit in Deo cognitio diuerſa à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & viſionis quod veræ Theologiæ repugnat. ſequela probatur, illa enim futurorum cognitio non erit ſimplicis intelligentiæ, quia iſta verſatur tantum circa res purè poſſibiles, ſeu nunquam futuras; neque etiam viſionis, quia ſcientia viſionis verſatur circa res actu exiſtentes & preſentes, futura autem cum in ſeipſis non exiſtant actu, non poſſunt dici exiſtentia & pręſentia niſi exiſtant actu in æternitate.

*Reſponſio.*

Reſpondeo ſcientiam illam futurorum eſſe viſionis, neque requiri ad ſcientiam viſionis vt res quæ per eam cognoſcuntur exiſtant actu in ſeipſis eo tempore quo de illis ſcientia habetur, ſed ſatis eſſe ſi cognoſcantur ſecundum exiſtentiam actualem quam habebunt ſuo tépore, nihilque minus de illis cognoſcatur antequam actu ſint, quam cognoſcetur cum actu erunt, quod diuinæ de futuris ſcientiæ conuenit, atque hæc eſt doctrina ſancti Thomę, art. 9. quæſt. 14. primæ partis, vbi dicit ſcientiam, qua Deus nouit quæ fuerunt vel erunt, vocari ſcientiam viſionis, quia cum æternitate menſuretur quę ſine ſucceſſione exiſtens totum tempus compręhendit, pręſens intuitus Dei fertur ad omne tempus, & in omnia quæ ſunt in quocumque tempore, ſicut in ſubjecta ſibi præſentialiter, quia ejus intuitus habet hanc vim attingendi & ſubijciendi ſibi omnia tempora, quibus verbis non obſcurè ſignificat ſcientiam futurorum non ideo eſſe viſionis, quod illa realiter Deo coëxiſtant ab æterno, ſed quia diuinus ejus intuitus habet vim attingendi futura ſecundum eam actualem exiſtentiam & præſentiam quam in ſeipſis habebunt in tempore, ſic vt idem ipſum omnino de illis futuris cognoſcat, quod cognoſcet, quando actu exiſtent; Cæterum an hæc ſcientia viſionis quatenus eſt circa res actu exiſtentes intuitiua ſit, vt autem circa eas quæ vel fuerunt vel erunt, abſtractiua dicenda ſit, de nomine magis quam de re, meo judicio, quæſtio eſt, mihique magis placet communis loquendi modus, quo aſſeritur, omnem ſcientiam viſionis circa res pręſentes, pręteritas, & futuras, eſſe intuitiuam. Ratio eſt quia denominatio intuitiua, & abſtractiua, in ſcientia, non eſt merè extrinſeca intuitui & abſtractioni petita ab actuali, vel non actuali exiſtentia rei cognitæ, ſed eſt intrinſeca, cum nihil tam intrinſecum cognitioni eſſe poſſit, quam vt ſit objecti intuitus, vel non ſit. ac proinde vt ſit intuitiua aut abſtractiua; quod ſi

*S. Thomas.*

denominationes hæ ſunt intrinſecæ, cum diuerſæ ſint vt patet, vni eidemque cognitioni conuenire non poterunt, atque eadem eſt prorſus cognitio diuina de rebus futuris, idemque omnino de illis ab eo cognoſcitur ſiue cum adhuc futuræ ſunt, ſiue cum actu præſentes, ſiue cum præteritæ, illa igitur cognitio aut ſimpliciter abſtractiua, aut ſimpliciter intuitiua dicenda eſt; Certum autem eſt intuitiuam eſſe cum res cognitæ adhuc præſentes ſunt. ergo eſt etiam intuitiua cum res adhuc futuræ ſunt, aut iam præteritæ. Ex his omnibus clarum eſt Deum cognoſcere futura contingentia in ipſiſmet futuris, vt optimè docuit Scotus noſtras. Cujus ratio eſt, quia vt futura contingentia in ſeipſis immediatè à Deo cognoſcantur, ſatis eſt, ſi illa in ſeipſis habeant determinatam veritatem, & Deus infinitam vim intelligendi; ſed Deus & illa futura hoc habent. ergo &c. major probatur, tum quia nihil obſtat quominus infinita vis intelligendi ſiue infinitus intellectus circa veritatem aliquam creatam etiam contingentem immediatè verſetur eamque ſic cognoſcat in ſeipſa; tum quia cum omne verum ex ſe ſit intelligibile, & prout in ſe eſt, ſi ex vna parte futurum contingens ſit in ſe determinatè verum, & ex alia parte Deus habeat infinitā vim intelligendi, nihil omnino deſiderabitur vt Deus illud futurum, in ſe, & prout in ſe eſt, cognoſcat, tunc enim aderunt omnia requiſita ex parte cognoſcentis & rei cognoſcibilis. minor probatur, & quidem quod Deus infinitam vim intelligendi habeat, certum eſt de fide; quod vero futura contingentia ſint determinatè vera, conſtat ex dictis.

Scotus.

Quæres vtrum contingentia futura habeant determinatum eſſe futuri in ſe, an in cauſa?

Reſpondeo habere in ſe, quia ipſa vere ſecundum ſe ſunt illa quæ dicuntur futura, & verè futura ſunt.

Quæres à quo habeant iſtud determinatum eſſe futuri? à ſe ne, an ab alio?

Reſpondeo ab alio, nempe à cauſa, non quidem iam operante aut determinata ad operandum, ſed determinanda & operatura, ſicut res præſentes quæ determinatum eſſe præſentis habent, habent à cauſa in præſenti determinata ad operandum & actu operante; ſicut etiam res præteritæ habent eſſe determinatum præteriti à cauſa non actu nunc determinata ad operandum aut operante, ſed quæ fuit actu determinata aliquando ad operandum & de facto operata eſt.

Quæres tertiò quid ſit illud eſſe determinatum; futuri?

Reſpondeo nihil aliud eſſe realiter quam ipſum effectum prout facturus eſt, id eſt, prout exiſtet, & egredietur à ſua cauſa, ita vt aliquando verum ſit dicere, hoc quod dicebatur futurum, nunc actu eſt. Ex his colligitur falli illos qui putant omne quod eſt determinatè futurum, eſſe neceſſario futurum; non ſolum enim id quod neceſſario fu-

turum eſt, ſed etiam quod eſt contingenter futurum, eſt determinatè futurum; & ratio eſt, quia futurum vt futurum, hoc eſt, vt eſt commune aliquid futuro contingenti & neceſſario, dicit certum aliquod & determinatum eſſe, ſicut præteritum vt præteritum dicit determinatum aliquod eſſe, nempe eſſe præteriti, & præſens vt præſens dicit determinatum aliquod eſſe præſentis; Iam vero futurum contingens vt ſic non deſtruit rationem determinatam, ſeu determinatum eſſe futuri, ſed tantum limitat & contrahit ad tale eſſe futurum, ſcilicet contingenter, & non neceſſario, ſicut futurum neceſſarium vt ſic non deſtruit determinatum eſſe futuri, ſed tantum limitat ad tale eſſe futuri, videlicet, neceſſariò, & non contingenter, vnde determinatum eſſe futuri eſt quaſi genus quod contrahitur per contingens & neceſſarium.

VII.

*Proponuntur & ſoluuntur aduerſariorum argumenta.*

Obijcies primò ſi ex propoſitionibus ſingularibus de futuro contingenti altera eſt determinatè vera, altera falſa. ergo ab æterno vna fuit vera, altera falſa. ergo neceſſario vera vna, neceſſario falſa altera; omne enim æternum eſt neceſſarium, at hoc eſt abſurdum, tolleretur enim libertas, vanaque eſſet conſultatio de rebus agendis, nemo enim conſulat de neceſſarijs.

Reſpondeo facilem eſſe hujus argumenti ſolutionem, ſi notetur duplex neceſſitas quam ſupra explicauimus, neceſſitas nimirum ſimpliciter, & ex ſuppoſitione in forma. ergo ad argumentum concedo antecedens, & primam conſequentiam, diſtinguo ſecundum conſequens. vna erit neceſſario vera, altera falſa, ex ſuppoſitione quod objectum ponatur futurum, concedo conſequentiam; erit neceſſario vera vna, altera falſa, ſimpliciter, nego conſequentiam; & ad ejus probationem, diſtinguo eodem modo, & dico aliqua eſſe æterna ex ſuppoſitione alicujus alterius liberè poſiti, & hoc nō eſt neceſſarium ſimpliciter ſed ex ſuppoſitione, aliud æternum eſt natura ſua, & ſimpliciter non ex ſuppoſitione alterius, cujuſmodi eſt ſolus Deus, & hoc eſt neceſſarium ſimpliciter. Exemplum ſit, ſi Deus Angelum liberè creaſſet ab æterno, Angelus eſſet æternus ex ſuppoſitione voluntatis liberè Dei creantis, non autem ſimpliciter; Ita. ergo in caſu noſtro, propoſitio illa eſt vera ab æterno ex ſuppoſitione euentus liberè ponendi, non autem ſimpliciter.

Obijcies ſecundò, Deus videt Petrum diſputaturum. ergo non poteſt non diſputare. ergo neceſſario diſputabit. ſecunda conſequentia eſt certa. prima probatur ſi poteſt non diſputare, ponamus non diſputare, poſſibili enim poſito in eſſe nullum ſequitur abſurdum, ſed illo poſito ſequitur Deum falli quod eſt abſurdum. ergo Petrus non poteſt non diſputare.

Reſpondeo retorquendo argumentum, videt Deus Petrum liberè

diſputaturum. ergo non poteſt Petrus non liberè diſputare. ergo neceſſarium eſt vt liberè diſputet. ſecunda conſequentia eſt certa. prima ſic probatur, ſi poteſt non liberè diſputare, & neceſſario diſputet, neceſſariò non libere, poſſibili enim poſito in eſſe nullum ſequitur abſurdum. ſed hoc poſito, ſequetur Deum falli; videt enim eum liberè diſputaturum; Deus autem falli eſt abſurdiſſimum. ergo non poteſt poni quod ille neceſſario, & non liberè diſputabit. Reſpondeo itaque ſecundo, diſtinguendo antecedens, videt illum diſputaturum ex ſuppoſitione quod ille libere determinaturus ſit ſe ad diſputandum & liberè diſputabit, concedo antecedens; videt abſolutè ſine hac ſuppoſitione, nego antecedens, & primam conſequentiam, & ad ejus probationem, dico non poſſe ex ſuppoſitione libera illum non diſputare, ſicuti homo ſtans de præſenti dum ſtat non poteſt non ſtare, & tamen liberè ſtat, quia ſolum ex ſuppoſitione quod ſtet, non poteſt non ſtare, vnde dico hoc eſſe impoſſibile ex ſuppoſitione.

Dices ſimpliciter non eſt impoſſibile. ergo ſimpliciter poteſt non diſputare; quare non diſputet, & tunc ſequetur eodem modo Deum falli; quod eſt abſurdum.

Reſpondeo conceſſo antecedente & conſequente, & aſſumpto; ponatur ergo non diſputare, ſed nego ſequelam, ſi enim ſupponitur futurum quod ſimpliciter erat poſſibile, iam ponitur quod Deus non cognouit quod ille eſſet diſputaturus, ſed contra quod non eſſet diſputaturus.

Objicies tertiò. eſſe futurum ſeu fututitio objecti dat veritatem propoſitioni de futuro, ſed in objecto contingenti ad vtrumlibet, nullum eſt eſſe futurum; non enim eſt in cauſa, neque in ſe. ergo objectum contingens & futurum ad vtrumlibet non poteſt dare veritatem propoſitioni de futuro.

Reſpondeo argumentũ ſupponere tunc cum propoſitio eſt, debere eſſe actu in aliquo eſſe objecti, vel in ſe, vel in ſua cauſa, quod apertè falſum eſt, nam in omnium ſententia, etiam philoſophi hoc loco, vera eſt propoſitio de præterito determinata, vt Plato heri diſputauit, & tamen nunc dum propoſitio fit, nullum habet eſse objectum neque in ſe, quia non eſt, ſupponimus enim diſputationem præterijſse; neque in ſua cauſa, quia ejus cauſa non eſt amplius potens reiterare eandem numero diſputationem; pari ergo modo, ſi nos de fututitione loquamur atque de præteritione, non poſſunt aduerſarij conqueri; vnde in forma reſpõdeo, ſi per, eſſe futurum, intelligatur eſſe objecti de quo aliquando erit verum dicere de præſenti quod eſt, ſicut etiam eſſe præteritum eſt illud eſſe objecti de quo fuit aliquando verum dicere eſt, concedere me majorem, & negare minorem, habet enim hoc eſſe tam in cauſa quam in ſe; ſi vero per, eſſe futurum, intelligatur aliquod

certum & determinatum eſſe actuale ipſius objecti de præſenti ſiue in cauſa, ſiue in ſe, nego majorem, vt patet ex inſtantia allata de eſſe præterito.

Obijcies quartò. optimè dicitur quod oculus dexter vel ſiniſter, ſit neceſſarius ad videndum, nec tamen licet inferre. ergo dexter determinatè eſt neceſſarius. ergo à pari, in propoſitionibus de contingenti futuro dici poterit quod neutra ſit determinatè vera, neutra determinatè falſa, ſed vtraque vera, vel falſa.

Reſpondeo exemplum hoc non facere ad rem, quia non quodcumq; dicitur de vna propoſitione, dici debet de altera. quod autem non poſſit dici in propoſitionibus contradictorijs de futuro contingenti, oſtendi ſupra, varijs rationibus.

Obijcies vltimo. quòd poteſt non eſſe, non eſt determinatum ad eſſe; ſed futurum contingens poteſt non eſſe, ergo non eſt determinatum ad eſſe, ergo propoſitio illud enuntians, non eſt determinatæ veritatis.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens, quod poteſt non eſſe non eſt determinatum ad eſſe, nec determinabitur, nego antecedens; non eſt determinatum pro præſenti concedo antecedens; vel ſic, non eſt determinatum ad eſſe. omnimoda determinatione concedo antecedens, non eſt determinatum determinatione ſufficiente ad verificandam propoſitionem de futuro, nego antecedens. diſtingunt enim aliqui authores, cum Gregorio Ariminenſi, & quidem egregiè, duplicem determinationem, vnam potentialem, alteram actualem. Potentialem explicant per potentiam ad eſſendum hoc modo, poteſt eſſe, poteſt facere; actualem per actum, hoc modo, eſt; erit, non erit. dicendum ergo eſt futurum contingens licet poſſit eſſe, & poſſit non eſſe, indeterminate, erit tamen, vel non erit, determinate, & ex hac determinatione actuali; ſumitur veritas propoſitionis de futuro, verbi gratia, hujus, Plato cras curret, quia hac non ſignificatur quod poſſit Plato currere, ſed quòd de facto, & actualiter Plato ſit curſurus. Ex his ergo colligere licet contingentiam alicujus rei non conſiſtere in eo quod ſit ſimul, & non ſit, vel quod futurum ſit ſimul & non futurum, ſed in eo quod poſſit eſſe, & poſſit non eſſe, vel quod ita ſit, vt poſſit non eſſe, aut ita non ſit, vt poſſit eſſe. Colligere prætetea poſſumus indifferentiam ad eſſendum poſſe dupliciter explicari. primò, vt explicetur per potentiam, & dicatur illud indifferens quod poteſt eſſe, & poteſt non eſſe, vel ita vt ſecundo explicetur vtrinque per actum, & dicatur indifferens, illud quod neque eſt neque non eſt; hoc ſecundo ſenſu, nihil poteſt dici indifferens ad eſſendum & non eſſendum; quia quidlibet eſt, vel non eſt, vt patet lumine naturali,

ſic etiam quidlibet erit vel non erit, non autem neque erit, neque non erit.

# QVÆSTIO DVODECIMA.

## *Quid ſenſerit Philoſophus de veritate prædictarum propoſitionum.*

I. *Suarius & Vaſquez exiſtimant Ariſtotelem erraſſe.*

EGIMVS hucuſque de rei veritate; ſupereſt agamus de mente Philoſophi quem Suarius, diſput. 19. Metaph. ſect. 10. Vaſquez 1. part. diſput. 66. cap. 1. Conimbricenſes 1. de interpretatione, cap. 8. quæſt. vnica, art. 3. ſequuti quoſdam veteres, exiſtimant contra nos ſenſiſſe, & turpiter tam contra fidem, quam lumen naturale erraſſe. Richardus in 1. diſt. 38. art. 1. quæſt. 5. ad 1. Occam quæſt. vnica ad 1. Gabriel quæſt. vnica, art. 2. notab. 7. Scotus diſt. 39. quæſt. vnica, §. ad argumenta principalia, verſu ad primũ pro prima quæſtione, Lychetus ibidem, Faber ibidem, diſput. 54. cap. 7. num. 75. & 76. Smiſingus tom. 1. diſput. Theologicarum, tract. 3. diſput. 2. quæſt. 4. cæterique diſcipuli Scoti, Abulenſis 2. part. defenſorij, cap. 28. Sotus in cap. 9. ad Romanos, & alij veteres, volunt Ariſtotelem tantum aſſerere alteram partem non eſſe neceſſariò veram, alteram neceſſario falſam. Cum his

*Scotus. Faber. Richardus. Smiſingus.*

II. *Concluſio contra prædictos Authores, Ariſtotelem non negaſſe vnam determinatè eſſe veram, alteram falſam.*

Dicendum exiſtimo Ariſtotelem tantum negaſſe alteram partem eſſe veram, alteram falſam ea neceſſitate quæ vel ſit neceſſitas ſimpliciter, vel deſumatur ex actuali determinatione cauſæ in actu poſitæ, & qua poſita res habeat determinationem in ſeipſa; quæ ſententia Ariſtotelis veriſſima eſt, vt conſtat ex dictis.

*Prima probatio concluſionis.*

Probatur concluſio primò, nempe quod Ariſtoteles nunquam negauerit in propoſitionibus de futuro contingenti, hanc eſſe veram & alteram falſam aliquomodo, ſine vlla determinatione antecedente, vel in cauſa, vel in effectu, ſed ſolum ex euentu & contingenti; quia ex Philoſopho omnis enunciatio de quocunque tempore, aut eſt vera, vel falſa juxta naturam rei quam enunciat, vt patet ex cap. 4. hujus libri, vbi ſic definit enunciationem; Enunciatio eſt oratio in qua eſt verum, vel falſum. Et patet, quia impoſſibile eſt ſimul eſſe veram & falſam, aut neque veram, neque falſam, quia alioqui nihil enunciaret, ſed hæc propoſitio Petrus cras curret, eſt oratio enunciatiua in qua eſt affirmatio. ergo in ſententia Ariſtotelis, vel eſt vera, vel eſt falſa, quamvis nos neſciamus eſſe veram aut falſam; Aliud autem eſt dicere an neceſſe, ſit eſſe determinate veram, aliud vero an ſit vera ſaltem

tem contingenter, quod nunquam negauit Ariſtoteles, quamvis enim concederetur quod vna determinata eſt vera, & altera determinata eſt falſa, non tamen eſt neceſſe illam eſſe determinatè veram, & hanc falſam, quod ſolum negauit Ariſtoteles, poteſt enim fieri, vt illa ſit contingenter vera, & hæc contingenter falſa, ſicut & ipſarum rerum quas enunciant, à quibus Ariſtoteles expreſſe dicit debere ſumi veritatem & neceſſitatem propoſitionum, altera contingenter erit, altera contingenter non erit. atque hanc ſententiam noſtram Philoſopho tribuit Ammonius initio hujus capitis, ait enim ſecundum Philoſophum diuidi veritatem & falſitatem à propoſitionibus contingentibus de futuro, ideſt, alteram eſſe veram, alteram falſam, hoc enim ſignificat diuidi veritatem apud Ammonium vt apertè ſatis ipſe ſignificat; non tamen ait eodem modò diuidi ſicuti à propoſitionibus de præſenti, aut præterito, quæ ſunt certò definitæ ac determinatæ in rebus ipſis enunciatis verè vel falsò; ſicut ergo res futuræ contingentes, neque in ſeipſis, neque in ſuis cauſis, habent definitum & determinatum eſſe, quamvis altera ipſarum determinata ſit futura, & altera non ſit futura, contingenter tamen; Ita propoſitionum de futuro nullam neceſſe eſt determinatè eſſe veram vel falſam, quamvis altera determinata ſit vera contingenter, altera falſa, atque etiam in hunc ſenſum à nobis poſitum explicat Ariſtotelem Diuus Boëtius in illa verba capitis (vtrumlibet enim nihil magis) vbi repræhendit eos qui aliter explicant Philoſophum. & hoc etiam modo reliqui interpreres explicant Ariſtotelem, præſertim Diuus Thomas, qui ad initium hujus capitis ſic ait, ſed in ſingularibus quæ ſunt de futuro, hoc non eſt neceſſe, quod vna determinatè vera, altera falſa, hoc non eſt neceſse, & paulo poſt (circa hoc igitur verſatur rota præſens intentio, vtrum in enunciationibus ſingularibus de futuro in materia contingenti neceſse ſit quod determinatè vna oppoſitarum ſit vera altera falſa.)

*Ammonius.*

*D. Boëtius.*

Probatur ſecundò. ex ipſo Ariſtotelis diſcurſu, nam initio capitis ait in his ergo quæ ſunt & quæ facta ſunt, neceſſe eſt affirmationē vel negationem eſſe veram vel falſam, ſcilicet determinate, quia ſi loqueretur indeterminate, non rectè diceret excludendo propoſitiones de futuro, in quibus neceſſe etiam eſt alteram eſſe veram, alteram verò falſam indeterminate. Poſtea extendit Philoſophus id quod dixerat ad aliquas propoſitiones, & ſtatim ſubjungit, in ſingularibus verò & futuris non ſimiliter, id eſt, non neceſſe eſt alteram determinate eſſe veram, alteram falſam; quod probat, nam ſi omnis affirmatio talis vel negatio vera eſt vel falſa, id eſt neceſſario, & determinate, & omne neceſſe eſt eſſe vel non eſſe, quæ conſequentia nulla eſſet, vt per ſe patet, niſi antecedens intelligeretur modo explicato, atque ita patet, quo pacto conſequentia Philoſophi ſit euidens, alioqui enim ſi Phi-

*Secunda probatio concluſionis.*

loſophus feciſſet hoc antecedens in propoſitionibus de futuro contingenti, altera eſt quomodocumque vera, altera falſa, ergo neceſſe eſt rem eſſe vel non eſſe; nulla omnino eſſet conſequentia, quia ex veritate propoſitionis qualicumque inferretur neceſſitas determinate vera.

Probatur tertio. ex eo, quod expreſſe ait Philoſophus, in medio capitis, omnia ſcilicet abſurda ſupra poſita ſequi, ſi dicatur hoc quod in futuris contingentibus neceſſe ſit alteram propoſitionem determinate eſſe veram vel falſam, ait enim, quæ ergo contingunt inconuenientia, hæc ſunt, & hujuſmodi, ſiquidem omnia affirmationis & negationis, aut in vniuerſalibus dictis, vt vniuerſaliter, vel in his quæ ſunt ſingularia, neceſſe eſt oppoſitarum, hanc quidem veram eſſe, illam verò falſam; vbi apertè fatetur Ariſtoteles illa abſurda ſolum ſequi, ſi quis dixerit, alteram propoſitionem neceſſariò & determinatè eſſe veram, alteram verò falſam.

Probatur quartò. ex illis verbis in fine capitis (ſed in contradictione &c.) vbi Ariſtoteles ſine dubio loquitur ſecundum ſuam ſententiam (aliqui enim putant in prima parte capitis locutum ipſum dubitatiuè, vel ex aliorum ſententia quod tamen non video vnde colligi poſſit, neque Peripatetici ſic explicant ipſum); ponit ergo ipſe Ariſtoteles hæc verba, ſed in contradictione eadem ratione eſſe quidem vel non eſſe, eſt & futurum eſt, vel non, non tamen euidenter dicere alterum neceſſarium; dico autem vt neceſſe eſt, futurum eſt bellum nauale cras, vel non futurum, non tamen fieri cras bellum nauale neceſſe eſt, neque non fieri, fieri tamen vel non fieri, neceſſe eſt; quorum verborum hic eſt ſenſus ſecundum omnes, fieri vel non fieri indeterminatè & conjunctim bellum nauale cras eſt neceſſarium, quia non poteſt dari medium inter contradictoria; non autem eſt neceſſarium disiunctè & determinatè quod fiat bellum nauale, aut quod non fiat, quia ſiue fiat, ſiue non fiat, non neceſſario, ſed contingenter fiet aut non fiet, vbi videtis Philoſophum ſolum negare in his propoſitionibus alteram neceſſario & determinate eſſe veram, non autem eſſe veram quomodocumque, vnde ex hoc loco ſic argumentor, eo pacto negat Philoſophus alteram propoſitionem eſſe determinate veram vel falſam, quo pacto concedit alteram indeterminatè eſſe veram vel falſam, ſed indeterminatè dicit neceſſario eſſe veram vel falſam, ergo determinatè negat neceſſariò eſſe veram vel falſam.

Probatur denique ex verbis immediatè ſequentibus ad ea quæ citauimus, in quibus Philoſophus transfert quæſtionem à rebus ad propoſitiones, & ait ſimiliter ſe habere propoſitiones, ſicuti res, horum enim neceſſe eſt alteram partem contradictionis veram eſſe vel falſam, non tamen hanc vel illam, ſed vtrumlibet contingit, & ſubdit,

quare manifeſtum eſt, quod non eſt neceſſe omnis affirmationis & negationis, oppoſitarum, hanc eſſe veram, illam autem falſam eſſe; ex quibus omnibus locis apertè colligitur Ariſtotelem hoc ſolum negare, eſſe neceſſe, in his propoſitionibus alteram definitè eſſe veram, alteram falſam, quod veriſſimum eſt. Ad huius rei faciliorem intelligentiam aduerte particulam, determinata, determinatè, ordinariè ſumi, vt ſit ſignum ſingularis vnius propoſitionis diſtinguens illam ab altera, ita vt idem ſit dicere vnam determinatam eſſe veram, ac dicere hanc eſſe veram, & non alteram. aliquando tamen particula, determinata ſumitur pro eo quod eſt determinatè, quaſi ſignificet alteram propoſitionem ita eſſe veram vt habeat aliquam determinationem veritatis in ſuis cauſis ex vi quarum naturaliter futura ſit ſuo tempore, qualem determinationem habet roſa in hieme vt ſit in ſuis plantis. His omnibus addi poteſt probatio ex Metaph. 4. tex. 27. vbi docet Philoſophus quemcunq; hominem affirmantem & negantem dicere verum vel mentiri, hoc eſt aut dicere falſum. addi poſſent & alia; ſed quæ diximus, ſufficient.

III. *Soluuntur argumenta contraria.*

Obijcies primò. ſi in ſententia Ariſtotelis altera propoſitio determinata, poſſet dici vera, & altera falſa, etiam contingenter; ſequeretur poſſe dici in ejus ſententia, quod neceſſe ſit alteram determinatam eſſe veram, alteram contingenter falſam; id enim neceſſe eſt, quod non poteſt non eſſe; quod tamen videtur contra Ariſtotelem.

Reſpondeo negando antecedens, quamuis enim ponamus alteram determinatam eſſe veram, & alteram falſam contingenter, tamen non eſt neceſſe hanc determinatam eſſe veram, ſed potius contingens; vnde potius dicere debemus, contingens eſſe hanc determinatam eſſe veram, & illam falſam, quia ſimpliciter hæc quæ eſt vera, poteſt non eſſe vera; ſolum ergo dici poteſt, vt loquitur Ariſtoteles, neceſſe eſt alteram eſſe veram, alteram falſam indeterminatam, non autem hanc vel illam determinatam.

Obijcies ſecundo. Ariſtoteles facit differentiam inter propoſitiones de futuro, & de præſenti; non autem apparet in quo poſſit eſſe differentia, ſi ita explicetur Ariſtoteles, quia neque propoſitio de præſenti in materia contingenti neceſſe eſt vt ſit vera vel falſa, non enim petrus qui currit, neceſſe eſt vt currat, niſi ex ſuppoſitione, ergo &c.

Reſpondeo Ariſtotelem manifeſtè dixiſſe, ijs verbis. Igitur eſſe quod eſt, &c. etiam res de præſenti in materia ſingulari, & contingenti, non eſſe neceſſariò ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione; atque ita neque propoſitiones de illis ſunt neceſſario veræ, niſi ex ſuppoſitione; & idem dixiſſet Ariſtoteles de propoſitionibus in rebus præteritis, quod videlicet non neceſſariò ſimpliciter fuerint. ratio tamen diſparitatis maxima eſt, quia licet tam propoſitiones de præſenti in materia

contingenti, quam de futuro, dici poſſint neceſſario veræ vel falſæ ex ſuppoſitione, tamen propoſitio de præſenti eſt neceſſaria ex ſuppoſitione ipſius rei præſentis jam determinatæ in ſeipſa quoad ſuā actualem exiſtentiam extra cauſas, & ſic verum eſt dicere in propoſitionibus de præſenti quod neceſſe eſt alteram definitè & determinatè in ipſa re eſſe veram, alteram falſam ea neceſſitate quæ ſit conueniens ipſis rebus; res vero futuræ contingentes non habent vllam actualem determinationem in ſeipſis neque in ſuis cauſis neceſſarijs, atque ita dici non poteſt quod altera propoſitio determinata ſit definitè, & determinatè vera, & multominus quod neceſſe ſit eſſe determinatè veram; quam diſparitatem communiter tradunt interpretes hoc loco, & ſatis apertè colligitur ex Ariſtotelis verbis antecedentibus, vbi non ſolum concedit alteram propoſitionem eſſe veram, & alteram falſam, ſed etiam alteram magis veram, ideſt, habere majorem aliquam determinationem, quam habeat altera, non tamen neceſſe eſſe illam determinatè eſſe veram, ſed ſolum contingere eſſe veram; Itaque tam propoſitio de præſenti, quam de futuro, in materia contingenti, eſt neceſſaria ſolum ex ſuppoſitione, ſed prima ex ſuppoſitione ipſius actualis determinationis in re ipſa; ſecunda verò ex ſuppoſitione futuri euentus, & futuræ determinationis.

# QVÆSTIO DECIMATERTIA.

## *An detur figura Galeni.*

I. HANC quæſtionem non eſt mihi animus exactè, fuſeque hoc loco diſcutere, ſed tantum breuiter indicare quid ſentiam, & qua ratione ſententia mea defendi poſſit.

II. Dico igitur breuiter primo dari figuram Galeni. eſt ſententia Ariſtotelis, Galeni, & aliorum, quos ex recentioribus ſequitur Oddo de Oddis apud Cardinalem Contarenum in Opuſculo de quarta figura. Probatur breuiter ex Ariſtotele qui in anteprædicamentis in prima regula anteprædicamentali indicauit ſecundum illam formari poſſe argumentationem formalem, in figura Galeni dum exemplum illius adferens vtitur particula illatiua. ergo, quę eſt formula argumentationis; imò exemplum ipſum eſt argumentatio in actu ſignato vt clarè patet conſideranti, homo, inquit, de homine quodam prædicatur, nimirum quando dico, aliquis Philoſophus eſt homo, animal vero de homine, nimirum quando dico, omnis homo eſt animal. ergo de quodam homine, animal prædicatur, ſi nimirum inferam. ergo aliquis Philoſophus eſt animal; Colligendo ergo omnes propoſitio-

*Prima concluſio dari figuram Galeni.*
*Ariſtoteles.*
*Galenus.*
*Oddo de Oddis.*
*Probatio concluſionis.*

nes, aliquis Philoſophus eſt homo, omnis homo eſt animal. ergo aliquis Philoſophus eſt animal, argumentatio formalis eſt in figura Galeni in modo quem vocant Pirali; ſatis ergo nobis hanc figuram indicauit Ariſtoteles, difficultas tantum eſt an debeat diſtingui à prima.

Dicendum autem eſt ſecundò, figuram Galeni eſſe diſtinctam à prima Ariſtotelis. eſt Galeni quem ſequitur Oddo.

III.

*Secunda concluſio figuram Galeni eſſe diſtinctam à 1. Ariſtotelis.*

*Probatio concluſionis.*

*S. Thomas.*

Probatur primò. diſtinctio figuræ eſt ex diſpoſitione extremorum cum medio, at diuerſa eſt talis diſpoſitio in figura Galeni & prima Ariſtotelis. ergo, &c. ſecundò ſi non diſtinguerentur, prima deberet reduci ad figuram Galeni, vt potè imperfectior, ad perfectiorē, quod tamen aduerſarij nunquam concedent. ergo, &c. quod autem figura Galeni multo ſit perfectior prima, imò & naturalior facile probari poteſt, primo quidem quod ſit perfectior, primo quia, figuræ ſyllogiſmorum tales dicuntur per analogiam ad Geometricas vt optimè notauit ſanctus Thomas, opuſculo 47. vbi ſyllogiſmum egregiè explicat per triangulum, & confert terminos cum punctis, propoſitiones cum lineis, diſpoſitionem cum figuris, &c. figura autem Galeni procedit ſecundum circularem quæ eſt optima, proceditur enim in illa à primo ad medium, & ab hoc ad poſtremum, in prima autem proceditur à medio ad primum, & à medio ad poſtremum. ſecundò idem patet, quia medium in figura Galeni eſt perfectiori modo medium quam in prima, (ita enim probat Ariſtoteles primam figuram eſſe perfectiorem 2. & 3.) quod ſic oſtendo, medium dicitur tale, primo quia eſt ratio connectendi extrema in concluſione, & ſic eſt medium in omnibus figuris. ſecundò quia medium eo modo ſe habet quoad prædicationem & ſubjectionem, vt ſemel ſubijciatur, & ſemel prædicetur, & ſic vocatur ab Ariſtotele, medium poſitione, & hoc modo ſe habet medium in figura Galeni, & in prima, non in ſecunda & tertia. Tertiò quia medium, eſt medium probatione, & ſitu terminorum, quomodo ſe habet tantum in figura Galeni; Ex quo patet in figura Galeni medium eſſe perfectiori modo medium quam in prima, ex quo vlterius ſequitur; figuram Galeni perfectiorem eſſe prima. ſecunda pars etiam patet, nimirum, quod ſit etiam naturalior, quia naturalior modus procedendi eſt à primo ad medium, & à medio ad poſtremum, quam à medio ad primum, & à poſtremo ad medium, ſed figura Galeni procedit primo modo, prima vero ſecundo. ergo, &c. ſecundò naturalior & perfectior modus procedendi eſt ab imperfecto ad perfectius, & deinde ad perfectiſſimum; quam à perfecto ad perfectius, deinde ad minus perfectum, ſed primo modo proceditur in figura Galeni, ſecundo in prima figura. ergo perfectius & naturalius proceditur in figura Galeni quam in prima. major clara eſt lumine naturali. minor probatur, in figura Galeni majus extremum ſubijcitur medio,

ac proinde eſt imperfectius, medium vero ſubijcitur minori extremo, ac proinde medium perfectius quidem eſt majori: ſed imperfectius minori, minus vero extremum perfectiſſimum eſt, quia prædicatur de medio & de majori extremo; procedimus ergo à majori extremo ad medium, & à medio ad minus extremum, ac proinde ab imperfecto ad perfectius & ad perfectiſſimum; In prima figura procedimus à medio ad extremum & deinde ab extremo ad medium; Clarum eſt hoc ad oculum in ſequenti ſyllogiſmo facto ſecundam figuram Galeni, & primam Ariſtotelis, In figura Galeni

Omnis homo eſt animal.
Omne animal eſt ſubſtantia.
Ergo omnis homo eſt ſubſtantia.

In prima figura.

Omne animal eſt ſubſtantia.
Omnis homo eſt animal.
Ergo omnis homo eſt ſubſtantia.

IV. *Auerroës. Fundamenta aduerſariorum proponuntur & explicantur.*

Obijcies primò cum Auerroë & recentioribus, ſyllogiſmi Logicales non debent aduerſari proceſſui noſtro naturali, ſed ſyllogiſmi in figura Galeni aduerſantur. ergo &c. minor patet in hoc ſyllogiſmo ſecundum figuram Galeni, Omnis homo eſt animal, Omne animal eſt corpus, Ergo aliquod corpus eſt homo. hoc argumentum videtur recentioribus efficaciſſimum & vnicum ad figuram Galenicam è medio tollendam. Verum

Reſpondeo nullius eſſe momenti; nego enim Minorem, ad cujus probationem, dico ſyllogiſmum illum indirectè concludere in Calatix; habent autem innaturalitatem illam etiam indirecti primæ figuræ; fiet vero ſyllogiſmus naturaliſſimè concludens expectatam concluſionem in Attala figuræ Galenicæ, vnde quando ſupra oſtendimus figuram Galeni perfectiorem & naturaliorem eſſe prima communiter recepta, contulimus nos modos directè concludentes in figura Galeni, cum directè concludentibus in prima. porrò qui ſint directè qui indirectè concludentes in figura Galeni, ex ſequentibus accipe verſibus.

*Modi figuræ Galenicæ.*

*Attala, Galene, pirali, viredo, reguntur.*
*Non calatix, tibaris, treciſmo, ſeſapmo, carenes.*

Directi ſunt qui in concluſione inferenda conformantur regulis in toto eſſe, & in nullo eſſe; directè ergo concludunt qui exactè procedunt ſecundum ſuam regulam in concluſione inferenda; aliud ergo erit directè concludere in figura Galeni, aliud in alijs, cum aliæ ſint regulæ formaliter vtrorūque. hinc cum regula in toto eſſe inuerſo or-

dine procedat cum dici de omni, directè concludendo ſecundum in toto eſſe, debet poſtremum prædicari de primo, id eſt minus extremum de majori, quandoquidem ſecundum dici de omni, directè concludendo primum prædicetur de poſteriori, id eſt majus de minori; directè itaque concludere in figura Galeni eſt concludere minus de majori, contrario modo quam in prima figura. Sed, inquies, hinc ſequitur contra Philoſophum in ſecunda & tertia figura non dari modos indirectè concludentes, cum enim in ſecunda & tertia figura, modi poſſint fundari tam in toto eſſe quam in dici de omni, ſiue contra, ſemper poterunt dici directè concludere habito reſpectu ad vnam aut alteram regulam. Reſpondeo hanc objectionem confirmare meam ſententiam; cum enim ſyllogiſmi ſecundæ & tertiæ figuræ, tam dici poſſint mediatè regulari, ſecundum in toto eſſe, quam dici de omni, æque naturaliter procedetur in his figuris, ſiue minus prædicetur de majori, ſiue majus de minori. Quæ fortè fuit occaſio vt dicerent nonnulli nihil in ſecunda & tertia figura concludi directè, cum non viderent majorem naturalitatem in vna quam in alia prædicatione. Verum quod negarint minus poſſe de majori prædicari eſt contra Ariſtotelem. Indirecti modi ſunt qui deflectunt ab illis regulis in concluſione inferenda, ſiue in quibus majus extremum prædicatur de minori.

Obijcies ſecundo. figura Galenica à prima non diſcrepat præterquam præmiſſarum tranſpoſitione; itaque illa non ſufficit ad figurarum numerum augendum. ergo &c.

Reſpondeo negando minorem; præmiſſarum enim tranſpoſitio ſufficit ad mutationem, diſtinctionem, perfectionem & imperfectionem ſyllogiſmorum & figurarum; & hoc mihi certum videtur, in omnibus enim artibus & compoſitis, tranſpoſitio partium magnam facit mutationem. patet in artibus liberalibus; in Grammatica litterarum tranſpoſitio, in poeſi vnius vocis tranſpoſitio; in muſica vna nota tranſpoſita; in homine quoque brachium aut pes loco capitis magnam inducunt mutationem, & tectum loco fundamentorum; conuerſio etiam propoſitionum, vt propius accedam, magnam facit mutationem; nihil ergo mirum, ſi præmiſſarum (quæ ſunt præcipuæ ſyllogiſmi partes) tranſpoſitio, mutet figuram, naturalitatem, & euidentiam. Secundo præmiſſarum tranſpoſitio ſufficit in alijs figuris, verbi gratia, diſamis, & datiſi. ergo etiam in figura Galeni. ſed inquies in figura Galeni poteſt illa vocari major propoſitio in qua medium ſubijcitur & quæ ponitur ſecundo loco; in ſecunda vero & tertia major eſt illa quæ ordine præcedit; ac proinde eſt diuerſitas, & ratio, cur dicatur diſamis diſtingui potius à datiſi, quam figura Galeni à prima. Reſpondeo primo falſum eſſe quod dicitur, vt jam ſuppono; Exiſti-

mo enim illam eſſe vniuerſaliter majorem, quæ eſt prima ordine prolationis, illam eſſe minorem quæ eſt ſecunda; illud majus extremum quod ponitur in prima propoſitione, minus quod in ſecunda, vt tradunt Scotus, quęſt. 24. lib. 1. priorum, Sotus lib. 5. Summularum cap. 5. & 6. Toletus lib. 4. introductionis, & alij. Secundò ſit ita, tamen negari non poteſt, quod quando major propoſitio ponitur ſecundo loco, & minor primo, quod fiat tranſpoſitio præmiſſarum, cum major ſecundum primam figuram debeat eſſe primo loco, minor ſecundo; Tunc ſic argumentor, figura Galeni diſtinguitur à prima tranſpoſitione præmiſſarum, quarumcunque demum, non major vel minor propoſitio; ſed diſamis & datiſi, Cæſare & Cameſtres, etiam diſtinguntur tranſpoſitione præmiſſarum. ergo tanta eſt diſtinctio ſyllogiſmorum figuræ Galeni, à ſyllogiſmis primæ, quanta eſt ſyllogiſmorum aliarum figurarum inter ſe, quia vtrobique eſt ſola tranſpoſitio præmiſſarum. Omitto breuitatis cauſa alia argumenta.

Scotus. Sotus. Toletus.

Obijcies tertiò, terminum aliquem, vel propoſitionem, poni primo vel ſecundo loco, non variat intrinſecè judicium antecedentis vel conſequentis. ergo non poteſt diuerſificare figuras.

Reſpondeo ſi per intrinſecè intelligatur eſſentialiter, tranſeat antecedens; ſed neque conuerſio variat intrinſecè antecedens vel conſequens, & tamen variat figuram; ſi vero per intrinſecè intelligatur realiter, nego antecedens, quia non poteſt fieri tranſpoſitio terminorum vel propoſitionum niſi numericè mutentur propoſitiones; nec eſt neceſſe ad variandum compoſitum, aliquid denouo accedere, ſatis eſt tranſpoſitio partium

Obijcies quartò. Ariſtoteles non tractauit ex profeſſo figuram Galeni. ergo ſignum eſt non agnouiſſe.

Reſpondeo ideo non feciſſe, quia quilibet illam à natura diſcere poterat. prima plus habet artis & difficilius diſcitur, & propterea ab Ariſtotele explicata fuit.

# QVÆSTIO DECIMAQVARTA.

## *Quid ſit opinio, & an formido ſit de eſſentia opinionis.*

I. PRÆMITTO ad quæſtionis intelligentiam, opinionem varijs modis ſumi. primò enim ſumitur pro quacumque cognitione, vel aſſenſu intellectus, vt patet ex Ariſtot. 5. Metaph. textu 21. & 3. Ethic. cap. 3. ac alibi ſæpè, vt aduertit Linconienſis 1. poſt. cap. vltimo. ſecundò ſumitur pro cognitione obſcura comprehendente ſub ſe fidem humanam,

Linconienſis.

manam,& ſuſpicionem, quæ,vt plurimum,ſolent eſſe cognitiones obſcuræ. tertiò ſumitur pro cognitione in qua eſt aſſenſus cum formidine,ſiue hæc formido naſcatur ex re ipſa opinabili,ſiue aliunde. quartò ſumitur pro cognitione,in qua eſt aſſenſus cum formidine rei opinabilis quod videlicet poſſit aliter ſe habere. nos vero hoc loco loquimur de opinione 3.& 4.modo,maximè vero 4.modo. Sed opinio 3.& 4.accepta, adhuc bifariam ſumi poteſt. 1.pro actu cognoſcendi opinatiuo. 2.pro habitu acquiſito ex pluribus actibus opinatiuis,dixi ex pluribus actibus, quia non videtur probabile habitum opinatiuum ſaltem vt plurimum generari poſſe ex vnico actu etiam intenſo. Ratio eſt, quia vnica tantum probabilis non videtur,vt plurimum,ita poſſe conuincere intellectum, vt illi firmiter aſſentiatur, atque adeo acquirat habitum,quo inclinetur ad aſſentiendum illi concluſioni ſemper. ſed ſiue ſumatur opinio pro actu,ſiue pro habitu,adhuc dupliciter ſumi poteſt, vt colligitur ex Gregorio Ariminenſi, quæſt.2. prolog. art. 3. primò ſumitur pro actu intellectus quo ex præmiſſis probabilibus, deducitur concluſio, & ſimiliter pro habitu generato ex iiſdem actibus, quo habitu inclinatur & diſponitur intellectus ad ſimiles concluſiones deducendas. ſecundò accipitur pro ipſo actu,quo intellectus aſſentitur concluſioni, ideſt, pro ipſo aſſenſu formaliter,quo intellectus deducens concluſionem ex præmiſſis, cum formidine illi aſſentitur; quo fit vt actus, quo deducitur cõcluſio ex præmiſſis, & actus quo aſſentitur concluſioni deductæ,non ſint duo actus diſtincti realiter, ſed vnus idemque actus formaliter tantum à ſeipſo differens, nam quatenus per illum deducitur concluſio, dicitur deductio vel concluſio; quatenus vero per eundem aſſentimur concluſioni, dicitur aſſenſus. *Gregorius Ariminenſis.*

Præmitto ſecundò. ſi loquamur de opinione propriè dicta,ita poſſe deſcribi,opinio eſt cognitio intellectualis,imperfecta,incerta & ineuidens ex parte medij, vnde dependet, & habens annexam ſemper formidinem oppoſiti. dixi cognitio intellectualis loco generis & vt comprehenderem tam actum quam habitum opinatiuum. dixi, imperfecta, ad excludendos alios habitus intellectuales perfectos, vt ſapientiam, intellectum, &c. dixi, incerta ex parte medij vnde dependet,ad excludendam fidem diuinam, cujus medium eſt authoritas Dei reuelantis; vnde eſt omnium cognitionum certiſſima. dixi etiam, incerta, & ineuidens, &c. vt peculiari ratione excluderem ſcientiam cum qua opinio majorem habet ſimilitudinem quam cum cæteris cognitionibus intellectiuis. differt ergo opinio à ſcientia, primo ratione objecti, objectum enim ſcientiæ eſt neceſſarium, at objectum opinionis non modo non poteſt eſſe aliquid neceſſarium, ideſt, cognitum vt neceſſarium, quod eſt in ſcientia, ſed etiam debet eſſe aliquid contingens, vel in re, vel cognitum vt contingens, quorum neutrum eſt in II. *Deſcriptio opinionis propriè dictæ.*

Q

objecto ſcientiæ,eſt enim neceſſarium,& re ipſa, & vt cognoſcitur. ſecundo differunt ratione medij,quia medium ſcientiæ eſt neceſſarium; medium opinionis eſt probabile & contingens, ſaltem cognitum vt contingens. tertio differunt ratione modi cognoſcendi ipſius cognoſcentis; ſciens enim cum firma animi credulitate,affirmat rem non poſſe aliter ſe habere, opinans autem non ita; ſemper enim eſt cum formidine oppoſiti, & has tres differentias indicat Philoſophus 1. poſt. cap. vltimo, quarto differunt,quia ſcientia habetur per vnam demonſtrationem,opinio habetur per ſyllogiſmum topicum & probabilem. quinto differunt ratione certitudinis & euidentiæ nam opinio, ſaltem ex modo cognoſcendi ipſius opinantis, ſemper eſt incerta & ineuidens; at ſcientia ſemper eſt certa & euidens, tum ex objecto, tum ex medio, tum ex modo cognoſcendi ipſius ſcientiæ, certa, inquam, certitudine intrinſeca.

III. *Corollaria quædam.* Ex dictis ſequitur primo,quomodo differat opinio à ſuſpicione; ſuſpicio enim eſt leuis quædam credulitas & conjectura,qua quis inclinatur quidem ad aſſentiendum alicui rei cognitæ, vere tamen non præbet determinatum aſſenſum illi; at vero opinio habet determinatum aſſenſum circa,rem probabiliter tamen & cum aliqua formidine. ſecundo ſequitur quomodo differat opinio à fide humana; quia nimirum hæc poteſt eſſe ſine formidine, opinio autem non item. ſequitur tertio,quomodo opinio differat à dubitatione; dubitatio enim eſt quando intellectus propter rationes,quæ ex vtraque parte apparent omnino æqualiter probabiles ad aſſentiendum neutri parti inclinatur & conſequenter ſuſpendit omnem omnino aſſenſum, at opinio in vnam partem inclinatur & præbet illi aſſenſum, ſed probabiliter tantum.

IV. *D. Thomas & Scotus, volunt formidinem eſſe de intrinſeca ratione opinionis.* Supereſt iam videre,an formido ſit de eſſentia & intrinſeca ratione opinionis. qua in re D. Thomas ſecunda ſecundæ, quæſtione prima, act. 1. ad 4. & quæſt. 2. art. 1. & in 3. ſentent. diſt. 23. quæſt. 2. articul. 2. quæſt. 1. & 2. Scotus in 3. diſt. 24. quæſt. vnica exiſtimant formidinem eſſe de intrinſeca ratione opinionis. Contra alij negant eſſe de intrinſeca ratione opinionis. Ad ſolutionem difficultatis ſuppono, nos loqui hoc loco de opinione propriè dicta quarto modo ſupra explicato accepta,& quam deſcripſimus; ſi enim loquamur de opinione amplè ſumpta, certum eſt aliter eſſe philoſophandum de illa. hoc poſito *Alii negant.*

V. *Prima concluſio.* Dico primo,ſi per, formidinem, intelligatur negatio vel priuatio certitudinis & euidentiæ, certum eſt formidinem non conſtiruere intrinſece opinionem propriè dictam.

*Eius probatio.* Probatur quia hujuſmodi opinio eſt cognitio poſitiua & realis. ergo differentia conſtitutiua & intrinſeca illius, non poteſt eſſe nega-

tio, ſed neceſſario debet eſſe quid poſitiuum.

Dico ſecundò. ſi per, formidinem, intelligatur non tã negatio firmi certi & euidentis aſſenſus quam ipſemet poſitiuus ordo vel habitudo quam dicit aſſenſus opinatiuus ad objectum & medium contingens tunc formido eſt de intrinſeca ratione opinionis & eſſentialis illi in ſecundo modo dicendi per ſe, ideſt, eſt proprietas illius, hæc concluſio eſt D. Thomæ & Scoti locis citatis, &c. VI. *Secũda concluſio.*

*Probatio eiuſdẽ.* Probatur breuiter, quia in opinione ſicut etiam in omni alia cognitione intellectiua, nihil poteſt aſſignari per quod eſſentialiter perficiatur & conſtituatur tanquam per propriam differentiam eſſentialem, niſi radix & fundamentum illius habitudinis. ergo hujuſmodi radix eſt eſſentia opinionis, & ipſa habitudo proprietas.

Dico tertiò. ſiue per, formidinem, intelligatur, illa poſitiua habitudo aſſenſus opinatiui ad ſuum objectum & medium, ſiue intelligatur negatio firmi, certi, & euidentis aſſenſus, quod ego verius exiſtimo, ſemper opinio intrinſecè habet annexam formidinem, ita vt numquam ſit aut eſſe poſſit ſine formidine. prima pars concluſionis patet ex præcedenti concluſione. ſecunda probatur, quia numquam poteſt eſſe aſſenſus opinatiuus firmus certus & euidens. ergo neceſſario erit non firmus non certus & non euidens, quia inter contradictoria non datur medium. ergo formido quæ non videtur aliud quam hujuſmodi negatio certitudinis & firmitatis ſemper comitatur opinionem ſicut propria paſſio illius, non quidem poſitiua, ſed negatiua. ſecundò probatur, quia certum eſt poſſe eſſe opinionem de objecto neceſſario & per medium etiam neceſſarium, vt bene aduertit Cajetanus primo, poſt. cap. vltimo dummodo tam objectum & ſimiliter medium cognoſcantur vt contingentia; tunc autem opinio cum non ſit cognitio ſcientifica neceſſario debet conſtitui vel per formidinem eſſentialiter vel per aliquid ex quo immediatè ſequitur formido, quia aliud non poteſt aſſignari. VII. *Tertia concluſio.* *Probatur.* *Caietanus.*

Dices opinionem conſtitui per judicium probabile intellectus quo propter medium probabile præbet aſſenſum rei cognitæ. *Reſponſio aduerſariorum.*

Sed contra eſt. primò quia opinio poteſt eſſe per medium neceſſarium appræhenſum tamen vt contingens. ergo inuoluit formidinem, cum expreſſè inuoluat contingentiam. ſecundò, quia illud probabile judicium intrinſecè includit formidinem cum nullo modo ſit aſſenſus certus & firmus. *Reiicitur.*

Obijcies primò. opinio diſponit ad ſcientiam. ergo non includit formidinem nam diſpoſitio non debet eſſe contraria, ſed proportionata formæ introducendæ. VIII. *Soluuntur obiecta ab aduerſariis.*

Reſpondeo diſpoſitionem per ſe requiſitam & non per accidens debere eſſe proportionatam & non contrariam formæ introducendæ;

Q ij

ſic calor eſt per ſe diſpoſitio ad ignem, frigus autem per accidens ratione qualitatis materiæ in quam inducitur ignis, vt patet in igne qui accenditur in carbonibus per infuſionem aquæ frigidæ; per accidens enim eſt quod de eadem re præcedat opinio, de qua poſtea habetur ſcientia; fieri enim poteſt, vt de re aliqua habeatur ſcientia, nulla præcedente nec ſubſequente opinione; quamvis autem opinio ſiue habitualis, ſiue actualis, diſponat aliquo modo ad ſcientiam, nullo tamen modo opinio auget ſcientiam, ſiue actualem, ſiue habitualem, quia ſunt cognitiones diuerſæ rationis.

Obijcies ſecundò. ſi formido eſſet de eſſentia opinionis & illam comitaretur, ſequitur ſi augeatur opinio ex multiplicatis probabilibus, debere etiam augeri formidinem; hoc autem eſt falſum, quia experientia conſtat minui. ergo &c.

*Gregorius Ariminenſis.* Reſpódeo negãdo conſequentiã, nã formido in probabili ſententia eſt de eſsẽtia ſuſpicionis, vt bene aduertit Gregorius Ariminenſis, & tamen aucta ſuſpicione, minuitur formido. item de eſſentia temperantiæ & continentiæ eſt difficultas, & tamen multiplicatis actibus temperantiæ & continentiæ, temperantia & continentia augentur, & diminuitur difficultas. ratio hujus eſt, quia opinio dicit duo. primò enim dicit quid poſitiuum, & id quidem directè & formaliter, nempe radicem habitudinis ad objectum, & ipſam habitudinem ad objectum & medium. ſecundò dicit quid priuatiuum, & id quidem indirectè & connotatiuè, nempe formidinem. fieri igitur poteſt, vt vnum augeatur & alterum minuatur, vt patet, in exemplis propoſitis.

Obijcies tertiò. ſi, vt patet experientia, multiplicatis medijs & principijs probabilibus minuitur formido, poterunt ita multiplicari media & principia probabilia, vt tollatur omnis formido ab opinione. ergo &c.

Reſpondeo negando conſequentiam, neque enim magis aſſentiemur concluſioni quam principijs; ſed principia & media quantumcumque multiplicentur, ſemper ſunt probabilia, conſequenter inuoluunt ſemper formidinem.

Obijcies quartò. Ariſtotel. 7. Eth. cap. 3. ait aliquos ita firmiter adhærere ſuis opinionibus, vt nihil planè dubitent, ſicut faciunt illi qui habent ſcientiam. ergo &c.

Reſpondeo Ariſtotel. ibi & alijs in locis non ſumere opinionem in ſua propria; ſed latiori ſignificatione. Addo ibi, nomine, opinionis, non tam intelligi opinionem quam ignorantiam prauæ diſpoſitionis vel errorem; Heraclitus enim, de quo ibi loquitur Ariſtotel. putabat ſe habere ſcientiam, & non opinionem, quod omnia eſſent in motu quodam continuo; hoc autem eſt error. & ſanè Ariſtotel. in noſtra eſſe ſententia euidentiſſimum eſt ex primo poſt. cap. vltimo, vbi expreſsè ha-

bet opinionem,natura ſua eſſe incertam, & neminem,quando opinatur, certò aſſentiri, ita vt non poſſit res aliter ſe habere, ſed ſemper dubitare de oppoſito. Aduerte hoc loco formidinem non conſiſtere in eo, vt quis poſitiuè exiſtimet oppoſitum concluſionis eſſe poſſibile, ſed vt quia cognoſcens concluſionem ex medio probabili & contingenti præbeat illi aſſenſum debilem tantum & remiſſum,& conſequenter cum quodam dubio & formidine de veritate illius atq; adeo implicitè cum exiſtimatione oppoſiti poſſibilis.

# QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

## *An & quomodo opinio & ſcientia poßint eſſe ſimul.*

DIvvs Bonauentura in 3.diſt.24.quæſt.3. art.2.Durandus quæſt. I.
1. prol. Alexander Alenſis, & alij, referuntur exiſtimaſſe ſcientiam tam actualem quam habitualem poſſe ſimul ſtare.

*S. Bonauentura, Durandus, & Alexander Alenſis cenſent ſcientiam & opinionem ſimul ſtare poſſe.*

Contra vero, D. Thomas loco citato, Scotus loco etiam citato contendunt non poſſe eſſe ſimul. ad quæſtionis ſolutionem.

*Contrarium ſentiunt D. Thomas & Scotus.*

Præmitto certum eſſe apud omnes in diuerſis hominibus de eadem re poſſe eſſe ſcientiam & opinionem; certum etiam eſſe apud omnes in eodem homine de eadem re ſucceſſiuè,diuerſis ſcilicet temporibus poſſe eſſe ſcientiam & opinionem; poteſt enim quis primo II.
habere opinionem de re aliqua, deinde poteſt habere ſcientiam de eatem re; certum etiam tertio eſt apud omnes in eodem homine de diuerſis rebus poſſe eſſe ſcientiam & opinionem ſimul.Et hæc tria vera ſunt tam de ſcientia & opinione actuali quam habituali,& omnia tria traduntur & approbantur ab Ariſtotele 1. poſt. cap. vltimo.difficultas igitur tantum manet, an in eodem intellectu de eadem re,poſſint eſſe ſimul ſcientia & opinio, qua in re.

Dico primo ſiue intellectus, aut alia quæcumque potentia poſſit III.
ſimul exercere plures actus ſiue non poſſit, ſcientia actualis & opinio actualis non poſſunt eſſe ſimul in eodem de eadem re. Concluſio, vt dixi, eſt Doctorum Angelici, & ſubtilis, locis citatis contra S. Bonauenturam, Alexandrum Alenſem, & alios.

*Prima concluſio.*

Probatur breuiter ratione Ariſtot. quæ habetur cap. vltimo primi poſt. quia in eodem eſſent duo aſſenſus contradictorij; eſſet enim aſſenſus certus,& non certus, euidens, & non euidens, &c. neque dicas Ariſtotelem tantum velle quod non poſſint eſſe ſimul opinio & ſciētia per idem medium, non tamen negare poſſe eſſe ſimul per diuerſa

*Eiuſdē probatio.*

media. ne inquam hoc dicas; primo quia Ariſtot. abſolutè & ſimpliciter loquitur, deinde non aliam ob cauſam negat illa poſſe eſſe ſimul niſi quia idem intellectus ſimul exiſtimaret rem poſſe aliter ſe habere & non poſſe, quæ ſunt pugnantia; ſed hæc implicantia ſemper ſequitur, ſiue dicatur ſcientia & opinio eſſe ſimul per idem medium, ſiue per diuerſa media. ergo &c. verum, vt hæc concluſio, & ſequens melius intelligantur, & vt argumenta, quæ in oppoſitum adduci ſolent, facilius ſoluantur, aduerte tunc non eſſe veram opinionem quando exiſtimat quis ſe demonſtrare per medium neceſſarium quod tamé re vera & à parte rei eſt tantum probabile; tunc enim nulla eſt formido, & per conſequens non eſt opinio. opus itaque eſt, vt cognoſcatur ipſum medium tanquam probabile, ſiue re vera ſit probabile, ſiue etiam neceſſarium. item tunc non eſt ſcientia quando quis non exiſtimat medium & objectum poſſe aliter ſe habere, cum tamé re vera poſſint aliter ſe habere, ſed opus eſt non modo objectum & medium non poſſe aliter ſe habere, ſed etiam taliter cognoſci, alias non erit ſcientia, vtrumque enim requiritur ad ſcientiam. ſecundò aduerte hæc duo eſſe valde diuerſa inter ſe, nimirum judicare medium aliquod, ex quo deducitur concluſio eſſe probabile, & conſequenter generare aſſenſum cum formidine; & vere aſſentiri ipſi concluſioni propter tale medium, verbi gratia, aliud eſt quod quis Chriſtianus propter omnipotentem fœcunditatem, & ſimplicitatem infinitam Dei, illi propoſitam probabiliter judicet inferri hác concluſionem, Deus eſt trinus & vnus; aliud eſt quod verè aſſentiatur tali concluſioni propter tale medium, immo non aſſentitur propter tale medium ſed propter authoritatem Dei reuelantis; fieri igitur poteſt, vt quis eodem actu judicet medium aliquod eſſe probabile, & tamen concluſioni aſſentiatur neceſſariò, & ſine formidine, propter aliud medium non contingens; opinio vero non ſolum dicit judicium quo quis exiſtimat & affirmat concluſionem probabiliter inferri ex aliquo medio, de hoc enim poteſt eſſe ſcientia, aut fides, ſi adhibeatur aliud medium, vt diximus in exemplo poſito; ſed formaliter etiam dicit judicium quo quis judicat rem aliquam ita ſe habere cum quadam formidine propter cótingentiam medij cognitam.

IV. *Secũda concluſio.* Dico ſecundò. ſcientiam habitualem & opinionem habitualem non poſſe eſſe ejuſdem omnimo rei in eodem intellectu. hæc etiam concluſio eſt eorumdam doctorum, quorum fuit præcedens concluſio &c.

*Prima eius probatio.* Probatur, quia eadem omnino eſt ratio habituum & actuum, ſed actus opinionis & ſcientiæ non poſſunt eſſe ſimul. ergo nec habitus ob eadem omnino abſurda, & certè habitus quorum actus ſunt repugnátes, ſunt etiam ſibi mutuo repugnantes. ergo ſi actus opinionis eſt re-

pugnans actui ſcientiæ, vt eſt repugnans, etiam habitus erit repugnans habitui. Quod vero habitus, quorum actus ſunt repugnantes, ſint etiã ſibi mutuo repugnantes, facilè oſtenditur: primò, quia actus producunt habitus. ergo contrarij contrarios. ſecundò habitus inclinant ad actus. ergo contrarij ad contrarios. tertiò ad hominem, contra aduerſarios ſic argumentor. dico habitus contrariorum actuum dicunt eſſentialem ordinem ad duos actus contrarios, ſecũdum eam rationem, qua ſunt contrarij. ergo etiam illi habitus ſunt contrarij, quia ſpecificantur à contrarijs.

Probatur ſecundò. concluſio ex alijs habitibus oppoſitis; habitus enim temperantiæ omnino excludit ab eodem ſubjecto habitum intemperantiæ. ergo à pari idem dicendum eſt de habitu ſcientiæ, & opinionis. *Secũda probatio.*

Probatur denique authoritate Ariſtotel. cap. vltimo, primi poſt. dicentis quod quamvis de eodem ſubjecto, aut eadem re, realiter poſſint eſſe ſcientia & opinio, non tamen de eadem re formaliter, ideſt, de eodem ſubjecto ſecundum idem prædicatum, & rationem reddit cur repugnent ſcientia & opinio ejuſdem omnino concluſionis, ſimul & ſemel in eodem homine, quia videlicet vna cognitio eſt certa, altera incerta, & conſequenter vult Ariſtotel. vt optimè notat Sotus, & patet ex textu, tantam eſſe repugnantiam inter opinionem & ſcientiam, propter certitudinem & incertitudinem, quanta eſt inter aſſenſum verum & aſſenſum falſum, nam per ſcientiam, inquit Ariſtot. judicamus rem non poſſe aliter ſe habere, per opinionem judicamus poſſe aliter ſe habere, quæ ſunt pugnantia; quæ quidem ratio & repugnantia eandem habet vim, tam in opinione & ſcientia habituali, ſuo modo ſecundum quandam proportionem, quam in actuali. *Tertia probatio.* *Sotus.*

V.

Obijcies primò. fides diuina quæ inuoluit intrinſecè ineuidentiam, poteſt eſſe ſimul cum ſcientia in eodem intellectu de eadem re, vt patet in primo articulo fidei, quo credimus Deum eſſe, & tamen idem articulus fidei, quo ad hoc ſcitur naturali lumine. ergo pari ratione poſſunt eſſe ſcientia & opinio ejuſdem de eodem. *Soluuntur fundamenta contraria.*

Reſpondeo primò. forte antecedens eſſe falſum, quia ſecundum D. Thomam & probabilem aliorum Theologorum ſententiã fides diuina & ſcientia non poſſunt eſſe ejuſdem de eodem, vnde ſecundum ipſos, qui habet euidentiam ſcientificam de aliquo articulo fidei, non habet amplius fidem propriè dictam &c. ſecundò dico non eſſe parem rationem; fides enim diuina eſt alterius ordinis, nimirum ſupernaturalis; & inde fieri poteſt vt potius perficiat quam tollat euidentiam ſcientificam alicujus rei, aut ſaltem vt illam non tollat; ſcientia autem & opinio ſunt ejuſdem ordinis naturalis ſcilicet, & habent proprietates repugnantes, & ideo non poſſunt eſſe ſimul.

Obijcies ſecundò. ſi quis primo comparauerit opinionis habitum de aliqua re, & deinde acquireret ſcientiam de eadem re, tunc neceſſariò erunt ſimul ſcientia & opinio, quia non apparet, cur, aut, vnde corrumpatur prior habitus opinionis.

Reſpondeo tunc priorem habitum omnino deſinere eſſe & corrumpi per aduentum ſecundi, propter incompoſſibilitatem quam habet cum illo; ſicut ad præſentiam vel inhærentiam albedinis in ſubjecto tollitur nigredo præexiſtens in eodem.

VI. *Corollarium primum.* Ex dictis ſequitur quoddam corollarium non poſſe videlicet actus opinionis eſſe ſimul in eodem cum habitu ſcientiæ, ſi quis recordetur habitus ſcientiæ, aut demonſtrationis per quam fuit acquiſitus. Ratio eſt, quia eadem res cognoſceretur certò & incertò. ſed ſi quis non recordaretur habitus, ſed jam fuiſſet obliuioni traditus, tunc benè poſſent ſtare ſimul actus opinionis & habitus ſcientiæ & è contra. *Corollarium ſecundum.* ſequitur ſecundo eodem planè modo, quo diximus opinionem & ſcientiam poſſe vel non poſſe eſſe ſimul propter certitudinem & incertitudinem, &c. poſſe etiam vel non poſſe eſſe ſimul fidem humanam & ſcientiam propter euidentiam & ineuidentiam, &c.

# QVÆSTIO DECIMASEXTA.

## *An ſcientia totalis ſit vna ſimplex qualitas.*

I. CERTVM eſt omnem particularem & actualem ſcientiam, quæ videlicet habetur particulari aliqua demonſtratione, eſſe vnam ſimplicem qualitatem. Certum etiam eſt omnem partialem & habitualem ſcientiam & vnam ſpecie eſſe, & vnam ſimplicem qualitatem in intellectu generatam ex frequentatione actuum circa eandem concluſionem per eadem media, vel certè ex vno actu valdè intenſo. Certum denique eſt, ſcientiam habitualem totalem eſſe vnam genere, verbi gratia, Phyſicam eſſe qualitatem aliquam, per illam enim ſimpliciter denominamur quales. Tota igitur difficultas eſt, an hujuſmodi ſcientia habitualis, verbi gratia, Phyſica totalis, ſit vna ſimplex qualitas, & vna entitas Phyſica ejuſdem rationis, generata ex frequentatione actuum, circa vnum objectum formale genericum, & circa ſpecies illius, vt circa corpus naturale & ſpecies illius, vel certè ſit vna qualitas non vnitate ſimplici, ſed vnitate aggregationis, conflata videlicet, ex pluribus habitibus partialibus, qui cum ſpecie differant, non poſſunt coaleſcere in vnam qualitatem ſimplicem, ſed in vnum quoddam aggregatum.

II. Prima ſententia in hac materia eſt Capreoli, quæſt. 3. prol. concluſ. 1. &

1. & 2. Dominici de Flandria 6. Metaphyſ. quæſt. 7. art. 2. Aquarij 6. Metaph. dilucidatione 3. Cajetani, Ferrarienſis & omnium diſcipulorum D. Thomæ, qui exiſtimant ex mente ipſius D. Thomæ ſcientiam hujuſmodi totalem eſſe ſimplicem qualitatem. Sequuti ſunt illos ex recentioribus, Vaſqueſius, & Rubius, & alij. *Prima ſententia ſcientiam totalem eſſe ſimplicē qualitatem. Capreolus. Dominicus de Flandria. Aquarius. Caietanus. Vaſquez. Rubius.*

Fundamentum primum hujus ſententiæ eſt, quia ſcientia per ſe, & directe ponitur in prædicamento qualitatis. ergo neceſſariò debet eſſe vna ſimplex qualitas, aggregatum enim per accidens, non ponitur per ſe & directe in vllo prædicamento.

Secundum, fundamentum eſt hujuſmodi; objectum ſcientiæ eſt vnum ſpecie. ergo ſcientia eſt vna qualitas ſpecie & ſimplex.

Tertium, ſcientia eſt perfectio intellectus. ergo ſicut intellectus eſt vna ſimplex qualitas, ita debet eſſe ſcientia, quia perfectio debet proportionari perfectibili.

Quartum, ſi non eſſet vna ſimplex qualitas, maxime, quia objecta partialia contenta ſub objecto totali & generico differunt ſpecie, vt cœlum, elementum, mixtum, homo, &c. quæ continentur ſub corpore naturali, quod eſt objectum totale Phyſicæ; ſed hoc non obſtat, ergo & c. minor patet, quia album & nigrum quæ continentur ſub colore, qui eſt objectum viſus, faciunt vnam potentiam ſpecie, nempe viſiuam, quia conueniunt in ratione formali coloris in communi. ergo quamvis objecta partialia ſcientiæ differant ſpecie, vt in exemplo poſito, quia tamen conueniunt in vna ratione formali generica objecti, quæ eſt corpus naturale, facient vnum habitum ſimplicem, ſpecie diſtinctum, ab omnibus alijs. *Fundamenta prædictæ ſententiæ.*

Vltimum, habitus corporei, vt pulchritudo, ſanitas, &c. item habitus infuſi, vt fides, ſpes, charitas, ſunt ſimplices qualitates. ergo & hujuſmodi habitus ſcientifici acquiſiti per noſtros actus ſunt ſimplices qualitates.

Secunda ſententia eſt Scoti, 6. Metaph. quæſt. 1. & in prologo ſententiarum, quæſt. 3. *In ſcientijs*, inquit, *aſſignatur objectum commune, à quo non eſt habitus vnus ſecundum ſpeciem, ſed tantum ſecundum genus.* eſt etiam omnium Scotiſtarum, Occam, quæſt. 8. prol. Gregorij ibidem, quæſt. 3. Durandi, quæſt. 4. Gabrielis & omnium nominalium, Apollinaris 1. poſt. quæſt. vltima, Aureoli apud Capreolum, & aliorum fere omnium dicentium ſcientiam totalem & habitualem non eſſe ſimplicem vnam qualitatem, ſed eſſe vnam per aggregationem multorū habituum partialium ſpecie diſtinctorum, vel quia habent eandem rationem formalem genericam objecti, vel quia habent eadem principia, communia quidem reſpectu ſingulorum habituum partialium, propria tamen reſpectu totius ſcientiæ in communi, vel denique quia habent eundem modum demonſtrandi, definiendi, &c. III. *Secunda ſententia præcedenti contraria non eſſe ſimplicem qualitatem. Scotus. Occam. Durandus. Gregorius. Aureolus. Gabriel.*

Sed aliqui ex his authoribus, vt Gabriel & Occam dicunt hanc ſcientiam totalem vnam, per aggregationem nihil aliud eſſe quã aggregationem ſpecierum intelligibilium, id eſt, eſſe ipſas ſpecies intelligibiles bene ordinatas manentes in intellectu poſt ſcientias actuales circa objecta particularia, quæ diſponunt intellectum ad bene operandum circa illa eadem objecta ſcientiarum actualium, quando homo vult & quoties vult. Alij aſſerunt ſcientiam totalem quæ eſt vna per aggregationẽ eſſe, aliquid diſtinctum à ſpeciebus ordinatis, nimirum eſſe aggregationem habituum partialium ſpecie diſtinctorum, per ordinem ad actus ſpecie diſtinctos, quorum frequentatione circa objecta ſpecie diſtincta fuerunt acquiſiti; vnde dicunt hujuſmodi habitualem totalem ſcientiam, nil aliud eſſe, quam plures habilitates vel habitus partiales ſpecie diſtinctos conuenientes in vna ratione formali generica objecti, & in vno modo procedendi.

IV. Dico 1. contra Thomiſtas ſcientiam habitualem, & totalem non

*Prima concluſio.* eſſe, vnam ſimplicem qualitatem in genere entis realis & phyſici.

*Eiuſdem prima probatio.* Probatur primò concluſio. ſi ſcientia totalis ſit vna ſimplex qualitas, ergo habens vnam demonſtrationem Phyſicam, habet totam Phyſicam habitualiter, & æque benè ſciet, ſicut quicumque alius, qui habet omnes demonſtrationes Phyſicæ, quod eſt falſum, & contra experientiam. Sequela patet, quia vbi eſt eadem forma ſimplex & homogenea, eſt eadem operatio, ſed eſt idem habitus eſſentialiter in vtroque. ergo ad eandem operationem inclinat eſſentialiter habitus, quo quis ſcit eſſe quinquè prædicabilia, & ad actum quo quis ſcit eſſe decem prædicamenta, quod tamen eſt falſum.

*Secũda probatio.* Probatur ſecundò. quia ſequeretur vnam & eandem ſcientiam ſimul eſſe habitum erroneũ & ſcientificum; poteſt enim quis vna concluſione ſcientifica acquirere habitum ſcientiæ, & ex alia concluſione erronea acquirere habitum erroris, & tamen ex vtroque, ſecundum Thomiſtas, fit vnus habitus, qui eſt ſimplex qualitas, cum vterque ſit circa eandem rationem genericam objecti. ergo vna ſimplex forma eſt habitus erroneus & ſciẽtificus, quod manifeſtam implicat contradictionem.

*Tertia probatio.* Probatur tertiò. quicquid aduerſatur vni indiuiduo vnius ſpeciei, aduerſatur & alteri indiuiduo ejuſdem ſpeciei, ergo ſi omnes habitus vnius totalis ſcientiæ, Phyſicæ, verbi gratia, ſint ejuſdem ſpeciei, quod opponetur habitui vnius concluſionis, contrarium etiam erit habitui ſeu cognitioni omnium aliarum concluſionum, hoc autem eſt falſum, quia habitus erroris, qui aduerſatur habitui ſcientifico vnius concluſionis, & eum expellit, non aduerſatur habitui omnium aliarum concluſionum, nec illum expellit; vnde fieri poteſt, vt quis habeat habitum erroris, verbi gratia, quo ſibi perſuadeat animam ra-

tionalem eſſe mortalem, & tamen ſimul habeat habitum ſcientiæ iſtarum concluſionum, materia prima eſt ingenerabilis, homo eſt riſibilis, & ſimilium.

Confirmatur, nam ſi quis ſibi comparaſſet habitum ſcientiæ totius Phyſicæ, aſſentiendo omnibus concluſionibus Phyſicis excepta vltima, ſi circa vltimam erraret, non propterea amitteret omnem ſcientiam ſuam aliarum concluſionum omnium; adhuc enim experiretur tantam facilitatem ijs aſſentiendi, quantam experiebatur, antequam circa vltimam concluſionem erraret, ergo habitus erroris qui pugnat cum habitu ſcientiæ vnius concluſionis Phyſicæ non pugnat cum habitu, & cognitione reliquarum omnium concluſionum, alioqui non poſſent in eodem ſubjecto ſimul conſiſtere.

Probatur vltimo ad hominem contra Thomiſtas, habitus acquiſiti per aduerſarios intrinſece & eſſentialiter habent vnitatem, ſpecificationem, & diſtinctionem per ordinem ad actus, ex quibus generantur, ſed actus ex quibus generatur ſciantia totalis, Phyſicæ, verbi gratia; diſtinguntur ſpecie & eſſentialiter. ergo implicat ſcientiam generatam ex illis eſſe ſimplicem qualitatem vnius ſpeciei. Major recipitur à Thomiſtis eſt enim communis doctrina apud ipſos. Minor conſtat aperte, quia actus ex quibus acquiritur ſcientia, Phyſica, verbi gratia, ſunt concluſiones demonſtratiuæ diſtinctæ ſpecie, cum verſentur circa objecta formalia ſpecie diſtincta, vt circa cælum, elementum, mixtum, &c. *Probatio vltima.*

Dices. hæc omnia etſi differant ſpecie, conueniunt tamen in vna ratione generica. *Aduerſariorum reſponſio.*

Sed contra eſt, quia hoc non ſufficit. primò quia, actus quo cognoſcitur cælum eſſe incorruptibile eſſe ſine contrarijs, &c. numquam inclinat ad ſcientiam qua cognoſcitur corpus mixtum eſſe corruptibile, corpus naturale eſſe mobile. ergo nunquam ex his actibus fiet vna qualitas ſpecie ſecundo. ſi ſatis eſt actus ex quibus; generatur ſcientia totalis conuenire in ratione generica, ſequitur ex omnibus rebus ſcibilibus generari poſſe vnam ſcientiam totalem quæ ſit vna ſimplex qualitas, atque adeo tollerentur omnes aliæ ſcientiæ, quia omnes res conueniunt in ratione entis, & intelligibilis. ergo ex actibus qui ſunt circa res omnes, etiam ſecũdum proprias earum rationes, fiet vna ſcientia, quod eſt falſũm. denique vt ratio illa generica objecti incluſa in actibus, & objectis diſtinctè ſpecie ſufficeret ad conſtituendam vnam ſimplicem, & ſpecificam qualitatem, opus eſſet, vt de ipſa ratione generica in communi. verbi gratia, de corpore naturali, vt naturale eſt, abſtrahendo ab hoc quod ſit in vlla ſpecie, haberetur ſcientia aliqua, ſed nunquam habetur hujuſmodi ſcientia de illa ratione in communi, niſi in quantum eſt in ſpeciebus, vt de ratione *Reijcitur.*

corporis naturalis in elemento, in cælo, in mixto, &c. & mediante hac ſcientia ſpecierum, multa cognoſcimus de ratione generica objecti in communi, ſicut etiam eadem ratione à viſu non percipitur color, vt color eſt in communi, & ſecundum ſe præciſè conſideratus, ſed tantum percipitur ratio coloris in ſuis ſpeciebus, in albedine, ſcilicet, vel nigredine. Sed pro meliori intelligentia huius rationis, quæ efficaciſſima eſt, contra aduerſarios, ſciendum eſt ex doctrina ipſorum, potentias & habitus acquiſitos informantes potentias, ſpecificari, & diſtingui per actus, & actus ſpecificari & diſtingui per ſua objecta, & conſequenter à primò ad vltimum, habitus & potentias diſtingui mediatè ex objectis, & immediatè ſpecificari & diſtingui ex actibus hoc tamen non ita intelligunr, vt vbi ſunt actus diſtincti ſpecie, ſint etiam ſemper potentiæ vel habitus diſtincti ſpecie, aur vbi ſunt objecta ſpecie diſtincta, ſint etiam ſemper act⁹ diſtincti ſpecie, oculus enim percipit album & nigrum; quæ tamen differunt ſpecie, & conſequenter viſio albi & nigri differunt ſpecie; ſed debet intelligi de actibus & objectis adæquatis, ita vt vbicumque eſt objectum adæquatum diſtinctum ſpecie, ſit actus diſtinctus ſpecie, & vbi eſt actus totalis & adequatus diſtinctus ſpecie, ſit etiam habitus diſtinctus ſpecie; eſt autem objectum adæquatum illud, in quod ſolum fertur potentia & ratione cujus ſolius fertur in omnia & ſingula quæ percipit; vnde objectum adæquatum & forma viſionis, non eſt albedo ſed eſt vel color, vel lumen, vel certè genus innominatum ad vtrumque, quod ſolet dici viſibile, hoc enim ſolum percipit viſus, & ratione illius fertur in objecta propria. Actus vero totalis dicitur, qui fertur in hujuſmodi objectum totale, illudque percipit. Hoc poſito, apparet vis argumenti, quomodo videlicet, ſcientia totalis acquiſita ex actibus diſtinctis, ſpecie totaliter, qui inclinant ad cognitionem objectorum diſtinctorum ſpecie non ſit vna ſimplex qualitas.

V. *Soluuntur contraria fundamenta.* Ad primum argumétum aduerſariorum, reſpondeo primò, ſcientiam totalem vt totalis eſt, non poni per ſe, & directè in prædicamento qualitatis, vt ſpecies illius qualitatis Phyſicè loquendo; per ſe igitur tantum ponuntur in prędicamento ſcientiæ, partiales ex quibus aggregatur ſcientia totalis, conſequenter ſcientia totalis ponitur in prædicamento, ratione ſuarum partium; quo etiam modo mundus dicitur eſſe in prædicamento ratione ſuarum partium. Reſpondeo ſecundò, ſcientiam totalem vel habere vnum objectum formale & adæquatum vniuocè in quo ſcilicet conueniant omnes ſcientiæ partiales, vel certè habere vnum objectum analogice, qualem vnitatem admittunt multi de qua alibi. ſi 2. tunc ſcientia totalis nullo modo directè ponetur in prædicamento, niſi modo explicato, ideſt, ratione ſpecierum, ſicut nec ipſum objectum ponitur, & hoc Phyſicè loquendo; ſi 1.

tunc ſcientia totalis de tali objecto totali dupliciter conſiderari poteſt. primo Phyſicè,ideſt,ſecundum entitatem realem & Phyſicam,qua ratione hactenus locuti ſumus de ſcientia in hac quæſtione, an ſcilicet ſit vna ſimplex qualitas & entitas Phyſicè & realiter loquendo, & ſi hoc modo ſumatur, non poteſt etiam poni in prædicamento, niſi modo explicato in prima ſolutione, ſecundo Metaphyſicè, quatenus ſcilicet à ſcientijs partialibus abſtrahi poteſt vna ratio generica ſcientiæ,in qua omnes partiales ſcientiæ vniuocè conueniunt, & ſic ſcientia totalis abſtracta à ſuis ſpeciebus,ponitur per ſe in prædicamento, ſicut ponitur ipſum objectum, immo ſicut ponitur aliud quodcumque genus vniuocum abſtractum à ſuis ſpeciebus.

Ad ſecũdum.nego antecedẽs; objecta enim partialia ſunt ſpecies objecti totalis & conſequenter objectum totale non eſt vnum ſpecie.

Ad tertium. reſpondeo negando conſequentiam;neque enim perfectibile & perfectiuum debent aſſimilari in omnibus,præſertim quãdo perfectibile eſt à natura, vt eſt potentia, & perfectiuum eſt acquiſitum, vt eſt habitus; ſatis ergo eſt, quod habeant proportionem in hoc, quod ſicut perfectibile poteſt perfici, ita perfectiuum poteſt perficere.

Ad quartum.concedo majorem, ſed ad probationem minoris, quæ falſa eſt,negatur conſequentia, & paritas; potentia enim non generatur ex actibus, ſed habetur à natura,vnde non eſt mirum quod eadem ſimplex potentia,poſſit percipere plura objecta ſpecie diſtincta,dummodo conueniant in vna ratione adæquata objecti, atque adeo poſſit elicere plures actus ſpecie diſtinctos,etiam nullo habitu informata, quia, vt infra dicemus,habitus acquiſiti tantum dantur ad modum,nõ ad ſubſtantiam actus, at vero habitus acquiſiti, cum non concurrant ad ſubſtantiam actus,ſed ad illum facilius producendum,& generentur ipſis actibus, non poſſunt inclinare niſi ad actus ſimiles illis,ex quibus ſunt generati.ergo non poſſunt elicere plures actus diſtinctos ſpecie.ergo non poſſunt verſari circa plura objecta ſpecie diſtincta,etſi conueniant in vna ratione generica. ergo non poteſt fieri, vna ſimplex qualitas ex illis actibus. magna igitur eſt diſparitas inter potentiam & habitum; vnum enim eſt à natura, alterum vero de nouo acquiritur, & ita non eſt mirum quod plus poſſit,& ad plura extendatur potentia, quæ eſt quid perfectius,quam habitus qui eſt quid imperfectius,natura enim,vel potius author naturæ Deus, in rebus perfectioribus plures conjunxit perfectiones, quam in imperfectioribus, & ideo circa illa quæ potiſſimum requiruntur ad ſcientiam, ita natura diſpoſuit, vt primo loco eſſet potentia, vt quid valde perfectum. ſecundo eſſet habitus. tertio actus.quarto objectum quod ſcitur; deinde incipiendo ab imperfectioribus, quæ erant diſperſa in objecto

conjunxit in actu, plura enim objecta ſpecie diſtincta percipiuntur eodem actu totali, vt quandò percipiuntur plures ſoni, ſimul ſpecie diſtincti eodem actu auditionis totali; & quæ erant diſperſa in actu, conjunxit in habitu, plures enim actus ſpecie diſtincti continentur in vno habitu, vno, inquam, per aggregationem; denique quæ erant diſperſa in habitu, cōjunxit in potentia, plures enim habitus poſſunt eſſe in eadem potentia, & conſequenter à primo ad vltimum, ab eadem potentia procedunt plures actus diſtincti ſpecie, & percipiuntur plura objecta diſtincta.

Ad vltimum. reſpondeo non eſſe eandem rationem habitus acquiſiti ex actibus, cujuſmodi eſt ſcientiæ habitus, & illorum habituum qui ponuntur in argumento; nam pulchritudo & ſanitas ſunt potius naturales affectiones. Addo pulchritudinem & ſanitatem non eſſe ſimplices qualitates, ſed eſſe quædam aggregata ex rebus diſtinctis ſpecie, pulchritudo enim eſt aggregatum quoddam ex colore, figura & cæteris corporis delineamẽtis, item ſanitas eſt quoddam aggregatum ex 4. humoribus adinuicem contemperatis. De habitibus etiam ſupernaturalibus infuſis idem dicendum eſt, ſi enim non generantur ex actibus, ſed immediate à Deo infundūtur, vnde non eſt mirum, ſi ſint ſimplices qualitates. Aliter reſpondet Meuriſſius in ſua Metaphyſ. in quæſtionibus prœmialibus, quæſt. 6. concl. 2. in fine, negando, nimirum, eſſe vnicam ſpecie fidem in omnibus fidelibus quantumvis ſit vnica ratio credendi, nempe reuelatio diuina; *Sicut*, inquit, *neque vnus habitus eſt ſpecie concluſionis ſcientificus, quantumvis medium ſit vnum, ſi poſsit aſſumi ad probanda ſpecie diuerſa de aliquo ſubjecto, nam ea vel ſola ratione, nimirum quia ſub eodem medio reuelationis diuinæ, multa ſpecie diſtincta, credi poſſunt, non eſt vnica illorum omnium fides, qua enim ratione idem principium poteſt eſſe medium demonſtrationis diuerſarum concluſionum; eadem reuelatio diuina poteſt eſſe ratio aſſentiendi varijs ſpecie credibilibus.* Sed vlterius.

*Meuriſſius.*

VI. Obijcies primò. Ariſtot. l. 2. poſt. text. 21. ca. 10. ait demonſtrationes vel potius ſcientias demonſtratiuas non multiplicari per media, vel cauſas diſtinctas multiplicatas. ergo nec multiplicantur habitus partiales acquiſiti per illas demonſtrationes, ſed tantum ex illis demonſtrationibus coaleſcit vnus ſimplex habitus totalis.

Reſpondeo Ariſtotelem tantum aſſerere vnam eandemque concluſionem, vel ſcientiam demonſtratiuam non poſſe demonſtrari per plures cauſas adæquatas ejuſdem generis, quia vnius effectus vna tantum eſt cauſa adæquata in quocumque genere cauſæ.

Obijcies ſecundò. experientia conſtat eum qui ſcit canere vnam cantionem inclinari ad aliam etiam canendam, quia facilius illam diſcit. Similiter qui benè nouit vnam demonſtrationem Mathematicam

facile diſcit, immo inuenit aliam: ergo vnus idemque habitus poteſt inclinare ad actus diuerſos.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ad antecedens dico, in cantione tot eſſe habitus partiales ſpecie diuerſos, quot ſunt vocum inflectiones ſpecie diuerſæ, & quia plerumq; fit vt eædem omnino inflectiones recurrant in cantionibus diuerſis, hinc eſt, vt qui vnam cantionem nouit, facilius diſcat aliam, quia iam ſcit aliquid ejus; quod ſi cantionẽ omnino diuerſam, in qua nulla eſſet ſimilis inflectio vocum, diſceret, ex priori cantione nullam haberet facilitatem. Similiter dicendum eſt inter demonſtrationes Methaphyſicas eſſe affinitatem quandam, & multa ſæpe iiſdem principijs niti, quæ cum fuerint in priori demonſtratione cognita, non eſt de ijs laborandum in acquirenda ſecunda demonſtratione.

Obijcies tertiò. gradus caloris de nouo acquiſitus facit vnam ſimplicem qualitatem cum primo gradu. ergo ſecunda demonſtratio, tertia & quarta &c. facient vnam qualitatem, cum prima demonſtratione, ita vt habitus acquiſitus per demonſtrationem primam extendatur ad ſequẽtes habitus acquiſitos per alias demonſtrationes, ſicut primus gradus caloris per intentionem facit vnam qualitatem cum ſecundo gradu.

Reſpondeo. ſecundum gradũ caloris eſſe ejuſdem ſpeciei cum primo, & ideo bene coaleſcere poteſt in vnam qualitatem cum primo; at vero habitus illi partiales acquiſiti per diſtinctas demonſtrationes, ſũt diſtinctæ ſpeciei, & conſequenter nullo modo, nec per extenſionem, nec per intenſionem poſſunt vnam facere ſimplicem qualitatem.

Dico ſecundò: ſcientia habitualis totalis non eſt ipſa coordinatio ſpecierum, quæ manent poſt ſcientias actuales, vt volunt Gabriel, & Occam, & ex Thomiſtis, Capreolus, & Soncinas, quos ex recentioribus ſequitur Georgius Turnebulus noſtras, in libro cui titulus eſt, imaginarij circuli quadratura Catholica, de formali objecto, & regula fidei, contra Robertum Baronem Miniſtrum Neabredonenſem, cap. 21. VII. *Secũda concluſio.* *Reijcitur Turnebulus.*

Probatur primò. cõcluſio aperta experientia, quia alioquin ſequeretur eos ſemper magis eſſe ſcientificos, qui habent meliorem memoriam, quod eſt contra omnem experientiam, & commune dictum phyſionomicorum, qui docent eos, qui præſtant memoria, ordinariè parui eſſe judicij, & eos qui ſunt boni judicij, eſſe paruæ memoriæ, quod prouenit ex diuerſa temperie, quam requirit memoria, & intellectus; nam memoria requirit temperiem humidam, vt ſpecies melius inſigantur & imprimantur; judicium & intellectus tẽperiem ſiccam; hinc fit quod pueri melioris ſint memoriæ quam ſenes, quia ſunt cerebri humidioris, ſenes vero melioris judicij quam pueri, quia ſunt cere-

bri ſiccioris; quod autem id ſequeretur, manifeſtè patet, quia valentibus memoria promptius recurrunt ſpecies coordinatæ, quàm ijs qui non valent.

*Multiplex concluſionis probatio.* Probatur ſecundò alia experientia, ea facilius apprehendimus, quibus de nouo dedimus operam, quam ea de quibus habemus habitum inueteratum, & tamen his facile aſſentimur, illic cum difficultate. ergo ſignum eſt, præter id, quod faciliorem reddit apprehenſionem, debere poni habitum aliquem ad aſſentiendum facile. Probatur conſequentia, quia ſpecies non concurrunt ad aſſenſum, niſi mediante apprehenſione, quandoquidem ergo cum difficiliori apprehenſione aſſenſus, nihilominus ſequatur facilius, conſequẽs videtur habitum non eſſe referendum in ſpecies antecedens etiam clarum eſt, quia Logici facilius apprehendunt terminos Logicos, quam apprehendant illi, qui iam à longo tempore docuerunt Logicam, & tamen hi clarius & facilius aſſentiuntur concluſionibus Logicis quam illi.

Confirmatur præterea alia experientia; quia ſæpe euenit, vt propoſitiones de quibus habemus habitus apprehendamus valde remiſsè & obſcurè, & tamen ijs facile aſſentiamur.

Probatur tertiò ratione, quia per ſcientiã habitualem habetur magna facilitas & habilitas ad operandum circa objecta ſcibilia, ſed hæc habilitas non poteſt eſſe à ſolis ſpeciebus coordinatis. ergo &c. minor probatur, quia etiam ante ſcientiam actualem ſpecies ſunt eodem modo ordinatæ, quia alioquin non elicerentur actus ſcientifici, & tamen tunc nullam experimur facilitatem ad operandum. ergo nec poſt actus, aut concluſiones deductas.

Probatur denique, omnes alij habitus ſunt facilitates inclinantes ad facile operandum, ergo & habitus ſcientiæ debet eſſe talis habilitas, & non ſola coordinatio ſpecierum. fateor hæc argumenta potiſſimum facere contra coordinationem ſpecierum incomplexarum, faciunt tamen etiam contra ſpecies complexas, vt conſideranti patebit. Deinde quo iure multiplicantur illæ ſpecies complexæ eodem poſſunt multiplicari habitus, per quos facilius explicatur promptitudo, illa quam habet intellectus ad aſſentiendum concluſioni ſcientificæ.

VIII. Ad ſoluenda quædam argumenta, quæ contra hanc concluſionem objiciuntur, aduerte, quod ſi quæ detur major radicatio ſpecierum vel intenſio, ita tamen faciat vt termini facilius & citius apprehendantur, non per habitum, ſed, vt multi volunt, per augmentum potentiæ, aut per meliorem illius diſpoſitionem naturalem, per augmentum potentiæ, ſicuti quando calor augetur facilius poteſt calefacere lignũ. Aduerte præterea multos vocare ſpecies intelligibiles habitus & dicere habitum ſcientiæ præſuppoſitiuè, & ſecundariò, conſiſtere in ſpeciebus intelligibilibus, primario vero in qualitate ſuperaddita; certum enim

enim eſt quo melior eſt appræhenſio terminorum, eo citius formari judicium cæteris paribus, non quod ipſæ ſpecies immediatè facilitent ipſum judicium, ſed quia judicium non poteſt fieri, ſine appræhenſionibus quæ quodammodo approximant objectum, & quo melius objectum appræhenditur, eo melius approximatur, & conſequenter eo citius formatur judicium, non propter habilitatem quãdam actiuam, ſed propter meliorem diſpoſitionem materialem, aut augmentum potentiæ; propter diſpoſitionem, inquam, materialem, ſicut ignis eo facilius calefacit, quo magis illi eſt approximatum lignum. ſed præter illam approximationem objecti, debet adhuc poni qualitas aliqua in intellectu effectiuè facilitans ipſum aſſenſum, quia, vt dixi, ſæpe fit vt apprehenſiones bonæ ſint, & tamen non ſequatur facilis aſſenſus, & fieri poteſt vt appræhenſiones debiliores ſint aut tardiores, & tamen facile aſſenſus eliciatur. Ex his poterit ſufficienter reſponderi, tum ad illa argumenta quæ videntur probare ex coordinatione ſpecierum oriri aliquam facilitatem, tum etiam ad illa quæ ducuntur ex Ariſtotelis & B. Thomæ authoritate.

Dico vltimo ſcientiam habitualem & totalem, nihil aliud eſſe quam aggregationem plurium habituum partialium ſpecie diſtinctorum, conuenientium tamen ſub vna ratione formali generica objecti, & in vno modo generico definiendi, demonſtrandi, & procedendi circa ſua propria objecta. IX. *Tertia concluſio.*

Probatur hæc concluſio ex refutatione aliarum ſententiarum. verum aduertendum eſt illos habitus partiales diſtingui ſpecie, qui generantur ex concluſionibus demonſtratiuis ſpecie diſtinctis, vnde quot erunt concluſiones hoc modo diſtinctæ, tot erunt habitus partiales ſpecie diſtincti, generati ex illis concluſionibus. Quod autem tot ſint habitus ſpecie diſtincti, quot ſunt cõcluſiones ſpecie diſtinctę, probatur facile, quia quot ſunt actus ſpecie diſtincti, tot ſunt virtutes producendi ſpecie diſtinctæ; à virtutibus autem ſpecie diſtinctis, procedunt effectus ſpecie diſtincti. deinde actus non habent vim producendi, niſi eum habitum qui inclinat ad producendum actum ſibi ſimilem. ergo vnuſquiſq; actus ſpecie diſtinctus producit habitum ſpecie diſtinctum. Denique habitus diuerſarum concluſionum à ſe inuicem ſeparati poſſunt. ergo non ſunt vna ſimplex qualitas. Conſequẽtia eſt clara. Antecedẽs patet ex dictis, poteſt enim quis ſcire vnam concluſionem, & alteram ignorare, imo ordinariè quando quis diſcit ſcientiam, prius diſcit vnam concluſionem, deinde aliam, & aliam, donec omnes nouerit. Aduerte præterea, vt concluſiones ſint ſpecie diſtinctæ, ex quibus generantur habitus partiales, opus eſſe vt præmiſſæ, vel principia propria illarum concluſionum ſint diſtincta eſſentialiter, habentia ſcilicet media eſſentialiter diſtincta, vel certè media *Eius probatio.*

ſint ita diſtincta, vt ex illis non ita facilè poſſint colligi diſtinctæ concluſiones; etſi non deſint, qui dicant quaſcumque concluſiones diſtinctas generare diſtinctos habitus, & quidem fortaſſis non ſine probilitate. Denique aduertè objecta adæquata ſcientiarum totalium neceſſariò poſtulare modos quoſdam partiales, qui debent obſeruari in definiendo, demonſtrando, & procedendo circa ſuarum ſpecierum & principiorum cognitionem. verbi gratia, objectum Phyſicæ poſtulat vt in illius cognitione à notioribus nobis ad notiora natura procedamus, & quando aliquid Phyſicè explicamus; & hanc ob cauſam diximus in ſcientia totali, debere eſſe vnum modum procedendi, &c.

## QVÆSTIO DECIMASEPTIMA.

### *In quibus poſſint eſſe habitus.*

I. *Reiicitur Guil. Pariſienſis negans dari habitus.*

SVppono hoc loco contra Guilielmum Pariſienſem lib. de fide & legibus folio 17. cujus ſententiam Major noſtras probabilem reputat in 4. diſt. 4. quæſt. prima, dari habitus. Potentiæ enim quæ prius non poterant aliquid, & nunc de nouo poſſunt, per aliquid de nouo poſitum, vel ablatum poſſunt. ſed potentia, verbi gratia, motiua in Cythare do, poſt frequentationem actuum pulſandi cytharam, poteſt actus cum facilitate elicere, quos cum facilitate prius non poterat. ergo per aliquid vel de nouo poſitum, vel ablatum. ſed non per aliquid de facto ſublatum. ergo poſitum, quod communiter vocatur habitus, qui eſt qualitas inſenſibilis non ingenita, natura ſua permanens, per ſe primo ordinata ad juuandam & facilitandam potentiam operatiuam. hoc poſito, de ſubjecto habituum grauis eſt apud authores controuerſia, quæ tamen facile dirimi poterit, ſi aduertatur duabus de cauſis dari habitus. prior eſt vt facultas indifferens ad hoc vel illud, determinetur ad vnum eorum; quo fit, vt in facultatibus ad aliquid vnum definitis non reperiantur habitus; exempli gratia, in facultate viſiua, quia eſt determinata ad vnum actum, eodem modo circa ſuum obiectum, nempe viſibile, exercendum. ſecunda cauſa eſt vt difficultas tollatur, quam facultates in operando patiuntur, vt facile nempe operari queant. Neque dicas facultatem volitiuam eſſe determinatam ad bonum, & conſequenter, ſuppoſita hac noſtra doctrina, non indigere habitu, quo determinetur. ne, inquam, hoc dicas, Reſpondeo enim voluntatem non eſſe omni modo determinatam ad bonum, dicemus enim in diſputationibus Moral. poſſe ferri in malum quà malum. Secundo ponamus ita eſſe, id eſt, voluntatem eſſe

*Propter duas cauſas dantur habitus.*

*Oſtenditur in potentia viſiua non dari habitus.*

definitam ad bonum in communi, eſt tamen indifferens ad hoc vel illud particulare bonum. vnde vt tollatur difficultas in diligendo & proſequendo hoc potius bonum quam illud, requirit habitum, vt determinetur ejus beneficio. Sed inquies nos paulo ante dixiſſe viſum non indigere habitu, cum tamen viſus ſit indefinitus ad colores particulares percipiendos, poſſitque errare circa illos, percipiendo nimirum vnum colorem pro altero, vt multi quotidie faciunt. ergo neque voluntas requirit habitum. Reſpondeo deceptionem viſus circa colores percipiendos in particulari, non oriri ex indifferentia potentię viſiuæ, ſed vel ex diſtantia nimia inter aſpectum & rem viſam, vel ex medio nimis craſſo & opaco, vel ex diſpoſitione mala organi læſi, debilis, obtuſi; vno verbo, facultate videndi minus rectè affecta, alioquin nunquam error poterit accidere in ſingulis coloribus percipiendis, vt experimur; at voluntatis error ex eo deſumendus eſt, quod voluntas ſit indefinita ad hoc vel illud amplectendum, vt aliquando ſaltem proſequatur malum, quod boni habet ſpeciem, loco veri & re ipſa talis; vnde in voluntate, non autem in vſu ponendi ſunt habitus. ſed, inquies, ſi habitus tollunt voluntatis indifferentiam, tollent quoque libertatem. hoc autem eſt abſurdum. ergo, &c. Reſpondeo habitum non tollere libertatem, tum quia per actus liberrimos acquiritur, tum quia habitu vtimur pro libito, neque illo inclinamur ad operandum neceſſariò, ſaltem quoad illius vſum & exercitium. Ex his patet potentiam viſiuam non eſſe capacem, & conſequenter neque ſubjectum habitus. patet præterea voluntatem eſſe ſubjectum habituum. his præſuppoſitis, *In voluntate poſſunt eſſe habitus.*

II. Dico primò, in intellectu humano eſſe habitus, non tamen ratione primæ operationis, ſeu ſimplicis apprehenſionis quâ res ipſas percipit intellectus, nullum judicium affirmatiuum aut negatiuum de illis ferendo, quia ſufficiunt ſpecies intellectuales, quibus res intellectui tanquam in ſpeculo repreſentatur; ſed ratione ſecundæ operationis, nempe ad aliquod judicium de rebus facilius ferendum. Probatur, quia ruſticus eodem modo apprehendit, atque doctus, & tamen de rebus nequit judicare, cum ſit expers ſcientiæ, cujus proprium eſt judicare. Ergo, &c. *Concluſio 1. In intellectu poſſe eſſe habitus.* *Probatio concluſionis.*

III. Dico ſecundò, in ſenſibus internis poſſe eſſe quoſdam habitus ſaltem impropriè, quos melius vocaueris habilitates. Probatur, quia memoria ſenſitiua eſt vnus ex ſenſibus interioribus; at docet Ariſtoteles libro de memoria, capite tertio, memoriam conſuetudine & exercitatione confirmari, vnde cernimus etiam permulta bruta intellectu & voluntate carentia, ſoliſque ſenſibus interioribus prædita, quædam diſcere ab hominibus, domari quoque ac ſicurari, quæ omnia non *Concluſio 2. In ſenſibus internis poſſe eſſe habitus.* *Probatur.*

tum localem, qualis eſt duntaxat in membris externis, nihil acquiritur præter vbi.

Sed contra eſt, quia licet ats ſcribendi, verbi gratia, & cæteræ artes ſint in intellectu, quibus ipſe inclinatur ad actiones arti congruas, & ad dirigenda membra exretna quibus vtitur, tamen ex parte membtorum requiritur facilitas, quæ exercitatione acquiratur, & cujus beneficio facilius & melius intellectum ac diligentius ſequatur; quæ facilitas artis nomine nequit inſigniri, licet arti ſubordinetur & ſubijciarur, ſed habitus nomine eſt appellanda; vnde fit vt quantumvis Cytharedus calleat artem cytharizandi, niſi tamen fides pulſare conſueuerit, vnde facilitatem mouendi digitos acquiſierit, nihilum in ea arte proficiat. Deinde ſecum pugnat prædicta teſpóſio, nec enim intellıgi poteſt, quomodo per conſuetudinem impedimentum membrorum exteriorum tollatur, nec tamen aliqua diſpoſitio & habilitas comparetur, quæ in illius locum ſuccedat; vt enim docet Ariſtoteles, corruptio vnius contrarij eſt generatio alterius. ergo quando deperditur difficultas in membris externis, facilitas acquiratur & generetur neceſſe eſt. Quod autem obijciunt per motum localem nihil acquiri, intelligendum eſt de motu naturali locali, ptæter ejus terminum, non autem de violento. *Impugnatur multiplicıter dicta reſponſio.*

# QVÆSTIO DECIMAOCTAVA.

## *Vtrum habitus ad actus eliciendos effectiuè, an vero diſpoſitiuè tantum concurrat.*

QVærimus, vt ex titulo ptopoſito conſtat, vtrum habitus ad actus eliciendos effectiuè, an vero tantum diſpoſitiuè concurrat, ita vt quando producuntur actus, verè ipſi habitus attingant ſubſtantiam & entitatem actuum, an non. qua in re I.

Prima ſententia eſt concurrete effectiuè. eſt B. Thomæ, t. 2. quæſt. 49. art. 3. Bartholomæi Medinæ prima 2. Cajetani, & aliorum Thomiſtarum, quos ex recentiotibus ſequuntur Suarius diſput. 44. ſect. 5. Rubius, & alij communiter. *Prima ſententia eſt concurrere effectiuè. D. Thomas. Medina. Suarius. Rubius.*

Secunda ſententia eſt præcedenti conttaria, non concuttere effectiuè ad ſubſtantiam actus, ſed tantum ad modum illius, id eſt, ad facilitatem quandam, qua producitur actus ab habéte habitum. hanc vt probabilem ſequitur Scotus noſtras, in 1. diſt. 17. quæſt. 2. & vt abſolvè vetam tuetur Durandus in 3. diſt. 25. quæſt. 2. & 3. & optimè explicat quæſt. 4. Aureolus, Paludanus, & alij veteres, quos ex recentiotibus ſe- *Secunda ſententia contraria. Scotus. Durandus. Aureolus. Paludanus. Vaſquez.*

quuntur, Vaſquez, Hurtadus, & alij.

Dicendum exiſtimo, habitum non concurrere effectiuè ad ſubſtantiam actus, ſed tantum ad facilitatem, modo explicando.

II. *Cõcluſio, non concurrere effectiuè. Probatio concluſionis.*

Probatur aſſertio. fruſtra fit per plura, quod fieri poteſt æquè bene per pauciora. ſed ſola & nuda potentia naturalis, verbi gratia, intellectus aut voluntas, eſt ſufficiens principium productiuum ſubſtantiæ actus. ergo fruſtra illi ſuperadditur habitus ad eandem ſubſtantialiter producendam. Minor probatur, quia actus præcedentes ipſum habitum, & ex quibus generatur habitus, ſunt ejuſdem ſpeciei cum illis actibus qui procedunt à ſubjecto & potentia poſt acquiſitum habitum. ſed illos actus ſubſtantialiter producit ſola potentia naturalis ſine habitu. ergo habitus nec verè efficit ſubſtantiam actus, nec eſt neceſſarius ad illam ſubſtantialiter & entitatiuè efficiendam, ſed tantum ad facilius efficiendam. Hæc vltima minor probatur, quia actus temperantiæ, quibus quis poſt acquiſitum habitum temperantiæ vtitur, ſciens, volens, & propter honeſtatem virtutis (hæ enim ſunt conditiones actus virtutis ſecundo Ethicorum capite quarto) ſunt ejuſdem ſpeciei cum illis qui præceſſerunt habitum temperantiæ, & ex quibus temperatè factis, ſcienter ſcilicet, libere, & propter honeſtatem virtutis, eſt acquiſitus ipſe habitus. Conſequentia cõſtat, quia inter cauſam immediatam effectus, & ipſum effectum, non poteſt addi alia cauſa influens in ipſum effectum, quia cum totus effectus ſecundum omnem ſui rationem ab immediata illa cauſa de facto producatur, nihil plane in effectu ipſo reſpondebit alteri cauſæ ſuperadditæ, & conſequenter erit omnino fruſtra. quare dicendum eſt, habitus non concurrere effectiuè ad ſubſtantiam actus producendam, ſed tantum ad modum quo fiunt ipſi actus; qui quidem modus conſiſtit in hoc, vt actus fiant & producantur ab ipſa potentia, facile, delectabiliter, & expeditè; & hunc modum operandi præſtat ipſe habitus, determinans & facilitans indifferentiam & difficultatem potentiæ in operando, tollenſque alia impedimenta illius. ſed

III. *Proponitur & ſoluitur aduerſariorum fundamentum.*

Dices. non poteſt intelligi qua ratione habitus modificet & determinet potentiam ad operandum facile, delectabiliter, & promptè, niſi concurrendo effectiuè ad ipſos actus ponendos, hic enim modus operandi cum facilitate & delectatione, videtur eſſe aliquid in ipſis actibus.

*Refellitur Gabriel Vaſquez.*

Reſpondeo Gabrielem Vaſquez exiſtimaſſe, facilitatem eſſe modum quendam realem in ipſo actu, ad quem concurreret habitus. Dico tamen cum Durando in tertio diſt. citata quæſt. quarta, facilitatem operandi nihil omnino ponere in ipſo actu, & conſequenter non tenere ſe ex parte actus, quia actus præcedens habitum, & actus ſubſequens habitum, poſſunt eſſe omnino ſimiles, quoad omnia quæ ſunt

*Durandus.*

in illis intrinſecè. & ſi illa facilitas eſſet aliquid in ipſo actu, vel opere, vt conditio illius, ſequeretur apertè habitus virtutum moralium diminuere meritum actus & operis; actus enim, vel opus bonum, natura ſua difficilius, cæteris paribus habet majus meritum. ergo ſi per habitum tollitur iſta difficultas operis, & ponitur in illo facilitas, habitus minuet meritum boni. quod nullo modo eſt dicendum. facilitas ergo operandi proueniens ex habitu, ponit aliquid in ipſa potentia, vel in ipſo operante, & tenet ſe ex parte operantis, nihilque aliud eſt, quam determinatio, & major quædam inclinatio ipſius potentiæ ad operandum; quæ inclinatio prouenit, eo ipſo quod habitus informet potentiam, abſque eo quod vllam omnino habeat efficientiam diſtinctam ab efficientia potentiæ, eodem planè modo, quo idea determinat agens artificiale, licet agens artificiale nullam habeat efficientiam diſtinctam ab efficientia artificis circa ipſum opus artefactum; ſicut etiam eodem modo, in multorum ſententia, præuia appræhenſio intellectus dicitur determinare & inclinare voluntatem ad volendum effectiuè, & tamen nullam habet efficientiam circa volitionem diſtinctam ab efficientia voluntatis. Verum quidem eſt, quod quemadmodum hujuſmodi res determinantes ipſa agentia principalia reducuntur ad cauſas efficientes, quia tenent ſe ex parte earum, ſiue habeant efficientiam aliquam diſtinctam ab efficientia potentiarum, ſiue non habeant (quam ob cauſam idea dicitur cauſa efficiens reſpectu operis arte facti, & apprehenſio intellectus à quibuſdam dicitur efficere volitionem) ita eodem modo habitus poteſt dici efficere actus, quia ſcilicet eſt aliquid tenens ſe ex parte potentiæ, determinans actiuitatem illius, etiamſi nullam habeat actionem diſtinctam ab actione potentiæ.

Quæres, an habitus effectiuè ab actibus producatur? IV.

Reſpondeo actus ad habituum productionem effectiuè concurrere. Reſponſio eſt contra Durandum. ſed probatur, quia ſi actus non concurrunt effectiuè ad productionem habituum, nulla alia cauſa ſufficiens aſſignari poteſt. ſed hoc eſt abſurdum. ergo & id vnde ſequitur. Majorem ſic oſtendo. duæ tantum poſſunt eſſe cauſæ productiuæ habitus, potentia ſcilicet, & actus. ſed potentia ſola non poteſt eſſe ſufficiens cauſa productionis illorum, alioquin producerentur ſine actibus. ergo ſi actus non concurrunt effectiuè ad habituum productionem, nulla cauſa ſufficiens productionis illorum aſſignari poteſt. *Reijcitur Durandus.*

*Quæſtionum Logicarum finis.*

# SELECTÆ DIPSVTATIONES MORALES.

## QVÆSTIO PRIMA.

*In quo conſiſtat Beatitudo ſupernaturalis.*

I. QVONIAM vſus obtinuit vt poſt Logicam, Logicæ ſtudioſis tradantur Ariſtotelis Moralia, nos communem morem ſequuti, poſt diſputationes Logicas, præcipuas morales diſputationes ſubjicimus. Aggredimur autem primo loco quæſtionem de beatitudine; quæ, inquit Philoſophus, *eſt ſummum hominis bonum*, vel, vt poſt Diuum Boetium Angelicus Doctor, *ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus*; &, vt inquit Tullius in Tuſculanis quæſtionibus, *ſecretis malis omnibus, cumulata bonorum complectio*. quæ definitiones beatitudini completæ conueniunt; & non tantum eſſentialia, ſed & quæ conſequuntur eſſentiam, inuoluunt. diuiditur autem beatitudo in formalem, & objectiuam. Objectiua eſt bonum illud, cujus poſſeſſione creatura rationalis beata dicitur. formalis eſt ipſa boni illius poſſeſſio. inter has duas beatitudines, formalem nempe & objectiuam, formalis potiori jure nomen beatitudinis meretur. Cujus ratio eſt, quia magis propriè poſſeſſione rei, quam re ipſa beati ſumus; à re enim ipſa tantum extrinſecè & objectiuè, non autem extrinſece, beati dicimur. Hinc fit vt beatitudo formalis à Theologis dicatur vera & eſſentialis beatitudo; objectiua vero non beatitudo proprie, ſed beatitudinis tantum ipſius formalis objectum. hæc de diuiſione beatitudinis.

*D. Boetius. S. Thomas. Cicero.*

II. Supereſt controuerſia grauis, vtrum beatitudo formalis ſiue eſſentialis conſiſtat in operatione intellectus, ſiue in Dei viſione, an vero in operatione voluntatis, ſiue in amore Dei, an denique in vtroque, id eſt, tam in viſione quam in amore Dei. Dixi controuerſiam eſſe de beatitudine eſſentiali ſiue formali, quia de objectiua ſupernaturali beatitudine nulla eſt inter authores controuerſia; omnes enim fatentur Deum optimum maximum eſſe objectiuam noſtram beatitudinem. de formali vero tota eſt controuerſia.

Prima ſententia eſt eorum qui volunt beatitudinem ſupernaturalem in vna tantum operatione conſiſtere, & quidem in viſione. Ita Angelicus Doctor 3. contra gentes cap. 25. & 26. & de malo quæſt. 16. art. 6. & 1. parte quæſt. 26. art. 2. & alibi ſæpe, Capreolus, Hiſpalenſis,

*Prima ſententia S. Thomæ, Capreoli, Hiſpalenſis, &c.*

lenſis, Sotus, Cajetanus, Medina, Fertatenſis, & cæteri Thomiſtæ communiter. ex recentioribus eandem ſequuntur Puteanus l. 2. qu. 3. cap. 4. Vaſquez, Conimbricenſes, & alij.

*Et ex Recent. Puteani, Vaſquez, Conimbricen.*

Secunda ſententia eſt illorum, qui exiſtimant beatitudinem noſtram ſupernaturalem conſiſtere in actu voluntatis. ſed diuiſi ſunt inter ſe huius ſententiæ authores; nam quidam ex illis volunt conſiſtere in amore. Ita Scotus noſtras in 4. diſt. 42. quæſt. 3. 4. & 5. Melchior Flauius in 4. diſt. 49. quæſt. 4. Gregorius Ruys in 4. Controuerſia 116. Iohannes de Rada in Controuerſiis fuſe, & cæteri Scotiſtæ communiter. ex Thomiſtis Ægidius quodlibeto 3. quæſt. 19. & probabilem exiſtimant ex recentioribus Ægidius de præſentatione, Salas, Valentia, & vt talem defendunt. alij exiſtimant quidem beatitudinem pertinere ad voluntatem, ſed non conſiſtere in amore, ſed in gaudio vel delectatione de Deo clare viſo. tribuitur hoc communiter Aureolo in 4. diſt. 49. vt videre eſt apud Dominicum Sotum & Medinam.

*2. Sententia Scoti, Melchioris Flauij, Gregorij Ruys, Ioannis de Rada, &c.*

Tertia ſententia eſt illorum, qui exiſtimant beatitudinem conſiſtere tam in viſione, quam in amore; imo etiam aliqui addunt gaudium & delectationem. Citantur pro hac ſententia D. Bonauentura, Albertus Magnus, Richardus & Major conterranei, Argentina, Altiſiodorenſis, Marſilius, Buridana; eſtque complurium recentiorum, vt Leſſij, Buſæi, & aliorum.

*Tertia Sententia S. Bonauenturæ, Alberti Magni, Richardi, Maioris, &c. Et ex recentioribus Leſſij, Buſæi, & aliorum.*

III.

Dico primò eſſentiam beatitudinis conſiſtere in contemplatione, ſeu actu ſapientiæ, ſi ſermo ſit de beatitudine ſecundum viam originis, ſeu generationis.

*Prima concluſio.*

Probatur concluſio, quia ſola contemplatio primo reddit finem vltimum homini præſentem. ergo in ſola contemplatione, &c.

*Eius probatio.*

Confirmatur concluſio, quia hoc probant & nihil aliud loca Scripturæ ſacræ, & authoritates quæ afferuntur à Thomiſtis, quales ſunt ſequentes. Iohannis 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. & 1. Iohannis 3. *Cum apparuerit ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt*. Iohannis 14. *Oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis*, id eſt erimus beati. Mathei 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Mathei 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, &c.* Hinc ſtatus viæ primæ ad Corinthios 13. vocatur ſtatus pueritiæ; beatitudo autem ſtatus perfectæ ætatis. & ſubjungitur cauſa, quia *videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. His Locis ſacræ ſcripturæ accedit authoritas Patrum, & primò quidem Auguſtini lib. 1. de moribus Eccleſiæ cap. 15. *æterna vita eſt ipſa cognitio veri, quæ eſt perfectorum præmium*. Secundò Bernardi ſermone 5. aſſumptionis, explicantis id Pſalmi 83. *Ibunt de virtute in virtutem. hæc eſt*, inquit, *merces, & hic*

*Confirmatio eiuſdem.*

*S. Auguſtinus.*

*S. Bernardus.*

*eſt finis fructus noſtri laboris, viſio ſcilicet Dei.* Denique accedit his omnibus authoritas Concilij Francofurdienſis, epiſtola ad Epiſcopos Hiſpanos in fine. *Prædicamus cum ſpiritu ſancto Chriſtum verum Deum & vnicum filium Dei, vt ad ejus beatiſsimam viſionem peruenire mereamur, in qua vera beatitudo & beata æternitas.*

*Concilium Francofurdienſe.*

IV. *2. Concluſio.* Dico ſecundò cum Scoto eſſentiam beatitudinis conſiſtere in amore, per quem voluntas perfecte fertur in bonum per eſſentiam præſens, ſi loquamur de beatitudine ſecundum viam perfectionis.

*Probatio 1.* Probatur concluſio primò authoritate Diui Auguſtini ſermone 53. de tempore, vbi ait *charitatem omnium eſſe arcem virtutum, promiſsionem regni, præmium ſanctorum in cælo, quia in perenni regno nihil gratius, nihil dulcius habent ſancti, perfecto amore Dei.* Et epiſtola 51. *Vna virtus erit, & id ipſum virtus, præmium que virtutis. quid erit in ſanctis eloquiis homo qui hoc amat? mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* Pſalmo 72. *Hæc tibi erit plena & ſempiterna ſapientia, eadem que veraciter vita jam beata, peruentio quippe eſt ad æternum ac ſummum bonum, cui adhærere in æternum eſt finis noſtri boni.* Et 1. de doctrina Chriſtiana cap. 32. *Summa merces hæc eſt, vt Deo fruamur.* Frui autem, vt ibi definierat cap. 1. eſt amore adhærere alicui rei propter ſeipſum. *S. Chryſoſtomus.* Idem videtur etiam ſentire D. Chryſoſtomus homilia 64. ad populum; *Capiamur hoc amore* (ſcilicet Dei) *huic enim par nihil, & propter præſentia, & propter futura, quoniam per ipſam amoris naturam liberabimur & à præſentis vitæ, & à futuri ſæculi ſupplicijs, & regno fruemur. Veruntamen neque gehennæ abſolutio, neque regni delectatio magnum aliquid eſt ad id quod eſt dicendum; hoc enim omnium eſt maximum, Chriſtum ſimul amatum & amatorem habere. ſi enim hoc in hominibus contingens ſuperius omni voluptate eſt, cum hæc vtraque circa Deum euenerint, quis ſermo, quæ mens exprimere poterit hujus animæ beatitudinem? nulla profecto, ſed experientia ſola.*

*Probatio 2.* Probatur ſecundò ratione, quia ſolus amor reddit hominem cum vltimo fine quodammodo perfecte vnum, ita vt homo qui amat, ſuam naturam quodammodo exuat, & naturam vltimi finis quodammodo induat, quomodo perfecte Deum amans, vocatur Deus, *ſicut amicus alter ego.* *S. Thomas.* Vnde exiſtimo D. Thomam nobiſcum hac in re ſentire, nam 1. parte quæſt. 43. art. 5. ad 2. docet cognitionem gratuitam quæ non prorumpit in affectum, non ſufficere ad perfectam ſimilitudinem cum Deo, ac proinde nec vt Spiritus ſanctus dicatur ad animam mitti, & in ea habitare. Idemque tradit in 1. diſt. 15. quæſt. 4. art. 1. ad 3. ſed qui habet eſſentiam beatitudinis, perfecte eſt ſimilis Deo, & habet Deum in ipſo inhabitantem. ergo, &c. Et ita ſecundum Angelicum Doctorem amor eſt de eſſentia beatitudinis. Vnde loco citato 1. ſententiarum ait fœlicitatem contemplatiuam tunc haberi,

quando contemplatio ſine impedimento exercetur. In quo caſu non ſolum amorem infert, ſed etiam delectationem, vt tradit Philoſophus 7. Eth. cap. 14.

Probatur tertiò. beatitudo conſiſtit in actu potentiæ nobiliſſimæ ſecundum viam perfectionis. ſed nobiliſſima potentia animæ eſt voluntas, non intellectus. ergo, &c. major eſt Ariſtotelis 1. Eth. cap. 7. vbi ſic loquitur; *Operatio animæ ex virtute bonum humanum efficitur. ſi plures habet virtutes, ex optima & perfectiſſima.* Et 1. Ethic. cap. 17. *Fœlicitas eſt ex virtute operatio, quæ præſtantiſſima eſt.* Vbi quamvis loquatur de beatitudine naturali, eadem tamen de ſupernaturali eſt ratio. minor probatur, 1. voluntas eſt perfectior intellectu, ſi præſtantior ejus actus eſt nobilior præſtantiſſimo actu intellectus. ſed verum prius. ergo poſterius. major probatur communi illo axiomate, cujus optimum eſt nobilius optimo, & genus genere. minor probatur. amor Dei, qui eſt præſtantiſſimus actus voluntatis, eſt nobilior cognitione Dei, qui eſt præſtantiſſimus actus intellectus. neque dicas cum Cajetano verum eſſe axioma illud de perfectiori & nobiliori ſimpliciter, non vero de perfectiori & nobiliori ſecundum quid; ne, inquam, hoc dicas, nam ſi perfectiſſimus actus voluntatis eſt nobilior perfectiſſimo intellectus, profecto actus voluntatis ex genere ſuo erit perfectior actu intellectus; ſicut à pari ſi perfectiſſima albedo eſt perfectior perfectiſſima nigredine, ſpecies albedinis eſt perfectior tota ſpecie nigredinis; ſicut etiam ſi perfectiſſimus homo perfectior eſt (vt de facto eſt) perfectiſſimo equo, ſequitur ſimpliciter quod homo ſit perfectior equo. Neque dicas 2. cum alijs, in via optimum actum voluntatis, videlicet amorem, eſſe præſtantiorem actu intellectus in via; in patria tamen pefectiſſimum actum intellectus, videlicet Dei viſionem, eſſe perfectiorem amore Dei. ne, inquam, hoc dicas, nam ſi perfectiſſimus actus voluntatis in ſtatu imperfecto eſt melior perfectiſſimo actu intellectus, ita & in ſtatu perfecto. Et confirmatur, quia perfectiſſimus actus voluntatis in ordine naturali eſt præſtantior præſtantiſſimo actu intellectus. ergo à pari in ordine ſupernaturali præſtantiſſimus actus voluntatis perfectior erit præſtantiſſimo actu intellectus. 2. quod voluntas præſtantior ſit intellectu, patet, quia voluntas eſt primum mouens in homine, ſine cujus motione & imperio aliquo nulla facultas, neque ipſe intellectus, operatur. Tertiò idem probatur, quia ſola voluntas libera eſt, & ſuarum functionum domina.

*Probatio 3.*

*Oſtenditur voluntatem eſſe perfectiorem intellectu.*

*Reijcitur Caietanus.*

Probatur quartò. beatitudo conſiſtit ſecundum viam perfectionis in perfectiſſima operatione naturæ intellectiuæ. ſed illa eſt amor Dei. ergo &c. minor probatur. actus conjungens objectum ſecundum nobilius eſſe ipſius objecti, eſt nobilior ſimpliciter. ſed

*Probatio 4.*

actus voluntatis, nempe amor, conjungit objectum ſecundum nobilius eſſe. ergo eſt nobilior ſimpliciter. Conſequentia clara eſt, vt & major. minor probatur. actus voluntatis, videlicet amor, conjungit objectum vt in ſe eſt, actus vero intellectus non niſi provt eſt in intelligente per ſpeciem ſui repræſentatiuam. at perfectius eſſe habet objectum in ſe, quam in cognoſcente. ergo actus voluntatis, nempe amor, conjungit objectum beatificum nobiliori ratione. hæc ratio efficaciſſima eſt in via Thomiſtarum, qui fatentur intellectum ferri in rem vt eſt in cognoſcente, voluntatem vero in rem provt in ſe eſt.

*Reſponſio Caietani.* Dices cum Cajetano, majorem ſecundi argumenti dupliciter intelligi poſſe. 1. de perfectiori eſſe objecti, vt objectum eſt, & ſic veram eſſe; ſed minorem eſſe falſam, quia objectum intellectus cui intellectus conjungitur, eſt perfectius in ratione objecti objecto voluntatis, quia eſt abſtractius, & conſequenter vt objectum, eſt nobilius. 2. intelligi poſſe de perfectiori eſſe objecti vt res eſt, & hoc pacto etſi concederetur minorem eſſe veram, videlicet actum voluntatis conjungere obiecto ſecundum eſſe perfectius, falſa tamen eſt major.

*Prædicta Reſponſionis impugnatio.* Sed contra eſt, quia hæc reſponſio nullius plane eſt momenti. quæro enim quid intelligat Cajetanus per objectum in ratione objecti, vel vt objectum eſt. vel enim intelligit aliquid reale, vel rationis. Si rationis, quid ad rem noſtram? cum nulla perfectio poſſit inde aduenire potentiæ. Si aliquid reale, major argumenti noſtri veriſſima eſt, & etiam minor, quia ſemper voluntas conjungit perfectiori eſſe objecti, cum in illud feratur vt realiter eſt in ſe, intellectus vero vt eſt tantum in anima.

Dices, intelligere Cajetanum per perfectius eſſe objecti, objectum reale quod eſt abſtractius, ex quo deinde deducit eſſe perfectius.

Sed contra eſt, quia neque hoc quicquam juuat Cajetanum; nam vnde habet Cajetanus, verum quod ponit objectum intellectus eſſe abſtractius bono ſecundum rem? Si vero non intelligat ſecundum rem, ſed ſecundum rationem, neque hoc verum erit, cum inter ſe conuertantur; omne enim verum eſt bonum, & omne bonum eſt verum. Neque ex hujuſmodi abſtractione poteſt colligi major perfectio, ſed potius minor, quia ſemper minus abſtractum hac abſtractione eſt perfectius & actualius, & magis abſtractum potentialius.

*Probatur 5.* Probatur quintò ex eodem capite, nempe ex perfectione operationis voluntatis. Ille actus eſt perfectior ad quem diſponit perfectior habitus. Sed charitas, quæ eſt perfectiſſimus habitus, diſponit ad actum voluntatis, videlicet amorem Dei. ergo actus voluntatis eſt ex ſe & abſolute perfectiſſimus actus, aliarum potentiarum actus excedens. Conſequentia tenet. major clara eſt ex ratione virtutis,

quæ eſt diſpoſitio ſubjecti ad optimum. ergo ille eſt perfectior, ad quem virtus perfectior diſponit; & ita colligitur ex Philoſopho 6. Ethic. minor probatur ex Apoſtolo 1. ad Corinthios 13. *fides, ſpes, charitas, tria hæc; major autem horum eſt charitas.* probatur etiam ex D. Auguſtino 13. de Trinitate cap. 19. *In donis Dei*, inquit, *nullum excellentius nec majus eſt charitate, nec æquale.*

Reſpondent aliqui, Apoſtolum & Auguſtinum intelligendos eſſe de ſtatu viæ, non patriæ; in qua volunt lumen gloriæ eſſe perfectius, cum propter perfectionem ſuam repugnet illi cõuenire viatori, quod non repugnat charitati. Confirmant, quia perfectius eſt quod diſtinguit imperfectum à perfecto, illo quod eſt commune vtrique. ſed lumen gloriæ diſtinguit compræhenſorem à viatore, charitas vero minime, ſed eſt vtrique communis. ergo lumen gloriæ eſt perfectius habitu charitatis. *Reſponſio quorundam.*

Sed contra hanc ſolutionem facit quod habet Hugo de Sancto Victore libro 6. ſuper illa verba D. Dionyſij cap. 7. alias 8. cœleſtis Hierarchię, *ſuper acutum feruidũ*; ait enim ex D. Dionyſio *quod dilectio ſupereminet ſcientiæ*; vnde & ab eodem D. Dionyſio ſupremus ordo Angelorum denominatur ab ardore, proximus à ſcientia. ex quo expreſſe colligitur ſecundum illum, amorem Dei in illis perfectiorem eſſe viſione beatifica. præterea ſicut ſe habet dilectio in via ad cognitionem, ita dilectio in patria ad cognitionem in patria. ergo quemadmodum dilectio in via eſt nobilior cognitione, ita & in patria. vnde ad illud quod objiciebatur, dico lumen gloriæ non repugnare abſolute viatori propter perfectionem ſuam, ſicut neque charitas ei competit propter ſuam imperfectionem, cum vtrumque abſolute loquendo in viatoris anima eſſe poſſit; ſed prouenit ex repugnantia luminis gloriæ cum fide, quam repugnantiam non habet cum illa charitas. Ad confirmationem, dico primam & eſſentialem diſtinctionem compręhenſoris à viatore, non eſſe per habitus, ſed per actus; magis autem eſſentialiter diſtingui compræhenſorem à viatore per fruitionem, quæ eſt actus voluntatis, quam per viſionem, cum beatitudo naturæ, ſiue ſecundum viam perfectionis, conſiſtat in actu voluntatis, tanquam perfectiori, & immediatius attingente objectum beatificum, per lumen autem gloriæ diſtinguitur præciſe intrinſece ab habente habitum fidei. deinde dico falſam eſſe confirmationem. patet, quia homo niger & homo albus ita ſe habent, vt albedo diſtinguat hominem album à nigro, qui vt ſic eſt imperfectior; non tamen albedo propterea perfectior natura humana vtrique communi. *Eius impugnatio Hugo de S. Victore. S. Dionyſius.*

Probatur ſextò. beatitudo conſiſtit in operatione maxime volenda. ſed talis eſt operatio voluntatis, non intellectus. ergo, &c. *Probatio 6.*

minor probatur, 1. quia vnumquodque magis appetit perfectionem propriam, quam illam quæ eſt per ſe alterius. ſed operatio voluntatis eſt ejus propria perfectio, non autem operatio intellectus. ergo, &c. 2. quia illa operatio eſt maxime volenda, per quam objectum beatificum perfectius vnitur beato. ſed hoc fit per operationem voluntatis, non autem intellectus, cum vnio & conjunctio quæ fit per intellectum ordinetur ad illam quæ fit per voluntatem, quemadmodum intelligere ordinatur ad velle. hinc S. Anſelmus libro 2. cur Deus homo cap. 1. ait *ordinem fore peruerſum, velle amare Deum, vt intelligeres.*

*Probatio 7.* Probatur ſeptimò. finis & bonum vt ſic ad voluntatem pertinent. ſed beatitudo eſt conſecutio vltimi finis & boni vt ſic. ergo ad voluntatem pertinent. hinc D. Thomas 2. 2. quæſt. 29. art. 6. ad 3. ſcribit vltimum finem hominis eſſe inhærere Deo per charitatem; loquitur autem de fine vt eſt adeptio. hic autem eſt beatitudo. ergo in adhæſione ad Deum per charitatem conſiſtit beatitudo, in ſententia D. Thomæ.

*D. Thomas.*

*Probatio 8.* Probatur octauò, quia quamvis primum appetibile non ſit actio voluntatis, tanquam id quod propter ſe expetitur, poteſt tamen actus voluntatis eſſe primum appetibile, tanquam ratio formalis, ratione cujus perfectiſſime poſſideatur primum appetibile.

*Probatio 9.* Probatur nonò. quamvis vltimus finis alicujus facultatis non poſſit eſſe actio ejuſdem, ſi per finem vltimum intelligamus rem quæ expetitur, poteſt tamen eſſe finis vltimus, ſi accipiatur pro perfecta adeptione finis vltimi.

*Probatio vltima.* Probatur vltimò. odium Dei eſt maximum malum. ergo amor Dei eſt ſupremum bonum, loquendo de beatitudine formali. alio modo ab alijs formatur hoc argumentum, hoc videlicet modo. Id eſt noſtra fœlicitas, quo formaliter expellitur noſtra miſeria, ita vt repugnet illam ſimul cum ea ſtare. ſed hujuſmodi eſt actus amoris, quo cum repugnat ſtare auerſionem à Deo; non autem actus intellectus, quia nulli tali repugnat illa auerſio.

*Voluntas præſtantior intellectu. Scotus, Henricus, Richard. Maior, S. Anſelmus.* Ex his omnibus habetur voluntatem eſſe intellectu præſtantiorem, vt ſentit Scotus cum ſuis, quem contra Thomiſtas ſequuntur ex alijs, Henricus, Richardus, Occam, Major, & alij, vt taceam Patres, qui hoc ipſum inſinuare videntur. videri poſſunt D. Anſelmus de Conceptione Virginis cap. 4. vbi ait voluntatem vt reginam cœteras movere potentias, illam que ſolam dicere poſſe, ſic volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas; D. Bernardus libro de libero arbitrio, vbi rationem ſeu intellectum vocat pediſſequam volũtatis. Richardus de Sancto Victore gentilis noſter, in libro qui incipit, *Omne caput languidum.* Neque eſt quod cum aduerſarijs dicas intellectum etiam

*S. Bernardus, Richardus de S. Victore.*

movere voluntatem dirigendo, regendo, & imperando. ne, inquam, hoc dicas, hoc enim falſum eſt; tantum enim voluntati inſeruit referendo, & movendo, eo fere modo quo conſiliarij ſuis dominis inſeruiunt; vnde voluntas poteſt illum auertere & conuertere. vide Scotum in 2. diſt. 24. quæſt. 4. neque dicas 2. intellectum eſſe regulam & rectorem voluntatis, & conſequenter nobiliorem eſſe voluntate, cum regula ſit nobilior regulato. Ne, inquam, hoc dicas; quamvis enim, vt bene notat Valentia, intellectus dici poſſit aliquo modo rector voluntatis, dirigendo nempe in bonum, illudque voluntati oſtendendo; tamen voluntas dici etiam poteſt, & melius, regere intellectum, imperando illi; & hæc ratio regulæ multo potior eſt illa quæ eſt in intellectu. Neque dicas 3. voluntatem dependere ab intellectu, non è contra, & conſequenter ignobiliorem eſſe intellectu; Reſpondeo enim diſtinguendo conſequens, ignobiliorem eſſe ſimpliciter, negatur conſequentia; ſecundum quid, conceditur conſequentia. ſubſtantia enim pendet ab accidentibus, & qualitas à quantitate, & tamen nemo propterea dixerit ſubſtantiam imperfectiorem ſimpliciter accidente, & qualitatem quantitate. quod autem in argumento additur, intellectum non pendere à voluntate, falſum eſt, vt ex dictis conſtat. Hinc ſolui poteſt aliud argumentum, quod pro perfectione intellectus ab aduerſarijs objicitur, nimirum intellectum eſſe immediatiorem eſſentiæ animæ quam ſit voluntas, cum hæc media illa reſultet, ideo que ſit veluti paſſio illius, ſicut & actus voluntatis videtur paſſio actus intellectus; appetitus enim vitalis ſequitur formam appræhenſam. ſed propria paſſio eſt imperfectior principio à quo manat. ergo &c. ſoluitur, inquam, falſum enim eſt voluntatatem eſſe paſſionem intellectus, eſt enim tantum paſſio animæ, ex qua vtraque potentia immediate reſultat. & quamvis medio intellectu reſultaret voluntas, non inde tamen fieret intellectum eſſe perfectiorem; nam ex quantitate reſultant aliquæ qualitates, & ex qualitatibus primis ſecundæ, & ex appræhenſione judicium, & tamen hæc omnia perfectiora ſunt ijs à quibus reſultant. Neque dicas 4. objectum intellectus eſſe ſimplicius & abſtractius, ac proinde quodammodo ſpiritualius, ergo quoque in modo operandi erit ſpiritualior voluntate, inquantum ſubtilius & artificioſius operatur quam voluntas, quemadmodum phantaſia ſubtilius operatur quam appetitus ſenſitiuus. confirmabis, quia intellectus abſtrahit ab exiſtentia, non ita voluntas, quæ actu perfecto non niſi in ordine ad exiſtentiam res amat; non enim amat, verbi gratia, ſanitatem, niſi vt illam habeat. hic autem modus operandi in magnam cedit perfectionem intellectus; nam ex eo habetur intellectum omnium intellectione ſimpliciter perfici, cum tamen voluntas non omnium volitione perficiatur. Reſpondeo enim 1. cum Rada; Rada.

Scotus.

*Valentia.* Valentia, & alijs, quod quamvis objectum intellectus ſit ſimplicius & abſtractius, non tamen propterea eſſe ſimpliciter perfectius; ſed id perfectius eſſe, quod magis abſtrahit à potentialitate & imperfectione, qua ratione non magis abſtrahit verum quam bonum, licet ſit abſtractius ab exiſtentia. Reſpondeo 2. verum & bonum æque abſtrahere ab exiſtentia; verum enim eſt, quod eſt cognoſcibile; bonum, quod eſt conueniens, ſiue exiſtat, ſiue non. Neque magis erit abſtractum verum, quam bonum, eo quod verum ſit ſuperius, cum omne bonum ſit verum, non autem omne verum bonum. ſiquidem verum & bonum reciprocantur, ſunt enim paſſiones tranſcendentes adæquate enti. 3. reſpondeo, quod licet darem intellectum ſuperare voluntatem, quatenus eſt abſtractius ejus objectum, tamen voluntas in alijs rebus majoris momenti ſuperat intellectum, & conſequenter eſt ſimpliciter nobilior. Idem ad confirmationem dici poteſt. Sed, inquies, Philoſophus in Eth. & Politicis videtur aſſerere intellectum eſſe præſtantiorem voluntate. Reſpondeo cum Scoto, Ariſtotelem non excludere eo loco dilectionem à contemplatione; & quando ait intellectum eſſe quid præſtantius alijs, non excludere voluntatem, ſed totam mentem, nunc artem, nunc propoſitum, nunc intellectum vocare, vt 2. Phyſ. tex. 49. & 9. Metaphyſ. tex. 10. non ergo diſtinguit eo loco Philoſophus intellectum à voluntate in ratione principij operatiui. videri poteſt Scotus in 2. diſt. 25. numero 23. §. Item intel-*Scotus.*lectus, & quodlibeto 13. art. 3. §. contra iſta, & quæſt. 4. prologi numero 24. vbi optime oſtendit apud Philoſophum in contemplatione includi amorem. *Sed præmiſſa*, inquit, *authoritate illa, nunquid fælix ſpeculatiuus ſecundum Ariſtotelem amat finem, vt amare diſtinguitur contra delectari, ſiue de objecto ſpeculatiuo, ſiue de ſpeculatione.* Reſpondeo 12. Metaphyſ. tex. 13. vult Philoſophus quod primum mouens mouet vt amatum; igitur intelligentia inferior amat primum, & tamen ipſius fœlicitatem poneret in ſpeculatione, ſicut patet in 10. Eth. Igitur ipſe in ſpeculatione compræhendit non tantum delectationem, ſed amare, &c. & vero manifeſtum eſt ex 1. Eth. cap. 7. Philoſophum in aduerſariorum non fuiſſe ſententia, vbi tanquam rem dubiam relinquit vtrum intellectus ſit præſtantior voluntate, vel è contra voluntas intellectu. *Siue igitur id* (nempe optimum) *intellectus ſit, ſiue aliud quidpiam, quod ſane ſecundum naturam videtur principatum obtinere, & præſidere, notionemque habere de honeſtis & diuinis rebus; ſiue diuinum quoddam etiam ipſum ſit, ſiue ex ijs quæ nobis ſunt diuiniſſimum, &c.* quibus verbis voluntatem deſcribit, & rationes attingit quare perfectior ſit intellectu, & ejus actus actu intellectus. Vnde quãdo poſtea in eodem capite intellectui principatum concedere videtur, non diſtinguit illum à voluntate, vt recte notauit Scotus

Scotus locis citatis, cum rationes non diſſoluat pro ratione præſtantiæ voluntatis. hinc ipſe D. Thomas in 1. diſt. 1. quæſt. 1. apud Occam eadem diſtinctione quæſt. 2. in fine, conceſſit voluntatem eſſe intellectu præſtantiorem. *Scotus.* *D. Thomas.*

Dices. amor in via & amor in patria ſunt ejuſdem ſpeciei eſſentialis. ergo ſi per amorem beamur in patria, erimus quoque eſſentialiter beati in hac vita; quo nihil eſt abſurdius.

Reſpondeo ad hoc argumentum varias eſſe ſolutiones. primò enim aliqui reſpondent non eſſe neceſſarium admittere inter amorem in via & in patria diſtinctionem ſpecificam, ſed ſufficere diſtinctionem conditionum, vt in patria ſit beatitudo, in via vero non; ſicut viſio qua D. Paulus, ſecundum D. Thomam, vidit eſſentiam diuinam, erat ejuſdem ſpeciei cum ea quam modo habet in cœlo. Aduerte autem omnes has conditiones ſumi debere per modum vnius, nec vnam impugnari debere relicta alia, cum ſimul tantum ab authoribus hujus reſponſionis ſumantur. Reſpondent aliqui cum Valentia, beatitudinem non conſiſtere in amore ſecundum ſuam ſpeciem conſiderato, ſed ſecundum ſuam perfectionem indiuidualem, & aliquas conditiones quas habet in patria ex conjunctione ad viſionem Dei, & aliunde, ſcilicet intentionem inamiſſibilem, &c. hæc reſponſio videtur quibuſdam ſupponere reperiri diſtinctionem ſpecificam inter amorem in via, & in patria; mihi tamen non ita videtur. Reſpondet 3. Rada, amorem in patria & in via eſſe diuerſæ ſpeciei. quod vt intelligatur, obſeruat quod licet ex diſtinctione objectorum formaliter ſpecifica poſſit inferri recte diſtinctio ſpecifica actuum, tamen ex vnitate ſpecifica objectorum non liceat inferre vnitatem ſpecificam actuum, vt patet in multis. notitia enim abſtractiua hominis, & ejus intuitiua cognitio, præterea, inquit, duo motus, vt circularis & rectus, poſſunt habere terminos ejuſdem ſpeciei, vt duo vbi ejuſdem rationis, cum tamen ipſi motus differant ſpecie. Item potentia viſiua hominis & equi ſunt inter ſe diuerſæ ſpeciei, & tamen objectum eorum eſt idem ſub ratione formali. vnde ex vnitate ſpecifica objecti, non licet inferre vnitatem ſpecificam actus vel potentiæ. ergo ex eo quod fruitio viatoris & compræhenſio ad idem objectum ſub ratione formali terminetur, non licet inferre eſſe eiuſdem ſpeciei. *Valentia.* *Rada.*

Dices, vnde ergo deſumenda eſt horum actuum diſtinctio, ſi ex obiecto non licet eam inferre, cum idem habeant obiectum, & idem vt ſic non poſſit eſſe diſtinctionis cauſa.

Reſpondet Rada, quod quando duo indiuidua ſunt eiuſdem ſpeciei, non requirunt ad ſui productionem diſtinctas cauſas in ſpecie, ſed ea quæ poteſt vnum producere, poteſt & alterum, quia vnum non requirit in cauſa nec aliam nec maiorem perfectionem quam alterum.

V

ſi autem ita ſe habeant, vt alterum ad ſui productionem requirat cauſam alterius rationis à cauſa alterius indiuidui, tunc ex diſtinctione earum ſpecifica vt tali requiſita, poſſumus inferre illa indiuidua eſſe alterius ſpeciei, quia indiuidua ejuſdem ſpeciei non requirant cauſas diſtinctas ad ſui productionem. at ad productionem beatificæ cognitionis requiritur vt cauſa per ſe ſit viſio objecti beatifici, non vero ad fruitionem eius in via. ergo fruitio in via & in patria differunt ſpecie cauſaliter, formaliter verò à proprijs rationibus formalibus quas habent. hæc reſponſio procedit, ſuppoſito quod objectum ſit cauſa partialis ipſius volitionis. quod ſi aliquis hanc ſententiam non teneret, ſed diceret ſolum eſſe conditionem ſine qua non, neceſſario prærequiſitam ad productionem fruitionis, dicere poteſt hujuſmodi fruitiones ſpecie differre, quia indiuidua eiuſdem ſpeciei non neceſſario requirunt in cauſis aliqua diuerſa ſecundum ſpeciem ad eorum productionem. ergo ſi ad productionem fruitionis beatificæ requiritur in objecto tanquam conditio neceſſaria quod ſit viſum, & à voluntate cauſari non poteſt, niſi illa conditione poſita, & fruitio in via id non requirit, imo oppoſitum, concluditur ſpecie differre.

Inſtabis. objectum eſt idem, & ſub eadem ratione. ergo non differunt ſpecie.

Reſpondeo, dictum eſſe ex Rada, ex vnitate obiecti non ſemper poſſe inferri vnitatem actuum ſpecificam. verum aduerte quod ad hujuſmodi diſtinctionem ſpecificam cauſandam, ſufficit alia & alia præſentia obiecti ad potentiam, ſi illa alia & alia præſentia obiecti ad intellectum cauſat earum ſpecificam diſtinctionem, vt in præſenti accidit. nam viſio & fides reſpiciunt vt obiectum Deum ſub ratione deitatis, in probabili ſaltem multorum ſententia; tamen alia & alia Dei præſentia ad intellectum cauſat earum diſtinctionem ſpecificam, quia in cognitione abſtractiua & in actu fidei Deus eſt abſens, &c.

VI. *Tertia authoris. Concluſio. Eiuſdē probatio.* Dico 3. eſſentiam beatitudinis conſiſtere in contemplatione, & amore ſupremi veri & boni, diuerſa tamen ratione, vt diximus.

Probatur concluſio ex duabus prioribus concluſionibus, earumque argumentis, quibus hoc ſatis clare probatur.

Quod ſi quæras in quo ſimpliciter dicendum ſit beatitudinem conſiſtere,

*Beatitudo ſimpliciter conſiſtit in amore amicitiæ. S. Auguſtinus.* Reſpondeo abſolutè dicendum eſſe conſiſtere in amore amicitiæ, ſiue in fruitione, iuxta illud citatum D. Auguſtini 1. de doctrina Chriſtiana, cap. 32. *ſumma merces hæc eſt, vt Deo fruamur.* Ratio eſt illa quam ſupra explicauimus, quia beatitudo, abſolutè loquendo, conſiſtit in perfectiſſima operatione perfectiſſimæ potentiæ. huiuſmodi eſt amor, qui eſt præſtantiſſima operatio voluntatis, quæ inter omnes potentias animæ principatum obtinet. & ſane cum beatitudo

conſiſtat in vltimi finis perfectiſſima conſecutione, hoc autem fiat per amorem, non vero per cognitionem, ſimpliciter & abſolutè loquendo, dicendum erit in amore, & non in cognitione conſiſtere beatitudinem. quod vero perfectiſſima conſecutio vltimi finis ſit per amorem, & non cognitionem, patet, quia obiecti tractio, poſſeſſio, repræſentatio, & aſſimilatio intentionalis, non eſt ſimpliciter & abſolutè conſecutio illius, vt patet in diuitijs. vera autem conſecutio finis, eſt vera vnio cum illa. vera autem vnio cum Deo, eſt per amorem, vt docet D. Auguſtinus 1. de Trinitate cap. 4. & D. Thomas 3. contra gentes cap. 116. & colligitur ex D. Dionyſio cap. 4. de diuinis nominibus, & cap. 7. cœleſtis Hyerarchiæ, dicente amantem amore ipſo conuerti, transformari, & transferri in amatum. & indicant ſacræ literæ 1. ad Corinthios 6. *qui adhæret Deo, vnus ſpiritus fit cum eo.* *D. Auguſtinus, D. Thomas, D. Dionyſius.*

Quæres 2. quid ſentiendum ſit de opinione Aureoli ſupra explicata. VII.

Reſpondeo illam non eſſe veram, neque admittendam; nam gaudium, ſiue delectatio, quo beatus conquieſcit in Deo amato & cognito, tanquam in ſummo bono, ad eſſentiam beatitudinis formalis non pertinet, ſed eſt proprietas ex ea naturali conſecutione profluens. prima pars reſponſionis probatur, quia gaudium illud ſupponit Deum iam perfectè aſſecutum & poſſeſſum; Deus enim perfectè poſſidetur modo ſupra explicato. ergo ſupponit ipſam beatitudinis eſſentiam, quæ eſt perfectè poſſidere Deum, jam conſtitutam, & conſequenter ad illam pertinere non poterit. 2. quia in quacumque operatione, cujuſmodi eſt beatitudo formalis, delectatio non eſt quid principale, ſed aliquid aduentitium, quodque ad illam operationem ordinatur. vnde Deus naturæ author quibuſdam operationibus delectationem adjunxit, vt ad eas vel continuandas, vel ſæpius iterandas agentia naturalia allicerentur. 2. pars reſponſionis probatur itidem. nam amor ſummi boni jam præſentis & adepti, eſt cauſa efficax gaudij; omne enim bonum quod per ſe amatur & deſideratur, acquiſitum per ſe delectat. ergo delectatio, ſiue gaudium, eſt proprietas conſequens poſſeſſionem ſummi boni, & conſequenter beatitudinem formalem. Nec aliud volunt loca ſacræ ſcripturæ, in qua beatitudo gaudij & voluptatis nomine explicantur; Pſalmo 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*; Mathei 25 *Intra in gaudium Domini tui*; Iohannis 15. *vt gaudium meum in vobis ſit, & gaudium veſtrum ſit plenum.* Iohannis 16. *& gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* *Gaudium non eſt de eſſentia beatitudinis.*

Quæres 3. quid dicendum ſit de opinione Henrici, aſſerentis beatitudinem conſiſtere in ipſa ſubſtantia animæ, ac ſi Deus illabere- VIII. *Beatitudo non conſiſtit in illapſu.*

tur quodam modo animis noſtris.

Reſpondeo communiter ab omnibus Philoſophis ac Theologis rejici, & merito, 1. quia eſt contra axioma Philoſophorum, finem cujuſque rei videlicet eſſe poſitum in illius actione. 2. non poteſt oſtendi, imò nec vlla ratione explicari, quod Deus hoc modo nobiſcum conjungatur. quæro enim ab authotibus hujus ſententiæ, cum Deus ſit rebus omnibus præſens per potentiam, eſſentiam, & operationem, quam præſentiam ſuper has tres addat illapſus ille in quo beatitudinem collocant? 3. hoc ad minimum conuincunt authoritates, tam ſcripturæ ſacræ, quam Patrum, quæ tribuunt beatitudinem potentijs animæ, aſſeruntque beatitudinem in aliqua operatione conſiſtere.

# QVÆSTIO SECVNDA.

## *An poſſit voluntas velle malum, quà malum.*

I. IN hac quæſtione, quæ inter authores ſatis controuerſa eſt, tres apud authores reperio ſententias.

*Prima ſententia Occam, Gabrielis, Gregorii &c.*

Prima ſententia, eſt eorum qui volunt voluntatem poſſe ferri in malum, quà malum, illudque appetere. Ita Occam in 3. diſt. 13. quæſt. 13. ad dubium tertium; quem ſequuti ſunt omnes Nominales, Gabriel, Gregorius, &c. & exiſtimatur Scotus eandem ſententiam docuiſſe in 1. & 2. ſententiarum, ſed tandem in 4. illam retractaſſe. verum quæ fuerit mens Scoti poſtea dicemus.

*2. Sententia D. Thomæ, Durandi, Vaſqueſii, Suarii, Conimbricenſium, &c.*

Secunda ſententia, huic præcedenti penitus contaria, eſt eorum qui aſſerunt neminem malum ſub ratione mali intendere poſſe. eſt D. Thomæ 1. 2. quæſt. 8. art. 1. & Thomiſtarum omnium; Durandi in 1. diſt. 46. quæſt. 2. eamque ſequuntur recentiores ferre omnes, Vaſquez, Suarius, Conimbricenſes, & pro ſe citant D. Dionyſium de diuinis nominibus cap. 4. aſſerentem neminem malum ſub ratione mali intendentem operari, & D. Gregorium Nicenum, affirmantem neminem in malum vel vitium ruere, niſi bonitatis aliqua ſpecie ductum.

*Tertia ſententia Scoti, Tamarit, Fabri, &c.*

Tertia ſententia media, eſt illorum qui diſtingunt de duplici voluntate, amicitiæ nimirum, & concupiſcentiæ, dicuntque voluntatem poſſe velle malum voluntate amicitiæ, non concupiſcentiæ. eſt Scoti in 1. diſt. 1. quæſt. 4. in ſolutione quarti argumenti pro opinione D. Thomæ quo ad primum articulum. objecerat enim ſibi Scotus illud quod habet D. Auguſtinus 13. de Ciuitate Dei, videlicet comi-

cum quendam dixiſſe in theatro, ſe die ſequenti pronuntiaturum quid ſinguli vellent; & conueniente multitudine dixiſſe, omnes vultis vili emere, & caro vendere. ſubjungit D. Auguſtinus, *ſi dixiſſet mimus, omnes beati eſſe vultis, & miſeri eſſe non vultis, dixiſſet aliquid quod nullus in ſua non agnoſceret voluntate*. ad quam objectionem reſpondet verum eſſe illud axioma, omnes volunt beatitudinem, de amore concupiſcentiæ, falſum tamen eſſe de amore amicitiæ. ex quo habemus in ſententia Scoti, voluntatem noſtram, quicquid vult, velle ſub ratione boni, verum eſſe de voluntate concupiſcentiæ, non tamen de voluntate amicitiæ. eadem eſt ſententia Fabri in 1. diſt. 1. qu. 4. cap. 7. vbi docet eandem eſſe ſententiam Scoti. eadem etiam eſt ſententia Hieronymi Tamatit in floribus Theologicis quæſt. 27. & aliorum Scotiſtarum.

Præmitto ad quæſtionis ſolutionem, in voluntate duplicem reperiri actum, nempe volitionis, & nolitionis. Nolitio, ſiue nolle, eſt actus quo abominatur voluntas aliquid ſibi diſconueniens; volitio, ſiue velle, eſt actus quo voluntas vult, ſiue amplectitur aliquid ſibi conueniens. II.

Præmitto 2. volitionem duplicem eſſe, ſiue duplicem reperiri voluntatis actum, nempe actum volitionis, quo vult aliquid amore concupiſcentiæ, & actum quo vult aliquid amore amicitiæ. quem duplicem actum ſiue amorem admittit Ariſtoteles 1. Ethic. cap. 6. & poſt ipſum D. Thomas 1. parte quæſt. 60. art. 3. amor amicitiæ vocatur ab Ariſtotele amor ſubſtantiæ; amor concupiſcentiæ, amor accidentium. cujus ratio ex eo deſumi debet, quia ſicut accidentia ex ſe referuntur ad ſubſtantiam, & præſupponunt ſubſtantiam, ad quam ordinantur tanquam aliquid per ſe ſubſiſtens; ita amor concupiſcentiæ præſupponit ante ſe amorem amicitiæ, quo aliquid amatur propter ſe, priuſquam aliud ametur in ordine ad illud. & ſicut accidentia alia ſunt qualitates, alia relationes, quæ tamen omnia ad ſubſtantiam referuntur; ita objectum amoris concupiſcentiæ, aliud reperitur in prædicamento qualitatis, vt virtus, aliud in prædicamento relationis, vt vtile; quæ tamen omnia referuntur ad id quod prius amatur amore amicitiæ. quæri hic poſſet an amor amicitiæ & amor concupiſcentiæ ſint actus diuerſi, & omnino diſtincti. ad quam quæſtionem breuiter reſpondeo, eſſe actus diuerſos, & penitus diſtinctos. probatur, quia actus diſtinguuntur, ſecundum authores primæ & ſecundæ ſententiæ, etiam à priori per objecta; quod ſaltem verum eſt à poſteriori, vt docet Philoſophus 2. de anima. atqui amor amicitiæ tendit in ſubſtantiam, ſcilicet in objectum quod propter ſe diligitur; amor concupiſcentiæ tendit in accidens, quod non amatur propter ſe, ſed in ordine ad aliud. ergo iſti duo actus, ſunt actus diuerſi, & penitus diſ- III. *Ariſtoteles. D. Thomas.*

tincti. confirmatur ex ratione formali iſtorum actuum. nam diligere aliquid propter ſe, & diligere aliquid in ordine ad aliud, eodem penitus modo diſtinguntur, quo diſtinguntur habitudo ad ſe, & habitudo ad aliud; ſiue quo diſtinguntur abſolutum & reſpectiuum. at abſolutum & reſpectiuum ſunt duæ formalitates valde diuerſæ. ergo &c.

IIII. Præmitto denique, inter actum volitionis & nolitionis reperiri quendam ordinem; volitio enim præcedit nolitionem, propterea

*Reperitur ſemper ordo inter actus volitionis & nolitionis.* enim non vult aliquis aliquod objectum, quia prius vult aliquid cui illud objectum repugnat; nihil enim refugimus, niſi quia non poteſt conſiſtere cum aliquo quod volumus. ſicut autem volitio præcedit nolitionem, ita velle amicitiæ præcedit velle concupiſcentiæ, vt dictum eſt. Ratio eſt, quia propterea concupiſco alicui aliquod bonum, quia prius amo aliquem in ſe. Hinc fit vt amor amicitiæ ſit finis amoris concupiſcentiæ. ſi quæras an hic ordo ſeruetur in omnibus actibus, id eſt tam ordinatis, quam inordinatis; reſpondeo affirmatiuè. ratio eſt, quia conſtat experientia in actibus ordinatis, prius me velle aliquod objectum, quam velim illi bonum aliquod; 2. nos concupiſcere illi bona; 3. nolle me alia objecta quæ illi objecto diſconueniunt. In actibus etiam inordinatis idem patet experientia; prius enim volo aliquod objectum in ſe; deinde illi bona aliqua concupiſco; 3. nolo illi objecta diſconuenientia. Hinc ſequitur, primam bonitatem in actibus ordinatis, & primam malitiam in actibus inordinatis, neceſſario eſſe circa primum velle, quod eſt velle, & amor amicitiæ. cujus ratio eſt, quia ſi ordinate amo illud objectum, quod in ſe & propter ſe amo, concupiſco etiam illi bona quæ ei conueniunt, & ea ratione qua conueniunt, & reſpuo ea quæ ei ordinate non conueniunt. *ſimiliter* ſi ordinate amo aliquod objectum, concupiſco illi bona inordinate, & rejicio etiam inordinate incompoſſibilia. Ex quibus omnibus infertur, primam malitiam in actibus voluntatis reperiri in amore amicitiæ, non vero in amore concupiſcentiæ, neque etiam in volitione. his præmiſſis,

V. Dico 1. neminem velle poſſe, ſiue ordinate, ſiue inordinate, vo-

*Prima concluſio.* luntate concupiſcentiæ ſibi oppoſitum. hoc tantum forte volunt authores ſecundæ ſententiæ, & probant argumenta eorum præcipua.

*Prima probatio.* Probatur concluſio, 1. authoritate Ariſtotelis 1. Ethic. cap. 1. vbi ait omnem delectationem & artem appetere bonum, & propterea bene dixiſſe antiquos, *bonum eſt quod omnia appetunt*. ergo, &c.

*2. Probatio S. Dionyſius.* Probatur 2. ex D. Dionyſio citato, vbi ait quod nemo intendens malum operatur. & ratio eſt, quia voluntas concupiſcentiæ fundatur in appetitu naturali, quo res omnes naturaliter appetunt bonum proprium, & conſeruationem propriam, nec poſſunt non velle ſibi

Digitized by Google

bonum, & non fugere quod ſibi malum eſt.

Probatur 3. experientia, qua conſtat nos in omnibus quæ appetimus nobis appræhendere aliquam rationem boni, quæ ratio tanto potentius nos trahit, quanto melior eſt, meliuſque appræhenditur. ergo bonitas eſt objectum formale concupiſcentiæ.

Dico 2. voluntatem poſſe velle malum, quà malum, amore amicitiæ. hoc tantum exiſtimo voluiſſe authores primæ ſententiæ. certè tam hæc quam præcedens concluſio expræſſe traditur à Scoto & Fabro locis citatis, & VI. *2. Concluſio.*

Probatur breuiter, 1. quia amare aliquid amore amicitiæ, eſt velle illi bonum propter ſe, non quatenus illa bonitas redundat in volentem. ſed certum videtur voluntatem inordinatam non ſic velle beatitudinem, & actum beatificum, id eſt, non velle illum eſſe in ſe, & propter ſe; imò euidens videtur dæmonum & damnatorum voluntatem nolle actum beatificum eſſe in ſe, ex eo enim quod cognoſcant actum illum non eſſe ipſorum, ſed aliorum bonum, videntur poſſe velle illum abſolutè non eſſe. ergo, &c. *Prima concluſionis Probatio.*

Confirmatur, quia non videtur vllum dubium quin poſſint damnati Deum velle non eſſe, licet ex non eſſe Dei nulla eis obueniret bonitas vel delectatio; imò, quod magis eſt, videtur voluntas peruerſiſſimi alicujus viatoris idem poſſe, & Deum odio proſequi. quod & confirmatur argumento Scoti in 2. diſt. 46. quæſt. 2. ponamus intellectum aliquem appræhendere odium Dei, nec in appræhenſione illa errare, & conſequenter eidem oſtendi malum ſub ratione mali, & non ſub ratione alicujus boni; jam quæro cum Doctore ſubtili, vtrum voluntas poſſit illud velle, vel non? ſi ſic, habemus intentum; ſi non, ergo vel ſimpliciter non poteſt velle odium Dei, vel neceſſe eſt prius intellectum eſſe excæcatum, videlicet oſtendere odium Dei ſub ratione boni; quod eſt ridiculum, quia excæcatio non præcedit effectum prauum, ſed eſt potius effectus illius. *Scotus.*

Probatur 2. concluſio. amare aliquid amore amicitiæ, eſt prius velle amore concupiſcentiæ, eſtque, vt diximus, actus diſtinctus ab illo. ergo in illo priori amore voluntas vult aliquod malum abſolutè. Conſequentia probatur, quia in illo priori circumſcribitur relatio malitiæ, quatenus, vt loquitur Faber loco citato, cedit in malum, vel vtilitatem amantis, & præciſe conſideratur objectum malum in ſe. *Probatio 2.*

Confirmatur, quia quod aliquis nolit aliquod objectum malum, ex eo prouenit, quod illud malum eſt volenti diſconueniens. ergo ſi appræhendatur illud malum in ſe, abſque relatione redundantiæ malitiæ & damni in volentem, nulla videtur ratio cur voluntas inordinata velle non poſſit illud malum, licet nullam rationem boni videat habere.

Digitized by Google

Confirmatur 2. quia alioquin, vt bene argumentatur Faber, voluntas ſtando in actibus amoris amicitiæ præciſe, circumſcriptis actibus amoris concupiſcentiæ, & nulla exiſtente excæcatione in intellectu, nunquam poſſet peccare, & eſſe inordinata; quod eſt falſiſſimum, quia, vt ſupra præmonuimus, primus actus peccati eſt ante excæcationem, & in actibus amoris amicitiæ.

*Scotus.* Ex his omnibus conſtat Scotum in præſenti controuerſia nunquam ſibi contradixiſſe. nam in 1. & 2. ſententiarum tantum vult voluntatem poſſe velle malum, quà malum, amore amicitiæ, in 4. autem, dum negat voluntatem poſſe velle malum, quà malum, id negat de amore concupiſcentiæ.

VII. *Aduerſariorum fundamenta diſſoluuntur.* Dices. bonum eſt objectum voluntatis. ergo voluntas non poteſt velle quicquam etiam amore amicitiæ, niſi ſub ratione boni. conſequentia probatur, quia potentia non poteſt ferri extra ſuum objectum; vnde potentia viſiua, exempli gratia, etiam per Dei potentiam non poteſt ſentire ſonum.

*Scotus.* Reſpondeo cum Doctore ſubtili in 1. diſt. 1. quæſt. 1. art. 2. & in 2. diſt. 3. quæſt. 10. numero 10. & diſt. 6. quæſt. 1. numero 2. & Scotiſtis communiter, bonum vt ſic non eſſe objectum adæquatum voluntatis, ſed ens, ſiue illud ſit motiuum, ſiue terminatiuum. Ratio eſt, 1. quia voluntas eſt æque vniuerſalis potentia, ac eſt intellectus. ergo quicquid poteſt intellectus proponere, in illud poteſt voluntas tendere. ſed poteſt intellectus proponere ens vt ſic. ergo poteſt voluntas ferri in ens vt ſic. Secundo, niſi hoc eſſet, intellectus eſſet perfectior voluntate, quia ejus objectum, videlicet ens, eſt perfectius ſua paſſione. conſequens autem eſt falſum, vt diximus. ergo, &c. Videri *Bargius. Lichettus.* poſſunt Bargius in 1. diſt. 39. paragrapho media autem ratio, Lichettus in 2. diſt. 6. quæſt. 1. & alij Scotiſtæ. ſed de objecto intellectus & voluntatis videri poteſt ſubtilis Doctor conterraneus in lib. de anima quæſt. 19. 20. & 21. vbi egregie & ſubtiliſſime more ſuo hac de re *Scotus.* diſputat. quod ſi Scoto objicias, potentiæ diſtinguntur per actus, & actus per objecta, ex Philoſopho 2. de anima text. 131. & 132. ergo intellectus & voluntas, quæ ſunt diuerſæ potentiæ, non poſſunt habere idem objectum. Reſpondet ibidem his verbis; *Qua ratione potentia diſtinguātur per actus & obiecta.* *Dicendum quod hoc non dicit Philoſophus, ſed quod prius oportet conſiderare actus quam potentias, & objecta quam actus, quia ſunt priora quoad cognitionem noſtram; tamen actus non ſunt principium eſſendi potentiæ, vel prius perfectione, imo poſteriores, quia ſunt effectus potentiarum. bene igitur ſequitur, ſi objecta ſunt diuerſa, quod potentiæ ſint diuerſæ, ſed non è conuerſio. Nec ſequitur, ſi objecta ſunt idem, vel non differunt, quod potentiæ non differant, ſed eſt fallacia conſequentis à deſtructione antecedentis; plura enim requiruntur ad identitatem aliquorum, quam ad diſtinctio-*

*tinctionem eorum. Exemplum. motus diſtinguitur penes terminos, ita quod ſi termini ſunt diſtincti, & motus; ſed non ſequitur, ſi terminus ſit idem, quod motus ſit idem; diuerſi enim motus ſpecie poſſunt eſſe ad eundem terminum, ſicut circularis, & rectus, vt vult Philoſophus 5. Phyſicorum. Ita eſt in propoſito.* hæc ille. Quod ſi rurſus quæras per quos actus ſecundum nos diſtinguantur potentiæ; Reſpondet idem in 1. diſt. 6. quæſtione vnica, diſtingui per actus adæquatos; vnde intellectus diſtinguitur per intellectionem in genere, non per hanc vel illam; voluntas per volitionem in genere, non per hanc vel illam; ſenſus per ſenſationem, &c. Quando enim conſtat aliquem videntem non percipere ſonum, patet aliam eſſe potentiam, qua ſonus percipitur, diſtinctam à viſiua. Quod ad objecta ſpectat, qua videlicet ratione inferant diuerſas potentias, ſciendum eſt ex eodem conterraneo in 1. diſt. 3. quæſtione 4. potentias eſſe aut omnino diſparatas, & tunc habent objecta diuerſa, vt viſus, auditus, &c. aut ſubordinatas in eodem genere, vt potentia cognoſcitiua inferior, & intellectus, & tunc objecta prima ſunt diuerſa, quia inferioris objectum, eſt ſuperioris potentiæ objecti pars, vt ſenſibile pars objecti intellectus; aut ſubordinatas in diuerſo genere, vt cognoſcitiua, & appetitiua, & tunc, inquit, ſi voluntas, exempli gratia, habere poteſt actum circa omne id quod intelligitur, idem erit vtriuſque objectum; ſi vero tantum in finem tendere poſſit, & extra finem, objecta erunt diſtincta. Ex quo infertur, potentias non ſemper diſtingui per objecta, verum tunc tantum, quando actus vnius tendere non poteſt in objectum alterius.

*Scotus.*

*Scotus.*

Dices; quis erit ille actus quo voluntas feretur in malum, quà malum? eritne voluntas medij, vel finis?

Reſpondeo, actum illum fore actum neutrum, id eſt, nec finis, nec mediorum ad finem. Neque dicas cum Cajetano 1. ſecundæ quæſt. 8. & Gregorio Ariminenſi in 1. diſt. 1. quæſt. prima, nullum talem dari actum. Ne, inquam, hoc dicas; primò, quia velle aliquid propter ſe, & velle aliquid propter aliud, formaliter dicunt relationes in objecto; finis enim vt finis, eſt relatio; medium vt medium, eſt etiam relatio. Ergo voluntas poteſt velle aliquid, objectum videlicet aliquod, abſque eo quod velit illam relationem in objecto medij vel finis. Ergo vlterius poteſt dari actus neuter. hæc 2. conſequentia euidens eſt. Prima, de qua eſt difficultas, ſic probatur. quandocunque aliqua ſic ſe habent, quod intrinſecè non repugnat alterum ſeparari ab alio, voluntas poteſt velle vnum non volendo alterum. at objecto intrinſecè non repugnat eſſe ſine relatione finis vel medij. Ergo, &c. Major hujus ſecundi argumenti clara eſt, imo voluntas plus poteſt, quia ſi duo ſola ratione differant, & non in re, poteſt velle vnum non volendo alterum, ſecundum ipſos aduerſarios. Minor non minus apert-

*Reiiciuntur Caietanus, & Ariminenſis.*

*Oſtenditur dari actum neutrum, id eſt, qui nec ſit finis nec mediorum.*

ta eſt, quia abſolutum poteſt eſſe ſine relatiuo, quantum eſt ex ejus ratione intrinſeca; ſicut ſubſtantia intrinſecè poteſt eſſe ſine accidente. Confirmatur, quia oblato intellectui objecto aliquo bono, de quo dubitat an ejus bonitas ſit propter ſe volibilis, vel propter aliud, clarum videtur poſſe voluntatem velle illam bonitatem, ſic præſcindendo à volitione propter ſe, & à volitione propter aliud. Et ſane capere non poſſum qua ratione negari poſſit, aliquem poſſe velle actum virtutis moralis, exempli gratia, ſaluare patriam, abſque eo quod velit hunc actum propter vltimum finem, vel propter ſe. quare enim non poſſet velle illum cum præciſione vtriuſque relationis? *Scotus.* *Philippus Faber.* Videri poteſt Doctor ſubtilis conterraneus in primo diſt. prima, vbi hanc doctrinam tradit; quam egregie pluribus tuetur Philippus Faber in 1. diſt. 1. quæſt. 3. cap. 2.

# QVÆSTIO TERTIA.

## *In quo conſiſtit malitia, ſeu ratio formalis peccati.*

I. HÆc quæſtio à quibuſdam in Moralibus, ab alijs in Theologia tractatur. Nos eam hoc loco agitamus, occaſione ſuperioris quæſtionis quam diſputauimus. Tres ſunt de ea ſententiæ.

*Prima ſententia Melchioris Cani, & Gabr. Vaſquez.* Prima eſt, rationem formalem peccati, ſiue malitiam, conſiſtere in difformitate ſeu repugnantia actus cum lege æterna, ac proinde eſſe relationem rationis. citatur pro hac ſententia à Medina prima ſecundæ quæſt. 71. art. 6. Melchior Canus, eamque ex recentioribus tuetur Gabriel Vaſquez prima 2. diſp. 95. cap. 9.

*2. Sententia Caietani, Medinæ, Curielis, Moriſani, &c.* Secunda ſententia eſt, malitiam peccati non eſſe relationem rationis, ſed eſſe ens reale. Explicant autem Authores hujus ſententiæ ſuam ſententiam, diſtinguentes duplicem malitiam in peccato; alteram ſimpliciter, qua actus in ſe malus eſt, quam volunt conſiſtere in priuatione boni; alteram moralem, qua actus malus eſt, non in ſe, ſed reſpectu naturæ rationalis, quam maltiam nolunt eſſe priuationem, ſed entitatem quandam realem ac poſitiuam, quæ ita ſe habeat reſpectu hominis, ſicut ſe habet frigus reſpectu ignis, calor reſpectu aquæ, dolor reſpectu ſenſus, error reſpectu intellectus. hujus ſententiæ ſunt Cajetanus prima 2. qu. 71. art. 6. Medina ibidé, & alij. Quibus annumerari debent Curiel prima ſecũdæ qu. 71. art. 6. dubio primo, Moriſanus Hirlandus diſput. 3. Ethicæ dubio primo, & alij recentiores, qui in eandem ſententiam pertrahere conantur Diuum Thomam, verum

fruſtra, vt breui dicemus. Fundamenta eorum infra pronentur, & ſoluentur.

Tertia ſententia, & communis, eſt eorum qui volunt malitiam moralem actus formaliter eſſe priuarionem; an aurem ſit priuatio gratiæ, contrarij actus, vel rectitudinis debitæ, non conſentiunt. Eſt hæc ſententia communis Patrum; illam enim habet S. Dionyſius 4. de diuinis nominibus; *Vt ſummatim*, inquit, *dicam*, *malum infirmitas imbecillitaſque*, *ae priuatio eſt*, *aut ſcientiæ*, *aut fidei*, *aut appetitus actionis bonæ* *Neque enim*, ait Epiphanius hæreſi 2. *malum vnquam erat*, *neque radix malitiæ fuit*, *neque in ſubſtantia malum extitit*. Er hæreſi 66. *Cum hæc*, inquir, *conſiderauimus intra noſmetipſos*, *ſubſtantia carens reperietur malum*, *& nullam radicem habens*. S. Gregorius Nazianzenus oratione 9. numero 36. comparat malum tenebris, quæ in ſola priuatione conſiſtunt; & oratione 40. quæ eſt in ſanctum baptiſma, *Crede*, inquit, *nullam mali eſſentiam eſſe*. Nycetaſque ejus interterpres ibidem eadem verba explicans, *Nulla*, inquir, *mali ſubſtantia eſt*, *ſed boni priuatio*, *non enim eſt alia mali ſubſtantia*, *quam virtutis abſceſſus*. S. Auguſtinus 11. de Ciuitate Dei in fine, *Mali*, inquit, *nulla natura eſt*, *ſed amiſſio boni mali nomen accipit*. Et tractatu primo in Ioannem in illa verba, *ſine ipſo factum eſt nihil*, *&c. Peccatum quidem*, air, *non per ipſum factum eſt*; *& manifeſtum eſt*, *quia peccatum nihil eſt*, *& nihil fiunt homines*, *cum peccant*. Afferrque exemplum idoli, quod reſte Diuo Paulo 1. ad Corinrhios. 8. *nihil eſt in mundo*. S. Damaſcenus lib. 2. cap. 4. *Nihil*, inquir, *eſt aliud malum*, *quam priuatio boni*. S. Gregorius Nyſſenus oratione Catechetica cap. 5. 6. & 7. in quo ſic ſcribir; *Vitium autem omne*, *& improbitas*, *in boni priuatione ſuam cum habeat formam*, *& characterem*, *cum per ſe non ſit*, *neque conſideretur in eo quod conſiſtat*, *nullum enim malum per ſe ſitum eſt extra liberam arbitrij electionem*, *ſed ita denominatur ex eo quod non ſit bonum*. Denique, vt alios Patres omittam, Elyas Crerenſis in orarionem rertiam Nazianzeni, in illa verba, *Quod aut pluribus commemoratur*, inquit, *Neque quod vitio ſubſtantiam tribuamus*, *vt delirant Manichæi*, *vitium enim virtutis eſt priuatio*, *vt etiam caligo lucis receſſus*. Conſentiunt Scholaſtici, Scotus in 2. diſt. 37. §. *iſtæ quæſtiones*, & §. *ex iſta ſolutione*, S. Bonauentura in 2. diſt. 35. dubio 6. Henricus quodlibeto primo quæſt 25. Occam quodlibeto 3. quæſt. 15. Almainus rract. 3. Moralium cap. 17. Richardus conrerraneus meus in 2. diſt. 34. arr. 1. quæſt. 7. Alenſis 2. parre quæſt. 94. memb. 2. Durandus in 2. diſt. 31. quæſt. 2. Marſilius, Gabriel, & alij. Quid ſenſerit D. Thomas ſub judice lis eſt, nam Cajetanus, & alij recenriores, volunt illum ſequutum fuiſſe ſecundam ſententiam; alij ſentiunt ipſum huic communi ſententiæ adhæſiſſe; & rectè quidem, nam prima 2.

*Tertia Sententia Patrum, S. Dionyſii, Epiphanii, S. Greg. Nazian. S. Auguſtini, & aliorũ, quos ex Theologis ſequuntur Scotus, Henricus, S. Bonauentura, S. Thomas, Durandus, Richardus, Alenſis, Occam, &c.*

quæſt. 71. art. 6. cum dixiſſet peccatum eſſe actum humanum malum, ſubjicit, actum humanum eſſe malum ex eo quod debita careat commenſuratione ad regulam; & cum eo loco de eſſentia peccati ſermo ſit, infertur carentiam conformitatis ad regulam eſſe in ejus ſententia formale peccati. idem expreſsè docet 2. 2. quæſt. 118. in corpore quinti articuli, ſic enim loquitur. *Quia tamen corruptio & priuatio boni formaliter ſe habet in peccato, conuerſio autem ad bonum commutabile materialiter, ideo grauitas peccatorum magis judicanda eſt ex bono, quod corrumpitur, &c.* Clariuſne potuit Angelicus Doctor mentem exprimere? Vt ergo in re tam clara non hæreamus,

II. Dicendum exiſtimo primò, rationem formalem peccati, ſiue maliriam, conſiſtere in priuatione rectitudinis debitæ. Dixi rationem formalem peccati eſſe priuationem, quia peccatum materialiter conſiſtit in actu ſubſtrato malitiæ.

Probatur concluſio, primò authoritate Patrum quos jam citauimus. Sed reſpondent quidam recentiores peccatum duobus modis ſpectari poſſe; primò in genere Phyſico, ſeu in genere moris, prout diſſentit à recta ratione; 2. in genere Theologico, ſeu in genere mortis, prout in ſtatu gratiæ in quo nunc ſumus habet ex ſpeciali ordinatione Dei annexam pœnam priuationis gratiæ; & in hoc poſteriori ſenſu volunt Patres eſſe loquutos, non autem in priori, de quo eſt controuerſia. Verum hæc reſponſio eſt merum figmentum; nam primo Patres abſolutè, & non tantum in genere Theologico, volunt formale peccati eſſe priuationem rectitudinis debitæ, vt expreſſe patet ex verbis ipſorum allatis, quibus negant peccatum vllo modo eſſe, vllam habere ſubſtantiam, &c. Vide S. Baſilium homelia 9. vbi probat Deum non eſſe authorem malorum. *Malum*, inquit, *boni priuatio eſt*, id eſt rectitudinis debitæ, non autem formaliter gratiæ. conſentiunt & loca citata Patrum. Secundo, Patres vniuerſaliter docent omne peccatum, etiam veniale, eſſe priuationem; hæc autem ſolutio locum tantum habet in mortali. Tertiò contra ſolutionem facit, quod S. Auguſtinus, alijque Patres, perpetuo negent peccatum habere cauſam efficientem, dicantque non habere niſi cauſam deficientem.

*Baſilius.*

Dices peccatum eſſe duplex; vnum actuale, quod actu committitur, & hoc non eſſe priuationem gratiæ formaliter, ſed tantum cauſaliter, quia in genere cauſæ demeritoriæ efficit vt Deus gratiam ſubtrahat, ſicut actus occiſionis non eſt ipſa mors, ſed eſt quid ad quod ſequitur velut ad cauſam; aliud habituale, quod poſt actum tranſactum & non retractatum manet, & hoc eſſe priuationem gratiæ, quia tranſacto peccato, nihil ex eo remanet niſi ipſa priuatio, ſicut tranſacto actu quo quis occiditur, nihil manet niſi priuatio vitæ;

Sanctum autem Auguſtinum, alioſque Patres loqui de peccato habituali, cum dicunt non habere niſi cauſam deficientem, non vero de peccato actuali. Verum nec hæc ſolutio difficultatem tollit, quia Patres expreſsè loquuntur de peccato actuali; vnde ſanctus Auguſtinus loco citato ait, *homines nihil fieri cum peccant, quia peccatum nihil eſt.* Et lib. 2. de libero arbitrio cap. vltimo, poſtquam oſtendit omne bonum à Deo eſſe, ſic concludit, *Nulla ergo natura eſt, quæ non ſit ex Deo. motus ergo ille auerſionis,* (vides de peccato actuali loqui) *quem fatemur eſſe peccatum, defectiuus motus eſt; omnis autem defectus ex nihilo eſt. Neque enim,* inquit Epiphanius, *malum vnquam erat, neque radix malitiæ fuit, neque in ſubſtantia malum extitit.* Clarum ergo eſt Patres pro noſtra eſſe ſententia, eorumque dicta ſiniſtras aduerſariorum interpretationes non admittere.

Probatur ſecundò aſſertio ratione deſumpta ex loco citato S. Auguſtini de libero arbitrio. Si peccatum eſt quid poſitiuum reale, ſequitur Deum eſſe authorem peccati. conſequens eſt hæreticum. ergo peccatum non eſt quid reale. Sequela Majoris probatur, quia Deus eſt author & cauſa omnis poſitiuæ realis entitatis. ſed peccatum per aduerſarios eſt entitas poſitiua realis. ergo Deus erit ejus cauſa & author, alioquin enim quomodo ſeruaretur ordo eſſentialis cauſarum?

Reſpondent peccatum & malitiam eſſe entitatem realem poſitiuam, & eatenus eſſe bonam, & à Deo; ſed eſſe malum homini, & hac ex parte pendere tantum à voluntate humana, quæ eſt cauſa deficiens; exemplumque adferunt caloris, qui, inquiunt, eſt bonus in ſe, ſed malus aquæ.

Sed contra eſt, quia hinc habemus in primis peccatum in ſe eſſe bonum & non malum, licet deinde naturæ rationali ſit malum, eo modo quo calor aquæ malus eſt, quia naturæ ejus eſt diſconueniens, & inferni ignis damnatis malus eſt, quia crucians; hoc autem aſſerere, præterquam quod eſt contra vnanimem ſententiam Patrum, præſertim Auguſtini loco citato de libero arbitrio, videtur planè abſurdum, & Catholicis doctoribus indignum. Secundò, hinc ſequitur abſolutè & ſimpliciter Deum dici poſſe authorem mali, quia abſolutè bonum eſt, ſicut author eſt lucis, verbi gratia, quæ lippos cruciat oculos, & ignis inferni qui cruciat impios. hoc autem periculo non caret. ergo, &c. Sequela patet, quia, vt ait S. Auguſtinus libro de natura boni aduerſus Manicheos cap. 37. *Nam nec ipſe ignis æternus qui cruciaturus eſt impios, mala natura eſt, habens modum, & ſpeciem, & ordinem ſuum nulla iniquitate deprauatum, ſed cruciatus eſt damnatis malus, quorum peccatis eſt debitus.* Et, vt ait idem in fine capitis 38. *Lux, quia lippos cruciat oculos, non eſt mala natura, ſed bona,* & propterea Deus vtriuſque author & cauſa ſimpliciter dicitur; ita ſimi-

li modo, ſi peccatum ſiue malum eſt entitas poſitiua realis bona, Deus abſolutè & ſimpliciter vera ejus cauſa erit, quod eſt contra fidem. Videri poteſt S. Auguſtinus libro citato, vbi probat Deum non eſſe mali cauſam, eo quod ſolius entitatis poſitiuæ eſt cauſa, qualis non eſt malum, quod naturæ defectus eſt, vt ibidem docet, & nihil aliud *quam priuatio & corruptio boni*, vt habet in Enchir. Quod repetit lib. 83. quæſtionum quæſt. 21. *Boni igitur tantummodo cauſa eſt, & propterea ipſe ſummum bonum eſt; quocirca mali author non eſt, qui omnium quæ ſunt, author eſt.* Ex his omnibus, vt multa alia prætercam, ſic argumentor, & directè oſtendo ex hac reſponſione Deum fore cauſam peccati. efficiens vnum contrarium in aliquo ſubjecto priuat ſubjectum alio contrario. ſed per aduerſarios Deus efficit in creatura entitatem peccati, quæ opponitur contrariè virtuti. ergo priuat creaturam virtute debita, eodem modo quo cauſa ponens frigus in manu, exempli gratia, ponit conſequenter in eadem priuationem caloris. Cujus ratio eſt, quod quantum agens dat de eſſe, tantum dat de priuatione contrarij illi eſſe. Quomodo ergo Deus non eſt author peccati? hic hæreant neceſſe eſt. Plura argumenta in concluſionis noſtræ confirmationem congeruntur à Rada, Scribonio, alijſque, quæ apud ipſos videri poſſunt.

III. Dicendum exiſtimo ſecundò, peccatum formaliter eſſe priuationem rectitudinis debitæ, ſiue boni debiti.

Probatur breuiter, quia non eſt priuatio gratiæ, cum exiſtens in vno peccato mortali poſſit nouum peccatum mortale committere; ſequens autem peccatum non eſt priuatio gratiæ, *cum talis per peccatum præcedens eſſet jam priuatus gratia*, inquit Nicolaus de Orbellis in 2. diſt. 35. fateor tamen hominem per peccatum demeritoriè priuari gratia, & quidem à Deo gratiam annihilante; cujus enim productio eſt creatio, ejus deſtructio eſt annihilatio. Non eſt etiam peccatum priuatio quæ ſit corruptio naturæ, quia, vt ex Scoto conterraneo noſtro aduertit Nicolaus de Nyſſe in 2. diſt. 35. quæſt. prima, ſi peccatum corrumperet bonum naturæ, per corruptionem partis finitæ multoties factam, tandem conſumeretur tota natura, & ſic peccatorum multiplicatio totaliter deſtrueret naturam. Neque deníque eſt corruptio aut priuatio alicujus alterius rei; nulla enim talis res aſſigri poteſt. Relinquitur ergo peccatum formaliter eſſe priuationem boni debiti.

*Nicolaus de Orbellis.*

*Nicolaus de Nyſſe.*

IV. Objicies primò cum cum Moriſano, & alijs. oppoſitio contraria eſt tantum inter res poſitiuas, vt fatentur omnes Philoſophi. ſed ex Ariſtotele capite de oppoſitis bonum & malum opponuntur contrariè. ergo bonum & malum ſunt entia poſitiua; ergo vlterius malum, ſiue peccatum, non eſt priuatio.

*Aduerſariorum fundamenta.*

Confirmant alij, quia illud quo res aliqua conſtituitur in ſuo eſſe ſpecifico, & eſſentialiter diſtinguitur ab alio, debet eſſe quid poſitiuum. ſed peccatum commiſſionis conſtituitur in eſſe peccati ſpecie & eſſentialiter diſtincti ab actu bono per moralem malitiam, vt euidenter conſtat. Ergo formaliter eſt quid reale & poſitiuum moralis malitia.

Reſpondeo duplicem ad hanc objectionem eſſe reſponſionem. Prima eſt, bonum & malum morale dupliciter ſpectari poſſe. primo pro ſuo ſignificato materiali. ſecundo pro ſuo ſignificato formali. Si malitia ſumatur formaliter, vt de ea hoc loco agimus, non opponitur contrariè bono, ſed priuatiuè, quia malitia ſic ſumpta eſt priuatio, vt oſtenſum eſt; ſi ſumatur materialiter, ideſt, pro actu poſitiuo contrario actui virtutis, vel pro habitu quodam poſitiuo contrario habitui virtutis, fateor malum & bonum opponi contrariè. Sed quid contra nos? qui agimus de ijs formaliter acceptis. hinc *Rejicitur Moriſanus.*

Ad confirmationem reſpondeo, malum ſumptum pro ſignificato formali, non tribuere ſpeciem habitibus & actibus vitioſis, cum ſub illa ratione ſit priuatio, ſed ſumptum pro ſignificato materiali, qua ratione eſt aliquid poſitiuum, tribuere ſpeciem poſitiuam vitijs. 2. reſponſio eſt Archangeli Rubei in 2. diſt. 34. oppoſitionem contrariam duplicem eſſe; alteram propriè dictam; alteram latè dictam; Ariſtotelem autem accipere contraria ſecundo modo, quia propriè bonum & malum priuatiuè opponuntur, ſicuti habitus & priuatio. Hæc reſponſio confirmari poteſt ex Ariſtotele primo Phyſicorum, vbi docet formam & priuationem eſſe contraria; quod verum non eſt, niſi latius accipiantur contraria.

Objicies 2. ſi ratio formalis malitiæ vel peccati conſiſtit in priuatione, vel illa priuatio eſſet carentia rectitudinis in actu qui illam habere poſſet ſimpliciter, vel præterea in actu qui non tantum poteſt, verum etiam debet habere illam rectitudinem. atqui neutrum dici poteſt. ergo, &c. Minor, quoad priorem partem, patet, quia alioqui omnis actus indifferens eſſet malus, potuit enim habere rectitudinem, & non habuit. Quoad poſteriorem, patet etiam, quia ſæpe accidit actum qui dicitur priuatus rectitudine, non poſſe habere vllam rectitudinem ſibi debitam, & conſequenter carentia rectitudinis in tali actu, erit in illo tanquam in ſubjecto inepto ad illam habendam; verbi gratia, actus mendacij, vel odij Dei, ſunt intrinſecè mali, quia etiam per diuinam potentiam nulla ipſis rectitudo ineſſe poteſt. Ergo malè dicitur ejuſmodi actionum malitia formaliter conſiſtere in priuatione rectitudinis debitæ, quæ nulla eſt.

Reſpondeo hoc eſſe potiſſimum aduerſariorum argumentum, ad quod variæ afferuntur ab authoribus reſponſiones. Aliqui enim di-

cunt ſimilibus actibus, odij, mendacij. &c. non deberi quidem rectitudinem provt tales ſunt in ſpecie, vt bene probat argumentum, ſed tantum ptovt ſunt actus humani in genere, qui ſemper, poſito quod eliciantur, tenentur eſſe boni, & hoc ſufficere. ita inter alios reſpondent Ioannes Marius Scribonius in Coſmoctiſi diſputatione 18. Rada 2. tomo controuerſiarum controuerſia 16. Valentia, & alij; illuſtrantque exemplo talpæ, cui non conuenit videre quatenus eſt tale animal in ſpecie, ſed quatenus animal in genete. Verum hæc reſponſio, quam ego alias probaui, difficultatem patitur. Primò, quia tales actus non ſunt formaliter mali, quatenus ſunt actiones humanæ in communi & in genete, ſed quatenus ſunt tales actiones in ſpecie. Atqui authores hujus reſponſionis fatentur actibus iſtis, quatenus tales ſunt in ſpecie, nullam debeti rectitudinem. ergo non ſunt formaliter mali iſti actus, &c. Secundò, difficultatem patitur reſponſio, quia ſupponit falſum, videlicet, actionibus humanis in genere debeti rectitudinem moralem; hoc autem falſum eſt, quia genus abſttahit ab vtraque ſua ſpecie, nec debetur illi potius vna quam alia, verbi gratia, animali non magis debetur humanitas, quam beſtialitas. Sed actio humana eſt genus quoddam ad bonam & malam. Ergo illi non debetur bonitas potius quam malitia, ſi illa ſpectetur in genere, vt actio humana eſt. Tertiò ſic argumentor. ſubjectum proprium priuationis deber eſſe commune priuationi & fotmæ, ita vt manens in ſe & ſecundum ſuam ſubſtantiam intrinſecè immutatum, de priuato fieri poſſit formatum; qua ratione matetia ptima eadem manens ſecundum ſuam entitatem, de priuata in formatam tranſit, vt ſubjectum accidentis de vno contrario in aliud, abſque ſui ſubſtantiali mutatione. ſed actus non poſſunt ijdem manentes ſecundum ſuam ſubſtantiam tranſire de priuatis in formatos rectitudine, cum nullus actus humanus & moralis, rectitudine debita ptiuatus, & conſequenter malus, poſſit ſecundum eandem ſubſtantiam ſiue ſpeciem moralem eſſe bonus & rectus. Præcedenti igitur reſponſione ſic confutata, alij reſpondent, malitiam actus conſiſtere in priuatione rectitudinis debitæ, non actui, ſed voluntati talem actum volenti, quæ debuit habere rectitudinem oppoſiti actus. Et hoc dicunt voluiſſe antiquiores, cum dicunt actum eſſe ſubjectum ptiuationis; non enim volunt actum ſe habere reſpectu priuationis, eo modo quo ſe habet paries reſpectu albedinis, ſed volunt tantum ipſum actum eſſe aliquid matetiale teſpectu priuationis, quatenus eſt in ſubjecto, nimirum in voluntate, cui dat fundamentaliter, & quaſi diſpoſitiuè, eſſe priuatam forma debita; qua ratione in Phyſicis, ſubſtantialis forma in ſubjecto priuato, quatenus eſt in tali ſubjecto, datque illi vt ſit ptiuatum vna cum diſpoſitionibus, dicitur ſubjectum priuationis, licet proprie loquen-

loquendo, neque forma, neque diſpoſitiones, ſed ipſum ſubjectum ſit priuatum, & priuationis ſubjectum. Cum itaque docent actum eſſe ſubjectum priuationis, & priuationem eſſe in actu, volunt priuationem eatenus eſſe in actu, quatenus voluntas in actu eſt priuata actu debito; voluntas autem in actu, ideſt, actu operans, ſumitur pro actu, & actus pro voluntate in actu, vt etiam ſumitur ab Ariſtotele 2. de Anima. hæc reſponſio, hoc modo à me explicata, bona eſt.

Verum contra illam primò ſic inſtare poſſunt aduerſarij. Poteſt actus malus exerceri eo tempore quo non obligatur homo ad rectitudinem oppoſiti actus; non enim obligamur ſemper ad verum dicendum, quia poſſumus ſæpe ſine peccato tacere, præſertim ſi nemo nos interroget. Ponamus igitur quod contingat aliquem mentiri eo tempore quo non obſtringebatur ad contrariam veritatem, non erit tunc mendacium formaliter priuatio rectitudinis quæ eſt in oppoſito actu, ſcilicet, in veracitate, quia illa rectitudo eo tempore non erat debita ipſi ſubjecto. *Inſtantia aduerſariorum.*

Reſpondeo tamen hanc inſtantiam non multum vrgere. Verum quidem eſt poſſe nos mentiri, exempli gratia, quando non obligamur, abſolutè loquendo, ad contrariam veritatem; falſum tamen eſt nos mentiri, quando non obligamur ad veritatem ex ſuppoſitione poſitiui actus circa objectum, de quo eſt præceptum. Et hoc eſt quod Doctor ſubtilis conterraneus meus in 2. diſt. 37. quæſtione prima, his verbis docet; *Voluntas libera debitrix eſt, vt omnem actum ſuum eliciat conformiter ad regulam ſuperioris.* Senſus enim eſt, quod ſi voluntas exerceat actum circa objectum de quo eſt præceptum, debet exercere actum rectum, ideſt, conformem cum præcepto. hac inſtantia ſoluta, *Reſponſio ad inſtantiam.* *Scotus.*

Inſtant ſecundò aduerſarij, inauditum eſſe quod priuatio alicujus formæ remoueat ipſam formam ab aliquo ſujecto, quam ab eo cui ineſt; verbi gratia, quod cæcitas exiſtens in oculo priuet illum auditu, qui non debetur ipſi, ſed auri. Ergo à pari, impoſſibile erit malitiam quæ eſt in ipſomet actu, priuare, non actum, ſed voluntatem, ea rectitudine, quæ, non actui, ſed voluntati, debetur. *Alia inſtantia aduerſariorum.*

Reſpondeo hanc inſtantiam non facere contra doctrinam noſtram ſupra explicatam, ſed potius illam confirmare. Diximus enim debitum & priuationem non eſſe in actu, propriè loquendo, ſubjectiue, ſed in potentia operante, & conſequenter malitiam formaliter eſſe in voluntate in actu, ſiue actu' operante, non autem propriè in actu, niſi materialiter, & quaſi diſpoſitiuè, vt ſupra explicauimus exemplo formæ ſubſtantialis. Quod & vlterius explicari poteſt exemplo operationum intellectus, quas in Logicis diſputationibus quæſt. prima, diximus recentiores communiter ſtatuere objectum Logicæ

vt ſunt dirigibiles. Dirigibilitas quæ dicitur conuenire operationibus mentis, propriè loquendo, non conuenit ipſis operationibus, ſed menti in actu; eodem modo priuatio non competit actui, ſed potentiæ in actu, ſiue actui operanti.

Objicies tertiò, ſi malitia peccati eſt tantum priuatio, ſequitur peccatum commiſſionis cōtra eandem virtutem non diſtingui; exempli gratia, odium Dei non diſtingui ab omiſſione amoris Dei. hoc autem eſt abſurdiſſimum. ergo & illud ex quo ſequitur. Sequela majoris probatur, quia vtrobique eſt priuatio ejuſdem bonitatis; in odio enim Dei non alia eſt priuatio, quam bonitatis quæ eſt in charitate Dei. atqui eadem priuatio eſt in omiſſione charitatis Dei. ergo, &c.

Reſpondeo priuationes iſtas differre, quia diuerſam tollunt perfectionem. Nam priuatio quæ eſt in peccato omiſſionis, tollit totam ſubſtantiam actus, & bonitatem illius objectiuam; at priuatio quæ eſt in peccato commiſſionis, formaliter ac precisè tollit ſolam bonitatem actualem, abſque qua operari fas non eſt circa tale objectum, non autem ſubſtantiam actus, aut bonitatem objectiuam.

Objicies quartò. ſaltem ex noſtra ſententia ſequitur contra eandem virtutem non poſſe eſſe diuerſa peccata commiſſionis intrinſecè & eſſentialiter in ratione malitiæ diſtincta; exempli gratia, contra liberalitatem, non poſſe eſſe plura peccata eſſentialiter diſtincta. hoc autem eſt apertè falſum, quia contra liberalitatem ſunt duo peccata intrinſecè diſtincta, vnum per exceſſum, videlicet prodigalitas, alterum per defectum, nimirum auaritia. Idem conſtat etiam in virtute juſtitiæ, contra quam ſunt plura peccata ſpecie diſtincta, furta nempe, homicidia, &c.

Reſpondeo primò, ſi agatur de peccatis contra juſtitiam, non poſſe eſſe in argumento difficultatem, quia quemadmodum differunt bona vitæ, fortunæ, &c. ita differunt homicidia, furta, &c. Secundò, dico quod ſi agamus de virtute in medio conſiſtente, tunc bonitatem illius duas habere perfectiones ſaltem formaliter diſtinctas, quarum prima eſt, peruenire ad tantam quantitatem, ſecunda, non excedere vlterius; & per conſequens duas poſſe eſſe priuationes, vnam, quatenus in bonitate deberet eſſe perfectio tantæ quantitatis, aliam, quatenus in eadem bonitate non deberet eſſe exceſſus. Hinc etiam duo actus voluntatis concurrunt ad conſtituendum medium virtutis, quorum vnus eſt neceſſarius ex præcepto affirmatiuo, verbi gratia, volo largiri pecunias tempore opportuno; alius ex præcepto negatiuo, nolo pecunias ſine legitima cauſa erogare. Hæc autem duo præcepta, & hæ duæ bonitates, quamvis ad vnam eandemque ſpectent virtutem, diuerſæ tamen ſunt, diriguntur que ad medium quod virtus poſtulat conſtituendum; ac propterea fieri poteſt vt contra vnam liberalitatis

virtutem duo ſint peccata, auaritiæ vnum, contra præceptum affirmatiuum, prodigalitatis aliud, contra negatiuum. Hinc ſolui nullo negotio poteſt ſimile argumentum quod à quibuſdam objicitur; eſt autem hujuſmodi. Vbi vna tantum reperitur forma, ibi vna tantum reperiri poteſt priuatio. Atqui in vna virtute eſt vna tantum bonitas. Ergo vna tantum poteſt reperiri priuatio, & quod hinc ſequitur, vna ſolum malitia, ſeu vnum ſolum peccatum. Solui, inquam, nullo negotio poteſt; vbi enim eſt vna ſolum forma Phyſica, ibi tantum repetiti poteſt vna priuatio Phyſica; & ſimiliter vbi eſt vna ſolum forma moralis, vna ſolum priuatio moralis. Sed in caſu noſtro ſunt duæ formæ morales; nam licet bonitas vnius tantum ſit virtutis, duplici tamen, & diximus, ſubſtat debito morali; quorum primum eſt, quo teneor erogare cum oportet, ſecundum, quo obligor non plus dare quam oportet. Vna itaque bonitas eſt ſub diuerſo debito morali, ac proptetea poteſt eſſe diuerſa priuatio moralis.

Objicies quintò, pro ſententia Vaſquez. Actus ideo malus eſt, quia eſt contra legem Dei. ergo malitia eſt contrarietas ſeu repugnantia cum lege; ergo vlterius non eſt priuatio, ſed relatio rationis.

Reſpondeo ſic intelligendum eſſe antecedens; actus ideo malus eſt, quia rectitudine à lege præſcripta priuatur, modo ſupra explicato; quemadmodum è contrario, actus ideo bonus eſt, quia rectitudinem à lege præſcriptam habet. Ex quo colliges, bonitatem non conſiſtere in conformitate ad legem, quamvis ex conformitate cognoſcatur bonitas. Hinc ſolui poteſt alia objectio, quæ ſententiam Vaſqueſij confirmare videtur; eſt autem hæc. S. Auguſtinus contra Fauſtum, peccatum definit, *Eſſe factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra legem æternam.* Vbi illæ particulæ, *dictum, factum, vel concupitum*, ſignificant actum peccati; illa vero, *contra legem æternam*, ſignificat malitiam peccati. ſed eſſe contra legem, nihil aliud eſt quam repugnare legi; repugnantia autem hæc eſt relatio rationis. Ergo à primo ad vltimum malitia peccati conſiſtit in relatione rationis. Facile, inquam, ſolui poteſt eadem ratione qua ſuperior. Et vero malitiam actualem peccati non conſiſtere formaliter in relatione rationis in ſententia Sancti Auguſtini, tam clarum eſt ex dictis, vt nullus dubitationi locus eſſe poſſit.

Objicies ſextò, pro ſententia Cajetani, peccatum, ſiue actum malum, duo includere, auerſionem videlicet à Deo, & conuerſionem ad creaturam; & quidem auerſionem eſſe aliquid priuatiuum, ſed conuerſionem eſſe aliquid poſitiuum. vtrumque autem malum eſt teſte Scriptura Ieremiæ 2. 13. *Duo mala*, inquit Dominus, *fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ viuæ; & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Ergo aliqua malitia pec-

cati, nimirum conuerſio ad creaturam, eſt aliquid poſitiuum.

Reſpondeo hanc objectionem non multum facere pro ſententia Cajetani, quia multi reperiuntur actus mali, qui nullam formaliter includunt conuerſionem ad objectum, quales ſunt odium Dei, & ſimiles, qui in fuga boni conſiſtunt. in illis itaque ſaltem nulla talis malitia reperitur. Verum nec quicquam concludit objectio, etiam quando reperitur conuerſio, quia conuerſio poſitiua tendit in bonum ſub ratione boni. Ergo, ſecudum nos, differentiam ſuam poſitiuam deſumit à bono, quà bonum eſt; ergo conuerſio, qua talis, non poteſt eſſe formaliter mala, quia actus, modo ſupra explicato, non eſt formaliter malus, quatenus verſatur circa bonum, ſed quatenus verſatur circa malum & turpe. Quod attinet ad locum Ieremiæ citatum, non agit ibi Ieremias de auerſione, & conuerſione, quæ in vno eodemque peccato reperiuntur; ſed de duobus Iudæorum peccatis, quorum primum erat, legem, verique Dei cultum neglegiſſe; ſecundum, Idololatras, ſiuè falſorum Deorum cultores effectos fuiſſe.

Sed, inquies, conuerſio ad objectum indebitum, non eſt moraliter bona, neque indifferens. Ergo mala.

Reſpondeo certum eſſe, nec à nobis negari, conuerſionem ad indebitum objectum eſſe malam; verum à nobis negari eſſe ipſam malitiam. Eſt autem mala conuerſio, propter priuationem honeſtatis, vt ſupra explicauimus.

Objicies ſeptimò, rectitudo quæ debetur potentiæ in obſeruatione hujus præcepti, *Non occides*, eſt negatio. ſed negationi nulla opponitur priuatio. ergo, &c.

Reſpondeo in potentia tranſgrediente tale præceptum veram fore priuationem, non quidem oppoſitam negationi; vt ſupponit argumentum, ſed poſitiuo actui, quia priuata authoritate interfeceretur proximus, quem actum lex etiam vetat. Reſpondeo ſecundò, ex dictis, illo præcepto non tantum vetari occiſionem proximi, verumetiam quod ſi poſitiuè nos habeamus circa ejus vitam priuata authoritate, id in ejus defenſionem fiat; cujus priuatio eſſet peccatum, quo tolleretur è vita.

Objicies octauò. ſi peccatum eſſet ſola priuatio, ſequeretur hominem non iberè agere. conſequens eſt falſum. ergo, &c. Sequela patet, quia ſi peccatum non eſt quid poſitiuum, ſed priuatio tantum, non concurreret ad peccatum actiuè, ſed ſolum paſſiuè.

Confirmatur, quia incredibile videtur hominem propter ſolam priuationem damnari. Damnatur autem propter peccatum. ergo peccatum non eſt priuatio.

Confirmatur præterea, quia priuatio non ſuſcipit magis & minus, vtpote nihil, ex ſancto Anſelmo de conceptu Virginali. ſed pecca-

catum ſuſcipit magis & minus. Ergo non eſt priuatio.

Reſpondeo hæc omnia inepta eſſe, & ridicula. vnde ad primum, dico falſum eſſe hominem non fore in agẽdo, ſeu verius in deficiendo, liberum, ejus enim liberras defectibilitatis & adulterina in eo maximè elucet, quod ad libitum poſſit à regula & recta ratione deficere. Ad ſecundum, reſpondeo damnari hominem propter carentiam rectitudinis debitæ. Ad vltimum, reſpondeo priuationem ratione ſui non ſuſcipere magis & minus, ſed ratione formæ oppoſitæ, rectitudinis videlicet debitæ, quæ major eſt vel minor.

# QVÆSTIO QVARTA.

## *In quo ſita ſit vera libertatis ratio.*

I. *Probatur contra Caluiniſtas, aliosque Hæreticos, dari in homine libertatem.*

PRæmitto contra Caluiniſtas, alioſque hæreticos noſtri temporis, reperiri in homine libertatem. patet ex ſacris litteris, Numerorum 30. *In arbitrio viri erit, ſiue faciat, ſiue non.* Ioſue 24. *Optio vobis datur; eligite hodie quod vobis placet.* 1. Regum 34. *Trium tibi datur optio; elige vnum ex ijs quem volueris.* Eccleſiaſtici 33. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus.* Et cap. 15. *Deus ab initio creauit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. adjecit mandata & præcepta; ſi volueris ſeruare mandata illa, conſeruabunt te. appoſuit tibi ignem & aquam, ad quod volueris porrige manum; quod placuerit tibi datur, &c.* Patet etiam ex omnium Patrum, imo & Ethnicorum Philophorum conſenſu. Patres legi poſſunt apud Bellarminum. De Philoſophis res eſt clara, vt conſtat ex Ariſtotele in lib. periherm. & Platone in Gorgia. Imo idem tenuiſſe Stoïcos teſtatur Auguſtinus 5. de Ciuitate Dei cap. 10. vbi ſcribit eos omnia ſubjeciſſe fato, præter animos hominum. Teſtatur etiam D. Gregorius Nyſſenus lib. 1. cap. 1. 2. & 3. Ægypti ſapientes idem docuiſſe. Denique tot congerit Ethnicorum teſtimonia Euſebius lib. 6. de preparatione Euangelica cap. 6. & 7. vt Stigmaticus Perfuga Caluinus libro 2. Inſtit. capite 2. Philoſophos vno agmine libertatem arbitrij docuiſſe ingenuè fateatur. Patet denique experientia, qua experimur in noſtra poteſtate eſſe aliquid agere, vel non agere. poſſumus enim vel ambulare, vel ſedere indifferenter. hinc conſultationes in rebus humanis. hinc merita, & demerita, præmia & ſupplicia; quibus etiam propoſitis, libere agimus, quod non faciunt bruta. hinc etiam à ſapiente illatam injuriam vlciſcimur, à ſtulto patienter toleramus, non alia de cauſa, quam quia ille liber eſt, hic non. Concludo cum Auguſtino lib. de vera Religio-

*Ariſtoteles. Plato. S. Auguſtinus. S. Greg. Nyſſenus Euſebius.*

ne cap 14. hoc tam euidens eſſe, *vt nulla Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat. hoc*, ait idem lib. de duabus anim. cap. 14. *à paſtoribus cantatur in montibus, à Poetis in Thatris, à Doctis in bibliothecis, à Magiſtris in Scholis, à Pontificibus in templis, à genere humano in orbe terrarum.*

II. Præmitto ſecundò, vt alias libertatis diuiſiones omittam, duplicem poſſe nos diſtinguere in homine libertatem; vnam quæ conſiſtit in indifferentia ad multa abſolutè, vnde & ſe extendit ad malum & peccatum, & propterea eſt libertas defectiua, & à quibuſdam vocari ſolet libertas defectibilitatis; aliam quæ non conſiſtit in indifferentia ad multa abſolutè, ſed ad multa tantum per ordinem ad finem, ſiue *S. Thomas.* *ſeruato ordine finis*, vt loquitur S. Thomas loco citando. Iam propoſita quæſtio eſt, quænam ex his duabus libertatibus veram rationem libertatis obtineat; illane quæ eſt ad multa abſolutè, & qua deficere poſſumus; an vero illa quæ eſt ad multa tantum per ordinem ad finem, & quæ conſequenter à ſe peccabilitatem ſiue defectibilitatem excludit.

III. *Concluſio.* Dicendum autem exiſtimo primam libertatem, ſiue, quod idem eſt, libertatem defectibilitatis vt ſic, eſſe impropriè libertatem; & conſequenter veram tantum libertatem eſſe illam, quæ eſt ad multa tantum per ordinem ad finem.

*Eiuſdem probatio.* Vtraque concluſionis pars probatur; quia potentia peccandi non eſt de ratione veræ libertatis. ergo, &c. Antecedens probatur, primò. liberum arbitrium, neque auferetur ab homine, neque propriam rationem mutabit per beatitudinem hominis, ſed ſicut homo manebit vnus & idem ſecũdum ſuam ſubſtãtiam, ſic & liberum ejus arbitrium. atqui tunc peccare omnino non poterit. Ergo ad propriam rationem liberi arbitrij non pertinet poſſe peccare. Secundò probatur idem antecedens. deficere poſſe non pertinet ad vllius potentiæ propriam rationem. ergo, &c. Antecedens patet inductione. claudicare enim, verbi gratia, non pertinet ad rationem facultatis progreſſiuæ; &, quod ad rem noſtram magis accedit, errare poſſe non eſt de ratione intellectus. atqui peccare eſt multo magis deficere, quam claudicare, vel errare. Ergo peccare poſſe non eſt de ratione voluntatis liberæ. Hanc rationem indicat Cardinalis Contarenus tract. de libero arbitrio littera F. *Cardinalis Contarenus.* vbi poſtquam dixiſſet libertatem in amplitudine poſitam eſſe, ſic loquitur; *Quæret hoc loco à me quiſpiam, ad liberine arbitrij facultatem ſpectet, vt ab hoc fine qui Deus eſt deflectere poſſit, & aliud quidpiam vltimi finis loco ſibi conſtituere. Hunc ego ſcire velim, non eſſe liberi arbitrij facultati tribuendum, quod à vero quis fine ad alium declinare poſſit; impotentiæ potius & imbecillitati adſcribendum, cum eo ipſo à libertate diſcedens, incidat in ſeruitutem, &c.* Et Paulo poſt; *Poſſe ita-*

*que*, inquit, *à Deo declinare, non facultatis eſt aut potentiæ, quemadmodum, ex Philoſophorum etiam ſententia, nec claudicare aut lædi poſſe potentia eſt, ſed impotentia magis; neque ad libertatem hoc ſpectat, cum libertatem eripiat potius, eamq; in ſeruitutẽ pertrahat.* Eandem doctrinam longe ante ipſum tradiderat D. Dhomas 1. parte quæſt. 62. art. 8. ad 3. cujus hæc ſunt verba, dum quærit vtrum Angelus beatus peccare poſſit; *Quod liberum arbitrium diuerſa eligere poßit ſeruato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatu ejus. ſed quod eligat aliquid diuertendo ab ordine finis, quod eſt peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis. vnde major libertas arbitrij eſt in Angelis, qui peccare non poſſunt, quam in nobis, qui peccare poßumus.* Vide eundem D. Thomam 2. 2. quæſt. 88. art. 4. ad. 1. In eadem quoque ſententia ſunt Patres, qui non tantum Deo, ſed Angelis, & beatis etiam ad Angelorum ſocietatem aſſumptis, liberum tribunt arbitrium. ita Auguſtinus lib. vltimo de Ciuitate Dei cap. vltimo, & in Enchiridio cap. 105. apud Scotum quolibeto 16. vbi eandem doctrinam approbat; D. Anſelmus apud eundem, de libero arbitrio cap. 1. alijque.

*D. Thomas.*

*Scotus.*

IV. *Proponitur obiectio & ſoluitur.*

Objicies liberum arbitrium ab Hugone de S. Victore, Magiſtro ſententiarum, imo & à Sctiptuta ſacra, definiri, per poſſe eligere bonum vel malum.

Reſpondeo intentum Scripturæ ſacræ, authorumque citatorum, non fuiſſe explicare propriam rationem liberi arbitrij, quidve ei eſſentialiter competat, ſed tantum oſtendere id quod ei perpetuò accidit, & conjunctum eſt durante hac vita. Sic enim liberum arbitrium definitur per electionem mali, quo modo per mortalitatem definitur homo, non tantum à Philoſophis, verum etiam à ſcriptoribus Eccleſiaſticis, Pattibuſque, Ambroſio, Auguſtino, & alijs; cum tamen certiſſimum ſit mortalitatem ad hominis eſſentiam, vel etiam perfectionem accidentariam, minime pertinere. finio cum Anſelmo loco citato; *Liberiorem eſſe voluntatem, quæ à rectitudine non peccandi declinare nequit, quam quæ illam poteſt deſerere.*

*S. Auguſtinus, S. Ambroſius. S. Anſelmus.*

FINIS.

## *Errata ſic corriges.*

*Pagina* 5. ſecundo intellectu, *lege* ſecundo intellecta. *pagina* 7. Vocem non eſſe, *lege* Voces. *pagina* 8. apponet primas operationes, *lege* ſupponit primo operationes. *pagina* 15. Medicus aliquis, *lege* Medicus aliqoid. *pagina* 16. Secunde ſe, *lege* ſecundum ſe. *in eadem pagina* moralis illa, *lege* illas. *ibidem* regulæ & præcepta, *lege* regulas & præcepta. *pagina* 17 incertè, *lege* incertò. *pagina* 19. 1. Elenchi, *lege* 1. Elenchorum. *pagina* 21. ſpecieiras, *lege* ſpecieitas. *pagina* 22. intrinſece, *lege* intrinſecæ. *pagina* 24. jam vel neceſſario, *lege* nam vel neceſſario, *pag.* 27. ſolnm, *lege* ſolum. *pag.* 32. eo colligere, *lege* ex eo colligere *pag.* 40. vtcumque præmiſſam, *lege* vtramque præmiſſam. *pag.* 42. facile etiam, *lege* facile enim. *ibidem habetur* poſſe etiam eſſe, *lege* poſſe eſſe. *pag.* 44. illa verba *Rapinaus in Nucleo &c.* quæ in margine habentur, ponenda erant in ipſo textu, poſt hæc verba, Philippus Faber. *pag.* 48. cum Stoici, *lege* cũ Stoicis. *pag.* 51. eſt ſeipſam, *lege* eſt ad ſeipſam. *pag.* 53. andem, *lege* eandem. *pag.* 54. Vniuerſalia, ante multa, *lege* Vniuerſale ante multa. *pag.* 56. munero, *leg.* numero. *p.* 59. ad ſaluãdã *lege* Ergo ad ſaluãdam. *pag.* 63. ſua finali, *lege*, ſua formali. *p. eadem*, ſecũdum demõſtrationem, *lege* ſecundũ denominationem. *pag. eadem*, ex ſi, *lege* ex ſe. *pag.* 66. incarnatione, *lege* in incarnatione. *pag.* 67. communicat omnia, *lege* communicet omnia. *ibidem*, poteſt eſſe paries, *lege* poteſt paries. *pag.* 71. impoſſibile quod, *lege* impoſſibile eſt quod. *pag.* 72. ſecundum quid poteſt, *lege* ſecundum quod poteſt. *pag.* 75. etiam ſpecie, *lege* etiam ſpecies. *pag.* 99. Cajete quinto, *lege* capite quinto. *pag.* 104. partes parmentes, *lege* partes permanentes. *pag.* 106. infallibiliter cognoſcat, *lege* infallibiliter ea cognoſcat. *ibidem*, præſentia niſi, *lege* Præſentio niſi. *ibidem*, præſentia quædam, *lege* præſentio quædam. *pag.* 107. aut illam, *lege* aut illa. *pag.* 117. medium probatione, *lege* medium prolatione. *pag.* 144. non autem extrinſecè, *lege* non autem intrinſecè. *pag.* 156. Greg. Nycenum, *lege* Greg. Nyſſenum.

Digitized by Google

# GVLIELMI
# CAMERARII
## SCOTI,

Congregationis Oratorij Domini
IESV Presbyteri,

SELECTÆ

# DISPVTATIONES PHILOSOPHICÆ,

IN TRES PARTES DISTRIBVTÆ.

## PARS SECVNDA;

*Præcipuas diſputationes totius Phyſicæ complectens.*

PARISIIS,

Apud CAROLVM CHAPPELLAIN, via Lignaria, propè
Scholas Medicas, ad inſigne D. Barbaræ.

M. DC. XXX.

*CVM PRIVILEGIO REGIS.*

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

# FRANCISCO

## S.R.E. CARD. BARBERINO,

Scotiæ Protectori, Vrbani VIII. Opt. Max. Pontif. Nepoti,

*Gulielmus Camerarius, Congregationis Oratorij Domini JESV Preſbyter, obſequium.*

VESTRO fato (Princeps Illuſtriſsime) an potius fœlicitate noſtra factum ſit, neſcio, vt ampliſsimæ Barberinorum familiæ Scotia cum deberet plurimum, ego gentilitio nomine totus veſter, priuatis etiam titulis opponerem, quod jam mei juris eſſe deſierat. Fouebat Protectoris affectu Scotiam, nondum Beatiſsimus Pater Vrbanus VIII. & deſtinatas orbi Chriſtiano curas exercebat in reliquias gentis noſtræ; amoris ſui dignatione fratrem meum, & in eo me,

ſuum fecerat, cum me inſuper bonis artibus incumbentem arctiori amplexus ſtudio, ſupra patrium fraternumque debitum, proprio demũ obſtrinxit. Aderas tum, Illuſtriſ. Cardinalis eodem in Collegio, eas ingenij tui dotes excolens, quæ aliquando purpuræ jam tum tibi debitæ lucem afferrent; & me tacente meminiſſe facilè potes, qua me ille facilitate, claudentem publica diſputatione Philoſophicos carceres, cohoneſtauit præſentia, patrocinio tutum reddidit. Nec multo poſt, matura cœlorum diſpenſatione, vir tantus, de tutore gentis vnius, totius orbis factus eſt Pater. Et profecto doluiſſet ereptum ſibi parentem Scotiá, niſi in te ſibi redditum vidiſſet quem amiſerat. Et quidem illud primum gaudebat, eum ſibi Patronum contigiſſe, in quo nomen & genus prioris ſuſpiceret. Sed cum virtutes, vigilantiam, affectum verè parentis in te quoque reuiuiſcentes agnouit, tum vero Scotorum nullus fuit, qui non ſerio publicæ omnium ordinum lætitiæ, de Pontificatu Sanctiſsimi Patris applauderet. Sacrum hoc Protectoris nomen & cura quidquid vſquam Scotorum in Eccleſia eſt tibi aſſeruit; ſed quod in me

communi nomine vendicare tibi poteras, priuatis quoque beneficiis redemiſti. Tua illa in fratrem meum ſingularis beneuolentia, quid illi , quid mihi reliquum fecit, quod tuum dicere iure nequeas? Nemo ergo hunc librum culpauerit , ſi ſe tuum audacter profeſſus ( quod non facere culpa fuerat ) aditum ad purpuram tuam ſibi poſtulet. Nec in totum importunus aduenerit ; quamvis enim non ament Muſæ tumultuantis aulæ ſtrepitum , raroque in palatijs principum, tot negotiorum moleſtia feruentibus , habitent ; tibi tamen tam charæ ſemper fuerunt, & tam amantes amœniſsimi ingenij tui, vt à te nunquam auelli potuerint. Quin & fortaſsis ſæpius in ſanctuarium ſolitudinis tuæ pro ſua familiaritate furtim irrepunt, & ſubductum grauiſsimis occupationibus trahunt ad jucundiſsima conſortia. Vnde mihi facile perſuadeo has Phyſicas lucubrationes facilem te & beneuolum inuenturas, cum præſertim capaciſsimum omnium ſcientiarum ingenium, Philoſophicis apprime complexueris. Videbis non vulgares quaſdam opiniones;ſed, quod eſt acumen altiſsimæ mentis,ſcio te non æſtimare doctrinam ex aucto-

ribus, ſed auctores ex doctrina. Non, quæ multorum, ſæpè verior eſt, ſed quæ paucorum, ſententia; & in iſta rerum caligine, plus aliquando credendum eſt vni aut alteri acutioris viſus, quam plurimis, non ex ſua, ſed ex aliena luce ſapientibus. Et certè ſi ſequaces illos Philoſophos demas, qui non ratione, ſed conſpiratione ducuntur, & quorum plenę vbique ſunt Scholæ, vix vnum reperies inuentorem & aſſertorem vulgatæ doctrinę. Neque hoc dico, tamquam ipſe nouæ Philoſophię repertor videri velim; ſed vt pro antiquorum aliquando placitis ſtanti, nemo mihi conſenſum Philoſophorũ noſtri temporis obtrudat. Sed quid antiquorum nomèn appello? Si tu ſigillum beneuolentiæ tuę appoſueris, quod mihi de tua humanitate polliceor, ſuum veritati pondus, ſuam antiquis authoritatem reddideris. Vale.

# INDEX QVAESTIONVM QVÆ IN HAC SECVNDA parte agitantur.

## QVÆSTIO PRIMA,

An detur materia prima.

*IN ea primò contra quoſdam recentiores demonſtratur dari materiam primam. Secundò, oſtenditur illam ab elementis non diſtingui. Tertiò, elementa eſſe entia ſimplicia, ſine compoſitione ex materia & forma, ingenerabilia, & incorruptibilia, claris experientijs euincitur. Denique elementa mixtis actu, & ſecundum ſuas ſubſtantiales entitates ineſſe concluditur.*

## QVÆSTIO SECVNDA,

Vtrum materia prima Ariſtotelica habeat propriam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia formæ.

*In illa, ſuppoſita ſententia Ariſtotelis de materia prima, probatur primò illam habere propriam exiſtentiam, nec eam à forma emendicare. Secundo, Thomiſtarum fundamentis in contrarium occurritur. Tertio, oſtenditur eandem materiam per diuinam potentiam poſſe ſine omni forma exiſtere. Denique, ſtatuitur quod ſi per diuinam potentiam ſepararetur ab omni forma, requireret perculiarem Dei concurſum ad exiſtendum.*

## QVÆSTIO TERTIA,

An potentia materiæ ſit de peſſentia ejuſdem.

*In illa clare oſtenditur quod quamvis ratio potentiæ formaliter ſumpta à materia realiter non diſtinguatur, & ideo Phyſicè eidem dici poßit eſſentialis, tamen Metaphyſicè illi eſſentialis dici non poßit, nec ejus conceptum primarium ſeu quidditatium, niſi fundamentaliter ſumatur, ingredi.*

## QVÆSTIO QVARTA,

Vtrum totum diſtinguatur à partibus, & an detur vnio.

*In illa primo demonſtratur totum nemine cogitante diſtingui à parti-*

*bus vnitis. Secundo, recentiorum objectionibus in contrarium ſit ſatis. Tertio, probatur vnionem admittendam eſſe tanquam aliquid diſtinctum à rebus vnitis. Quarto, eſſe duplicem. Quinto, non eſſe modum abſolutum, vt voluerunt recentiores, ſed eſſe relationem extrinſecus aduenientem, vt ſubtiliter docuit Subtilis Doctor.*

## QVÆSTIO QVINTA,

In quo conſiſtat ratio Idææ, & ad quam cauſam reducatur.

*In illa primo probatur Idæam conſiſtere in conceptu objectiuo, non autem formali & ſubjectiuo. Secundo, recentiorem argumentis reſpondetur. Tertio, ex Auguſtino & Thoma Ideæ definitio explicatur. Denique, Idæam ad cauſam efficientem pertinere, non autem ad formalem, vel finalem, concluditur.*

## QVÆSTIO SEXTA,

An cauſæ poſſint eſſe ſibi inuicem cauſæ.

*In ea primo ex Philoſopho oſtenditur cauſas in diuerſo genere non requirentes exiſtentiam, poſſe ſe inuicem cauſare. Secundo, probatur cauſas etiam requirentes exiſtentiam in diuerſo genere, poſſe ſe inuicem cauſare. Tertio, euincitur cauſas requirentes exiſtentiam, poſſe ſe inuicem in eodem genere cauſæ cauſare, tum dando primum eſſe, tum conſeruando eſſe jam acquiſitum. Quarto, argumentis recentiorum reſpondetur. Denique demonſtratur aliquid non poſſe ſeipſum producere.*

## QVÆSTIO SEPTIMA,

An cauſa efficiens creata poſſit agere immediatè in paſſum diſtans.

*In ea primo oſtenditur ad actionem Phyſicam non requiri contactum ſuppoſitorum, & conſequenter poſſe dari actionem in diſtans. Secundo, argumenta in contrarium diſſoluuntur. Denique, ex operatione Dei in loco, probatur non rectè inferri præſentiam ejuſdem, ſecundum eſſentiam ſeu ſubſtantiam.*

## QVÆSTIO OCTAVA,

An idem effectus poſſit produci à multis cauſis.

*In ea primo oſtenditur naturaliter non poſſe eſſe ejuſdem effectus plures cauſas*

*cauſas totales ejuſdem ordinis conjunctim. Secundo, ne quidem per diuinam potentiam id fieri poſſe. Tertio, rationes in oppoſitum diluuntur. Quarto, probatur non poſſe naturaliter duas cauſas totales ad eundem numero effectum diuiſim concurrere, ſiue illæ ſint vniuocæ, ſiue æquiuocæ. Denique, tanquam corollarium infertur neceſſario admitti debere prædeterminationem Phyſicam. Sed quia grauiſſima eſt diſputatio hæc de re inter Philoſophos, proponitur*

## QVÆSTIO NOVA,

An cauſa ſecunda præter concurſum Dei ſimultaneum indigeat concurſu prædeterminante.

*Hæc quæſtio in quinque dubia tribuitur. Primum, ſtatum controuerſiæ, inter quos, & vbinam exorta ſit, continet. Secundum, tres refert ſententias, earumque fundamenta expendit. Tertium, præludit ad quæſtionis deciſionem. Quartum, ſententiam affirmantem cæteris præfert. Quintum, aliarum fundamenta ſubuertit.*

## QVÆSTIO NONA,

Vtrum actio ſit in agente, vel in paſſo.

*In ea primo oſtenditur actionem varijs modis à Philoſophis ſumi. Secundo, propriè ſumptam non eſſe formam abſolutam, ſed relationem. Tertio, hanc relationem eſſe in agente, non in paſſo. Quarto, ſtatuitur idem dicendum de creatione. Denique, contraria argumenta diſſoluuntur.*

## QVÆSTIO DECIMA,

Quomodo diſtinguantur actio propriè dicta, paſſio propriè dicta, & motus; & in quo prædicamento ſit motus.

*In ea tria præſtantur. Primo, oſtenditur actionem, paſſionem, & motum inter ſe realiter diſtingui. Secundo, aduerſariorum fundamentis reſpondetur. Tertio, concluditur motum in varijs prædicamentis reponi poſſe, videlicet in prædicamentis ſubſtantiæ, quantitatis, qualitatis, vbi, & relationis.*

**

## QVÆSTIO VNDECIMA,

An accidens ſit principium efficiendi, ſiue producendi immediatè ſubſtantiam.

*In illa primo oſtenditur ſubſtantiam immediatè produci ab alia ſubſtantia, non ab accidente. Secundo, oſtenditur cælum non eſſe cauſam eorum quæ producuntur ex putri, nec ſecundum ſe, nec prout facit vnum cum intelligentia, ſed nec cauſam vniuocam in ſpecie; verum ipſum Deum, vt authorem naturæ, ejuſdem defectus ſupplentem. Tertio, oſtenditur ſemen actiuè concurrere ad productionem viuentium. Quarto, fœminas habere verum ſemen. Quinto, eaſdem actiuè ſe habere, & non tantum paſſiuè, in generatione. Sexto, ſemen eſſe animatum. Septimo denique, accidentia effectiuè & immediatè non corrumpere ſubſtantias, ſed diſpoſitiuè tantum.*

## QVÆSTIO DVODECIMA,

Vtrum accidens producat accidens in virtute ſubſtantiæ.

*In illa primo oſtenditur ſubſtantias aliquando attingere tanquam principium proximum productionem accidentis. Secundo, accidens poſſe eſſe principium principale ſimul, & proximum accidentis. Tertio, argumenta in contrarium diluuntur.*

## QVÆSTIO DECIMATERTIA,

In quo conſiſtat cauſalitas cauſæ finalis.

*In illa primo proponuntur, & refelluntur variæ ſententiæ. Secundo, ſtatuitur duplicem eſſe diſtinguendam in fine cauſalitatem, vnam reſpectu agentis, alteram reſpectu mediorum; & cauſalitatem ejus reſpectu agentis, eſſe ejuſdem bonitatem, prout ab ea mouetur actu agens ad agendum, cauſalitatem vero reſpectu mediorum, eſſe illis bonitatem, & appetibilitatem tribuere.*

## QVÆSTIO DECIMAQVARTA,

A quo moueantur projecta.

*In ea proponuntur & confutantur variæ ſententiæ. Poſtea ſtatuitur prædictum motum fieri à medio. Denique, pluribus quæ ad naturam hu-*

*jus motus pertinent explicatis, argumentis aduerſariorum occurritur.*

## QVÆSTIO DECIMAQVINTA,

Quænam ſit formalis ratio quantitatis.

*In illa relatis, & confutatis varijs ſententiis, euincitur extenſionem partium extra partes in ordine ad locum eſſe formalem rationem quantitatis. Poſtea probatur Chriſtum Dominum non habere ſuam quantitatem in ſanctiſſimo Sacramento. Denique aduerſariorum argumenta diſſoluuntur.*

## QVÆSTIO DECIMASEXTA,

An dentur partes entitatiuæ extenſæ independenter à quantitate.

*In illa primo pluribus probatur neceſſario admittendas eſſe prædictas partes. Secundo, eaſdem habere extenſionem aliquam, quæ interna dici poteſt. Tertio, argument a contraria diluuntur.*

## QVÆSTIO DECIMASEPTIMA,

Vtrum quantitas diſtinguatur à ſubſtantia.

*In illa concluditur quantitatem nemine cogitante à ſubſtantia diſtingui, & Nominalium argumentis occurritur.*

## QVÆSTIO DECIMAOCTAVA,

Vtrum partes ſint actu diſtinctæ in quantitate.

*In ea primo probatur quantitatem non componi ex indiuiſibilibus. Secundo, partes in continuo non eſſe inter ſe actu diſtinctas. Tertio, contrariis argumentis reſpondetur. Denique, concluditur indiuiſibilia terminatiua, quoad poſitiuum quod dicunt, non eſſe actu diſtincta à continuo ante deſignationenem.*

## QVÆSTIO DECIMANONA,

An dari poſſit infinitum actu.

*In illa primo oſtenditur in nullo genere entis poſſe dari infinitum actu.*

*Secundo, contraria argumenta diluuntur. Tertio, probatur Deum, qualibet ſpecie dabili, non poſſe aliam ſub eodem genere perfectiorem producere. Denique, nec poſſe qualibet intenſa qualitate aſsignabili aliam intenſiorem efficere.*

## QVÆSTIO VIGESIMA,

### An idem numero corpus poſſit eſſe circumſcriptiuè in diuerſis locis, & qua actione? vbi, de vbi intrinſeco agitur.

*In ea pluribus probatur per diuinam potentiam poſſe id fieri. Secundo, objectionibus reſpondetur. Tertio, euincitur, contra quoſdam recentiores, actionem per quam poneretur corpus in pluribus locis fore adductiuam. Quarto, oſtenditur dari vbi. Quinto, illud non eſſe modum abſolutum, ſed eſſe relationem extrinſecus aduenientem.*

## QVÆSTIO VIGESIMAPRIMA,

### An dentur ſpatia imaginaria, & an Deus in illis ſit.

*In ea primo ſtatuitur non dari actu, & poſitiuè ſpatia imaginaria, eo modo quo dantur actu entia realia, & poſitiua, ſed abuſiuè tantum. Secundo, Deum non eſſe in ſpatiis imaginariis, quaſi vere ambiatur ab illis, ſed eſſe, quia ratione ſuæ immenſitatis, qua in ſeipſo immenſus eſt, fundamentaliter proximè aptus eſt eſſe in quibuſlibet ſpatiis realibus, ſi illa ponantur.*

## QVÆSTIO VIGESIMASECVNDA,

### De variis durationum ſpeciebus; vbi etiam tractatur, vtrum duratio rei creatæ ab eadem diſtinguatur, & ſit ſucceſſiua.

*In ea æternitatis ratio primo explicatur. Secundo, æui. Tertio, ſtatuitur æuum eſſe aliquid permanens, non ſucceſsiuum. Quarto, durationem rei diſtingui à re durante. Quinto, tempus etiam à motu. Denique, temporis ratio explicatur.*

## QVÆSTIO VIGESIMATERTIA,

### An mundus potuerit eſſe ab æterno.

*In ea fuſe demonſtatur mundum quoad nullum plane genus entis po-*

*tuiſſe eſſe ab æterno, argumentiſque contrariis itur obuiam.*

## QVÆSTIO VIGESIMAQVARTA,

An cœlum ſit quinta eſſentia, vel compoſitum ex elementis.

*In illa, recitatis variis ſententiis, vt certum ſtatuitur cælum non eſſe quintam quandam naturam & eſſentiam ab elementis & mixto ex illis diſtinctam, ſed vere eſſe corpus mixtum, conſtans ex quatuor elementis. Rationes in contrarium proponuntur, & diſſoluuntur. Cælum eſſe corruptibile, & fluidum, in eoque aſtra moueri vt piſces in mari. Vnicum tantum ſtellatum eſſe, veras ſupra ſe aquas habens.*

## QVÆSTIO VIGESIMAQVINTA.

A quo moueantur aſtra.

*In ea ſtatuitur non ab Intelligentiis, ſed à propria forma moueri, & argumenta contraria diluuntur.*

## QVÆSTIO VIGESIMASEXTA,

Quænam ſit cauſa æſtus maris; vbi de origine fluminum, & montium.

*In illa, propoſitis, & confutatis variis ſententiis, concluditur cauſam eſſe mari intrinſecam, & à natura. Satisfit difficultatibus. Explicantur cauſæ ob quas à natura datus ſit motus. Denique, flumina & montes à mari oriri demonſtratur.*

## QVÆSTIO VIGESIMASEPTIMA,

An dentur formæ partiales in viuente.

*In ea vt probabilior eligitur ſententia quæ affirmat, validiſque fundamentis communitur. Probatur dictas formas vna cum materia eſſe ſubiectum ipſius animæ. argumenta diluuntur.*

## QVÆSTIO VIGESIMAOCTAVA.

### An potentiæ animæ diſtinguantur ab anima.

*In ea, explicatis variis diſtinctionum generibus, oſtenditur neceſſariò admittendam eſſe diſtinctionem formalem, ſeu mediam, inter realem, & rationis; nullam admittendam eſſe diſtinctionem rationis ratiocinatæ; animæ potentias non realiter, nec ratione tantum, ſed formalite ab anima diſtingui. rationes in oppoſitum diſſoluuntur.*

## QVÆSTIO VIGESIMANONA.

### Vtrum in rarefactione acquiratur noua quantitas.

*In ea pluribus contra recentiores, volentes nouum tantum modum acquiri, diſputatur, & veram quantitatem acquiri demonſtratur, argumentiſque contrariis obuiam itur.*

SELECTARVM

# DISPVTATIONVM PHILOSOPHICARVM PARS SECVNDA.

## QVÆSTIO PRIMA.

*An detur materia prima, & an diſtinguatur ab elementis.*

DE varijs materiæ acceptionibus legi poſſunt Picolomineus, 1. lib. de materia, cap. 2. Dominicus Sotus 2. Phyſicorum, quæſt. 3. Pererius lib. 5. ſuæ Phyſicæ, Fonſeca 5. Metaph. cap. 2. quæſt. 1. ſect. 1. & 1. Metaphyſ. cap. 7. quæſt. 3. ſect. 9. nos hoc loco de ea agimus provt idem eſt ac illud quod initiat compoſitum ſubſtantiale tanquam primum ſubjectum formæ ſubſtantialis. I.

Non defuerunt tùm veteres, tùm recentiores, qui negarent dari materiam primam. Inter cæteros ante ſexennium hanc ſententiam Pariſijs defenderunt Clauius, Vilonius, & Bitaldus, ſequuti Sextum Empiricum, lib. 3. cap. 4. Vbi materiam primam vocat *prodigioſum figmentum*, & Dauidem Gorlæũ in libro exercitationum Philoſophicarum, exercitatione 14. Verum propter hanc & ſimiles ſententias, merito à Parlamento Pariſienſi proſcripti fuerunt.

*Sextus Empirius & David Gorlaus, negant materiam primam.*

Dicendum ergo eſt primo, cum communi Philoſophorum omnium ſententia dari materiam primam. II.

*Concluſio prima dari materiam primam.*

Probatur primò. quia in nutritione & accretione animalium, vel aliquid cibi remanet peracta nutritione, vel nihil; ſi nihil, quomodo ex cibo nutriuntur; ſi aliquid, illud non eſt forma cibi, alias animal eſſet compoſitum ex omnibus generibus ciborum, ex piſcibus, carnibus, pomis, &c. præterea illæ formæ ſunt corruptæ. ergo animal con-

*Einſdem prima probatio.*

ſtaret ex partibus corruptis quod implicat. ergo id quod remanet debet eſſe materia, ſeu ſubjectum formæ cibi quod remaneat ſub forma viuentis. ergo datur materia.

*Secūda probatio.*

Probatur ſecundò concluſio. ſuppoſito hoc principio quod omnes concedunt, ex nihilo nihil fit. Videmus aliquas formas de nouo fieri, quæ antea non fuerunt. ergo debent nouæ formæ recipi in aliquo ſubjecto formæ deperditæ & formæ acquiſitæ, alioquin forma producta fieret ex nihilo. hoc autem ſubjectum propter eandem cauſam debet eſſe ingenerabile & incorruptibile; debet etiam eſſe vltimū ſubjectum; niſi enim eſſet vltimum ſubjectum, iretur in infinitum, cum agentia naturalia agant in ſubjecto & ex ſubjecto; Quia ſi materia prima generaretur, deberet ex aliquo priori generari, & illud prius rurſus vel eſſet generabile, vel non; ſi eſſet. ergo adhuc ex aliquo priori, & ſic in infinitum; ſi non, cur non ſiſtimus in primo ſine progreſſione vlteriori. hæc argumenta & alia quæ apud recentiores videri poſſunt, probant quidem efficaciter ſatis dari in rebus mateтiam primam, non tamen oſtendunt quid illa ſit.

*Vtrum materia prima diſtinguatur ab elementis.*

III. Quæſtio ergo eſt inter authores, an diſtinguatur materia prima ab elementis, an non; qua in re.

*Prima ſententia diſtinguens.*

Prima ſententia affirmat illam ab elementis realiter diſtingui, eſt ſententia Ariſtotelis & fere communis.

*Secunda ſententia nō diſtinguēs. Empedocles. Athenagoras. S. Anſelmus. Anaſtaſius Synaita. Iuſtinus Martir.*

Secunda ſententia negat. Ita ante Ariſtotelem Empedocles, & reliqui fere omnes Philoſophi; poſt Ariſtotelem ex patribus eandem ſentētiam ſequuti ſunt, Athenagoras in Apologia pro Chriſtianis, quæ habetur tomo 1. bibliothecæ ſanctorum Patrum, pag. 601. & 611. ſanctus Anſelmus in monologio, cap. 6. Anaſtaſius Synaita, lib. 1. in exameron, & in re, Idem exiſtimo voluiſſe Iuſtinum Martyrem, in libro repræhenſionis decretorum Ariſtotelis, vbi multis argumentis materiam primam Ariſtotelicam impugnat. ex Philoſophis eandem ſententiam ſequuti ſunt Guilielmus Adolphus Scribonius, lib. 1. Phyſic. num. 128. & ſequentibus, Franciſcus Patritius Peripateticarum diſcuſſionum, tomo 4. lib. 3. à medio, Leonardus Leſſius, lib. 3. de numine, num. 16. & 21. & lib. 3. de ſummo bono, num. 56. Vbi ait *quibuſdam hanc ſententiam magnis rationibus perſuaſam, & à veteribus Philoſophis traditam*, Scipio Capitius, lib. 2. de principijs rerum, fol. 105. pag. 2. verſu, *at reliquis ſi prima quidem*, & alij recentiores præſertim Medici, cum quibus.

*Guilielmus Adolphus Scribonius. Franciſcus Patricius. Leonardus Leſſius. Scipio Capitius.*

*Cōcluſio non diſtingui.*

IV. Dicendum eſt 2. materiam primam non diſtingui ab elementis, ſed eſſe ipſa elementa.

*Concluſionis probatio.*

Probatur concluſio, quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, at nulla eſt neceſſitas ſic multiplicandi, nec vllum indicium diſtinctionis. ergo &c. minor probatur, ſi eſſet vllum indicium diſtinctionis,

maximè quia materia prima eſt ingenerabilis & incorruptibilis, elementa autem generabilia & incorruptibilia, ſed hoc eſſe falſum manifeſte probatur primò de aëre. vt aër in ſe conuertat ignem debet remittere calorem ignis in ſententia illorum qui ponunt qualitatem vtramque non conuenire elementis in ſummo gradu; quomodo autem hoc faciet maxime in ſententia illorum qui ponunt qualitates remiſſas in elementis non eſſe permixtas contrarijs? deinde quomodo ignis in ſe aërem conuertet? aut quomodo ſiccitas ignis, cum ſit in omnium ſententia qualitas valde parum actiua, expellit ab aëre humorem? Quod dicunt hoc fieri per calorem, contrarium experimur, nempe valde intenſum calorem in aqua ſe cum humore compati. ſecundò dicunt ipſi formam ignis non introduci, niſi in materiam diſpoſitam calore vt octo, nec ignem conſiſtere infra mediocritatem caloris. ergo cum agit in ignem, & producit quinq; gradus frigoris in materia, peribit forma ignis, & forma aquæ non poterit introduci, cum non ſit frigus vt octo. De aqua, quidam concedunt poſſe conſiſtere ejus formam in materia infra mediocritatem frigoris, non vero introduci de nouo; de igne idem non concedunt. tertiò videmus vt aliquid in ignem conuertatur debere eſſe viſcoſum, quia ignis pabulo eget; elementa autē pura nō ſunt viſcoſa, vt concedunt ipſi aduerſarij. ergo nihil poterit elementorum in ignem conuerti. Reſpondent ignem non eſſe elementarem, quem hic habemus, ſed aliquid mixtum. verum jnſto, vnde ergo ſciunt elementarem conuerti, ſi nullam vnquam ejus habuerunt experientiam. quartò probatur ſpecialiter de aqua, quia diſtillatores experiuntur, ſi in vas aliquod feruentiſſimum aquam conijciant, & ſuperne bene tegant, ne quid euaporet, habituros ſe tantum aquæ poſtea, quantum injecerunt. ergo nihil fuit in ignem conuerſum, & tamen tunc deberet maxime cōuerti, ſi conuerti poſſet. quintò videmus cineres, qui maxime ad terram accedunt, vel terra ſunt, nunquam in ignem conuerti. ſextò de aëre etiam probatur, quia ſi ampulla vitrea aëre plena bene obturata in aqua ponatur, etiamſi ibi centum annos eſſet, nihil aëris incluſi in aquam conuertetur. ergo ſignum eſt non poſſe conuerti. dicunt aduerſatij ſe hanc experientiam ex noſtris principijs ſoluere, nimirum, rationem eſſe cur tali caſu non conuertatur, quod aër deberet condenſari vt in aquam verteretur, & proinde daretur vacuum in reliquo contra naturam, & nos debere idem dicere, quia ſaltem aqua circumſtans deberet aërem incluſum infrigerare, & ita condenſare, & ſic vacuum fieret, quod vt euitemus, inquiunt, debemus concedere nullam fore tali caſu actionem aquæ in aërem. verum ſupponunt aduerſarij quod nos non dicimus, ſcilicet, aërē incluſum iſto caſu non infrigidandum. Crediderim enim vere aërem illum fore frigidum; ſed negandum eſt ſemper frigus inducere denſitatem,

*Pluribus oſtenditur elementa eſſe ingenerabilia & incorruptibilia.*

vel facere in omni caſu corpus frigidum occupare minorem locum, vt clare apparet, ſi enim ampullam aliquam æſtate aëre plenam vel liquore aliquo bene vndique obturatam in aquam vel niuem immergas, liquor incluſus fiet frigidiſſimus, & tamen non condenſabitur, quia apparet ampulla tam plena poſt, quam ante.

V. Quæres nonne aliquando aqua conuertitur in vinum.

Reſpondeo nunquam conuerti, ita vt aqua vino infuſa actione vini corrumpatur, & materia aquæ accipiat formam vini. hanc ſententiam Innocentius III. Pontifex, cap. cum Martha, dicit eſſe communem Phyſicorum, ideſt, Medicorum, ex antiquis tenet eandem Simplicius apud Dandinum, in commentarijs ad libros de anima, & ex recentioribus Theologis, de aqua vino commixta in ſacrificio Miſſæ, idem ſentiunt Cardinalis Alanus, Peſantius, Ægidius de Coninck, & alij, quibus adde Cardinalem Baronium, qui tomo vltimo annalium apud Spondanum, aſſerit ſemper fuiſſe mentem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ immediate aquam verti in ſanguinem Domini. Ex quo conſtat mutationem aquæ in vinum à Chriſto factam in Cana Galileæ, non fuiſſe conuerſionem qua aqua vino infuſa corrumperetur, materia aquæ formam vini accipiente, ſed potius veram fuiſſe transmutationem ſubſtantiæ. Probatur prædicta reſponſio. primò; quia, vt vidimus, aqua pura nunquam conuertitur. ſecundò experientia patet, poſſe aquam quæ vino infunditur, vario artificio ſeparari. dicunt aliqui ad hoc cum D. Thoma, non eſſe veram aquam quæ extrahitur, ſed humorem aqueum non bene decoctum. verum hoc omnino gratis dicitur contra apertum ſenſum. dicunt alij cum Vaſquez poſſe aquam è vino extrahi, modo non fuerit diu permixta, ſi fuerit infuſa aqua in magna quantitate, ſi vinum ſit debile, &c. ſed contra mercatores experiuntur ſe poſſe diu ſeparare. tertiò probatur reſponſio; Quæro ab Adrianis, quomodo, ſi aqua ſit pura poſſit à vino tranſmutari. quam qualitatem habet repugnantem aquæ, quæ debeat expelli, ita vt pereat aqua. quia calorem tantum poteſt aqua, ſuſtinere quantum vinum, vt patet, in aqua calida; in humore autem communicant. quartò, vitis dum viueret multo fortior vino per animam ſuam vegetatiuam nunquam potuit aquam puram in ſe conuertere, quia ſi vitis poneretur in aqua pura. defectu nutrimenti moreretur; alimentum enim ejus quod in ſubſtantiam ſuam conuertit, eſt humor terræ viſcoſus, quomodo ergo vinum carens anima aquam puram tranſmutabit. deinde ſi vera eſſet contraria ſententia, ſequeretur ſæpius infundendo aquam poſſe perpetuo durare dolium vini, *quo vt nihil vtilius, ita nihil abſurdius.*

*Simplicius Card. Alanus Peſantius.*

*Aqua in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio immediatè conuertitur in ſanguinem Chriſti Domini.*

VI. Quæres, an ſaltem in ſententia noſtra aqua infuſa vino, manens in ſubſtantia, informetur forma vini.

Reſpondeo veriſſimilius eſſe quod non. primò quia, per artem poteſt extrahi; vnio autem informatiua non poteſt tam facilè ſolui, ſicut apparet in extractione elementorum ex mixto, quæ non fit ſine alteratione corruptiua 2. quia veriſſimilius, ſicuti cum vinum & aqua pari copia commiſcentur, remanet vtrumque in ſua ſubſtantia diſtinctum, ita cum parum aquæ vino infunditur, hinc infert non argui elementorum tranſmutationem, quod frigore condenſetur aqua, & aërem excludat; quod aër humidus ſit ſubinde & in aquam videatur condenſari; tantum arguit elementa apud nos non eſſe pura, ſed inter ſe non nihil permixta, non quod pura non poſſint conſiſtere, vt Franciſcus Valeſius vult, cap. 1. ſacræ Philoſophiæ ſub medium, cum ſint ſimplicia corpora, ſed quod mutuo conjuncta, loco permiſceantur & inuicem interſecantur. Quando veró æſtate euaporat aqua, aut igni impoſita, non vertitur in aërem, ſed rareſit, & calore concepto ſuſtollitur, & cum à temperatiori, & frigidiori aëre vlteà non impeditur, colligit ſe, reditque ad naturam, & in pluuiam decidit, quod apparet, ſi æſtate infundat quis aquam frigidam in ſyphum 1. calore aqua in vapores ſoluitur, ſed cupiens ſe conſeruare, ſtatim colligit ſe, & frigidum ambit vaſculum in quod eam infudiſti, vſque adeo vt etiam in guttas decidat, hinc etiam columnæ marmoreæ æſtate ſudant, quod vapores, ſiue ex hominum corporibus, ſiue aliunde emiſſi, ſe cupiant conſeruare loco ipſis connaturali, ſcilicet frigido. *Refellitur Valeſius.*

Quæres, vnde fiat vapores hyeme amplius, quam æſtate feneſtris vitreis adhæreſcere. VII.

Reſpondeo eandem eſſe omnium cauſam, quod aqua diſſipata ſe colligat ad ſtatum naturalem, & ea ratione loca frigidiora petat, hyeme enim aër frigidiſſimus eſt; hinc in cubiculis clauſis quidquid humidi vaporis eſt feneſtras petit tanquam frigidiores; æſtate verò magis attenuatur exhalatio, nec aura eſt ita humida, vt tantum vaporis habeat ad mixtum, & aër magis accenſus eſt, quam in ipſa domo, ſic ex aëre puro non fit aqua, ſed quæ illi mixta eſt ab illo ſeparatur. Probant vtrumque chymici, ab experientia ſupra allata; ſume vas æneum, imple aqua & probe concludas, ignique quantumque feruenti imponas; tantumdem aquæ ex frigefacto vaſe hauries, quantum immiſeris. Item ſume vas vacuum ſolo aëre puro repletum, quantumvis in frigido loco colloces, nunquam in eo aquam inuenies, ſi bene concluſum fuerit. nulla itaque ejuſmodi tranſmutationis aſſerendæ neceſſitas, eſt judicium.

Dices, ſapientiæ vltimo dicitur, *in ſe enim elementa dum conuertuntur, ſicut in organo qualitatis ſonus immutatur, & omnia ſuum ſonum cuſtodiunt, vnde exiſtimari ex ipſo viſu certò poteſt*. ex quo loco ſic licet argumentari. Elementa in ſe conuertuntur. ergo non VIII. *Obiectiones aduerſariorum contra ingenerabilitatem & incor-*

*ruptibilitatem elementorum proponuntur & ſoluuntur.* ſunt quoad ſubſtantiam incorruptibilia.

Reſpondeo hoc argumentum immeriro à quibuſdam recentioribus magni fieri; immeriro, inquam, ſiue artēdamus textum ſacræ ſcripturæ, ſiue ejus ſenſum. immeriro primo ſi attendatur textus, quia in *Vvatablus.* primis textus Hæbraicus legit, vt videre eſt apud Vvatablum *dum elementa tranſponuntur inter ſe.* quæ lectio rantum abeſt vt nobis aduerſetur, quin & ſummopere fauet. Clarum enim eſt tranſpoſitionem rerum diuerſarum inter ſe, non eſſe earumdem corruptionem. Textus *Eſtius.* autem Græcus legit, vt aduertit Eſtius, *permutantur*, permutatio autē, vt vel abecedarijs notum eſt, non eſt corruptio. ex textu ergo Græco & Hæbraico manifeſtè conſtat tantum abeſſe vt contra nos faciat argumentum, vt potius probet ſententiam noſtram; quæ enim tranſponuntur & permutantur non corrumpuntur. Immerito etiam objicitur argumentum, ſi ſacræ ſcripturæ ſenſus attendatur, quia ex ſenſu manifeſte habetur elementa non corrumpi. vt enim recte notauit in il- *Robert. Holcot.* lum locum Robertus Holcot, illorum verborum ſenſus hic eſt; Sicut organizator in quocumque inſtrumento muſico efficit harmoniam ex diuerſa tenſione & moderatione cordarum, juxta ſcientiam artis ſuæ, & pro libito voluntatis ſuæ facit eandem cordam modo reddere acutum ſonum, modo grauem, & tamen ſemper ſeruatur bona harmonia, & conſonantia delectabiliter in operatione ſua; eodem modo Deus vtitur pro voluntate ſua elementis & cæteris creaturis ad beneficia electorum, & ſupplicia improborum pro libito voluntatis ſuæ, & tamen hoc non obſtante, conſonantia harmonica quæ eſt inter elementa non diſſoluitur; *Dicit ergo per ſimilitudinem* (inquit Holcot) *dum elementa in ſe conuertuntur, id eſt dum elementa ſuas virtutes mutant vel intermittunt, ſicut in organo quocumque muſicali qualitatis ſonus hypalage, id eſt qualitas ſoni mutatur pro voluntate organizantis, & omnia elementa ſuum ſonum cuſtodiunt quoad vniuerſalem modulationem, ita quod ſicut non tollitur melodia per mutationem ſonorum in diuerſis cordis inſtrumenti, ita nec in elementis tollitur eorum proportio & harmonia, propter mirabiles operationes quas Deus* *Ianſenius.* *facit per ea.* Hæc Holcot, cui conſentit Ianſenius in eundem locum. *Quemadmodum, inquit, in muſico inſtrumento ſonus ex variatione modulationis, aliud & aliud nomen ſortitur, ita etiam elementa ad Dei voluntatem aliam & aliam habent naturam & conditionem, ex diuerſa ipſorum inter ſe conjunctione. Quemadmodum in ſequentibus declarat.* hæc Ianſenius, de cujus explicatione, vt & explicatione Holcot, manifeſte colligitur elementa non corrumpi, ſed vere manere dum inter ſe tranſponuntur, & permutantur ac conjunguntur, aliam accipiendo accidentalem naturam, & actiuitatem, pro diuerſo temperamento qualitatum earumdem.

Dices ſecundo. elementa alterantur alteratione corruptiua, alteratio corruptiua tendit ad tranſmutationem. ergo elementa tranſmuttantur.

Reſpondeo, elementarium qualitatum actiones dupliciter ſpectari poſſe. primò vt exercentur in mixtis, & ſic poſſunt eſſe corruptiuæ, & ad mixtorum tranſmutationem tendere. ſecundò, vt fiunt inter ipſa elementa, extra mixtum, & hoc pacto ordinantur ad caſtigarionem mutuam elementorum, vt ex ipſis caſtigatis, & quo ad qualirates refractis, conſurgat mixtum, nec ſunt corruptiuæ alicujus ſubſtantiæ.

Dices tertiò. quædam ſunt corpora quæ fere tota in ignem abeunt, vt puluis tormentarius &c. non eſt verò probabile talia corpora, maxima ſui parte conſtare igne, ergo producitur de nouo, ergo elementa ſunt generabilia & corruptibilia.

Reſpondeo quod ſi aduerſarij legiſſent Ariſtotelem 5. de generatione textu 84. & 3. Phyſicorum textu 45. tali non vterentur argumento; Philoſophus enim primo loco, vt probet elementa manere formaliter in mixto, ita argumentatur; cum mixta diſſoluuntur, ſeparantur ex illis elementa, præerant igitur in illis, ſi quidem in ea diſſoluitur vnumquodque ex quibus conſtat. Applicent aduerſarij hunc diſcurſum materiæ de qua agimus hoc modo; cum puluis tormentarius corrumpitur ſeparatur ex eo ignis in magna copia, præerat igitur in illo, ſiquidem vnumquodque diſſoluitur in ea ex quibus conſtat. Quid ad hoc aduerſarij? Secundo, loco citato docet Philoſophus non dari quintum elementum, quoniam quatuor tantum ex mixtis ſeparantur; at ſi ignis ille produceretur de nouo, malè argumentaretur Philoſophus, vt per ſe manifeſtum eſt. denique mixta mouentur motu prædominantis elementi, vt docent communiter Philoſophi; atqui non poſſunt ita moueri ſine actuali inexiſtentia ipſius elementi, ergo elementum prædominans actualiter inexiſtit mixto. quid ergo mirum ſi ſeparetur ex mixto ad mixti corruptionem.

Ex his colligitur elementa eſſe corpora ſimplicia ſine compoſitione ex materia & forma. & probatur facile ex dictis, quia ſi non eſſent ſimplicia, ſine vlla compoſitione ex materia & forma, non eſſent natura ſua incorruptibilia, ſed propriè loquendo corruptibilia, cum corruptio propriè loquendo, ſicut eſt paſſio compoſiti ex elementis, vt optimè notauit ſubtilis doctor in 3. diſt. 22. numero 9. ita etiam, fit per diſſolutionem partium, & conuenit compoſito ex contrarijs, vt rectè notauit idem ſubtilis doctor in 4. diſt. 45. numero 23. confirmatur quia elementum ab Ariſtotele ijſdem pænè verbis deſcribitur, quibus materia prima; nam 5. Met. cap. 3. elemētum vocat id ex quo primo inſito ac ſpecie indiuiſibili in aliam ſpeciem aliquid componi- IX. *Oſtenditur elementa eſſe entia ſimplicia ſine compoſitione ex materia & forma.* *Scotus.*

Digitized by Google

tur, vt vocis elementa ſunt ex quibus primum componitur vox, & in quæ vltimo diuiditur, ergo elementa ſunt corpora ſimplicia; alioquin non eſſent illa ex quibus primò cõponitur mixtũ. & hoc optimè notauit Scipio Capitius libro 2. de principijs rerum folio 105. ex quo conſtat Philoſophum ſui immemorem ſibi contradicere, cum aſſerit elementa conſtare materia & forma.

X. Dices non ideo materia prima diſtinguitur ab elementis, quod ipſa incorruptibilis ſit, elementa nequaquam; ſed quod ipſa actu ſecundum ſuam entitatem in omnibus mixtis reperiatur, elementa autem tantum ſecundum ſuas virtutes.

Reſpondeo hoc quod aſſeritur, vltimum eſſe aduerſariorum euadendi modum, qui & illis præcludendus eſt hoc pacto. elementa in mixtis ſunt ſecundum ſuas entitates, & non tantum ſecundum ſuas virtutes & qualitates. Probatur primò ex Philoſopho qui clariſſimè in hac eſt ſententia multis in locis; & primo quidem, 7. Met. textu 59. ſiue vltimo, in principio & in fine, ait ignem in carne & oſſe manere, ſicut manent litteræ A. B. in ſyllaba Ba. & primò de Generatione textu 84. vt probet elementa manere formaliter in mixto, ita ratiocinatur. cum mixta diſſoluuntur, ſeparantur ex illis elementa, præerant igitur in illis; ſiquidem in ea diſſoluitur vnumquodque, ex quibus conſtat. Imo vt ex textu 65. primi Phyſicorum habetur, illa ſunt componentia aliquid, in quæ illud reſoluitur. Deinde tertiò Phyſicorum textu 45. docet non dari quintum elementum, quoniam quatuor ſolum ex mixtis ſeparantur. Præterea primò de generatione, vbi ex inſtituto examinat hanc quæſtionem, textu 83. aſſerit miſcibilia non debere corrumpi in mixtione, & propterea ait lignum non miſceri cum igne ex eo genito, quia corrumpitur; jam vero ſi elementa amitterent entitatem ſubſtantialem, corrumperentur. Denique libro primò de generatione animalium cap. 18. negat ſemen decidere ex omnibus partibus animalis, quia etiam decidere poſſet ex igne; hæc autem illatio ridicula eſt, niſi elementa ſint actu in mixto. hæc de mente Ariſtotelis. Ratione etiam probatur & eadem veritas; & primo quidem ex communi loquendi modo quo dicimus mixta componi ex elementis; cui modo fauet ipſum nomen & notio elementi; quia elementum eſt id ex quo alterum fit cum inſit; hic autem modus loquendi non poteſt commodè ſaluari; niſi dicamus mixta ex elementis conſtare actu in exiſtentibus. 2. mixtio eſt miſcibilium alteratorum vnio, primò de generatione textu vltimo, at ſi elementa quæ prius erant formaliter, deſinunt eſſe formaliter, non eſt vnio niſi materiæ tantum; ipſa autem elementa erunt corrupta, non alterata; alteratio enim dicit mutationem tantum ſecundum qualitatem, vt primo de generatione docet ipſe Philoſophus. Tertio mixta mouentur motu prædominan-

*Oſtenditur elementa eſſe actu in mixto, tam in ſententia Ariſtotelis, quã in rei veritate.*

tis

ris elementi, vt experientia conſtat, atque non poſſent ita moueri ſine actuali inexiſtentia ipſius elementi, ergo &c. Confirmatur quia non poteſt motus ille referri in formam mixti, cum ſæpe in loco qui per talem motum acquiritur, corrumpatur mixtum, exempli gratia, quando ex prædominio terræ aliquid infra aquam mouetur, vbi interit; nulla autem forma naturaliter appetit locum ſuæ corruptionis. Accedit quod idē motus alicui ſæpe ſit naturalis, & eidem etiā ſit violentus, exempli gratia motus progreſſiuus quo animal mouetur ſurſum. Hæc explicari non poſſunt niſi elementa dicantur actu inexiſtere mixto, ergo actu inexiſtunt. Qarto idem facile probari poteſt ex cauſa finali elementorum, ſunt enim natura ſua ordinata ad mixtionem tanquam vltimum & præſtantiſſimum ad quod poſſint concurrere. ergo mixtio non eſt deperditio elementorum. conſequentia clara eſt, quia vt inductione conſtat, nihil à natura ordinatur ad ſui corruptionem tāquam ad ſummum & præſtantiſſimum bonum ad quod poteſt concurrere. Denique experimur elementa ita eſſe in mixto vt poſſint ex illo ſeparari ſecundum ſuas entitates formales & ſubſtantiales. ergo vere ſecundum illas inexiſtunt mixto; quomodo enim ſepararentur, niſi inexiſterent hanc materiam pluribus hic non probabimus, quia non eſt hujus loci. Interim aduerto omnes veteres Peripateticos, Auerroëm, Philoponum, Auicennam, Alexandrum, exiſtimaſſe nobiſcum elementa eſſe actu in mixto, ſecundum ſuas entitates ſubſtantiales, & non tantum ſecundum qualitates; quos ex recentionibus ſequuti ſunt Cardinalis Contarenus libro 3. de elementis, Raguſeus diſputatione 9. Peripatetica, per totam, Fernelius lib. 2. de elementis, cap. 7. & 8. Zabarella in opuſculo de mixtione, Duncanus libro 1. Phyſiologiæ cap. 5. Franciſcus Bonamicus, Hyeronimus Taglia Petra, Archangelus Mercenarius, Epiphanius Ferdinandus Meſſapienſis, Dandinus & alij. Ex quo patet nos non multiplicare entia ſine neceſſitate, quando ponimus elementa eſſe in mixto ſecundum ſuas entitates. Patet 2. ſolutio ad id quod ſolet obijci, videlicet, incredibile eſſe lapidem in ſe continere ignem, aut inferro contineri aërem. Præterea incredibile etiam eſſe in piſcibus ignem reperiri, extinguere-tur enim ab aqua. Reſpondeo enim non eſſe incredibile, quod dicitur, quia elementa poſſunt conſeruari cum qualitatibus valde refractis, & ideo (vt omittam ea eſſe incorruptibilia) non eſt neceſſe vt ignis qui ibi eſt extinguatur ab aquà. Adde hoc argumentum, æquè aduerſarios ac nos vigere. Quæro enim ab illis quo modo ex ſilicibus qui diutiſſime fuerunt in aquà poteſt excuti ignis? Quod ſi latebat in poris quomodo potuit in aquà conſeruari? Deinde admittunt aduerſarij in mixtis qualitates refractas. Quæro igitur; quomodo piſcis vel quod libet aliud mixtum poſſit conſeruare ſuum calorem in aqua

*Auerroes. Auicenna. Alexander. Contarenus. Raguſaus. Fernelius. Duncanus. Zabarella. Bonamicus. Tagliapetra. Mercenarius.*

frigidiſſima. Dico igitur conſeruari vel propter ſuam denſitatem, vel propter duritiem, quæ, non admittunt in ſuis penetralibus actionem ambientem; vel quia elementa contra actionem contrariorum conſeruantur à forma mixti; ſicut in viuente, calor naturalis, & elementa ne diuellantur, continentur ab anima, vt docet ipſe Ariſtoteles 2. de anima cap. 39. vel propter aliam cauſam quam ipſi etiam tenentur adferre, qua allata illam ipſis reddemus; vel denique (& eſt vera ratio) quia ſunt incorruptibilia & ingenerabilia. Patet 3. ſolutio ad id quod obijcitur, ſi elementa eſſent actu in mixto, ſequeretur 1. generationem mixti eſſe alterationem, quia quid quid aduenit enti in actu eſt accidens; forma autem mixti adueniret entibus in actu. ergo eſſet accidens, & conſequenter generatio mixti eſſet alteratio. 2. ſequeretur ſubjectum generationis non eſſe materiam primam, ſed ens actu. 3. ſequeretur generationem vnius non eſſe corruptionem alteriusi contra Ariſtotelem. Patet enim ſolutio. Ad primum enim neganda eſt prima ſequela, quia forma mixti non aduenit enti in actu perfecto, & completo, ſed incompleto dumtaxat, & ſubordinato actui perfectiori vt in ſimili dicemus ſuo loco de formis partialibus. Eſſet autem mixtum aggregatum per accidens, ſi elementa non eſſent ſubordinata formæ perfectiori, & ſi mixtio fieret per ſolam iuxta poſitionem: Sed hoc non fit. Ad ſecundam ſequelam, dico ſubjectum generationis eſſe materiam primam nudam, nempe ipſa elementa, neque præterea eſſe ens actu, id eſt completo ſed incompleto, & veterius ordinato. Ad tertiam, neganda eſt ſequela, quia quando mixtum generatur, elementa corrumpuntur, non quidem ſecundum entitatem, ſed ſecundum quod vltimum habent eſſe, & hoc ſatis eſt.

XI. Dices primò. ſi elementa manent actu in mixto, poſſet corrumpi aliqua ſubſtantia & non fieri reſolutio vſq; ad materiam primam; hoc autem aduerſatur Ariſtoteli. ergo &c.

*Proponuntur argumenta contra actualem inexiſtentiam elementorum in mixto, & diſſoluuntur.*

Reſpondeo in noſtra ſententia hoc argumentum parum vrgere; cum enim ponamus materiam primam nihil aliud eſſe quam elementa, hoc ipſo quod corrumpitur mixtum inanimatum & reſoluitur in elementa, datur reſolutio vſq; ad materiam primam. Qui diſtingunt materiam primam ab elementis reſpondere poſſunt quod Ariſtoteles primò Phyſicorum dicit, & ſi corrumpitur aliquid in hoc abibit vltimum, ideſt, fit reſolutio vſque ad materiam primam, hoc intelligendum, vel mediatè, vel immediatè; vnde quando corrumpitur mixtum, non reſoluitur immediatè in materiam primam, ſed mediatè duntaxat; ſed ſi poſtea corrumpatur elementum immediatè fiet reſolutio vſque ad materiam primam.

Dices ſecundò. non poſſunt eſſe plura corpora in eodem loco. ergo

elementa non ſunt actu in mixto.

Reſpondeo negando conſequentiam, & ratio diſparitatis eſt, quia plura corpora ſua mole occupant loca, neque quantitates eorum ſe penetrate poſſunt, & ideo vnum pellit alterum. At elementa in mixto, ſi in eadem ſunt parte materiæ, de quo poſtea, non habent diuerſam molem aut quantitatem. Addo hoc argumentum procedere contra formas partiales, quas tamen admittunt plerique aduerſariorum.

Dices tertiò. elementa ſunt terminus à quo mixtionis, forma mixti eſt terminus ad quem. ergo elementa corrumpuntur adueniente forma mixti. conſequentia probatur, quia terminus à quo abijcitur adueniente termino ad quem.

Reſpondeo duplicem in mixtione diſtingui poſſe mutationem. altera eſt productio formæ mixti; altera velut antecedens materiæ diſpoſitio, elementorum nempe permixtio & temperatio. Si prioris mutationis quæratur terminus à quo; vt in qualibet generatione, eſt formæ priuatio, & terminus ad quem, ipſa forma producta. Si poſterioris, terminus à quo ſunt ipſa elementa ſeparata & diſtincta viribuſque & ſubſtantijs integra; terminus ad quem, illa ipſa vnita, permixta, & viribus caſtigata; abſolutè autem conſiderata vt elementa ſunt & ſimplicia corpora, nullius termini vim habent, ſed materiæ.

Dices quartò. ſi elementa eſſent actu in mixto, violenter in illo continerentur, vt pote valde alterata & refracta quo ad naturales proprietates; hoc autem videtur abſurdum. ergo &c.

Reſpondeo elementa dupliciter conſiderari poſſe, vel quatenus ſunt materia mixtorum (ita enim elementa appellat Philoſophus 7. Metaphyſic. textu vltimo, & 2. Phyſicorum: ſi primò modo conſiderentur, non minus naturale eſt illis habere qualitates refractas, quam ſi ſecundò modo ſpectentur, ſit illis naturale, eſſe in loco ſurſum aut deorſum.

Dices quintò. ſi elementa manerent actu in mixto, ſequeretur formam mixti eſſe in multis inter ſe realiter diſtinctis, verbi gratia, in miſcibilibus; hoc fieri non poteſt, quia quæ ſpecie differunt continuari non poſſunt, vt docet Philoſophus 8. Phyſi. text. 65.

Reſpondeo diſtinguendo ſequelam. eſſe in multis inter ſe realiter diſtinctis, faciendo illa vnum, concedo ſequelam, non faciendo vnū, nego ſequelam. vt hæc diſtinctio intelligatur, aduerte miſcibilia in priori naturæ antequam educatur forma mixti de potentia miſcibilium ſiue ſubiecti, eſſe contigua, ideſt, habere immediatum contactum; vt autem contigua fiant continua, requiritur homogeneitas formæ; atque ita cum ponitur forma mixti in miſcibilibus, ſiue ea

ponatur per eductionem, ſiue non, ponitur homogeneitas formæ, ideſt, ponuntur miſcibilia habere eandem formam ſubſtantialem, & quæ antea erant contigua fiunt continua. explicatur à ſimili, exemplo deducto ex principijs aduerſariorum. Si vinum & aqua ponantur habere immediatum contactum, non erunt continua, ſed contigua duntaxat, quia non ſunt homogenea; ſed ſi vinum conuertatur, vt conuerti credunt aduerſarij, tunc fient continua. Quod ſi elementa conſiderentur non ſecundum quod informantur forma mixti, ſed prout ſingula ſunt talia entia partialia, non ſunt continua, ſed contigua duntaxat, quia vt ſic ſunt heterogenea, & hoc ſolum eſt quod voluit Ariſtoteles loco citato; quia tamen abſolutè loquendo in mixto habent eandem formam, abſolutè dici debent eſſe continua.

Dices ſextó. Ariſtot. 1. de generatione, text. 84. ait elementa non manere actu, ſicut corpus, & album, neque tamen diſtingui, quia virtutes eorum manent; & ſecundo de partibus, cap. 1. dicit mixtum conſtare potius ex virtutibus elementorum, quam ex ipſis elementis; virtutes autem elemenrorum vocat primas qualitates; & primo cœli, text. 32. ait elementa ineſſe mixtis poteſtate.

Reſpondeo Ariſtotelem textu illo 84. citato nolle virtutes elementorum manere in mixtis ſine entitate ſubſtantiali elementorum, hoc enim naturaliter eſt impoſſibile, dicit autem non manere actu ſicut, corpus, & album, ideſt, non eſſe entia vltimo completa, alteri formę non ſubordinata, quia, vt cum eodem Ariſtotele docuimus, elementa ſunt materia mixti, illiuſque formæ ſubordinantur. Ad illud autem quod addit elementa non corrumpi, quia ſaluatur virtus eorum, ſi virtutis nomine intelligamus qualitates, eſt demonſtratio à poſteriori, talis; Videmus in mixtis remanere vires & qualitates elementorũ, igitur ea corrupta non ſunt. Si autem nomine virtutis ipſam ſubſtantialem formam malumus intelligere, vt quidam interpretantur, argumentum eſt à priori, tale. manent formæ elementorum, ergo & elementa. quæ interpretatio, ſi conſulatur textus græcus, non modo nó videtur extorta, vt videri poteſt ſi attendamus vim lætinæ vocis, quá vſurpauit latinus interpres, ſed etiam valde ſimilis locutioni Ariſtotelicæ; Græcus enim textus habet, δύναμιν, quo vocabulo ſæpe apud Ariſtotelem ſignificatur primum ipſum principium efficacitatis. teſtis eſt Simplicius 2. de anima in text. 14. vbi Philoſophus vocat animam, δύναμιν καὶ ἀρχὴν, hoc eſt potentiam & principium. Ad 2. locum de partibus reſpondeo vſitatum eſſe Ariſtoteli, vt formas ſubſtantiales elementorum nominibus ſuarum qualitatum appellet; quod ita frequens ipſi fuit, vt quidam neque ignobiles Peripatetici putarint ſecundum doctrinam ejus primas qualitates eſſe formas ipſas ele-

mentorum; in quibus numerantur Alexander, & alij, apud Raguſæum in tomo Peripateticarum diſputationum, diſputatione 15. quare mirum non eſt, ſi hoc quoque loco dicat qualitates eſſe materiam ex qua ſunt mixta; nam alioqui cui venire poſſet in mentem primas qualitates ab Ariſtotele conſtitui materiam mixtorum. Vocauit ergo Philoſophus formas elementorũ potẽtias ipſorum, quod illi non inuſitatum eſſe oſtendimus, eaſque vt nominaret adhibuit nomina qualitatum elementorum. Sed, inquies, quare Philoſophus dixit formas elementorum eſſe materiam mixti, neque dixit potius ipſa elementa eſſe materiam mixti? Reſpondeo, quia materia prima, in eius ſententia, ex qua componuntur elementa, non eſt in ſe magis determinata vt ſit potius mixti, quam elementi materia; forma autem elementi eſt id cui immediatè conuenit eſſe principium mixtionis. ideoque vt explicaret ratione cujus habeat elementum vt ſit materia prima mixti, id tribuit ejus formæ. Reſpondeo ſecundo eo loco Ariſtotelem velle melius fortaſſe dici ex elementorum facultatibus eſſe mixtum, non tamen negare elementorum ſubſtantiã in compoſitionem mixti venire; ſed idcirco affirmare quod ad mixtionem non ſit ſatis, vt quidam veterum putarunt, elementa in minimas partes diuiſa juxta ſe collocari, ſed etiam neceſſe ſit ipſa per mutuam actionem & paſſionem ſuas ſibi facultates communicare; vt explicat illo loco Fœlix Accorombonius. ex his duabus reſponſionibus, prima facilior eſt, vtraque tamen ad mentem Ariſtotelis. Ad tertium locum dici poteſt Ariſtotelem ibi & alijs in locis, quibus aſſerit elementa eſſe in mixto in potentia, nolle elementa non eſſe actu in mixto, ſed ſolum velle ea non eſſe actu in mixto ſeparata & diſtincta, quia continuantur ratione formæ mixti; vel certe elementa reſpectu formæ mixti habere rationem potentiæ & materiæ, quod veriſſimum eſt, vt ex ipſomet jam vidimus. neque dicas cum aduerſarijs elementa in mixto eſſe ſuperflua, eo quod contineantur eminenter illorum formæ in forma mixti. nam primo hoc nihil facit ad explicandam rationem mixtionis, quia elementa, vt diximus, pertinent ad mixtum vt partes ejuſdem materiales. ſecundò vnde conſtat aduerſarijs formam mixti eminenter continere elementa. certe nulla forma eminenter continet ſuam materiam, cum qua debet conſtituere vnum per ſe. tertiò ad mixtionem explicandam non ſatis eſt qualitates elementorum manere in mixto, alioqui in vno elemento poſſent contineri cætera elementa, cum in eo poſſint qualitates omnium reperiri; hoc autem eſt apud Philoſophos inauditum.

*Alexander. Raguſæus.*

*Fœlix Accorombonius.*

Quæres qua ratione elementa maneant in mixto? in ſingulis ne particulis mixtis, an non? XII.

Reſpondeo omiſſis varijs dicendi modis, in ſingulis partibus ſenſibilibus mixti manere & reperiri omnia elementa, ex quibus compo-

nitur, poſſe tamen reperiri partes adeo exiguas & fere inſenſibiles, in quibus non omnia reperiantur. Ratio eſt quia ſi mixtum tale eſſet, vt omnes ejus particulæ omnia elementa haberent, nulla ratio eſſet, cur hæc pars porius quam illa, in hoc potius, quam in illud elementum, per reſolutionem abiret. Contra hunc modum explicandi duæ proponi poſſunt difficultates. prima eſt ex ea ſequi, non aliam eſſe mixtionem, quam juxta poſitionem illam Antiquorum quam impugnat Ariſtoteles. ſecunda, quamlibet particulam mixti non eſſe mixtam; negamus enim in quavis particula ineſſe omnia miſcibilia. Verum ad primam reſpondeo nos non facere mixtionem ad ſenſum, quam, Ariſtoteles impugnans Empedoclem, rejecit; nam ille ponebat mixtionem fieri per juxta poſitionem elementorum, neque agnoſcebat vllam alterationem aut actionem aliam, niſi quod per poros vnius corporis, alterius corporis particulæ confunderentur; nos autem volumus elementa alterari, & poſt illam alterationem, in ea tanquam in materiam, introduci formam mixti. Ad illud quod dicitur ſecundo loco quamlibet particulam mixti non fore mixtam; Reſpondeo quālibet particulam non fore mixtam, hoc eſt, compoſitam ex quatuor elementis, ſed quamlibet particulā fore mixtam, hoc eſt, miſcendam cæteris elementis, & hoc ſenſu, quælibet particula mixti debet eſſe mixta. Neque idem eſt, miſceri, & componi ex miſcibilibus; Neque vnquam ait Philoſophus particulam quamlibet mixti eſſe mixtam, ſed temperati temperatam; hoc enim ſignificat verbum græcum quod craſim & temperaturam ſignificat. miſcentur igitur elementa, non quod ſeſe penetrent, ſed quod omnia & ſingula inter ſe confuſa, ſeſe ad certam craſim reducant. Sed, inquies, in hac ſententia videmur aſſerere omne corpus mixtum eſſe hæterogeneum quandoquidem in minimis mixti particulis ponimus diuerſa ſpecie elementa: at hoc videtur abſurdum, cum communiter Philoſophi diſcrimen ſtatuant inter homogenea & heterogenda. Reſpondeo rectè diuidi mixtum in homogeneum & heterogeneum, illudque dici heterogeneum, quod conſtat ex partibus quarum eſt diuerſa craſis; quemadmodum patet in diuerſis partibus animalis, quas ipſi etiam aduerſarij fatentur eſſe heterogeneas & diſſimilares ob diuerſitatem craſis & complexionis, quamvis negent pluralitatem formarum partialium: homogeneum vero mixtum eſſe, cujus omnes partes conſtant ſimili temperamento & craſi. Neque refert, quod ſecundum hanc ſententiam omne mixtum conſtet diuerſis elementis ſpecie differentibus, & conſequenter partibus ſpecie diſtinctis; Id enim non obſtat quin mixta quædam homogenea dici poſſint ob æqualitatem & ſimilitudinem temperamenti. Accedit quod quamvis pars mixti per ſe exiſtens, id eſt, quæ per ſe, à toto ſeparata, exiſtere poteſt, ſit ſimilis alteri quoad formam &

ſpeciem vltimam; eſt tamen prout inexiſtens ita ſimilis alteri, vt forma aliqua differat (ſuppoſito quod elementa formas habeant) voco autem partem inexiſtentem, partem aliquam minimam, ex elementis minime compoſitam, quæ per ſe extra totum nequit exiſtere. quod autem Philoſopho non repugnet in quovis mixto contineri partes materiales ſpecie differentes, ex eo certum redditur, quod elemento tanquam proprium tribuat, eſſe ita ſimplex, vt ſit indiuiſibile in alias ſpecies, quod denotat mixtum corpus vtique magis eſſe compoſitum quam corpus ſimplex.

Ex his omnibus probatum manet materiam primam non diſtingui ab elementis, & conſequenter nullam talem dari materiam, qualem ſibi finxit Ariſtoteles. contra cujus ſententiam præter dicta, multa diſputat Iacobus Martinus Conterraneus noſter apud Othonem Caſmannum in Marinarum quæſtionum tractatione Philoſophica pagina 33. 34. & 35. Ex quo habetur ipſa elementa ſimul ſumpta per modum vnius eſſe materiam primam adæquatè ſumptam mixti perfecti; ſeparatim verò ſumpta, eſſe materiam primam inadæquatè mixti perfecti, eo fere modo quo recentiores communiter Philoſophantur cum Scotiſtis de formis partialibus in ordine ad animam: ac proinde ridiculè obijci ex noſtra ſententia eſſe 4. materias primas. Quæſtio, hoc loco eſſe poſſet, an ſicut materia prima eſt actu in omnibus mixtis, ita omnia quatuor elementa ſint actu in ijſdem. Sed quæſtio eſt alterius loci. Breuiter tamen reſponderi poteſt ad mixtum perfectum conſtituendum requiri omnia 4. elementa, illaque eſſe mixti perfecti adæquatam materiam. Ita docet Ariſtoteles 2. de generatione textu 49. *Omnia*, inquit, *mixta corpora quæcunque circa medium locum ſunt ex omnibus compoſita ſunt ſimplicibus*. Cujus doctrinæ duplicem adfert cauſam Ariſtoteles. prima eſt, quia in mixtione requiritur terra, vt conſiſtat mixtum; requiritur aqua, vt recipiat figuram. ergo etiam alia duo corpora requiruntur. conſequentiam probat Ariſtoteles ex principijs ab antiquis, cum quibus ibi agit, conceſſis; quia, videlicet, generationes mixtorum fiunt ex contrarijs; ſed terra eſt contraria aëri, & aqua igni. ergo ſi mixtum fit ex terra, fiet etiam ex aëre; etſi fit ex aqua, fiet etiam ex igne. 2. Ratio Philoſophi eſt, quia ex ijs res naturales conſtant, ex quibus nutriuntur, ſed omnia mixta nutriuntur ex omnibus elementis. ergo &c. Minorem oſtendit exemplo Plantarum, quæ non tantum terra, aqua, aëre, verum & exhalationibus igneis augmentum capiunt. XIII. *Iacobus Martinus*.

# QVÆSTIO SECVNDA.

## *An materia prima habeat propriam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia formæ?*

I. *Prima ſententia S. Thomæ materiam non habere exiſten. propriã.*

HANC quæſtionem inſtituimus tantum, vt ſciatur, quid, ſuppoſita communi ſententia de materia prima, nimirum Ariſtotelica, de ea dicendũ ſit. ſuppoſita ergo diſtinctione materiæ primæ ab elementis controuerſia eſt, nec leuis, inter D. Thomam & Scotum, an illa habeat propriam exiſtentiam quam non accipiat à forma. Negat D. Thomas prima parte quæſt. 7. art. 2. ad 3. & quæſt. 44. art. 2. ad 3. & quæſt. 4. de potentia art. 1. & poſt ipſum communiter ejus diſcipuli; quos ſequuti ſunt Zabarella lib. 2. de materia cap. 4. Valeſius controuerſia 7. ad Tyrones, Collegium Complutenſe diſput. 3. Phyſicæ quæſt. 5. & alij. Affirmat Scotus noſter in 2. diſt. 12. quæſt. 1. & 2. & alibi ſæpe, quem ſequuntur omnes ejus diſcipuli; &, quod mirum eſt, Nominales omnes; & ex recentibus Pererius lib. 5. Phyſicæ cap. 13. Toletus 1. Phyſ. quæſt. 17. Valentia 1. parte diſput. 3. quæſt. 1. puncto 2. Fonſeca, Molina, Suarius, Baranzanus, & alij. Ad quæſtionis deciſionem.

*Secũda ſententia Scoti habere.* *Pererius.* *Baranzanus.* *Valentia.*

II. Præmitto inter citatos authores controuerſiam eſſe; an materia dici debeat pura potentia ad quam quæſtionem explicandam, duo ſuppono. Primum eſt potentiam eſſe duplicem, aliam actiuam, aliam paſſiuam. Potentia actiua definitur ab Ariſtotele 5. Metaph. tex 17. & 9. Metaph. textu 2. principium tranſmutandi aliud quatenus aliud. Paſſiua vero definitur principium tranſmutandi ab alio, in quantum eſt aliud. Secundum eſt, cuicunque potentiæ opponi aliquem actum; potentia enim alicujus actus eſt potentia, & actus alicujus potentiæ eſt actus; quare potentiæ paſſiuæ reſpondet actus formalis qui in illa recipitur; actus autem formalis eſt forma aliqua, vel ſubſtantialis, vel accidentalis; potentiæ autem actiuæ reſpondet actus, ſeu res quæ ab ipſa producitur; Rurſus potentia paſſiua opponitur potentiæ actiuæ; & potentia actiua opponitur paſſiuæ; omne enim quod patitur ab alio, & recipit aliquid ab illo, prius potens eſt illud recipere, & omne quod producit aliud, prius potens eſt illud producere; Cum ergo omne quod non exiſtit, & poteſt exiſtere, habeat aliquo modo potentiam paſſiuam ad recipiendum eſſe ab aliquo agente; quæ potentia nihil aliud eſt ex parte rei poſſibilis produci, niſi non repugnantia ad eſſendum ab alio, & ex parte agentis virtus ipſius productiua, ſe-

quitur

quitur materiam primam antequam ſit actu habere etiam hanc potentiam; hæc autem potentia appellatur potentia objectiua, quia eſt objectum productionis agentis vt agens eſt. Poſtremo cum omni potentiæ reſpondeat, vt diximus, aliquis actus, tam potentiæ actiuæ quatenus refertur ad id quod per ipſam poteſt produci, quam potentiæ objectiuæ quatenus refertur ad id quod eſt ejus actus, debet reſpondere aliquis actus; hic autem actus non poteſt eſſe determinatè actus formalis; quia multa ſunt in potentia objectiua, ſiue quod idem eſt, multa produci poſſunt, quæ non ſunt forma, vel ſubſtantialis, vel accidentalis; & conſequenter dabitur aliquis alius actus latius patens quam actus formalis, qui actus egregiè à doctore ſubtili, actus entitatiuus nuncupatur, quicquid in contrarium clamitent Rubius, aliique recentiores. Et ratio appellationis eſt, quia conuenit omni enti exiſtenti, vnde & alio nomine dicitur exiſtentia. Quod ſi inquiras, ad quam potentiam reducatur objectiua potentia? Reſpondeo reduci poſſe ad potentiam actiuam agentis, quatenus ipſa potentia actiua agentis eſt illud reale exiſtens per quod cauſaliter ſaltem res poſſibilis denominantur poſſibilis. Deinde dico poſſe reduci ad potentiam paſſiuam, quatenus non repugnantia rei ex vi alicujus actionis, eſt potentia quædam impropria ad exiſtendum, vel concipitur admodum potentiæ paſſiuę, quæ poſſit recipere actum entitatiuum ab agente, qua etiam de cauſa, dicitur potentia Logica, non Phyſica.

*Scotus.* *Reijcitur Rubius.*

III. Dicendum eſt mihi probabilius videri, materiam primam habere propriam exiſtentiam, nec illam à forma recipere. Eſt hæc concluſio communis Theologorum ſententia, & adeo clara quibuſdam viſa eſt vt Henricus quodlibeto 1. quæſt. 10. contrariam vocet *Imaginatiuam*; Cardinalis Contarenus lib. primò de elementis in *Intelligibilem*; Redemptus Baranzanus hoc loco fere *improbabilem*. Eſt etiam Peripateticorum, imprimis enim Ariſtoteles 7. Metap. cap. 3. comparauit materiam cum forma, acſi perfectiori modo eſſet ſubſtantia: exiſtimauit igitur eſſe aliquam ſubſtantiam actu extra cauſas. Et 12. Metap. cap. 3. appellat *hoc aliquid*, quia, eſt aliquid actu. Alibi etiam tribuit illi incorruptibilitatem & plurimas alias affectiones, quæ tribui non poſſunt niſi ſubſtantiæ quæ actu eſſet. Philoponus in explicatione capitis ſeptimi ait formam exiſtere potius ratione materiæ, quam contra: præterea aſſerit materiam non poſſe ſeparari à forma, eſſe tamen *aliquid actu*, *& per ſe*, ac propterea poſſe eſſe principium rerum naturalium. Themiſtius in quadam ſua digreſſione de poteſtate materiæ primæ, ita loquitur: *ſi nulla omnino poteſtas ad illius rationem pertinet, eſt igitur aliqua ſubſtantia actu*. Simplicius in explicatione cap. 9. interpretatur materiam eſſe propemodum ſubſtantiam *quia eſt pars ſubſtantiæ, non quod ſola poteſtate ſub-*

*Henricus.* *Card. Cōtarenus.* *Redemptus Baranzanus.* *Philoponus.* *Themiſtius.* *Simplicius.*

*Auerroes.* *ſtantia ſit.* Auerroës quamuis in interpretatione cap. 7. primi Phyſ. dicat hanc intercedere diſtinctionem, inter priuationem, & materiam; quod priuatio ſit non ens, materia non ens actu, ſed ens poteſtate; tamen 4. Phyſ. commento 59. interpretatur materiam eſſe poteſtate ſubſtantiam; *quia eſt poteſtate hoc aliquid, ſiue ſubſtantia conſummata.* *Plotinus.* Plotinus Ennade 2. in qua diſputat de materia aſſerit eſſe ſubjectum omnium rerum, & cenſeri potius ſubjectum quam quantitatem, vel qualitatem, vel aliquid aliorum. *Plato.* Plato etiam cum in principio Timæi conſtituat duo principia rerum, Deum tanquam cauſam efficientem, & materiam primam tanquam ſubjectum, non potuit dubitare eſſe ſubſtantiam actu: Quod ſi aliquando videatur dicere eſſe non ens, nihil aliud voluit, quam, quia nomen entis propriè tantum tribuitur ijs quæ verè exiſtunt in certa aliqua ſpecie, materiam primam dicit non ens, non quod nihil ſit actu, ſed quod non ſit res naturalis perfecta. *Marſilius Ficinus.* Deinde (vt interpretatur Marſilius Ficinus Enneade 2. Plotini lib. 4. cap. vltimo, quia putauit Plato vnum latius patere ente, quod ens nempe conſtet quadam vnione partium, negauit multis nomen entis quæ tamen verè exiſtebant vt partes: Interpretatur etiam Plotinum dum materiam primam dicit eſſe puram potentiam, quod loquatur tantum comparatione quadam ad formas.

IV. *Concluſionis. Prima probatio.* Probatur concluſio primo. ſi materia non habet propriam exiſtentiam, diſtinctam ab exiſtentia formæ; ſequitur in compoſito, præter exiſtentiam formæ materialis, nullam dari aliam exiſtentiam; ſed hoc eſt abſurdum. ergo abſurdum eſt, &c. ſequela, Majoris clara eſt, & vt talis, ab aduerſarijs conceditur. Minor probatur. quia ſi in compoſito materiali, verbi gratia, non eſt alia exiſtentia, præter exiſtentiam formæ materialis, quemadmodum agens naturale concurrit ad productionem formæ materialis, & conſequenter ad ejus exiſtentiam, concurret & ad exiſtentiam materiæ; ſiquidem eadem penitus eſt, & conſequenter vi agentis naturalis producetur materia extra cauſas; quandoquidem tunc ponitur extra cauſas, ſeu producitur res aliqua, cum accipit exiſtentiam, ergo Agens naturale creabit materiam, & conſequenter non ſolus Deus; quod quam ſit alienum à Philoſophia, viderint aduerſarij.

*Probatio ſecunda.* Probatur ſecundò. ſi materia exiſteret per exiſtentiam formæ, ſequitur vna forma recedente, & alia noua adueniente, corrumpi materiam; conſequens abſurdum eſt, ergo & antecedens. Sequela majoris clariſſima eſt, quia per receſſum cujuſcunque formæ, amitteret exiſtentiam, quam ab illa forma habebat; hoc autem eſt corrumpi.

*Aduerſariorum Reſponſio.* Reſpondent aliqui vt aliquid dicatur corrumpi, non ſatis eſſe, ſi quomodocunque exiſtentiam amittat; ſed requiri, vt eo inſtanti quo vnam amittit, aliam non acquirat; quod, aiunt, non accidere ma-

teriæ, quæ, eodem inſtanti, quo vnam amittit, aliam accipit, quæ aliam etiam exiſtentiam tribuit.

Sed hæc reſponſio cum Thomiſtarum principijs ſtare nullarenus poteſt, quod ſic oſtendo. Volunt Thomiſtæ omnia accidentia compoſiti perire, & alia aduenire, quoties corrumpitur compoſitum; exempligratia, ſi occidatur aliquis, dicunt omnia accidentia quæ erāt in viuo, iſtanti mortis perire, & noua ſimilia produci in mortuo, idque eo ipſo, quod defectu ſubjecti amittunr accidētia exiſtentiam antiquam, & nouam accipiunt à nouo compoſito, ergo ſi conſequenter Philoſophati voluerint, dicere quoque debent, & quidem à fortiori, quoties materia prima nouam accipit formam, & antiquam amittit, toties corrumpi, quandoquidem toties exiſtentiam amittit. Addidi, à fortiori, quia, ſine dubio, multo major eſt, in ſententia Thomiſtarum, dependentia materiæ à forma, quam accidentium à ſubjecto; ſiquidem accidentia ſaltem virtute diuina poſſunt ſine ſubjecto exiſtere, vt manifeſtum eſt in ſanctiſſimo ſacramento; non poteſt autem, in eorundem Thomiſtarum ſententia, diuina virtute exiſtere materia ſine forma. *Confutatur prædicta reſponſio.*

Probatur tertiò concluſio eodem argumento applicato ad generationem. Si materia haberet tantum exiſtentiam per formam, ſequeretur adueniente noua forma, de nouo creari materiam; acquireret enim nouam exiſtentiam; hoc autem dici nequit, ergo, &c. Neque refert quod materia antea habuerit aliam formam, cujus beneficio extiterit. Non, inquam, refert; quia, vt aliquid abſolutè creetur, non eſt neceſſarium, vt ante non fuerit, ſed ſufficit, ſi nouo quodam concurſu, accipiat exiſtentiam independenter à ſubjecto; vt patet in anima rationali quæ per creationem accepit eſſe, quam ſi Deus Opt. Maximus noua actione inciperet nunc conſeruare, ſiue prior actio creatiua periret, ſiue non, verè crearetur, quia noua hæc actio verè eſſet creatio: ſed quoties noua forma aduenirer, toties materia acciperet exiſtentiam nouam, nouo concurſu independente ab omni ſubjecto, ergo toties verè crearetur. *Probatio tertia.*

Probatur quartò. ſi vna tantum exiſtentia eſt in vno compoſito, & tam materia, quam forma, habent eandem exiſtentiam; cum materia producitur cum aliqua forma, (vt ſemper produci dicunt aduerſarij, ita vt ne diuina virtute aliter fieri poſſit) quæro vtrum vtraque per eandem omnino actionem producatur, an per diuerſam? Non per eandem, quod ſic oſtendo; Productio formæ materialis ordinariè eſt eductio, natura ſua à ſubjecto pēdens; productio vero materiæ, ſemper natura ſua eſt independens à ſubjecto, cum ſit creatio, ergo hæ duæ productiones non ſunt vna productio, ergo vlterius non fiunt materia & forma per eandem actionem. Nec etiam fiunt per diuerſas *Probatio quarta.*

productiones vel actiones, cum fieri non poſſint per diuerſas, niſi exiſtentiæ ad quas terminantur ſint diuerſæ; nam creatio propterea eſt creatio, hoc eſt, diſtincta actio à quacunque alia; quia terminatur ad rem ſeu ad exiſtentiam ab alio tanquam à ſubjecto independentem; Eductio vero propterea eſt eductio, quia terminatur ad entitatem ſeu exiſtentiam à ſubjecto dependentem; quæ vnica ratio eſt, cur implicet contradictionem animam rationalem educi ex ſubjecto; quia nimirum per ſolam creationem fieri poteſt, Ergo cum exiſtentia formæ materialis ſit à ſubjecto dependens, terminare non poterit actionem creatiuam materiæ, Ergo admittenda neceſſario eſt in materia aliqua alia exiſtentia quæ ſit illi propria, ejuſque actionem creatiuam terminet, ergo datur in materia exiſtentia diſtincta ab exiſtentia formę, neque habet ſuam exiſtentiam à formà. multa alia argumenta breuitatis gratia prætereo.

*Aduerſariorum argumenta proponuntur & diluuntur.*

Obijcies primò cum Thomiſtis. Ariſt. ſæpe vocat materiam puram potentiam & 1. de generatione textu ij. vocat materian non ens actu, & textu 12. ait res fieri ex nihilo actu, & rexru 22. dicit materiam in omnibus rebus eandem eſſe, ſed in omnibus rebus non habere idem eſſe: Quæ omnia intelligi non poſſunr, ſi materia habet propriam exiſtentiam, quam non accipiat à forma, ergo accipit propriam exiſtentiam à forma.

Reſpondeo hæc loca nihil aliud probare, quam quod ſupra dictum eſt, materiam videlicet, eſſe puram potentiam Phyſicam, id eſt, eſſe puram potentiam reſpectu omnis formæ Phyſicæ; non ens actu, id eſt, actu Phyſico; non habere in omnibus idem eſſe, hoc eſt diuerſa ratione in diuerſis compoſitis denominari, ratione diuerſarum formarum quas habet; modo enim dicitur materia habere eſſe aqueum, modo ignum, &c.

Obijcies ſecundò. datur purus actus, videlicet, Deus, qui nullam inuoluit potentialitatem, ergo datur pura potentia illi oppoſita quæ nullum penitus actum includere poſtulet; hujuſmodi potentia non poteſt eſſe niſi materia, ergo materia eſt pura potentia, nullum penitus actum etiam entitatiuum ſiue exiſtentiam includens.

Reſpondeo negando paritatem; quia pura potentia poſita in actu extra cauſas implicat contradictionem; haberet enim, & non haberet actum; non haberet ex hypotheſi, haberet quia haberet exiſtentiam, quæ eſt actus.

Obijcies tertiò. forma dat eſſe materiæ; ſimiliter per formam materia conſtituitur in certa ſpecie, ergo habet à forma exiſtentiam, ergo non habet à forma propriam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia formæ.

Reſpondeo formam dare materiæ eſſe perfectum & comple-

tum, faciendo cum illa vnum compoſitum; non vero dare illi eſſe incompletum, quod eſt ipſi materiæ proprium. ſimiliter per formam materia conſtituitur in ſpecie completa; non vero in ſua propria ſpecie.

Obijcies quartó. materia cognoſcitur per formam, ergo habet ſuum eſſe per formam, ergo habet à forma exiſtentiam.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens, ergo habet ſuum eſſe per formam tanquam per terminum habitudinis quam materia dicit ad formam, concedo conſequentiam; tanquam per aliquid pertinens ad intrinſecam entitatem materiæ; nego conſequentiam: materia ergo cognoſcitur per formam, ſicut multa alia relatiua cognoſcuntur per ſuum terminum, & ſicut ipſa forma cognoſcitur per materiam.

Obijcies quintó. ſi materia haberet propriam exiſtentiam & actum entitatiuum, eſſet actus & cauſa diſtinctionis in rebus naturalibus; conſequens eſt abſurdum, ergo &c ſequela patet, quia actus eſt qui diſtinguit ex Ariſtotele 7. Metaph. text. 47. minor probatur, quia omnia ſecundum materiam ſunt vnum.

Reſpondeo materiam eſſe cauſam in ijs quæ materia conſtant, cur res materiales diſtinguantur inadæquatè & numericè; non vero ſpecificè & adæquatè: adæquatè enim res materiales diſtinguntur materialiter tamen ab alijs per formam atque materiam; ex quo etiam ſequitur materiam eſſe certum determinatiuum incompletè tantum & imperfectè.

Obijcies ſextó. ex ſancto Auguſtino in libris confeſſionum, & alibi ſæpe, materia eſt propè nihil, ergo non poteſt habere propriam exiſtentiam.

Reſpondeo hoc intelligendum eſſe, vt ſupra notaui ex Marſilio Ficino, per comparationem ad formas, reſpectu quarum videtur eſſe quaſi nihil. *Marſili. Ficinus.*

Obijcies ſeptimó. exiſtentia eſt nobiliſſimus effectus, ergo debet eſſe à nobiliſſima cauſa, ergo debet eſſe à forma, ergo materia non habet propriam exiſtentiam, ſed illam haberà forma.

Reſpondeo à quibuſdam negari antecedens; volunt enim eſſentiam eſſe nobiliorem exiſtentia; & tamen aduerſarij nolunt eſſentiam materiæ haberi à forma. Sed quia hoc eſt controuerſum. Reſpondeo ſecundo, tranſeat quod exiſtentia ſit nobiliſſimus effectus; exiſtentia tamen materiæ non eſt nobiliſſimus effectus abſolutè & ſimpliciter, ſed eſt nobiliſſimus inter ea quæ habet materia. neque hinc ſequitur quod debeat illam habere à forma; habet enim à Deo qui longè nobilior eſt forma.

Obijcies octauó. omnis actus per ſe exiſtens eſt ſubſtantia com-

pleta; ſed materia prima non eſt ſubſtantia completa, ergo non eſt actus, ergo pura potentia.

Reſpondeo æquiuocationem eſſe in illa particula, *per ſe*; per ſe enim aliquando ſignificat aliquid completum, perfectum, & omnino independens ab alio, neque vlli intrinſecè ſubordinatum, & hoc modo materia non eſt ens per ſe exiſtens: aliquando vero per particulam, *per ſe*, intelligitur illud quod non eſt per aliud, ſed per propriam entitatem; & hoc modo materia eſt ens per ſe, ideſt per propriam & non per alienam exiſtentiam.

Obijcies nonó. ſi materia haberet propriam exiſtentiam, non poſſet ex materia & forma fieri vnum per ſe; conſequens eſt abſurdum, ergo & antecedens. Sequela majoris probatur ex communi illo principio, ex duobus entibus in actu non poteſt fieri vnum per ſe; atqui ſi matetia haberet propriam exiſtentiam, materia & forma eſſent duo entia in actu, ergo ex illis non poſſet fieri vnum per ſe.

Reſpondeo ex duobus entibus in actu completo & non amplius perfectibili; non poſſe fieri vnum ens per ſe; fieri tamen poſſe ex duobus entibus in actu incompleto, quorum vnum ſit perfectibile in aliquo genere, verbi gratia, in genere ſubſtantiali, & alterum perfectiuũ in eodem genere, vnum ens per ſe. Patet hoc euidenter in gradibus Metaphyſicis, ex genere enim & differentia fit vnum ens per ſe, quia genus quamvis ſit ſubſtantia in aliquo ſenſu completa abſolutè tamen eſt vlterius perfectibile à differentia.

Obijcies decimò. ſi materia haberet propriam exiſtentiam, ſequererur in compoſito eſſe duas exiſtentias, materiæ, nempe & formæ; conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. minor probatur, quia exiſtentia proportionatur eſſentiæ, ergo ſicut in compoſiro eſt vna tantùm eſſentia, ita etiam vna tantum exiſtentia. Neque reſponderi poteſt quod ſint duæ exiſtentiæ partiales quæ faciunt vnam exiſtentiam totalem. hoc, inquam, reſponderi non poteſt; ſi enim hoc admittatur, vna exiſtentia debet eſſe actus reſpectu alterius, & alia debet eſſe potentia; vna debet recipere, alia recipi; hoc autem dici non poteſt, quia exiſtentia materiæ eſt actus eſſentiæ materiæ, & eſſenria materiæ eſt potentia reſpectu illius; & exiſtentia formæ eſt actus eſſentiæ formæ, & eſſentia formæ reſpectu illius eſt potentia: nec habent vllam rationem actus niſi reſpectu eſſentiarum quæ ab illis actuantur & reſpectu nullius poſſunr habere rationem potentiæ.

Reſpondeo in compoſito eſſe duas exiſtentias partiales, alteram materiæ, & alteram formæ, quæ componunt vnam exiſtentiam toralem, ſicut etiam in compoſito ſunt duæ eſſentiæ partiales quæ componunt vnam eſſentiam totalem. Ad id quod ſubijcitur, dico materiam exiſtentem, ſeu materiam extra cauſas, eſſe ſubjectum Phyſicum formæ;

& formam extra cauſas, eſſe actum Phyſicum materiæ; actus autem Phyſicus debet realiter recipi in exiſtentia potentiæ. Quæres exiſtentia formæ, in quo recipitur formaliter loquendo? Reſpondeo immediatè recipi in eſſentia ipſius formæ receptione Metaphyſica, receptione autem Phyſica immediatè recipi in materia exiſtente, ſiue in exiſtentia materiæ, & conſequenter abſolutè loquendo mediatè tantum in exiſtentia materiæ, mediante nimirum eſſentia formæ, in qua immediatè recipitur. Deinde addo exiſtentiam formæ, & materiæ, comparari inter ſe aliqua ratione, tanquam perfectiuum, & perfectibile; quia exiſtentia formæ intelligitur actuare & perficere exiſtentiam materiæ, licet non ea ratione, vt ex ijs ſub tali conſideratione acceptis, reſultet vnum ens per ſe; ſicut reſultat vnum per ſe ex materia & forma acceptis ſecundum eſſentiam; exiſtentia enim rei createę non eſt prędicatum ipſius intrinſecum & per ſe. idem dicitur alijs verbis, exiſtentiam videlicet materiæ, & exiſtentiam formæ, non facere vnum per ſe immediatè, ſed ſolum mediatè, hoc eſt, non facere vnum per ſe ratione ſui præciſè, ſed tantum ratione eſſentiarum, cum quibus conjunguntur.

Dices ſi exiſtentia formæ realiter recipitur in exiſtentia materiæ, facit formaliter illam exiſtere, ergo exiſtentia materiæ formaliter exiſtit per aliam exiſtentiam.

Confirmatur quia de compoſito illo exiſtente, conflato ex duabus exiſtentijs partialibus prædicaretur eſſentialiter exiſtentia; eſſentialiter enim componeretur ex vtraque exiſtentia, & ſine illis non poſſet intelligi; hoc autem eſt abſurdum, quia vni Deo conuenit eſſe ens eſſentialiter exiſtens.

Reſpondeo exiſtentiam materiæ ſimul cum exiſtentia formæ exiſtere complete, hoc eſt, exiſtere compoſitum exiſtentia completa, & compoſita ex duabus exiſtentijs incompletis; vnde diſtinguendum eſt antecedens, exiſtentia formæ facit formaliter exiſtentiam materiæ exiſtere, in ratione exiſtentiæ materiæ, nego antecedens; in ratione exiſtentiæ compoſiti, atque exiſtentiæ completæ, concedo antecedens. Pari ratione dicimus eſſentiam formæ facere, vt eſſentia materiæ ſit eſſentia completi, hoc eſt, compoſiti; non tamen facere vt eſſentia materiæ, ſit eſſentia materiæ. Ad confirmationem reſpondeo primo retorquendo illam in aduerſarios: quia compoſitum exiſtens per vnicam exiſtentiam formæ quatenus tale eſt, eſſentialiter eſt exiſtens per vnicam exiſtentiam; ſed eſſe eſſentialiter exiſtens per vnicam exiſtentiam eſt proprium Dei, non autem per duplicem exiſtentiam, ergo compoſitum non poteſt exiſtere per vnicam exiſtentiam formæ. Reſpondeo ſecundò directè Deo conuenire vt in ſua definitione & eſſentia inuoluatur exiſtentia, quod non poteſt conuenire eſſentiæ vllius

creaturæ: ſi vero conſideretur creatura exiſtens, vt exiſtens eſt, omnibus rebus conuenit eſſentialiter exiſtere, ſicut album vt album eſſentialiter eſt album.

VI.

*Oſtenditur etiam iuxta Thomiſtarum principia materiam poſſe per diuinam potentiam exiſtere ſine forma.*

Ex his omnibus patet, materiam poſſe per diuinam potentiam exiſtere ſine omni exiſtentia formæ: poſito enim quod materia habeat propriam exiſtentiam, nulla hac in re eſt implicantia. Quod etiam in Thomiſtarum principijs dicendum eſt, cum de facto in illorum ſententia, materia prima corporis Chriſti Domini exiſtat per ſolam exiſtentiam verbi, & non per exiſtentiam animæ Chriſti; quia iuxta ipſos, in Chriſto reperitur ſola exiſtentia verbi. Sed, inquies, materia ſeparata per Diuinam potentiam à forma, indigeret ne peculiari Dei concurſu ſupplente cauſalitatem formæ abſentis? Reſpondeo hoc pendere ex quæſtione, qua quæritur, an materia dependeat in exiſtendo à forma, in genere cauſæ formalis extrinſecæ. Ego exiſtimo dependere, & conſequenter indigere. ita ſentit Scotus 5. Metaph. cap. 11. in illa verba Philoſophi, *& inter ſe ſint mutuo cauſæ &c.* & ante ipſum Auerroës, & alij veteres quos ex recentioribus ſequuntur Rapinæus in Nucleo diſput. Philoſophic. diſput. 31. quæſt. 5. Luiſius Turrianus tractat. de gratia, pag. 307. & alij. Ratio breuitor eſt; quia omne ens potentiale & intrinſecè minus perfectum alio, habet modum exiſtendi minus perfectum magiſque dependens ab alijs, ſicut è contra, quo aliquod ens perfectius eſt eo minus dependet minuſque indiget, vnde Pſalmiſta Regius, Pſalmo 10. *Deus meus es tu quoniam bonorum meorum non neges.* ſed materia eſt ens potentiale & intrinſecè minus perfectum quam forma, ergo debet habere modum exiſtendi minus perfectum, ac proinde magis dependentem quam habeat forma; ſed omnis forma materialis dependet in exiſtendo à materia, ergo à fortiori materia dependebit in exiſtendo à forma. Confirmatur, quia illud perfectius participat rationem ſubſtantiæ, quod eſt magis per ſe, ergo ſi materia ponatur magis per ſe & independens quam forma, participabit perfectius rationem ſubſtantiæ, quod eſt abſurdum. Quicquid autem dicatur, parum refert ad ſolutionem propoſitæ quæſtionis.

*Si materia per diuinam potentiam ſepararetur à forma indigeret peculiari Dei concurſu.*

*Scotus.*
*Auerroes.*
*Rapinæus.*
*Turrianus.*

Sed inquies cum Hurtado, materia habet ſuum eſſe per creationem, creaturque immediatè à Deo, ergo habet eſſe ſiue exiſtentiam independenter à forma. Confirmatur, quia propterea anima rationalis manet ſeparata à materia, quia ejus creatio eſt à ſolo Deo, ſed etiam creatio materiæ primæ eſt à ſolo Deo, ergo perſeuerante concurſu illo quo accepit eſſe per creationem quantumuis formæ omnes auferantur, perſeuerabit in eſſe. Reſpondeo negando conſequentiam. Ad confirmationem dico diſparem valde eſſe rationem de materia prima & anima rationali, cum enim anima rationalis longè ſit perfectior

materia

materia, mirum non eſt, ſi poſſit exiſtere ſine materia, quamvis hæc viciſſim non poſſit ſine forma. Quare dico rationem cur anima rationalis exiſtere poſſit ſine materia, eſſe tum perfectionem ipſius animæ, tum actionem qua producta eſt, non vero ſolam actionem. Dices ſi materia dependeret in exiſtendo à forma, ſequeretur quodcumque agens quod introduceret formam in materiam, conſeruare mediatè materiam, per formam quam introducit; ſed hoc videtur abſurdum, ergo abſurdum pariter erit materiam dependere in exiſtendo à forma. Reſpondeo diſtinguendo majorem, ſequeretur quodcunque agens quod introduceret formam in materiam conſeruare materiam mediatè, in aliquo proprio genere cauſæ, vel effectiuè, nego majorem; per modum applicantis conditionem, concedo majorem: verum quid hinc ſequitur abſurdi? Fuſior hujus quæſtionis explicatio pendet ex quæſtione inferius agitanda, vtrum nimirum duæ cauſæ requirentes exiſtentiam poſſint ſe inuicem cauſare.

# QVÆSTIO TERTIA.

*An potentia materiæ ſit de eſſentia eiuſdem.*

I.

*Prima ſententia affirmans. Caietani. Gratia Dei. Ægidii. Suarii. Rubii. Piccolominei. Raconiſis & aliorum.*

ESSE de eſſentia materiæ potentiam ejuſdem ad formas ſubſtantiales exiſtimarunt Cajetanus 1. p. quæſt. 54. Dominicus de Flandria 7. Metaph. quæſt. 17. art. 2. Gratia Dei, & Ægidius hoc loco, ſequuti vt putant præceptorem ſuum, D. Thomam; quos ex recentioribus ſequuntur Suarius diſput. 17. Metaph. ſect. 8. num. 7. Conimbricenſes 1. Phyſ. cap. 9. quæſt. 3. art. 1. Rubius 1. Phyſ. tract. 1. de materia quæſt. 2. num. 7. Hurtadus diſp. 2. Phyſ. ſect. 2. §. 27. de Raconis in prȩludijs Phyſ. diſp. 2. art. 3. num. 2. propoſit. 2. Piccolomineus lib. 1. de materia, cap. 10. Fonſeca, & alij recentiores communiter.

II.

*Secunda ſententia negans. Simplicii. Themiſtii. Alexandri. Auerrois. Alberti. Ianduni. Zimaræ. Zabarellæ. Mercenarii. Pererii. Dandini, & aliorum.*

E contra non eſſe ſentiunt communiter Peripatetici, Simplicius, & Themiſtius 1. Phyſ. text. 61. Alexander 2. naturalium quæſt. cap. 7. Albertus 1. Phyſ. tract. 3. cap. 3. Iandunus, Zimara, & alij Auerroiſtȩ, poſt Auerroëm 1. Phyſ. comm. 71. & de ſubſtantia orbis cap. 1. quos ex recentioribus ſequuntur Zabarella lib. 1. de materia cap. 9. Archangelus Mercenarius lib. 2. dilucidationum, Pererius lib. 5. ſuæ Phyſ. cap. 21. & 22. Dandinus, Toletus, & alij, cum quibus.

Dicendum eſt quod quamvis ratio potentiæ formaliter ſumpta non diſtinguatur realiter à materia, & ideo Phyſicè & realiter dici poſſit materiȩ eſſentialis, non poteſt tamen Metaphyſicè dici illi eſſentialis, nec ejus conceptum primarium & quidditatiuum, ſeu quod

*Concluſio authorum.* idem eſt, in ptimo modo dicendi per ſe ingredi, niſi fundamentalitet ſumatur. hæc concluſio defendi debet ab omnibus qui negant relationes eſſentiales rebus abſolutis, quos in Logicis diſputationibus dum ageremus de relatione, citauimus. Antequam autem probetur, aduerto duplicem eſſe potentiam materiæ, vnam quæ conuenit materiæ in ſe; altetam quæ illi conuenit, non quidem præciſe', ptovt eſt in ſe, ſed ptovt eſt ab agente deſtinata ad hanc vel illam formam. Prior *Duplex potentia acceptio explicatur.* potentia dicitut prima, vniuetſalis, indetermita, remota & confuſa, & à matetia inſeparabilis, eſtque aptitudo quædam poſitiua, qua materia prima apta eſt tecipere fotmas ſubſtantiales tanquam compartes compoſitorum, quæ ſimul conſtituere debent. Secunda potentia appellatut particularis, detetminata, propinqua, diſtincta, & à materia ſeparabilis eſt; eſt enim aptitudo ptoxima, qua materia apta eſt recipere hanc vel illam formam. Sed de ſecunda hac potentia non agimus hoc loco; conſtat enim illam eſſe accidens quoddam ſepatabile à materia. Difficultas etgo præſens eſt de prima potentia; Cujus adhuc duplex eſt diſtinguenda acceptio; ſumitur enim primo fotmaliter, provt dicit habitudinem quandam & potenriæ reſpectum ad actum; & ita eſt tantum proprietas, non differentia eſſentialis conſtituriua: ſecundo fundamentaliter, radicaliter, ſeu ſubjectiuè pro entitate abſoluta materiæ vt eſt fundamentum & radix relationis potentiæ quæ eſt ad formas. Neque hoc mirum videti debet, cum omnes Philoſophi concedant ipſum rationale in homines ſi ſumatut formaliter, eſſe tantum potentiam ratiocinandi atque adeo proprietatem hominis: ſi vero ſumatut fundamentaliter pro radice talis ptoprietatis eſſe verant differentiam conſtitutiuam & eſſentialem, hoc prænotato.

Prima pars concluſionis ptobatur, nempe potentiam teceptiuam matetiæ, non eſſe qualitatem Phyſicam ab ipſa materia realiter diſtinctam, quia ſi eſſet qualitas realiter diſtincta poſſet illam Deus ſeparare à matetia, & tamen illi materiæ vnire formam ſubſtantialem, *Probatio primæ partis concluſionis.* cum qua proculdubio facetet vnum per ſe, ergo jam ſine illa qualitate realitet ſuper addita, materia eſſet potentia; vnum enim ſubſtantiale per ſe non fit ex Ariſtotele, niſi ex potentia & actu. ptæterea, ſi potentia formalitet ſumpta Phyſicè & realiter differret à materia, ideo eſſet, quia materia per illam debet poſſe recipere alias formas; ſed ſi hoc eſſet verum, ponenda etiam eſſet alia potentia ad hanc ipſam potentiam recipiendam, quia materia debet poſſe recipete illam potentiam realiter diſtinctam; ſed, vt volunt aduetſarij, omne poſſe recipere eſt Phyſica qualitas, ergo ad illam potentiam realiter diſtinctam recipiendam, erit neceſſaria qualitas, & ſic in infinitum; vel certè ſi materia poteſt recipere illam qualitatem ſine alia potentia ſuper addita, cur eodem modo non poterit tecipere fotmas ſubſtantiales.

*Aduerſariorum reſponſio.*

Reſpondebis pro aduerſarijs hanc potentiam eſſe qualitatem neceſſariò ab eſſentia materiæ fluentem, ac propterea ad illam recipiendam non eſſe neceſſariam aliam qualitatem.

*Cõuellitur dicta reſponſio.*

Sed contra eſt, quia illud poſſe recipere, vel potentia receptiua, aut eſt qualitas Phyſica, aut non; ſi non, ergo potentia receptiua formarũ ſubſtantialium non eſt Phyſicè & realiter diſtincta à materia: ſi eſt, ergo cum materia habeat potentiam receptiuam ad illam qualitatem realiter diſtinctam, debet habere qualitatem ad illam qualitatem; potius igitur dicendum eſſet potentiam receptiuam, eſſe idem realiter cum materia, ſicut priuatio quæ eſt idem realiter cum aptitudine materiæ, eſt idem cum materia ex Ariſtotele. Denique vt ſe habet forma ad poſſe informare, ita materia ad poſſe informari; ſed formam poſſe informare, non eſt qualitas ſuperaddita realiter ipſi formæ, vt omnes, concedunt, ergo nec materiam poſſe informari erit qualitas ſuperaddita materiæ.

*Prima probatio. 2. partis concluſionis.*

Probatur ſecunda pars concluſionis, qua negamus potentiam materiæ formaliter ſumptam eſſe illi Metaphyſicè eſſentialem; Probatur inquam primò, authoritate omnium fere antiquorum, qui docent nullum relatum eſſe eſſentiale abſoluto; ac de Ariſtotele clarum eſt ex his quæ diximus in Logicis, dum impugnaremus relationes eſſentiales rebus abſolutis. Ariſtotelem ſecuti ſunt omnes interpretes, Themiſtius in ſua digreſſione de poteſtate materiæ primæ, qui ait materiam natura ſua eſſe quid abſolutum, affici verò poteſtate, quatenus ad formas refertur. Auerroës multis in locis, quamvis in libro de ſubſtantia orbis videatur dicere poteſtatem hanc eſſe de natura materiæ primæ, quod recentiores tamen ejus aſſeclæ præſertim Zimara interpretantur, non quod ſit de natura abſolutè, ſed quod ſit de natura quatenus ad formam refertur, quemadmodum de natura hominis quatenus refertur ad filium, eſt vt ſit pater. Idem docent Simplicius, Alexander, & alij qui clariſſimè aſſerunt materiam in ſuo primo & eſſentiali conceptu non includere potentiam, quod potentia ſit ad aliud, materia vero ſubſtantia, licet eam comitetur tanquam proprietas quarto modo, qua ſcilicet redditur materia potens ad recipiendas omnes formas, ſicut ex natura ceræ oritur flexibilitas qua cera redditur potens ad recipiendas omnes figuras.

*Themiſtius. Auerroes. Simplicius. Alexander.*

*2. Probatio. 2. partis concluſionis.*

Secundo ratione probàtur eadem ſecunda pars concluſionis, quia omnis ſubſtantia prius dicit ordinem ad ſe quam ad aliud, omis enim ſubſtantia debet per ſe exiſtere & habere exiſtentiam abſolutam; exiſtere autem per ſe, & in ſe, prius eſt quam referri alio, cum quo exiſtat; atque ideo referri aliò, materiæ vt ſubſtantia eſt, accidentarium eſt, non eſſentiale, cum non poſſit aliquod ens Metaphyſicè & eſſentialiter conflari ex abſoluto & relato, cum hæc duo ſibi contradicant, hoc ipſo quod dicunt, eſſe ad

aliud, & non eſſe ad aliud.

Confirmatur primò, quia materia eſt ens abſolutum quod ex omnium ſententia prius conſtituitur in ſe, quam ad aliud; quod autem conſtitutum eſt, ex genere & differentia conſtitutum eſt: ergo materia antequam intelligatur reſpicere formam, habet genus & differentiam ſuo modo: ens autem abſolutum prius in ſe conſtitui patet, quia hoc ipſo quod abſolutum eſt, includit quod ſit ſine omni alio, hoc enim ſignificat nomen abſoluti.

Confirmatur ſecundò. quia materiam referri ad formam, eſt ordinari ad illam tanquam cauſam receptiuam vel ſuſtentatiuam ad effectum quem ſuſtentat, ſed prius res habet eſſe in ſe quam referatur ad aliud tanquam cauſa ad effectum, vt patet inductione per omnia genera cauſarum, ergo, &c.

Confirmatur denique. potentia eſt poſſibilis prius ratione quam eius actus vel effectus, ergo in illo priori ab eo non pendet, & ſine eo poteſt concipi. Videri poſſunt quæ dicta ſunt in Logicis diſputationibus contra relationes eſſentiales rebus abſolutis.

Obijcies primò. potentia prædicatur in recto & eſſentialiter de materia; rectè enim dicimus, nec raro apud Ariſtotelem repetitur, materia eſt potentia; ergo potentia dici debet eſſentialis materiæ.

Reſpondeo etiam rectè nos dicere, materia eſt potens, eſt apta ad recipiendas formas, & tamen ſi materia eſt eſſentialiter potentia, id dici omnino nequit, & falſa eſſet prædicatio, ſicut falſa eſt hæc, albedo eſt colorata quia illa eſt eſſentialiter color: vtraque ergo prædicatio recta eſt, quatenus vel formaliter, vel fundamentaliter intelligitur potentia materiæ.

Obijcies ſecundò. non poteſt intelligi materia prima in ratione materiæ quin concipiatur, vt potentia paſſiua formarum ad quas à natura ordinatur tanquam pars; vnde ſi formæ eſſent impoſſibiles, materia receptiua illarum eſſet etiam impoſſibilis.

Reſpondeo poſſe intelligi aliquo modo abſolutam naturam materiæ, quæ fundat relationem potentiæ, & qua neceſſario prior eſt; cùm fundamentum prius ſit omni reſpectu in eo fundato: Quod ſi perfectè concipi nequeat illa, adſcribendum eſt imperfectioni ſtatus noſtri, in quo fere rerum eſſentias latentes, per accidentia venamur; vnde & à Platone dictum eſt, vt rectè notauit Simplicius primo Phyſicorum textu 9. materiam à nobis adulterina quadam ratione apprehendi, id eſt, non propria intellectione, ſed per comparationem ad alia cognoſci. & ſi vero illa à natura ordinata ſit ad formam, & per ordinem ad formam, concipiatur; tamen non minus ſecundum ſe cognoſci poteſt; Quemadmodum, inquit Zabatella, etiamſi conſilium naturæ in dando animalibus caput non fuerit vt eſſet ſpecies en-

tis, quæ per ſe exiſteret, ſed ſolum vt eſſet pars animalis; non inde tamen ſequitur, nullam aliam eſſe capitis eſſentiam, quam quæ in illa relatione conſiſtit, & caput eſſe vere & merè relationem; idipſum enim Ariſtoteles expreſſe negauit. Dicimus igitur caput eſſe ſubſtantiam ſecundum ſe, & hac ratione habere naturam abſolutam, quæ abſolutè & ſecundũ ſe, ſine vllo reſpectu, cõſiderari & cognoſci poſſit quoad ſtructuram & temperiem ipſi debitam; hanc tamen ſubſtantiam factam eſſe à materia propter animal, & vt eſſet pars animalis; Ideo ejus conſiderationem in ſcientia naturali, totam eſſe animalis gratia: ſic de materia prima dicendum eſt, in qua ponenda, conſilium naturæ non fuit, vt eſſet ſpecies entis exiſtens diſtincta ab alijs, ſed ſolum vt eſſet pars & principium omnium entium; id tamen non obſtar, quin poſſit ſecundum ſe abſolutè cognoſci, vt à nobis cognoſceretur, ſi omnes rerum naturalium formæ, æternæ & immutabiles eſſent, tunc enim nemo conſideraret materiam per ordinem & relationem potentiæ ad formam.

Obijcies tertiò. materia prima, etiam præciſa potentia formali quâ formas reſpicit, vt ſua complementa, remanet eſſentialiter incompleta, & complebilis; atq; adeo cum potentia paſſiua, ab eſſentia illius indiuiſa.

Reſpondeo non poſſe pręſcindi realiter potentiã à materia, cum ſit eadem omnino entitas cum materia; eſt enim materia realiter ens partiale & incompletum quod ex ſe petit compleri: Cæterum præciſa per rationem potentia, non remanet amplius formaliter potens; & ipſum eſſe incompletum materiæ quod remanet, non formaliter, ſed fundamentaliter ſumi debet in ratione potentiæ; quod mirum videri non debet.

# QVÆSTIO QVARTA.

*An totum diſtinguatur à partibus. vbi etiam agitur de vnione.*

QVÆRIMVS an in compoſito præter materiam & formam vnitas. detur tertia quædam entitas diſtincta à materia & forma non ſolum ſecundum ſe & ſolitariè ſumptis, ſed etiam ab ipſis vnitis. qua in re.

Prima ſententia eſt eorum qui dicunt totum non diſtingui niſi per rationem à partibus vnitis. Eſt ſententia Suarij, Rubij, Hurtadi, & aliorum recentiorum, qui pro eadem citant Nominales, & quoſdam *Prima ſententia Suarii, Rubii, Hurtadi, &c.*

veteres Peripateticos.

*Sententia Scoti.* Secunda ſententia & vera, eſt eorum qui exiſtimant totum nemine cogitante diſtingui à partibus vnitis. Eſt Scoti in 3. diſt. 24. Rapinæi in Nucleo diſput. Phyſ. diſput. 1. quæſt. 2. eſt etiam diui Thomæ ſi credimus Capreolo in 3. diſt. 2. quem ſequitur idem Caprolus ibidem, cum Heruæo quodlibeto 14. Cajetano, & alijs veteribus Thom. quos vide apud Aquarium dilucidatione 18. 7. Met. Et Perrerium lib. 7. Phyſicæ quæſt. 18. qui eandem problematicè tuetur.

*Rapinæi & Scotiſtarū, omnium, D. Thomæ, Capreoli, Heruæi, & reliquorum Thomiſtarum, Perrerii & aliorum.*

*Sententia Authoris.* Dicendum eſt, cum hac 2. ſententia totum diſtingui nemine cogitante à partibus vnitis.

*Eius prima probatio.* Probatur primò auctoritate Ariſtotelis 7. Metap. textu vltimo, vbi ait compoſitum eſſe ſyllabæ Ba. ſimile, non autem cumulo; ſyllabam vero, *ba*, ait non eſſe ipſa elementa, nec idem quod b. & a; nec carnem eſſe idem quod ignis & terra; & infra *eſt ergo*, inquit, *ſyllaba Ba aliquid, non ſolum elementa vocalia & muta* (pura ſimul vnita) id enim importat particula, *&*; *ſed etiam aliquid aliud, & caro non ſolum ignis & terra aut calidum & frigidum; ſed etiam aliquid aliud* & 2. de anima textu 2. numerat compoſitum vt diſtinctum à materia & forma; malè autem ſine addito diſtingueret totum à partibus, niſi eſſet à partibus diſtinctum. & 8. Met. textu 15. affirmat totum eſſe aliquid præter partes. (*omnium namque quæcunque partes habent*, inquit, *& non eſt totum quaſi coaceruatio ſed, ipſum totum eſt aliquid aliud præter partes.* Similia alia loca afferi poſſunt ex Ariſtotele quæ breuitatis cauſa omitto.

*2. Probatio.* Probatur ſecundò concluſio ratione, quia partes etiam ſimul ſumptæ alicujus totius non dicunt formaliter vnum ens, ſed potius multa; totum vero dicit formaliter vnum ens, ergo totum & partes ſaltem formaliter & nemine cogitante diſtinguntur, nam compoſitum eſt verè vnum ens indiuiſum & perfectum; partes vero vt ſic, nullam dicunt indiuiſionem, & per conſequens neque vnitatem ſubſtantialem; immo neque etiam quatenus vnitæ ſunt, quia cum hæc vnio ſit relatio realis neceſſario requirens extrema realiter nemine cogitante diſtincta, etiam quatenus vnitæ ſunt, nullam dicunt vnitatem ſubſtantialem, ſed ſunt extrema diſtincta.

*3. Probatio ex Doctore ſubtili.* Probatur tertiò. argumento Scoti. partes vnitæ componunt totum, ergo partes vnitæ non ſunt realiter totum. conſequentia patet, quia nihil componit ſeipſum, alioqui idem eſſet prius & poſterius ſe ipſo, ſimplicius, & magis compoſitum ſeipſo. Antecedens patet. Dixi autem in Antecedente, *vnitæ*, quia totum non fit ex partibus ſeparatis & diſiunctis, vt per ſe patet, ſed conjunctis, ergo partes vnitæ non ſunt realiter totum.

*Reſponſio Conimbricēſium.* Dices cum Conimbricenſibus eludi poſſe hoc argumentum, & reſ-

ponderi, partes non collectim ſumptas aut vnitas, ſed diuiſim & ſigillatim conſideratas componere totum; non quod partes illæ non ſint vnitæ cum conficitur totum, ſed quia vt vnitæ, non conficiunt, ſed vt ſigillatim accipiuntur.

Sed contra, quia partes illæ quamuis ſingulæ cumponunt, cum ſigillatim ſumptæ non componant; quia non componunt niſi cum alijs conjungantur, alioqui vna tantum pars componetet & eſſet totum, quo nihil abſurdius: at ſingulæ partes cum alijs junctæ ſunt partes vnitæ, ergo tantum vt vnitæ componunt ſicque ſemper manet vis argumenti. *Reiicitur dicta reſponſio.*

Dices ſecundò cum Suario, quamvis non componant niſi vnitæ tamen ſingulas etſi vnitas componere, quia in vnitis ſunt ſingulæ. *Alia reſponſio Suarii.*

Sed contra, quia hæc Suarij reſponſio non eſt ad rem; nam controuerſia non eſt, an ſingulæ componant, fateor enim ingenuè ſingulas componere, ſed dico cum partes ſingulæ, & partes vnitæ differant, ſingulas non componere ſigillatim ſumptas, ſed componere tantum vt conjunctas cum alijs, & conſequenter vt vnitas; vnde juxta noſtrum argumentum, ſemper ab illis vnitis, vt à partibus componentibus, nemine cogitante differet totum. *Confutatur.*

Probatur quartò, argumento etiam Scoti. ſi totum Phyſicum non differet nemine cogitante à partibus vnitis, totum Phyſicum eſſet totum per aggregationem, in quantum totum eſt ſimpliciter multa, vel quod idem eſt totum Phyſicum non eſſet vnum ens perſe, ſed eſſet multa; etenim ſi totum Phyſicum ſit realiter ſuæ partes, erit ſimpliciter multa, quia illæ partes ſunt multæ, etiam vt vnitæ ſunt; cum etiam vnitæ diſtinguantur inter ſe, vt dictum eſt; diſtinctio autem multitudinem demonſtrat: cum itaque totum per aggregationem ſit ſimpliciter multa, totumque Phyſicum, ſi non differat nemine cogitante à partibus vnitis, ſit etiam ſimpliciter multa, ſequitur totum Phyſicum non diſtingui à toto per aggregationem, quod eſt ridiculum. *Quarta probatio ex Scoto.*

Dices diuerſam eſſe rationem vtriuſque totius; ſiquidem partium in toto Phyſico, vna eſt actus, altera potentia, quæ aptæ ſunt facere vnum per ſe; at in toto per aggregationem partes non ita ſe habent ideoque tota illa non diſtinguntur. *Aduerſariorum euaſio.*

Sed contra, quia hęc reſponſio non prodeſt aduerſarijs, quamvis enim admittatur diſcrimen illud, non minuit tamen vim argumenti quo contendebamus totum eſſe ſimpliciter multa; quia partes compoſiti Phyſici, quamvis ſint actus & potẽtia, tamen non deſinunt eſſe ſimpliciter multa, quia, vt dixi, ſemper etiam vnitæ diſtinguntur inter ſe, & ſic totum Phyſicum in eo conueniet cum ente per aggregationem, quod ſit multa ſimpliciter, ſicut illud. quod autem dictum eſt in argumento partes compoſiti Phyſici eſſe aptas facere vnum, verum *Impugnatur dicta ſolutio.*

eſt, poſito quod iſtud vnum nempe compoſitum differat nemine cogitante ab illis, ſed falſum eſt ſi ſit idem nemine cogitante cum illis; potius enim dicendum eſſet partes eſſe totum, quam facere totum. Deinde quomodo facient vnum idem realiter cum ſeipſis, cum ipſæ non ſint vnum ſed multa.

*Probatio vltima.* Probatur denique. in generatione naturali & ſubſtantiali producitur aliqua entitas compoſita diſtincta realiter à partibus vnitis, quia partes produci non poſſunt; materia enim, vt conſtat, eſt ingenerabilis & incorruptibilis; forma vero, vt docet Ariſtoteles 7. Metaph. text. 26. propriè non fit, ſed compoſitum, & quamvis fieret propriè, fieret tamen tantum vna pars non compoſitum neque totum. Deinde quamvis forma propriè generaretur, tamen de forma humana, nempe anima rationali, id dici nequit, cum illius productionem non attingat agens naturale, quod tamen verè generat, ergo tertia quædam entitas diſtincta realiter ab iſtis partibus generari debet per veram ſubſtantialem generationem. De corruptione etiam hominis idem argumentum fieri poteſt; verè enim ſubſtantia aliqua corrumpitur in morte; at nec materia, nec forma, vt per ſe patet, ergo tertia quædam entitas nemine cogitante diſtincta ab iſtis partibus.

*Aduerſariorum reſponſio.* Dices generari vnionem partium ſubſtantialium, ideoque generationem eſſe ſubſtantialem, nec tamen illius tertiæ entitatis diſtinctæ à partibus: corumpi etiam in morte, ſeu diſſolui, vnionem partium ſubſtantialium; & hoc pacto coruptionem & interitum eſſe ſubſtantialem.

*Reiicitur.* Sed contra eſt; vnio illa eſt accidens, vt potè relatio: & accidens non eſt terminus generationis & coruptionis ſubſtantialis, ſed ſubſtantia, ergo aliud quippiam, quam iſta vnio, tam generari, quam corumpi, debet.

*Alia reſponſio.* Dices cum alijs, non vnionem ipſam ſimpliciter generari, ſed partes vnitas.

*Reiicitur.* Sed contra eſt, nam cum partes vnitæ ſupra ſeipſas, nihil aliud dicant quam vnionem quæ eſt relatio, ſi partes per ſe non producantur, neque etiam producentur cum tali vnione, quia vnio illa non producitur propriè ſecundum aduerſarios, cum ſit relatio.

*Vltima reſponſio.* Dices denique cum alijs, hominem (in cujus generatione vim facimus) generare hominem, nihil aliud eſſe, quam per diſpoſitiones in materiam introductas formam humanam cum ejus materia conjungere; vnde quamvis homo genitus non ſit, tertia quædam res à materia & forma, quæ non generantur, ſimul junctis, diſtincta; adhuc tamen verum erit hominem ab homine generari.

*Impugnatur.* Sed contra eſt, quia aliud eſt loqui de actione, aliud loqui de actionis

nis termino ſiue totali ſiue principali ; quamvis ergo daremus actionem hominis in generando hominem nullam aliam eſſe ( quod tamen falſum eſt ) quam actionem diſponendi materiam ; tamen ejus diſpoſitionis terminus totalis eſt ipſe homo genitus qui reſultat ex conjunctione formæ humanæ cum materia humana , non autem materia , nec forma , aut vnio partium vel aliquid aliud ſimile.

III. *Proponuntur adverſariorum argumenta & diluuntur.*

Obijcies primò. cum aduerſarijs Ariſtoteles 2. de anima cap. 10. ait *corpus & animam eſſe animal , ſicut pupilla & viſus ſunt oculus*, ergo per Ariſtotelem totum quod eſt animal , non diſtinguitur nemine cogitante à partibus vnitis. Simile quid habet alibi ſæpe. 2. D. Auguſtinus 7. de Trinitate capite 4. ſic loquitur , *homo nihil eſt aliud quam anima & corpus*. & ſanctus Athanaſius in ſymbolo , *anima rationalis & caro vnus eſt homo*. & Clarius D. Dioniſius de cœleſt. hyerarchia c. 4. *mors in nobis non eſt ſubſtantiæ conſumptio, ſed vnitorum ſeparatio*. ergo ſecundum mentem patrum totum non diſtinguitur à partibus vnitis.

Reſpondeo quando Ariſtoteles ait corpus & animã eſſe animal intelligere ipſum cauſaliter, id eſt , corpus & animam eſſe cauſas componentes animal, & ex quibus inexiſtentibus animal reſultat: cum autem addit , *ſicut pupilla & viſus ſunt oculus* , certum eſt nolle ipſum, paritatem illis verbis ſignificare; clarum enim eſt quod animal & corpus faciant vnum per ſe, pupilla vero & viſus vnum per accidens: comparatio ergo in hoc ſolum eſt , quod ſicut fit vnum per ſe ex anima & corpore , ita fit vnum per accidens & per meram aggregationem ex pupilla & viſu. hoc pacto intelligendus eſt Ariſtoteles vbicumque videtur dicere totum eſſe ſuas partes. Eadem etiam ſolutio adhibenda eſt ad loca citata ex patribus , nempe intelligendos eſſe patres , non quidem in ſenſu identico , ſed cauſali & quidem interno & componente. Quod ſpectat ad D. Dionyſium, tantũ vult mortem hominis non eſſe ſubſtantiæ conſumptionem , non hoc ſenſu, quod totum non pereat, ſed iſto, quod neutra ejus pars qua ejus eſſentia conſtituitur , pereat in ejus morte , contra eos qui volunt animam noſtram interire in morte; quod confirmari poteſt ex verbis D. Dionyſij , *in nobis*.

Obijcies ſecundò. quæ realiter diſtinguntur ſeparari poſſunt ab inuicem , & ſeparata conſeruari per diuinam potentiam ; neque enim aliud poteſt eſſe ſignum diſtinctionis realis quam iſta ſeparatio poſſibilis : & non ita ſe habent totum & partes vnitæ, ergo &c.

Reſpondeo negando majorem, quamvis enim ſequatur ea diſtingui realiter quæ diuina virtute ſeparari poſſunt , ita vt euidens ſignum realis diſtinctionibus ſit ſeparatio , non tamen ſequitur ea quæ non poſſunt ſeparari non diſtingui realiter , præſertim quando vnum con-

tinet eſſentiam alterius, vel vnum ex alrero componitur; at totum ex partibus vnitis componitur, ipſæque partes continent eſſentiam totius. Confirmatur quia ſi quæ realirer diſtinguntur, debent ſeparari poſſe ab inuicem, ſequeretur neque à ſingulis partibus totum diſtingui realiter, quia neque ab illis ſeparari poteſt. Sequetetur etiam hominem, verbi gratia, non diſtingui realier ab anima, quia non poteſt diuina etiam virtute homo ſeparari ab anima; quæ tamen omnia abſurda ſunt; ridicula ergo eſt illatio argumenti.

Obijcies tertiò. ſi torum eſſet realiter diſtinctum à partibus, verbum diuinum dimiſiſſet in morte Chriſti entitatem aliquam quam in incarnatione ſuſcepiſſet, quia corruptum fuiſſet illud totum, & conſequenter, ſublata fuiſſet illa vnio verbi diuini cum natura humana; at iſtud conſequens eſt contra omnes Theologos aſſerenres ex D. Damaſceno quod verbum nunquam dimiſit quod ſemel aſſumpſit.

Reſpondeo verbum diuinum in morte Chriſti totum hominem dimiſiſſe, eumque in reſurrectione denuo accepiſſe; totus enim homo diſſolutus fuit in morte, ac Chriſtus in triduo mortis deſijt eſſe homo, quia verè mortuus eſt, vt fide profitemur. quare dictum D. Damaſceni intelligendum eſt de partibus integris per ſe pertinentibus ad conſtitutionem humanę naturæ, ira vt neutram iſtarum partium Verbum diuinum dimiſerit in morre Chriſti, ſed perpetuò vnitum fuerit, cum anima in Lymbo, & cum corpore etſi in ſepulchro jacente: at non negat D. Damaſcenus rotam humanam naturam dimiſſam fuiſſe, quia illa natura perijt, ergo dimiſſa fuit à verbo.

Obijcies quartò. quidquid aduenit enti in actu eſt accidens, facitque cum eo tantum vnum per accidens, vt docet Philoſophus 1. Phyſicorum cap. 8. atq; rertia illa entitas quam vocamus totum adueniret enti conſtituto in actu, materiæ videlicet conjunctæ cum forma quæ eſt actus, ergo iſta entitas eſt accidens.

Herueus. Reſpondeo cum Herueo tractatu de vnitate formarum quæſt. 18. dictum iſtud Philoſophi intelligendum eſſe de forma informante, qualis non eſt totum, cum non ſit forma materiæ & formæ vnitarum, ſed per ſe ſubſiſtat.

Obijcies quinto. ſi totum realiter differt à partibus, vel ſe toto, vel per aliquam ſui partem; neutrum dici poteſt, ergo &c. non primum, quia cum aliquid differt ſe toto ab alio, nihil debet eſſe in vno quod ſit in alio, alioquin non ſe toto ſed per aliquam ſui partem differret: at in toto ſunt omnes totius partes etiam vnitæ, ergo ab illis non differt totum ſe toto. Neque ſecundum, quia alioqui pars illa per quam differret totum, non eſſet pars totius quod eſt contra hypotheſim; vel certè differret realiter à ſe ipſo, quod eſt abſurdum, ergo &c.

Reſpondeo duobus modis ntelligi quod res aliqua ſeipſa tota dif-

ferat ab alio, primo ſicut illa quotum vnum non ſolum non eſt alterum, ſed neque vnum eſt aliquid alterius, quomodo differentiæ ſpecificæ differunt ſe totis. Secundò aliquid ſeipſo differt ab alio, non quod illud aliud non ſit aliquid ejus, ſed quia ex entitate ſua reali & formali habet quod non ſit illud, vel contra; & ſic ſe toto differt totum à partibus vnitis, verbi gratia, homo, ex ſua entitate habet quod non ſit partes vnitæ. hinc patet ad commune aduerſariorum quæſitum reſponſio, videlicet, vtrum totum addat aliquid ſupra partes, vel an ſit aliquid præter partes: ſimili enim modo reſpondendum eſt ad hoc quæſitum quo ad ſuperius argumentum reſpondimus. Scio Jauellum reſpondere neutrum eſſe, ideſt, neque eſſe aliquid ſupra partes, nec aliquid præter partes. Verum apertius & melius alij nobiſcum reſpondent; vnde cum ab illis quæritur, an totum à partibus vnitis diſtinguatur, & quomodo? diſtinguunt, ſi enim ſenſus ſit, an totum diſtinguatur à partibus vnitis per aliquid additum partibus vnitis, concedũt addere aliquid, addit enim ſeipſum: ſi vero ſenſus ſit an diſtinguatur à partibus vnitis per aliquid partibus vnitis additum, quod non ſit ipſum totum, negant quicquam addere ſupra vel præter partes vnitas. & vero id quod durum videtur, eſt, quod quando dicimus totum diſtingui à partibus, exiſtimemus totum eſſe entitatem ita diſtinctam à partibus, vt illas excludat, vt cum dicimus Petrum à Paulo diſtingui, quod tamen non dicimus, ſed dicimus ſolum totum quod inuoluit partes, ab illis ſe ipſo, quod ſuperaddit partibus vnitis, diſtingui. *Iauellus.*

Obijcies ſextò. ſecundum noſtram ſententiam numerus ternarius eſſet quaternatius, quod probatur, nam vnitas addita ternario facit quaternarium; ſed ſi ternarius qui eſt totum diſtinguitur à ſuis partibus, quemadmodum habet propriam entitatem, habebit etiam propriam vnitatem, ergo ſi hæc vnitas totius ſimul cum Trinitate ternarij conjungatur, faciet quaternatium; erit ergo numerus ternarius quaternarius.

Reſpondeo negando ſequelam. ad probationem cum dicitur vnitatem additam tribus facere quaternariũ, diſtinguo; ſi ſit vnitas ejuſdem rationis cum præcedentibus, concedo; Si ſit vnitas diuerſæ rationis, nego. Tertia autem entitas quæ dicitur ternarius, habet quidem vnitatem ſed tranſcendentalem, ideſt, vnitatem entis, cæteræ autem vnitates ſunt vnitates numericæ; cum ergo non ſint ejuſdem rationis, quarta addita tribus non facit quaternarium.

Obijcies ſeptimò. totum non poteſt concipi ſine partibus, ergo totum non diſtinguitur à partibus.

Reſpondeo cauſam eſſe cur non poſſit concipi ſine partibus, non quod totum non differat, ſed quia impoſſibile eſt concipere totum

aliquod compoſitum ſine partibus componentibus à quibus intrinſecè dependet: & certè ſi argumentum valeret, concluderet nec ab vnaquaque parte totum diſtingui, cum ſine ſingulis concipi non poſſit.

Obijcies octauo. totum non habet diuerſam eſſentiam à partibus, ergo &c. antecedens patet, quia ſi hominis, verbi gratia, eſſentia, Phyſicè definiatur, definienda eſt per materiam & formam.

Reſpondeo negando antecedens. ad ejus probationem reſpondeo id nouum non eſſe, quia cum definitiones tradantur ad aperiendam & declarandam rei naturam & eſſentiam quæ non niſi per partes quibus conſtat explicitè & diſtinctè traditas innoteſcit; ſit vt talis eſſentia per materiam & formam definiatur. eſt autem hic animaduertendum, quod in iſtis definitionibus ſemper ponitur loco generis aliquid quod idem ſit cum ipſo toto, vt cum dicitur, homo eſt ſubſtantia conſtans corpore & anima.

Obijcies vltimò. vel totum eſt diuiſibile, vel indiuiſibile; neutrum videtur dici poſſe, ergo &c.

Reſpondeo eſſe indiuiſibile ſecundum ſe, ſed aliquando diuiſibile ratione partium. exemplo illuſtrari poteſt, palmus enim, exempli gratia, quamvis diuiſibilis ſit ratione partium, in eſſe tamen palmi, non eſt diuiſibilis: eodem modo dici poteſt tertiam illam entitatem quam totum dicimus, ratione ſui, & in eſſe totius, indiuiſibilem eſſe, quamvis ſit diuiſibilis aliquando ratione partium.

IV. Quæres, ſupra dictum eſt vnionem eſſe relationem, quomodo hoc verum eſt?

*Oſtenditur vnionem eſſe relationem, & non modum abſolutum.*

Reſpondeo ex eo hujus rei veritatem depræhendi, quod relationis d[illegible]nitio illi conueniat: Eſt enim relatio id cujus totum eſſe eſt ad aliud ſe habere; atque totum eſſe vnionis eſt hujuſmodi, ergo &c. minor patet, quia impoſſibile eſt eſſe vel intelligi vnionem, niſi ſit aliquorum vnio; ſicut relatio eſt aliquorum relatio. Confirmatur, quia omne quod eſt vnitum, vel eſt alicui, vel nulli vnitum; non poteſt dici quod nulli; quia quod nulli vnitum eſt non eſt vnitum, ergo quod eſt vnitum, eſt alicui vnitum, ergo &c. Confirmatur ſecundò, quia nulla poteſt aſſignari diſparitas inter vnionem & relationem; nam imprimis ſicut relatio requirit vtrumque extremum actualiter exiſtens, ita & vnio, quæ non tantum extrema exiſtentia requirit, ſed & indiſtantia. Secundò, quemadmodum relatio non eſt eſſentialis fundamento neque termino, ita neque vnio, ergo &c. Hinc refelluntur Suarius, Vaſquez, Leſſius, Albertinus, & alij, qui dicunt vnionem eſſe modum ſubſtantialem abſolutum, ſecundum eſſentiam ſuam dicentem relationem ad materiam & formam: refelluntur, inquam, quia vt bene notat Philippus Faber in 3. diſtinct. 1. quæſt. 1. diſputat. 3.

cap.2. in principio, implicat aliquid eſſe ſecundū eſſentiam ſuam duorum prædicamentorum,quia habent rationes incompoſſibiles; abſolutum enim dicitur ad ſe, relatiuum ad aliud, ergo impoſſibile eſt vnionem eſſe modum ſubſtantialem, & ſimul dicere eſſentialiter relationem ad materiam & formam. Sed, inquies, accidens non poteſt ingredi conſtitutionem ſubſtantiæ,vnio ingreditur,ergo vnio non eſt accidens. Reſpondeo conceſſa mai: negando mi. vnio enim non eſt de eſſentia compoſiti ſubſtantialis, ſed tantum via & conditio ad conſtituendum compoſitum: vnde ſic licet argumentari. via & conditio ad conſtituendum compoſitum requiſita,non eſt de eſſentia compoſiti; ſed vnio eſt hujuſmodi, ergo &c. major clara eſt; neque enim via eſt de eſſentia termini, alioqui idem ſuipſius cauſa foret, & non tantum conditio, ſed principium intrinſecè conſtitutiuum eſſet. minor probatur, quoties proxima aliqua cauſa ita completa eſt, vt ei reſpondeat integer effectus ſecundum omnem ſuam rationem, perfectionem, ac formalitatem ab illa procedentem, fruſtra additur alia cauſa, imo neque addi poteſt, aut ſi quid addi poteſt, diſpoſitio & conditio tantum eſt; atque materia cum forma eſt cauſa intrinſeca eaque adæquata reſpectu ſui effectus, compoſiti videlicet ſubſtantialis; Nam corpus naturale quicquid habet principij, ſiue actiui, ſiue paſſiui, (ex effectibus enim eſſentiam & naturam inueſtigant Philoſophi) id omne eſt à materia & forma, & non ab vnione, ergo vnio non concurrit ad conſtituendum compoſitum in aliquo genere cauſæ intrinſecæ, ſed eſt tantum conditio; eo fere modo, quo propinquitas, in aduerſariorum ſententia, eſt tantum conditio requiſita, adhoc vt agens in paſſum agere poſſit; quia, vt notat Vaſquesius prima ſecundæ, diſpur. 33. cap. 2. num. 9. per accidens tantum cum effectu comparatur,non autem per ſe, & tanquam principium effectus; cum effectui nullam tribuat ſpeciem aut perfectionem, cum ab ipſa effectiuè non procedat effectus, ſed tantum per illam impedimentum diſtantiæ remoueatur. *Vaſquez.* Neque hinc ſequitur id quod nobis objicit Hurtadus diſput. 6. Phyſ. ſect. 3. abſque vnione conſtitui poſſe corpus naturale: *Refellitur Hurtadus.* Hoc inquam non ſequitur, quia ſicut impoſſibile eſt voluntatem natiua ſua virtute, & ab intrinſeco, objectum aliquod appetere, aut ejus appetitionem continuare, abſque cognitione, quę tamen vt cum Doctore Subtili, in 2. diſtinct. 25. §. dico igitur, num. 19. & ſequentib. & *Doctor ſubtilis.* D. Thoma prima ſecundæ, quæſt. 9. art. 1. ſuppono, eſt tantum conditio applicans voluntati objectum tanquam materiam circa quam; *Doctor Angelicus.* ita eodem modo quamvis vnio ſit tantum conditio requiſita ad conſtituendum compoſitum, ſine ea tamen eſſe non poterit idem compoſitum; multa enim ſæpe requiruntur ad alicujus poſitionem, quæ tamen non ſunt ejus pars, ſed tantum aliquid ad ejus conſtitutionem

prærequiſitum; ſic inſtitutio humana vocabulorum non eſt pars intrinſecè componens orationem, quamvis oratio, vt aliquid ſignificare poſſit, ab inſtitutione pendeat; nec enim quicquam ſignificaret, niſi ad hoc eſſet inſtituta. Confirmatur reſponſio, quia ad veram vnius numero hominis reſurrectionem, non eſt neceſſarium vt ſit eadem numero vnio, vt cum Angelico Doctore in 4. diſtinct. 44. quæſt. 1. docet ex aduerſarijs Suareſius 3. part. tom. 2. diſput. 44. quia vt idem Suareſius ait, principia quæ ſimpliciter conſtituunt vnum hominem, ſunt materia & forma, ideo ſimpliciter eſt idem numero homo, etiamſi vnio ſit diuerſa numero: vnde ſi Chriſtus alia numero vnione humanitatem ſibi vniret, eſſet eadem numero perſona conſtituta; ergo vnio non eſt de conceptu intrinſeco rei compoſitæ, in forma ſic proponi poteſt hæc confirmatio; Vnio eadem numero non eſt de formali conceptu ejuſdem numero naturæ aut perſonæ, ergo nec vnio in communi eſt de formali & eſſentiali conceptu naturæ in communi; nam eadem eſt proportio rei ſingularis ad ſua ſingularia principia, quæ eſt rei ſpecificæ ad ſua principia communia. Petes, hæc relatio vnionis, diſtinguiturne nemine cogitante à rebus vnitis? Reſpondeo diſtingui. ita noſter Subtilis Doctor in 3. diſtinct. 1. quæſt. 1. & probatur quia quantitas vnitur materiæ accidentaliter per vnionem diſtinctam ab accidente & materia, ergo à pari idem dicendum de forma & materia. Confirmatur, quia optimum ſignum diſtinctionis inter duo nemine cogitante, eſt, ſi vnum poſſit exiſtere ſine alio; at materia & forma vniendæ, poſſunt exiſtere ſine vnione, ergo vnio diſtinguitur nemine cogitante à materia & forma. Neque hoc repugnat Ariſtot. 8. Metaph. text. 15. aſſerenti, vt materia & forma faciant vnum per ſe, non requiri copulam intermediam ab ipſis diſtinctam, quia vna eſt potentia, altera actus; quod idem repetit 2. de anima, text. 7. Hoc inquam Ariſt. non repugnat, quia vt optimè notat Angelicus Doctor 1. part. quæſt. 76. art. 6. & 2. contra gentes cap. 1. negat tantum vniculum quaſi inſtrumentale ſeu corpus medium, quo, tanquam glutine, ipſa materia & forma vniantur; eo modo quo volebat Lycophron, contra quem ibi agit Ariſtoteles hujuſmodi vinculum reijciens, aſſerenſque materiam & formam vniri immediatè, non tamen ſine vnione; quia particula excluſiua non excludit concomitantiam; quare ſicut qui diceret Petrus ambulat ſeipſo, non excluderet ambulationem, ſed omnia præter ipſam; ita qui cum Philoſopho diceret, materia vnitur ſeipſa, non excluderet vnionem, ſed omnia præter ipſam. Neque etiam ſequitur ex hac noſtra doctrina quod obijcit Cajetanus, à paritate nempe rationis ſequi, vnionem inter naturam humanam in Chriſto & verbum diuinum, eſſe relationem diſtinctam quod tamen dici nequit; quia inde ſequitur vnionem Verbi Diuini factam ſecundum relationem

*Probatur relationem vnionis diſtingui à materia & forma vnitis.*

*Doctor Subtilis.*

*Angelicus Doctor.*

*Refellitur Caietanus.*

quod erat error Neſtorij damnatus in quinta ſynodo, canone 40. Hoc enim non ſequitur; quia error Neſtorij erat de vnione tantum accidentaria, per relationem accidentariam, excluſa ſubſtantiali conjunctione; at nos cum Scoto non ponimus iſtam tantum vnionem accidentariam; neque negamus vltimum & adæquatum terminum hujus productionis eſſe ſubſtantialem & abſolutum; ſed dicimus antequam conſurgat ille terminus, produci in humanitate relationem quandam vnionis veluti terminum proximum; quod eſt ipſiſſima doctrina D. Thomæ Præceptoris Cajetani, quæſt. 2. tertię partis, art. 7. & quæſt. 16. art. 6. ad ſecundum, & art. 1. ejuſdem, queſtionis ad quartum.

Quæres an materia & forma vniantur vnica tantum vnione, an vero requiratur duplex? Reſpondeo requiri duplicem; vnam in materia, alteram in forma. Probatur reſponſio quia verè & realiter formaliterque non ſolum materia vnitur formæ, ſed etiam forma materiæ. Ergo ſi ponitur vnio in vno extremo debet etiam poni in altero. Confirmatur quod conuenit duobus eodem modo ſe habentibus, ſi vni eſt intrinſecum, debet etiam eſſe intrinſecum alteri; ſed ita ſe habet denominatio vniti, ergo &c. Et ſane ſi per vnam vnionem ſufficienter & adæquatè vniri poſſunt materia & forma, tollentur omnia relatiua mutua, neque vnquam aſſignari poterit ratio cur pater & filius non referantur vnica relatione, quæ ſit ſubjectiuè in vno & terminatiuè in alio. Quod autem contra hoc obijcitur à Suario, & à Complutenſibus, quod omnis vnio ſit duorum vnio, & quod conſequenter vna ſufficiat; facilem habet ſolutionem; omnis enim vnio inadæquatè eſt duorum vnio, non vero adæquatè. Neque dicas vnicam tantum eſſe inter Verbum Diuinum & naturam humanam: hoc enim falſum eſt; duplex enim eſt vna realis in natura humana, altera rationis in verbo ad naturam humanam, per quam verbum formaliter vnitur naturæ humanæ: neque hinc ſequitur ſufficere vnam realem, alteram rationis inter materiam & formam; ſicut enim non ſufficit, vna relatio realis inter cauſam creatam & effectum, & tamen ſufficit inter cauſam primam & effectum; ita eodem modo hic non ſufficit.

V.
*Oſtenditur dari duplicem vnionem in compoſito.*

# QVÆSTIO QVINTA.

## *In quo conſiſtat ratio ideæ & ad quam cauſam reducatur.*

I. IDæA, ſi vocem ſpectemus, ſignificat ſpeciem ſeu fotmam rei, & accommodari ſolet exemplari, tam intrinſeco quam extrinſeco: Nos illam hoc loco ſumimus prout intrinſeco accommodatur, & à Theologis definitur ex diuo Auguſtino lib. 12. de ciuitate Dei cap. 25. eſſe id quod effectus imitatur ex intentione agentis determinantis ſibi finem, de qua definitione vide D. Thomam quæſt. 3. de veritate art. primo, & alios. hoc poſito, acriter diſputatur ab authoribus quid ſit illud, ſiue quænam ſit illa forma, ad quam reſpiciens agens operatur: vtrum nempe ſit conceptus objectiuus vel formalis.

II. Prima ſententia eſt conceptum formalem eſſe idæam. eſt Suarij diſp. 25. Metaph. Rubij 2. Phyſ. tract. 6. & aliorum.

*Prima ſententia Suarii, Rubii & aliorum.*

Secunda ſententia eſt eſſe conceptum objectiuum. ita fere omnes veteres, Scotus in 1. diſt. 35. quæſt. vnica Rapinæus in Nucleo diſput. Philoſ. diſput. 32. quæſt. 9. & Scotiſtæ omnes. D. Thomas quæſt. 2. de veritate art. 3. & 1. parte quæſt. 15. & in 1. diſt. 28. & antiqui fere omnes Thomiſtæ. Occam in 1. diſt. 25. quæſt. 5. Gabriel ibidem qu. 5. art. 2. & reliqui Nominales, Durandus fusè in 1. diſt. 36. quæſt. 3. Alenſis & alij., quos ex recentioribus ſequuntur, Conimbricenſes 2. Phyſ. cap. 7. quæſt. 3. art. 2. Vaſquez, Batanzanus, & alij, cum quibus.

*Secunda & vera ſententia, Scoti, D. Thomæ, Occami, Gabrielis & aliorum veterum*

III. Dicendum eſt ideam conſiſtere in conceptu objectiuo, non autem ſubjectiuo & formali.

*Conclusio prima ideam conſiſtere in conceptu obiectiuo.*

Probatur primo ex Ariſtotele 7. Metaph. textu 23. vbi ait ſanitatem in mente Cauſare ſanitatem in corpore infirmi, ſed ſanitas in mente non eſt ſolum conceptus formalis, vt putant aduerſarij, ergo &c. Minor probatur. Nam illa ſanitas accipitur ab Ariſtotele, quæ eſt prima in intentione, & vltima in executione, vt textum legenti manifeſtè patet, ſed conceptus ipſe formalis, neque eſt primus in intentione, neque vltimus in execurione. Secundò illa ſanitas accipitur ab Ariſtotele quæ habet ſimilitudinem cum ſanitate reali, per ſe, ſed conceptus formalis non habet per ſe ſimilitudinem niſi quatenus eſt imago rei producendæ, vnde ſi per impoſſibile poſſet ipſa res applicari; intellectui, ſine conceptu fotmali, æquè benè produceretur ſanitas.

*Probatio prima Concluſionis.*

Probatur ſecundò concluſio, ex communi modo loquendi, quem impor-

*Probatio ſecūda.*

importat Etymologia nominis idæa, & quo dicimus exemplar eſſe formam quam intuetur is qui operatur, propriè autem loquendo dicimus intueri objectum, non autem intueri ipſum intuitum, niſi valde impropriè, ergo magis propriè conuenit objecto eſſe illud quod artifex intuetur, quam conueniat cognitioni, ſiue cōceptui formali, ergo ratio idææ magis propriè conuenit conceptu objectiuo, quam formali; Quod autem non dicamur intueri ipſum intuitum vel cognitionem noſtram, patet quia non poſſumus intueri cognitionem noſtram niſi per aliam cognitionem reflexam; Atqui dum ex arte operamur per idæam non experimur nos ſemper reflectere nos ſupra cognitionem noſtram, ergo cum ex arte operamur per idæam, cognitio noſtra non eſt idæa quam intuemur.

Probatur tertiò concluſio ex proportione inter idæam internam, & externam, exemplar enim externum quod intuetur operans non eſt ipſa viſio rei, quam operans imitatur, ſed eſt res quam imitatur, & reſpicit; ergo ſimiliter exemplar internum, non eſt cognitio rei, ſed res ipſa quam reſpicimus per cognitionem. *Probatio tertia.*

Confirmatur quia veriſimile eſt hæc nomina, exemplar, & idæa fuiſſe inſtituta ad ſignificanda exemplaria externa, quæ ſunt nobis notiora, quam interna, vnde proprietas ſignificationis nominis idææ, debet maximè ſpectari penes Analogiam ad exemplar externum. pro cujus rei majori intelligentia, aduertendum eſt nomen idææ deriuatum eſſe ab εἴδω, quod ſignificat, reſpicio, ita vt ex vi vocabuli, idæa videatur ſignificare aliquid quod reſpicimus, aut intuemur. Et ex his patet idæam ex communi modo loquendi dicere conceptum objectiuum, non formalem.

IV. Objicies primò. idæa eſt res illa, ad cujus imitationem res producitur, ſed nihil producitur ad imitationem ſui ipſius, ergo &c. Minor probatur quia imitatio dicit diſtinctionem imitantis, imitati, & rei ad imitationem factæ, eſt enim axioma Philoſophicum duas res in aliqua conuenientes ſeſe imitari, & eandem rem, potius ſibi identificari, quam ſeipſam imitari. *Soluuntur aduerſariorum fundamenta.*

Reſpōdeo ſufficere diſtinctionem rationis ſpecificæ ab indiuiduali, vel indiuidualis ab indiuiduali, imò ejuſdem rei in vno ſtatu à ſe ipſa in alio ſtatu poſita, id eſt ejuſdem rei in ſtatu intentionali, à ſeipſa in ſtatu reali.

Objicies ſecundò idæa eſt vera & realis cauſa rei quæ fit per cauſam, ergo non poteſt eſſe ipſamet quæ poſtea fit vt antea erat præ concepta, Antecedens conceditur communiter, conſequentia probatur, quia vnum & idem non poteſt eſſe cauſa ſui ipſius: nihil autem gignit ſeipſum, ex D. Aug. 1. de Trinit. cap. 1.

Reſpōdeo conceſſo antecedente negandam eſſe conſequentiam

ad probationem, dico non poſſe vnum & idem eſſe cauſam ſui ipſius, in genere cauſæ efficientis ſtrictè & propriè, poſſe tamen eſſe in genere cauſæ idæalis, & poſſe etiam in genere cauſæ finalis, quia ad hoc vt aliquid ſit cauſa in genere cauſæ efficientis propriè ſupponitur eſſe ſecundum ſuum eſſe reale, Ad hoc autem, vt aliquid ſit cauſa in alijs duobus generibus, ſufficit vt ſit ſecundum aliquod eſſe cognitum, cui vt ſic, non repugnat cauſare ſeipſum ſecundum ſuum eſſe reale, præſertim cum ejus cauſalitas conſiſtat in cognoſci, vel obijci, vel in motione qua mouentur agens, ſecundum illud eſſe cognitum rei fiendæ vel habendæ. Statuunt aliqui differentiam inter cauſam exemplarem, & finalem, quoad hoc, quod finis vt apprehenſus, non diſtinguatura ſeipſo ſecundum eſſe reale; cauſa autem exemplaris debeat eſſe aliquid diſtinctum à re facienda, quia exemplar ſeu idæa eſt id ad cujus imitationem fit aliquid, nihil autem fit ad imitationem ſui ipſius. Reſpondeo tamen illud diſcrimen nullum eſſe, & nullan intercedere differentiam, neceſſario inter idæam & rem idæatam, proindeque vnum & idem poſſe fieri ad imitationem ſui ipſius, ſecundum aliud, & aliud eſſe; fieri quidem ſecundum eſſe reale, ad imitationem vero ſui ſecundum eſſe cognitum, cum nimirum res extra correſpondet omni ex parte ſibi ipſi vt præfuit in intellectu, & ſic vna, & eadem res proponitur imitanda, & eſt ſimul facienda; imitanda quidem ſecundum eſſe cognitum, facienda ſecundum eſſe reale.

Obijcies tertiò ſi idæa conſiſteret in conceptu objectiuo, vel conſiſteret in conceptu objectiuo præcisè, vel in conceptu objectiuo, provt connotat cognitionem, neutrum videtur dici poſſe, ergo &c.

Reſpondeo conſiſtere in conceptu objectiuo provt connotat cognitionem. Neque dicas idæam non poſſe eſſe rem ipſam faciendam, quatenus cognita eſt, propterea quod munus idæ ſit dirigere actionem agentis, quoad ſpecificationem; hoc autem munus non poſſe conuenire objecto cognito, ſed cognitioni ejus. Ne inquam hoc dicas, eſto enim idæa dirigat actionem agentis, falſum eſt munus illud non poſſe competere objecto cognito; Quemadmodũ enim finis cognitus mouet ad agendum, ita res cognita dirigit agens illudque determinat ad operandum, nec in hoc vllam video difficultatem, præſertim in ſententia Ariſtotelis qui clariſſime noſtram ſentẽtiam docet, tum alibi ſæpe, tum 7. Meth. & 12. ejuſdem, vbi habet quidquid ſiue naturaliter, ſiue per artem fit, fieri ab vniuoco; At in arte hoc vniuocum non poteſt aliud eſſe quam idæa; non poteſt autem eſſe idæa, niſi idæa ſit conceptus objectiuus, nam hic ſolus eſt vniuocus cum re producenda, non conceptus formalis in ſententia aduerſariorum, qui cum ſit accidens, & diuerſæ ſpeciei, imo & diuerſi ſtatus, cum ſit ſpiritualis, non poterit in ſententia ipſorum vniuocè conuenire cum ideato ſubſtantiali; niſi velint dicere vniuocationem

conſiſtere in repræſentatiuo, & repræſentabili, quæ eſt nimis impropria, ſic enim ramus viridis vniuocè conueniret cum vino venali.

Dices Ariſtoteles 7. Metaphyſ. text. 23. videtur affirmare idęam & artem conuerti.

Reſpondeo hoc falſum eſſe vt patet ex dictis, imo potius contrarium indicare, quia vocat idęam quod quid erat eſſe, nempe ipſam eſſentiam idæati; conceptus autem formalis, ſeu ars non eſt eſſentia rei: Tantum igitur affirmat artem eſſe conditionem, ſine qua non idęa cauſaret, & per illam objectiuè idęam eſſe in intellectu.

Objicies quarto, Deus habet idęas creaturarum quas poteſt efficere, ſed tales idęæ non ſunt ipſę creaturę objectiuè in mente Dei, ſed aliquid formaliter exiſtens in Deo, ergo etiam in nobis idęa erit aliquid formaliter exiſtens in intellectu, hoc autem non poteſt eſſe, niſi cognitio aliqua, ergo idęa in nobis conſiſtit in cognitione.

Reſpondeo vario modo ad hoc argumentum reſponderi poſſe, in primis enim reſponderi poteſt ex D. Thoma idęas diuinas non conſiſtere formaliter in cognitione Dei, ſed in objecto cognitionis diuinæ, videlicet in eſſentia diuina, quam ait habere rationem idęæ quatenus eſt repręſentatiua creaturarum; & ſuo modo determinatiua, & directiua intellectus diuini ad operandum, cum ipſa ſit participabilis & imitabilis aliquo modo à creaturis, quę continentur in Deo eminenter, & quia hæc eſſentia comparari poteſt ad diuerſas creaturas, dicuntur in Deo eſſe plures idæę non quidem realiter diſtinctæ, ſed ratione diſtinguibiles, non eſt ergo ſecundum hanc reſponſionem eodem modo philoſophandum de idæis creatis, ac diuinis: cum præſertim Deus per eſſentiam ſuam omnia intueatur, nec cognitionem à rebus extra ſe, vt nos accipiat, & ſit abſolutè & perfectè conſtitutus in actu primo ad operandum independenter à creaturis. Reſponderi poteſt ſecundo probabilius & verius cum Scoto & Scotiſtis etiam in Deo idęas diuinas conſiſtere in conceptu objectiuo, neque hinc vllum ſequi abſurdum: Quod enim obijcitur à quibuſdam, proprietates idæarum in Deo à B. Auguſtino enumeratas, vt quod videlicet ſine illis nemo ſapiens, & beatus eſſet poſſit; Quod neque oriantur, neque intereant; quod ſint æternæ; quod verę ſint, &c. Non poſſe competere creaturis cognitis; & conſequenter idęas in Deo non eſſe creaturas cognitas, facile ſoluitur, negando videlicet illas proprietates non conuenire creaturis cognitis, nam etiam ſine creaturis cognitis præſertim, vt connotantibus & terminantibus cognitionem diuinam, nemo poteſt eſſe ſapiens omni ex parte, nec etiam beatus ſaltem beatitudine accidentali, & extenſiua: Item creaturæ cognitæ ſunt æternæ, quia, vt ait Occam, ſunt æternaliter, immortaliter, immutabiliter intellectæ. Item veræ ſunt, hoc eſt verè intelliguntur; Item

D. Thomas.

Scotus.

Occam.

neque oriuntur, neque intereunt, quia creaturæ neque de nouo incipiunt, neque poſtea deſinunt intelligi à Deo, ſed ſemper & immutabiliter intelliguntur ad differenriam idæarum noſtrarum, quę nunc oriuntur, nunc deſinunt, quia incipiunr & deſinunt à nobis intelligi; vel dicendo, vt alibi dicemus, S. Auguſt. eo loco impropriè loqui, & accipere nomen ideæ, provt idem eſt ac cauſa exemplaris extrinſeca, quæ tamen diſtiguirur ſi propriè loquamur ab idæa. Neque dicas ſecundò ſacrilegum eſſe aſſerere Deum vllo modò dependere à crearuris, quia omnis artifex dependet ab idæis in operando, ergo idææ non ſunr creaturæ cognitæ. Reſpondeo conceſſa majore, negando ſequelam minoris, ad probarionem dico artificem infinitum non indigere idæis in operando, illas tamen præhabere, non ex indigentia; ſed ex maxima perfectione, quia nimirum repugnat illi operari aliquid ad extra, niſi cognoſcat illud, & illud rationabiliter producat. Sed, inquies, idæa eſt aliquid reale in Deo, & forma realis in ipſo, ſed creatura ſecundum illud eſſe cognitum & objectiuum, non eſt quid reale, ergo creatura cognita non eſt idæa. Reſpondeo diſtinguendo majorem, ſcilicet idæam eſſe formam, aut veluti formam realem in Deo, videlicet ratione connotati, ſi ponatur conceptus objectiuus creatura, qui quidem non eſt idæa in Deo, niſi quatenus connotat cognitionem diuinam quæ realis eſt, non autem præciſe ratione ſui. vnde ad minorem dico creaturam ſecundum eſſe cognitum, eſſe realem ratione connotati, videlicet cognitionis diuinæ, quam connotat & terminat, quod ſufficit vt dicatur idæa eſſe forma realis. Dices ſi res producenda eſt exemplar ſuipſius, Deus non neceſſariò dependet à ſe ipſo in operando, ſed à creatura. ſed hoc eſt abſurdum, ergo &c. Major probatur, quia agens pendet ab exemplari, ſed exemplar eſt creatura, ergo Deus pendet à creatura. Reſpondeo non eſſe abſurdum Deum dependere à creatura extrinſecè & terminariuè, nam potius talis dependentia ſe tenet ex parte effectus, quam ex parte cauſæ, atque adeo creatura potius dicetur à ſeipſa pendere quam à creatura creator. Hinc non ſatis mirari poſſum Franciſcum Suarum in hoc argumento vim facere, cum ipſe fateatur idæam diuinam eſſe cognitionem creaturarum & ſic; ſi enim non eſt abſurdum illa eſſe idæam, quid quæſo abſurdi erit, ſi dicamus creaturam vt cognitam eſſe idæam. Deinde, licet Deus ſit independens in ſua actione, hoc tamen non arguit ipſum poſſe facere compoſitum, exempli gratia, ſine materia & forma; ſed tantum & materiam & formam producere poſſe, ex quibus compoſitum fiat, ergo à pari licet ſit independens, hoc non arguit ipſum poſſe operari artificiosè, ſine re ipſa creanda ſibi objectiuè propoſita, ſed tantum ipſum non aliunde, quam à ſe ipſo talis rei cognitionem mendicare. Vrgebis quod completur ad

cauſandum pendet ab alio in cauſari, ſed agens arteficiale completur ab exemplari, ergo ab exemplari pendet. Reſpondeo eodem modo pendere quo completur; ſi intrinſece, intrinſecè pendere; ſi extrinſece, & terminatiuè, extrinſecè: Deus autem completur ab idæa terminatiuè, quæ pendentia non dicit imperfectionem, cum fundetur in perfectione, id eſt in libertate, nam ideò Deus terminatur ab idæa ad operandum, quia liber eſt in ſuis operationibus. Dices idæa eſt ratio cognoſcendi objectum, at creatura cognita non eſt ratio cognoſcendi, imò potius eſt objectum cognitum, ergo creatura cognita non eſt idæa.

Reſpondeo cum Doctore Subtili negando majorem, nec enim ponitur ab Auguſtino idęa ratio cognoſcendi objectum, ſed ratio ſecundum quam aliquid eſt formabile ad extra. Quod ſi alicubi reperiatur idæam eſſe rationem cognoſcendi, id ſic debet intelligi, quaſi ſit ratio terminandi cognitionem, non mouendi ad cognitionem, quia nimirum eſt terminus cognitionis, non verò ratio per quam aliquid cognoſcitur. Hoc ex eo confirmatur, quia eſſentia diuina, vel ſub ratione cauſæ, vel ſub ratione ſpeculi, vel ſub alia ratione cognita, eſt ratio ſufficiens cognoſcendi creaturas. videri poteſt Meurisſius lib. 1. rerum Metaph. quæſt. 17.

Ex dictis patet quomodo intelligenda ſit definitio idææ, quam ex SS. Auguſt. & Thoma, referunt communiter recentiores, qua dicitur idæa eſſe id quod effectus imitatur ex intētione agentis determinantis ſibi finem. Patet etiam quomodo intelligi debeat illa alia, qua definitur eſſe, id ad quod reſpiciens artifex operatur. hæc de ratione idææ. *Concluſio ſecūda idæam pertinere ad cauſam efficientem.*

Quæſtio nunc ſupereſt ad quam cauſam reduci debet: verum breuiter.

V.

Dicendum eſt idæam pertinere ad cauſam efficientem. eſt ſententia Scoti in 1. diſtinct. 2. quæſt. 2. & ibid. diſtinct. 36. art. 1. B. Bonauenturæ, Alexandri, Alenſis, Heruæi, & aliorum veterum, contra Argentinam in 1. diſtinct. 45. art. 1. Cajet. & alios volentes pertinere ad cauſam formalem extrinſecam; contra etiam alios recentiores volentes pertinere ad cauſam finalem. *S. Bonauentura. Scotus. Alenſis.*

Probatur concluſio primo ab Ariſtotele qui ſæpiſſime illam reducit ad cauſam efficientem, præſertim 7. Metaphyſ. text. 30. & 12. ejuſdem text. 18. & 29. & 1. de partibus cap. 1. ſecundo de generatione animalium cap. 1. Imò primo de partibus, & 7. Metaph. docet idæam in artifice ſe habere, ſicut ſe habet forma in naturalibus, forma autem in naturalibus duo facit, primum eſt quod exerceat cauſalitatem formalem reſpectu compoſiti, ſecundum eſt quod exerceat cauſalitatem efficientem reſpectu multorum effectuum, qui ab ipſa procedunt, *Prima probatio concluſionis.*

ergo idæa reſpectu effectuum debet pertinere ad cauſam efficientem.

*Secunda probatio.* Probatur ſecundò, quia omne illud quod tanquam id vnde eſt principium motus determinat agens ad agendum, reducitur ad cauſam efficientem; ſed idæa hoc modo determinat agens, ergo &c. major eſt clara, minor probatur, quia idæa ſecundum omnium ſententiam determinat agens ad operandum, ſed non determinat, nec vt forma, nec vt finis, ergo determinat tanquam id vnde motus. Quod vero non determinet vt forma patet, quia idæa inquantum idæa conſtituit agens in actu primò, ſicuti forma naturalis conſtituit agẽs naturale, verbi gratia, forma ignis (ſi tamen habet) ignem, ergo ratione effectus pertinet ad cauſam efficientem, vt ſupra argumentati ſumus. Quod autem neque reducatur ad cauſam finalem, patet, quia idæa inquantum idęa non eſt id cujus gratia; non enim artifex operatur, vt acquirat idæam, quam iam habet: Quamvis ergo idæa ſit forma, & conſequenter ſit etiam finis operis, inquantum terminat actionem, inquantum tamen idæa, non eſt niſi efficiens.

VI. *Expediuntur argumenta contraria.* Dices ſi quis quærat, verbi gratia, ab aliquo cur Socratis ſtatua ſit pallida, non benè illi reſpondetur, quia pictor illam fecit pallidam; rectè tamen reſpondetur ſi dicatur, quia Socrates, cujus illa erat imago, erat pallidus, ergo reſponſio per cauſam efficientem non eſt bona, & tamen bona eſt per cauſam idæalem, ergo idæa non eſt efficiens, ſed genus aliud cauſæ.

Reſpondeo primam reſponſionem non eſſe bonam, & ſecundam eſſe, & vtramque eſſe per cauſam efficientem, Nam in efficiente plura ſæpè requiruntur; aliud enim eſt quod operatur, aliud quod determinat, & dirigit, aliud quod adjuuat inſtrumentum &c. Et ſæpe reſponſio per vnum tantum non ſufficit, quamvis per aliud ſufficiat, eo fere modo, quo, ſi aliquis ſcriptor egregius male ſcribat, quia non habet bonum calamum; ſi quæratur quare malè ſcripſerit, & aliquis reſpondeat, quia neſciebat ſcribere, falſum afferet; ſi autem dicat quia deerat calamus, optime dicet; & tamen vtraque reſponſio eſt per cauſam efficientem. Idem accidit in caſu noſtro, artifex enim operatur vt determinatus per idæam, & ideò fecit imaginem Petri pallidam, quia Petrus erat pallidus: ex quo patet quod idæa ſit etiam principium motus.

Dices cauſalitas idææ conſiſtit in quadam imitatione paſſiua, idest, in eſſe imitabili, ergo eſt diuerſa à cauſalitate efficientis.

Reſpondeo negando antecedens; eſſe enim imitabile potius eſt ratio cauſandi in idæa, quam cauſalitas, & hæc ratio eſt communis etiam cauſis efficientibus naturalibus; omnis enim effectus debet ali-

quo modo eſſe ſimilis ſuæ cauſæ: Cauſalitas ergo idæa eſt ipſa actio agentis, vt eſt ab ipſa idæa determinante & dirigente ad opus.

Dices finis concurrit ad effectum determinando & mouendo agés per ſui amorem, & tamen conſtituit diſtinctum genus cauſæ, ergo à pari, etiamſi idęa concurrat determinando agens, poterit conſtituere diſtinctum genus cauſæ.

Reſpondeo negando conſequentiam. cujus negationis ratio eſt, quia finis ſupponit agens completum in ratione principij actiui, & ſolum illud allicit ad agendum; idæa autem non ſupponit, ſed complet agens, in ratione principij actiui artificioſi.

# QVÆSTIO SEXTA.

## *An cauſæ poßint eſſe ſibi inuicem cauſæ.*

QVÆSTIO hæc inſtitui poteſt tam de cauſis ejuſdem, quam diuerſi generis, requirentibus exiſtentiam: dico, diuerſi generis requirentibus exiſtentiam; quia dubium non eſt de cauſis diuerſi generis in vniuerſum, expreſſe enim docet Ariſtot. tum 2. Phyſ. tum 5. Metaph. cap. 11. cauſam efficientem eſſe cauſam finis, & finem eſſe cauſam efficientis. quod & experientia clarum eſt; ſanitas enim cauſat ambulationem in genere cauſæ finalis, & viciſſim ab ambulatione efficienter cauſatur. Quod idem communi ſuffragio docent Philoſophi poſt ipſum. In quæſtione igitur propoſita. I.

Dico primò duas cauſas requirentes exiſtentiam poſſe ſe inuicem cauſare in diuerſo genere cauſæ. hæc concluſio negatur à multis modernis, præſertim Hiſpanis; eſt tamen noſtri Doctoris Subtilis 5. Metaphyſ. cap. 11. in illa verba Philoſophi, *Et inter ſe ſint mutuo cauſæ, &c.* poſtquam enim cum Ariſtotele docuiſſet cauſam efficientem & finalem ſe ſe inuicem cauſare, ſubdit, *Notandum quod ſicut efficiens & finis, ſibi hoc modo correſpondent, ſic etiam materia & forma; efficiens enim eſt cauſa finis, & e conuerſo, tamen differenter, nam efficiens eſt cauſa finis quantum ad eſſe, nam producit formam quæ eſt finis; ſed finis eſt cauſa efficientis non quantum ad eſſe, ſed quantum ad cauſare, quatenus finis mouet efficiens ad cauſandum, & efficiens agit ex appetitu finis: ſimiliter forma eſt cauſa materiæ, & e conuerſo etiam quantum ad eſſe, quatenus forma dat materiæ eſſe & actum ſpecificum; materia vero ſuſtentat formam; nam loquendo naturaliter, ſicut eſt impoßibile materiam exiſtere ſine forma, ſic & formam ſine materia: Qualiter autem aliqua duo poßint, ſibi inuicem eſſe cauſæ, non obſtante quod cauſa ſit prior ſimpliciter quam cauſatum, ex quo videtur ſequi,* II.

*Prima aſſertio, cauſas requirentes exiſtentiam, in diuerſo genere poſſe ſe inuicem cauſare.*

*Scotus.*

*quod idem reſpectu ejuſdem, ſit prius & poſterius ſimpliciter, & ſecundum naturam, patebit in quæſtione inferius ponenda.* hæc Doctot Subtilis; Ex quibus apertum eſt, ex ejus ſententia, cauſas requirentes exiſtentiam, & in particulari materiam & formam, ſe inuicem cauſare poſſe. idem etiam docet 2. Phyſic. quæſt. 7. Ex Scotiſtis recentioribus ſub-
*Rapineus.* ſcribit eidem ſententiæ Rapineus in Nucleo diſputationum Philoſophicarum, diſputat. 31. quæſt. 5. In eadem etiam ſententia eſt Sanctus
*D. Thomas.* Doctor prima ſecundæ, quæſt. 113. art. 8. & prima patte, quæſt. 8. art. 3. & poſt ipſum ejus veri diſcipuli, nemine, quod ſciam, excepto; quos
*Luiſius Turrianus.* ex recentioribus ſequitur Luiſius Turrianus, tractatu de gratia, pagina 307.

III. Probatur concluſio primó ex Diuo Thoma prima parte loco cita-
*Prima probatio concluſionis.* to, vbi docet effectus poſitiuos ex parte cauſæ formalis priores eſſe priuariuis, quamvis priuatiui ex parte cauſæ materialis, poſitiuis ſint priores, cujus optima ratio videtur eſſe, quia ſicut prius eſt ex parte formæ tale eſſe tribuere, quam expellere contrariam formam; ſic ex parte materiæ, prius eſt vacuam eſſe à priori forma, quam contrariam recipere; verbi gratía, in productione formæ ignis ex ligno (poſito quod ignis formam habear) prius ex parte materiæ eſt deſtructio formæ ligni, & diſpoſitio ejuſdem; rum receptio formæ ignis: at ex parte efficientis, prius eſt productio formæ à qua diſpoſitiones ſubjectum diſponentes manant, tum vero formę ligni expulſio. Ptobatur
*Alia probatio ex eodẽ. D. Thoma.* etiam aſſertio ex eodem, prima ſecundæ loco citato, vbi ſic loquitur, *Ex parte Dei efficientis* (loquitur de juſtificatione peccatoris) *in ordine naturæ prius eſt gratiæ infuſio, deinde motus liberi arbitrij in peccatum, denique remiſſio peccati: Ex parte autem paſſi in ordine nàturæ prius eſt eſt liberatio à peccato; ſecundo motus liberi arbitrij, tertio gratiæ conſequtio.* hæc D. Thomas. Infuſio autem gratiæ, & remiſſio peccati ſunt actus agentis, Deo grariam infundente, vt remittat; conſecutio veto ſeu receptio gratiæ, eſt actus paſſi.

*Secũda probatio.* Probatur ſecundò exemplo ingreſſus aëris per feneſtram, & apertionis feneſtræ; nam in genere cauſæ efficienris, ingreſſus aëris natura prior eſt apertione feneſtræ; in generæ vero cauſæ materialis vel diſpoſitiuæ, prius eſt feneſtram aperiri, quam aërem ingredi, licet reuera feneſtram ventus ingrediendo aperiat, & aperiendo intret; in genere tamen efficientis, non quia aperit intrat, ſed motu quo intrat aperit; in genere vero cauſæ materialis, prius eſt feneſtram aperiri; quia niſi
*Reſponſio quorumdam recentiorum.* aperiretur, ventus non ingrederetur. Neque obſtat quod feneſtra aperiatur ab aëre intrante per impetum impreſſum feneſtræ, non aurem per morum aëris. Non, inquam, obſtat; nam præterquam quod hæc reſponſio ſupponit aliquid falſum; de quo infra; experien-
*Refutatur:* tia patet ventum ſæpe tangere & imprimere impetum feneſtræ; (ſi ta-

men

men imprimit, de quo, vt dixi, infra; quæ tamen non aperitur; atque adeo quando illam aperit, id non tantum fit, quia tangit, ſed quia ingreditur; atque ita quando feneſtram apertam ſequitur, negari non poteſt, quin eam moueat dependenter à ſuo motu, & apertione feneſtræ.

Probatur denique ratione tacta in primo argumento. Expulſio frigoris, verbi gratia, eſt cauſa veluti materialis, & diſpoſitiua introductionis caloris; non enim poſſet introduci calor, niſi aliqua ratione prius pelleretur frigus; & rurſus introductio caloris, eſt cauſa efficiens expulſionis frigoris; ideo enim expellitur frigus quia introducitur calor, ergo cauſa efficiens, & cauſa materialis, ſe inuicem cauſant. Verum. *Vltima probatio.*

IV.

Obijcies primò cum aduerſarijs illud argumentum quod loco citato ſibi obijcit Doctor Subtilis. Si duæ cauſæ requirentes exiſtentiam poſſent ſe ſe mutuo cauſare, idem reſpectu ejuſdem eſſet prius & poſterius natura; hoc autem videtur abſurdum, ergo duæ cauſæ requirentes exiſtentiam non poſſunt ſe mutuo cauſare. *Proponuntur & ſoluuntur aduerſariorum argumenta. Scotus.*

Reſpondeo hoc argumentum nimis probare; probat enim cauſam efficientem & finalem non poſſe ſe mutuo cauſare, quod tamen Ariſtoteli & omnibus Philoſophis aduerſatur: Non ergo ex prioritate & poſterioritate reſpectu ejuſdem, inferri poteſt duo non poſſe ſe mutuo cauſare, nam ambulatio eſt & prior, & poſterior natura ſanitate, ergo poteſt idem eſſe prius & poſterius reſpectu ejuſdem materialiter ſpectati.

Dices aliam rationem eſſe de cauſis requirentibus exiſtẽtiam; aliam de non requirentibus.

Reſpondeo nullam eſſe diuerſitatem in prioritate & poſterioritate reſpectu ejuſdem, quod eſt illud quod quærimus.

Obijcies ſecundò: ſi ſemel admittatur cauſas requirentes exiſtentiam poſſe ſe inuicem cauſare in diuerſo genere, admittendum etiam erit neceſſario materiam & formam ſe inuicem cauſare; ſed hoc eſt abſurdum, ergo abſurdum eſt quoque aſſerere, duas cauſas requirentes exiſtentiam in quocunque genere, cauſare ſe inuicem. Sequela majoris neceſſaria videtur. Minor probatur, quia cum certum ſit materiam eſſe cauſam omnis formæ materialis, ſi forma materialis etiam ſit cauſa formalis extrinſeca materiæ; ſequitur idem abſurdum quod ſequitur ſi ponatur eſſe cauſa illius intrinſeca, vt volunt Thomiſtæ, dum dicunt materiam exiſtere per exiſtentiam formæ; ſequitur enim vtrobique eſſe priorem in exiſtendo ſuo ſubjecto exiſtente, quod eſt abſurdum, quia ſubjectum exiſtens eſt prius eo quod ſubjectatur, etiam in ratione exiſtentiæ.

Reſpondeo quod forma ſit prior in exiſtendo quam materia exi-

ſtens adæquatè; non tamen ſequitur quod ſit prior quam materia exiſtens inadæquatè. Materia exiſtens adæquatè dicitur materia habens ſuam exiſtentiam, & alia omnia quæ requiruntur, vel in ipſa, vel extra ipſam, ad hoc vt de facto exiſtat: Materia autem exiſtens inædæquatè dicitur materia habens ſuam exiſtentiam, præſcindendo ab aliquo quod requiritur ad hoc vt de facto à parte rei exiſtat. Itaque ad hoc vt materia ſit ſubjectum formæ, & prior illa in genere materiæ, ſufficit, ſi habeat propriam exiſtentiam quam non accipiat à forma, non eſt tamen neceſſe vt illa exiſtentia quam habet ex ſe, nullo modo pendeat à forma.

Inſtabis, materia ad hoc vt ſubjectet formam, debet exiſtere de facto extra cauſas, ergo ad hoc vt ſubjectet formam debet habere formam; ſiquidem antequam ſubjectet formam ſupponat illam exiſtere, quæ non poteſt natura ſua exiſtere, niſi in ſubjecto.

Reſpódeo ſi intelligatur quod in eo inſtanti naturæ in quo intelligitur materiam ſubjectare formam in genere cauſæ materialis conueniant illi formaliter omnia requiſita ad exiſtendum actu, ſeu quod idem eſt, ſi intelligatur quod in eo inſtanti naturæ in quo intelligitur materiam ſubjectare formam tanquam cauſa illius, ſupponat formam exiſtentem, falſum eſt antecedens; Nam poteſt in aliquo inſtanti naturæ intelligi quod materia ſubijciatur formæ, etiamſi nõ habeat omnia requiſita ad exiſtendum de facto extra cauſas: ſi autem intelligatur quod in eodem inſtanti temporis quo materia ſubjectat formam, neceſſatió requitat etiam ipſam formam, à qua in exiſtendo aliquo modo dependet, verum eſt antecedens.

V. Dico ſecundo duas cauſas requirentes exiſtentiam poſſe cauſare ſe inuicem in eodem genere cauſæ, tum dando primum eſſe, tum conſeruando eſſe jam acquiſitum. Hæc concluſio negatur à pleriſque recentioribus vt à Suario, Fonſeca, Rubio, & alijs. Pro ea tamen citari poſſunt Authores qui volunt vltimam diſpoſitionem ad formam aliquam ab ea effectiuè procedere; cujus ſententiæ author videtur fuiſſe D. Thomas 1. 2. quæſt. 113. art. 8. in corpore, & ad 1. & 2. citantur etiam articulus ſeptimus in corpore, & quæſtio 114. art. 4. ac denique 3. part. quæſt. 89. art. 1. ad 1. eamque tanquam genuinam D. Thomæ ſententiam ſequuntur Thomiſtæ complures; inter alios Canus relectione de pœnitentia 1. parte relectionis §. ad 2. vero. Sequiturque ex dictis. Vnde.

*2. Aſſertio, duas cauſas in eodem genere cauſæ poſſe ſe inuicem cauſare.*

Probatur primò. quia ſi non poſſent duæ cauſæ cauſare ſe inuicem in eodem genere cauſæ, maximè quia aliquid non poteſt eſſe prius & poſterius in eodem genere cauſæ, ſed hoc eſt falſum, ergo in eodem genere poſſunt duæ cauſæ cauſare ſe inuicem. Major eſt aduerſariorum, eſt enim ratio quam ipſi aſſignant cur duæ cauſæ non poſſint in

eodem genere cauſæ cauſare. Minor probatur, materia & forma, vt jam ex dictis conſtat, cauſant ſe inuicem; ſed non poſſunt cauſare ſe inuicem niſi forma ſit prius & poſterius in eodem genere cauſæ; quod ſic oſtendo. ſicuti dependentia materiæ à forma ſubjectatur in materia, ita ponitur dependentia formæ à materia immediatè ſubjectari in forma: forma itaque vt eſt ſubjectum hujus dependentiæ & cauſalitatis, eſt prior in genere cauſæ materialis; Et quia per illam dependentiam forma eſt effectus materiæ in genere cauſæ materialis, ſequitur formam eſſe prius & poſterius in genere cauſæ materialis. hinc falluntur aduerſarij aliqui, dum concedunt materiam & formam cauſare ſe inuicem, negant tamen aliquid ſecundum idem eſſe reale, poſſe eſſe cauſam ſuæ cauſationis in eodem genere.

Confirmatur ex principijs aduerſariorum admittentium relationes eſſentiales rebus abſolutis: in ipſorum enim ſententia, materia exempli gratia, cum ſit eſſentialiter ordinata ad formam, eſt effectus, & quid poſterius forma, in genere cauſæ formalis extrinſecæ: Rurſus cum forma dicat relationem tranſcendentalem ad materiam, eſt effectus ejus; ac proinde poſterior ipſa materia in genere cauſæ formalis extrinſecæ; relatio enim tranſcendentalis in ipſorum ſententia ſpecificatur à termino in genere cauſæ formalis extrinſecæ, ergo idem in eodem genere cauſæ eſt prius & poſterius. *Variæ probationes Concluſionis.*

Probatur ſecundo concluſio à quibuſdam ad hominem ex communi ſententia de actibus & habitibus: in communi enim ſententia, actus producti per habitus, conſeruant eoſdem habitus, ergo in eorundem Authorum ſententia neceſſariò dici debet duo cauſare ſe inuicem in eodem genere. Conſequentia clara eſt, quia efficientia & conſeruatio ad idem genus cauſæ pertinent.

Confirmatur quia manus calida fouet manum calidam, & vna pars ligni accenſa, fouet aliam; Carbones etiam ſe mutuo, ergo duo poſſunt in eodem genere cauſæ conſeruare eſſe jam acquiſitum, ergo vlterius poſſunt etiam in eodem genere cauſæ duo dare ſibi primum eſſe; vtrobique enim eadem eſt ratio.

Probatur denique concluſio ex eo quod poſita mutua cauſalitate in diuerſo ordine duarum cauſarum exigentium exiſtentiam, nulla alicujus momenti ratio afferri poſſit, cur etiam eadem mutua cauſalitas exerceri non poſſit inter duo in eodem genere, vt conſideranti clarè patebit, ſed primum ponitur, debet ergo etiam poni ſecundum.

VI. *Proponuntur argumenta contraria & diluuntur.*

Obijcies primò. ſi duæ cauſæ poſſunt in eodem genere ſe cauſare, non poterit probari dari primam cauſam, ſed hoc videtur abſurdum, ergo abſurdum quoque eſt dicere duas cauſas poſſe ſe inuicem in eodem genere cauſare. ſequela majoris probatur, quia ratio vnica efficax qua probatur primam cauſam eſſe, eſt illa Ariſtotelis 2. Metap. cap. 2.

ſancti Thomæ 1. contra Gentes cap. 13. & 1. parte quæſt. 2. art. 3. videlicet, quod omne quod fit ab alio fit & non ab alio, & alio in infinitum, ergo ab aliqua prima cauſa, quæ à nulla producatur: hæc autem ratio nullam vim habet, ſuppoſito quod duæ cauſæ efficientes poſſint ſe inuicem cauſare; facile enim dici poterit dari duas primas cauſas quarum vnaquæque producat aliam.

Reſpondeo negando ſequelam majoris: Ad cujus probationem dico illud quod adfertur de duabus primis cauſis, nullam vim habere. Ratio eſt primò, quia, vt docet Plato apud S. Thomam prima parte, quæſt. 44. art. 1. in corpore, neceſſe eſt ante omnem multitudinem ponere vnitatem, cujus rationem adfert egregiam idem S. Thomas, quia neceſſe eſt omnia quæ diuerſificantur ſecundum diuerſam participationem eſſendi, cauſari ab vno quod perfectiſſimè eſt; & omne illud quod in aliquo inuenitur per participationem, cauſari in ipſo, ab eo, cui eſſentialiter conuenit, vt probat S. Thomas. Secundò, quia quamvis non implicet duas cauſas efficientes creatas cauſare ſe inuicem abſolutè loquendo, implicat tamen vnam primam cauſam cauſare aliam; quia ſi poſſent eſſe plures primæ cauſæ, quarum vna quæque produceret aliam, poſſent eſſe infinitæ, quia non eſt ratio, quare non tam bene ſex, quam duæ, centum quam ſex, &c.

Confirmatur, duæ primæ illæ cauſę vel eſſent inter ſe contrariæ, vel non? ſi eſſent contrariæ, quomodo ſe producerent? deinde deſtruerent ſe mutuo aut ſaltem non bene gubernaretur vniuerſum: ſi non eſſent contrariæ, vnde eſſet illa conjunctio? Confirmatur præterea, quia vel vna prima cauſa ſciret cogitationem alterius, vel non? ſi non, non eſſet omniſcia: ſi ſciret, quomodo fieret? per quam communicationem? per quas ſpecies? Concludo cum Philoſopho 12. Metaphyſ. in fine. *non eſt bona multitudo principatum, entia nolunt male gubernari; vnum ergo princeps.* Denique addunt aliqui vt Aliacenſis in 1. quæſt. 3. art. 2. apud Gabrielem Vaſquez, diſput. 14. ſuæ Metaph. cap. 2. Adamus in 1. diſtinct. 2. quæſt. vnica, Gabriel quæſt. 10. art. 3. dub. 1. Major conterraneus quæſt. 1. concluſ. 2. Ciſtercienſis quæſt. vnica, art. 2. Andreas de Nouo Caſtro quæſt. 4. Gaſpar Caſalius lib. 1. de quadripart Iuſtitia cap. 16. quod etiam ſi diceretur non poſſe euidenter oſtẽdi lumine naturali primam cauſam exiſtere, ſed ſola fide id certo credendum, nihil abſurdi diceretur. quorum ratio eſt, quia probatio procedens ex præmiſſis contingentibus non eſt euidens & certa, ſed Topica ſolum & falſitati obnoxia; ſed probatio primæ cauſæ procedit ex præmiſſis contingentibus, ergo non eſt euidens & certa, ſed ſolum opinabilis. major eſt euidens, quia concluſio ſequitur debiliorem partem. minor probatur, quia propoſitiones de exiſtentia creaturarum ſunt de objecto contingente, poſſunt enim exiſtere & non exiſtere,

ſed probatio primæ cauſæ procedit ex præmiſſis de exiſtentia rerum creatarum, ergo procedit ex præmiſſis contingentibus. Confirmatur, quia omnis certa probatio ſupponit ſimplicem apprehenſionem ſubjecti de quo proprietas oſtenditur,ſed probatio primæ cauſæ non ſupponit ſimplicem apprehenſionem ipſiusprimæ cauſæ, ergo probatio primæ cauſæ non eſt euidens neque certa. major patet, non tantum quia eam ob cauſam Ariſtoteles vult præſupponi notitiam ipſius nominis ſubjecti,ſed etiam quia non poteſt haberi aſſenſus præſertim abſtractiuus & ex arte factus niſi præceſſerit apprehenſio ſubjecti. Minor probatur, quia non poteſt aſſignari modus quo homo per ſe ex creaturis quarum nulla habet rationem primæ cauſæ, poſſit primo apprehendere rationem primæ cauſæ. Verum hæc horum Authorum doctrina mihi non placet; exiſtimo enim poſſe demonſtrari exiſtentiam primæ cauſæ; vnde ad argumẽtum propoſitum, dico exiſtentiam rerum eſſe ſufficientem ad euidentiſſimam probationem; nam ex riſu, exempli gratia, certò & euidenter cognoſcitur hominem exiſtere: Propoſitiones autem de exiſtentia creaturarum ſunt de abjecto neceſſario facta ſuppoſitione hujus ſtatus naturalis; & hæc neceſſitas ad demonſtrationem ſufficit. Ad confirmationem Reſpondeo hominem cum videat, rerum naturalium aliquas, produci ex alijs, ex hoc formare apprehenſionem cauſæ; & inde vlterius progrediendo,quia videt in alijs rebus non dari proceſſum in infinitum poteſt dubitare an omnia fiant ab alijs, an verò detur prima cauſa, & ſic format conceptum primæ cauſæ, de qua quæritur poſtea, an detur.

Obijcies ſecundo, ſi vera eſſet poſita concluſio, ſequeretur actionem aliquam præſupponere exiſtentiam ſui termini qui per illam fit; hoc autem eſt abſurdum, ergo &c. Item ſequeretur aliquid exiſtere antequam exiſtat, & conſequenter eſſe prius & poſterius ſeipſo, quo nihil abſurdius excogitari poteſt.

Reſpondeo hæc & ſimilia aduerſariorum argumenta, aut laborare æquiuoco,& confundere prioritatem temporis cum prioritate naturæ, aut petere principium, ſi intelligantur de prioritate naturæ, quia nihil aliud dicunt argumenta propoſita, quam aliquid non poſſe vllo modo ſupponi prius natura ſuę cauſæ, de quo eſt controuerſia. Ad illud quod dicitur, quòd ſequeretur aliquid exiſtere antequam exiſtat, & conſequenter eſſe prius & poſterius ſeipſo; vel intelligitur de vera prioritate in quo, quæ eſt proprietas temporis, & ſic falſum eſt, nam cauſa non neceſſario eſt prior tempore effectu, ſed poteſt eſſe ſimul, vt ſol cum ſuo lumine; vel intelligitur de prioritate à quo, & naturæ, & ſic petitur principium, nihil enim aliud eſt eſſe prius & poſterius hac ratione, quam eſſe cauſam & effectum, de quo diſputamus, an id fieri poſſit vel non.

# QVÆSTIO SEPTIMA.

## *An cauſa efficiens creata poßit agere immediate in paſſum diſtans.*

CONTROVERSIA ſolum eſt, vtrum actio prius recipi debeat in corpore intermedio, quam recipiatur in diſtanti; & ſub alijs termini proponi ſolet, vtrum agens creatum poſſit agere in diſtans, abſque eo quod agat prius in corpus intermedium. Non quærimus autem hic de quacumque actione miraculoſa, ſed ſolum de illa, quæ fit ab agente naturali operante ſecundum proprias vires. I.

Prima ſententia hac in re eſt actionem Phyſicam naturalem non poſſe fieri in diſtans, ſed inter agens & patiens requiri contactum quantitatiuum. ita multi veteres, S. Thomas 1. part. quæſt. 9. art. 1. & 3. contra gentes, cap. 68. Cajet. 1. part. loco citato, Capreolus in 1. diſt. 37. quæſt. 1. art. 1. Argentinas ibid. quæſt. 1. ex recentioribus Conimbricenſes 7. Phyſ. cap. 2. quæſt. 1. Suarius diſput. 18. Met. 18. ſect. 8. Toletus, Rubius, & alibi. II.

*Prima ſententia negans. S. Thomæ. Capreoli. Caietani. Suarii. Conimbricenſiũ. Rubii. &c.*

Secunda ſententia docet agens creatum habere quidem determinatam ſphæram ſuæ actiuitatis vltra quam agere non poteſt, intra illam tamen poſſe agere in diſtans non agendo prius in propinquum. Ita Scotus in 1. diſtinct. 37. quæſt. vnica, Mayronius Conterraneus meus ibid. quæſt. 1. art. 2. & alij Scotiſtæ. Occam in 1. diſtinct. 37. quæſt. vnica & alibi ſæpe, Gabriel, & reliqui Nominales in 1. diſt. 37. Idem tenent Auicenna in lib. de anima, ſectio. 4. cap. 4. Alexander apud Auerroëm & Albertum Magnum in tex. 42. ſecundi de cœlo, Auguſt. Nyphus 1. de generatione commento ſuo 134. quamvis valde obſcurè loquatur. ex recentioribus Albertinus 1. tom. Coroll. Theolog. aſſer. 2. dubitationis ſecundæ quæſt. 16. in 16. Corollarium ex primo principio Philoſophico, Redemptus Baranzanus diſput. 6. Phyſ. quæſtio. 8. dub. 2. Franciſcus Valeſius 7. Phyſic. cap. 2. & controuerſ. 37. Vvillalpanda 7. Phyſ. & alij ad ſolutionem.

*Secunda ſententia affirmans. Scoti. Mayronii. Occam. Gabrielis. Auicennæ. Alexandri. Nyphi. Albertini. Baranzanii. Valeſii. Vvillalpandæ. &c.*

Præmitto primò, omnia agentia habere ſphæram actiuitatis ſuæ, ſiue certam diſtantiam ex omni parte, intra quam poſſunt agere; & quo agentia ſunt perfectioris virtutis, eo quoque hanc ſphæram ampliorem eſſe, & ita eſſe conſtitutam, vt in quacumque parte ſpatij ſuæ ſpheræ, agens poſſit effectum producere, ſi ponatur ſubjectum capax illius effectus; Imo neceſſario quidem agit in propinquum antequam in remotum, ſi propinquum ſit æque capax effectus, ac eſt remotum;

ſi vero non ſit capax aget in diſtantes partes ſuæ ſphæræ; Imo cum agit in propinquum antequam agat in remotum, non eſt neceſſe ſemper actionem in propinquum iuuare ejus actionem in remotum, quia æque bene ageret, & aget in diſtans, non obſtante qualitate in medio producta. Vnde illa productio qualitatis in medio prouenit in agente ex neceſſitate naturæ, quæ poſtulat per ſe loquendo agere vniformiter difformiter, & primo in id quod eſt vicinum, deinde in remotius: vnde dicitur agens naturale agere vniformiter difformiter, quia cum ſit finitæ naturæ non poteſt agere in infinitum, ſed in certam ſphæram; vt quo longius agit, per ſe loquendo minus formæ producat; & cum certo ordine reſpiciat partes ſuæ ſphæræ, vt quo magis diſtant, minus per ſe loquendo accipiant formæ, quæ producitur.

Præmitto ſecundo corrigendam eſſe imaginationem, quæ ſola in hac quæſtione concipienda patit difficultatem. Nam concipimus effectum profluere per quandam diffuſionem ab agente, quam propterea neceſſario ſemper cōcipimus prius eſſe in vicino, & in medio, quam in remoto, cum tamen alterationes, illuminationes nempè, calefactiones, &c. ſumptæ pro termino, imo etiam pro ipſa actione, non ſic diffundantur, ſed agens in omni parte ſpatij continuo producat lumen, vel calorem, vbi inuenit corpus aliquod diſpoſitum, effectum ſuum ibi melius producens, vbi meliorem reperit diſpoſitionem. hinc fit, vt facile concipiamus aliquid produci poſſe in remoto, & non in propinquo; ſicut etiam quia intellectus non debet realiter per loca tranſire, facile concipimus quomodo poſſit cogitare de remotis non cogitando de intermedijs.

Præmitto vltimo diffuſionem quantitatiuam per locum, eſſe propriam ijs, quæ mouentur motu locali, & non conuenire rebus mouentibus alijs motibus, & mutationibus, ſed in illis ſufficere diffuſionem virtualem, vt ſcilicet quamvis agat in remotum, ſi ſit ſubjectum capax effectus, in toto medio interpoſito, in illud agat, & effectum producat; & hanc vocamus diffuſionem virtualem, egreſſionem nempe effectus cauſa; Agens tamen ſemper requirit vt totam ſphæram habeat liberam, & vt in toto ſpatio quod vocatur ſphæra, nihil ſit quod actionem impediat, vel poſitiue ſit incapax, quia ſi negatiue tantum ſit incapax, vt ſæpe eſt aët, adhuc diffundetur virtualiter, & aget realiter in remotum. Neque dicas, ſi diffuſio virtualis nihil ſit reale in medio, quomodo interpoſitione corporis poſſet impediri? Ne, inquam, hoc dicas, quia reſpondeo illam eſſe naturam agentium, vt requirant habere totum medium non obſiſtens poſitiuè, ſed, vel vt actionis ſit capax, vel ſi ſit incapax, nihil habeat poſitiuè repugnans, quod nequeat agens ſuperare. his præmiſſis.

*Quid ſit diffuſio virtualis.*

IV. Dicendum eſt quod quamvis ad actionem requiratur contractus virtutis,

virtutis, non requiritur tamen, nec neceſſarius eſt contactus ſuppoſitorum; & conſequenter poteſt hoc pacto admitti actio in diſtans. *Concluſio dari actionem in diſtans.*

V.

Probatur primo concluſio, à priori ex eo quod agens habeat aliquam latitudinem ad quam in inducendo effectum ſe extendere poſſit, quo poſito, ſic argumentor. ſi non poſſit fieri actio in diſtans, agens tantum poſſet immediatè agere in ſuperficiem extimam paſſi contigui, & ſic nulla eſſet latitudo ſphæræ actiuitatis agentium, & nulla eſſet diſtinctio inter ſphæras actiuitatis agentium; ſed hæc omnia ſunt contra communem ſenſum & rationem, ergo poteſt fieri actio in diſtans. Sequela Majoris probatur, quia ſi ignis, verbi gratia, ageret immediatè in partem quantam aëris contigui, ageret immediatè in diſtans, quia ſola ſuperficies aëris eſt illi conjuncta & ſic nulla eſſet latitudo ſphæræ actiuitatis, quia latitudo includit ſpatium extenſum. Nulla etiam eſſet diuerſitas ſphæræ actiuitatis agentium, quia omnia agentia tantum poſſent agere immediatè in ſuperficiem paſſi contiguam. Ad hoc argumentum nihil reſpondent aduerſarij, niſi quod ſimili argumento probaretur non dari motum localem. Sed falluntur egregiè; nam alia ratio eſt, vt jam præmittendo tertio diximus, diffuſionis virtualis, & quantitatiuæ; ad motum autem localem ſuppono in corporibus requiri ſecundum omnes philoſophos diffuſionem quantitatiuam, nec ſufficere virtualem. *Prima concluſionis probatio.*

Probatur ſecundò; ſi non datur actio in diſtans non poterit aſſignari ratio cur actio ſenſim debilitetur, & ſit vniformiter difformis, ita vt, qua proportione pars medij eſt vicinior agenti, eadem & actio per ſe loquendo ſit intenſior; & qua proportione pars medij eſt remotior, eadem & actio ſit remiſſior. Sequela probatur, quia ſi vna pars propinqua agit tantum in remotam, & hæc in remotiorem, non remitteretur; quælibet enim pars poteſt agere in aliam ſibi propinquam, & ſic non erit terminus actiuitatis. *Secunda concluſionis probatio.*

Probatur tertiò efficaciter. agens aliquando producit effectum in paſſum diſtans nihil operando in propinquius vel medium, ergo tali caſu aget immediatè in diſtans. Antecedens probatur ſic; intima pars agentis corporei quæ verbi gratia, diſtat vno pede à ſuperficie extima, agit in corpus adjacens, idq; nihil producendo in partes ſuperficiei viciniores, eo quod eadem qualitate ſint imbutæ; verbi gratia; ignis magnitudinis duorum pedum ea parte quæ centro magnitudinis eſt vicina, agit in aërem adjacentem igni, non calefaciendo partes illas interjectas inter aërem & centrum ignis; niſi enim omnes partes ignis ſimul concurrerent ad calefactionem non poſſet agens majus & extenſius agere immediatè in paſſum remotius, vel celerius in paſſum æque propinquum, ergo ſupponitur agens non agere tantum per ſuperficiem ſuam extimam paſſo conjunctam, ſed etiam per ſuas partes *Tertia eiuſdem probatio.*

interiores & diſtantes à paſſo. Secundo probatur antecedens ſupra poſitum; Nam magnes attrahit ferrum virtute attractiua ferro diſtanti impreſſa, idque immediatè; tum quia medium interjacens, ſcilicet aër, non eſt capax iſtius virtutis; tum quia natura illius poſtulat produci immediatè in diſtās, quia ordinatur ad conjunctionem paſſi diſtantis: ſecus eſt de vi impulſiua quæ ordinatur ad remotionem rei conjunctæ. ſimiliter os milui piſcis trahit aurum; & ſuccinus trahit paleas & ramenta metallorum.

*Variæ experiētiæ quibus probatur dari actionem in diſtans.*

Confirmatur acus natura à frictu magnetis temperata ſeſe obuertit & polum fixa demonſtrat: dici autem non poteſt quod ſtella polaris illi immediatè qualitatem aliquam non imprimat, quæ ſit cauſa hujuſmodi conuerſionis, quia alioquin poſſet nubium interjectu, pluuia, grandine, vel vi ventorum, & commotione aëris, impediri; quod tamen inuiſum ſemper fuit.

*Quarta probatio.*

Probatur quartò, valido argumento deſumpto ex reflexione luminis & ſpecierum, quod vt intelligatur, ſupponenda ſunt aliqua clara experientia nota. primum eſt lumen ſi incidat in corpus opacum reflecti; voco reflecti, quando lumen quodammodo retrocedit; cum enim corpus lucidum habeat ſphæram ſuæ actiuitatis, quando lumen incidit in corpus opacum nec poteſt vlterius procedere propter obſtaculum, redit paulatim verſus illud corpus, illudque quod progrediendo vlterius potuiſſet producere, producit quodammodo regrediendo in ſe. ſecundum quod experimur eſt, per reflexionem augeri lumen, nám multo melius legimus in lumine reuerberato à ſpeculo, quam in lumine non reuerberato: Tertium quod experimur eſt, quod quo corpus opacum, in quod incidunt radij, magis terſum & politum eſt, eo fiat majus lumen, & ſpecies viſibiles perfectius reddátur: Quartum quod experimur eſt, per reflexionem produci calorem, imo interdum comburi ligna à radijs reflexis ſolis, quæ non potuiſſent, comburi à directis. ſic Archimedes ſpeculo per reflexionem radiorum combuſſit Naues Romanorum. his poſitis, ſic argumentor. per actionem reflexam producitur intenſius lumen quam per actionem directam, ergo lumen productum per actionem directam non poteſt eſſe cauſa actionis reflexæ, ergo neceſſariò fit ab agente in diſtans. Prima conſequentia probatur, quia vel agens per reflexionem, habet intenſius lumen quam habeant partes medij illuminati actione directa, vel non habet: ſi habet, vel illam accepit per actionem directam, vel per reflexam; non per reflexam, quia ſic non eſſet primum agens per reflexionem (loquor autem de primo agente per reflexionem) vel certe idem ageret in ſe ipſum actione quam aduerſarij vocant tranſeuntem: quod ſi accepit per actionem directam, ſequitur accepiſſe illud lumen intenſius immediate à corpore lucido; Nam ſi medium illuminatum pro-

duxiſſet illud, cum medium ponatur minus intenſum, ſequeretur minus intenſum lumen producere intenſius: ſi dicatur primum agens per reflexionem non habere intenſius lumen quam partes medij illuminati actione directa; primo quomodo poteſt in illas partes medij agere, cum ſimile non agat in ſimile. ſecundo quomodo poteſt illas intendere, cum nihil poſſit producere vltra ſuam intenſionem, præſertim, ſi gradus intenſionis qualitatis ſint heterogenij, vt exiſtimant plerique ex aduerſarijs. ſimile argumentum poteſt fieri de ſole; ſol enim intenſius lumen producit in partibus aëris quas per feneſtram apertam facile reſpicit, etiam ſi ſint in media parte cubiculi alicujus & paulo remotiores, quam in ijs quæ ſunt ad latus feneſtræ ac ſoli viciniores, vt ad ſenſum manifeſte patet, ergo ſol immediate producit lumen intenſius in diſtans; ſi enim illuminatio partium aëris in media parte cubiculi fieret tantum mediante lumine in parte proxima producto, adeoque vi luminis producti intra latera feneſtræ, omnes partes aëris illi parti æquè vicinæ, æqualiter illuminarentur, quia pars illa medij illuminata, eſt agens naturale, ac proinde agit in ſphæram æqualiter verſus omnem partem, cujus tamen contrarium patet ad ſenſum.

Reſpondent aliqui vim illam ſolis directam eſſe potiorem quam ſit obliqua. *Aduerſariorum reſponſio.*

Sed contra, nam juxta aduerſarios, lux ſolis ſoli inexiſtens, & per directam lineam reſpiciens, nihil immediate producit, ſed tantum lumen inexiſtens aëri intra latera feneſtræ; atqui illud æque directe reſpicit partes quæ ſunt ad latus feneſtræ poſt parietem, quam quæ ſunt ex oppoſito feneſtræ, ergo &c. *Reijcitur.*

Dices cum Suario aërem directe oppoſitum feneſtræ intenſius illuminari à parte vicina, in virtute ſolis aſſiſtentis & cooperantis. *Reſponſio Suarij.*

Sed contra eſt, nam vel ſol tribuit aliquam vim intrinſecam medio ſibi viciniori; vel non: ſi tribuit, ergo medium quod dicitur agere in virtute ſolis aſſiſtentis, aget adhuc æqualiter in omnem partem circumferentiæ, quia vis illa medio communicata à ſole, agit naturaliter; ſi ſecundum, ergo ſol agit immediate in diſtans vna cum paſſo viciniori. ſimilis etiam experientia eſt in igne vehementius longè calefaciente corpus directe oppoſitum ori fornacis, etiamſi paulo remotius, quam poſitum ad latus, etiamſi vicinius. Deinde terra, & aër ſupra terram, intenſius calefiunt à ſole, quam media aëris regio, vel partes aliquantulum à terra remotæ. *Confutatur.*

Probatur quintò. aliquando ceſſat actio in paſſum diſtans, non ceſſante qualitate actiua medio viciniori ab agente impreſſa, ergo ſignum euidens eſt, actionem in diſtās immediate tali caſu procedere ab agente. Conſequentia eſt clara. Antecedens probatur, ſi ſubito claudatur orificium fornacis, vel aſſer interijciatur inter ignem & manum, il- *Quinta concluſionis probatio.*

lico ceſſat vehemens illa calefactio quæ procedebat ab igne, & tamen aër manui vicinior retinet fere totum calorem quem ante interpoſitionem aſſeris conceperat. Neq; etiam aſſignari poteſt cauſa deſtruens in tam breui mora, maxime cum non pendeat in conſeruari ab igne, & ſit aëri naturalis.

*Vltima probatio.* Probatur denique, quia nulla poteſt aſſignari ratio, cur ſit neceſſaria conjunctio agentis cum paſſo, ergo fieri poteſt actio in diſtans. Antecedens patet, quia ſi quæ eſſet ratio & radix hujus neceſſitatis, eſſet quia agens creatum eſt limitatæ virtutis; vel quia agens & patiens habent ſe ſicut actus & potentia, quę debent inter ſe immediate conjungi; vel quia actio in diſtans eſſet tanquam motus localis ab extremo ad extremum ſine medio, qui ex communi ſententia non admittitur fieri poſſe; ſed nulla ex his omnibus conuincit, ergo nulla eſt neceſſitas. minor probatur (major enim clara eſt) pro prima parte, quia virtus limitata bene probat agens creatum non poſſe agere ad quamlibet diſtantiam in diſtans, non tamen probat eſſe impotens vt agat immediate ad aliquam diſtantiam. accedit quod hæc ratio non poſſit ab aduerſarijs aſſignari, qui cenſent illimitatam & infinitam Dei virtutem non poſſe agere immediate in diſtans, etiamſi per impoſſibile Deus non eſſet omni paſſo præſens. Pro ſecunda parte probatur, quia talis conjunctio tantum requiritur inter actum formalem informantem & potentiam ſubjectiuam, verbi gratia, inter formã ſubſtantialẽ vel accidentalem, & materiam vel ſubjectum, quæ debent inter ſe vniri, non autem requiritur inter agens, quod dici poteſt actus effectiuus vel effectiue actiuus, & inter patiens. Pro tertia parte probatur, quia actio in diſtans nõ ſe habet ſicut talis motus, effectus enim nõ producitur in paſſo per egreſſum alicujus entitatis ab agẽte, quæ tranſeat in rem diſtantem, vt quidam imaginantur, ſed producitur eo ipſo, quod vis actiua inexiſtens agenti educat effectum è potentia paſſi, & ſic vis actiua cauſæ non extendit ſe extra ſuum ſuppoſitum realiter & quantitatiue quaſi vltro citroque commeet & tranſeat de ſubjecto in ſubjectum, ſed extendit ſe virtualiter tantum tranſeundo medium ſecundum efficaciam, qua totam actiuitatis ſuæ ſphæram virtualiter peruadit; quæ virtualis peruaſio nihil ponit in ipſo medio, vel ſphæra actiuitatis, præter effectum, qui dicit habitudinem immediatam ad virtutem agenti intrinſecam vt ad cauſam.

*Reſponſio aduerſariorum.* Dices hæc argumenta bene probare poſita actione in medium, primum agens poſſe agere immediate in diſtans, ita vt actio à nullo medio pendeat tanquam à cauſa proxima totali, ſed immediate pendeat à primo agente tanquam à cauſa, ab actione vero in medio ſolum pendeat, vt conditione ſine qua non; non autem probare agens, ita agere in diſtans, vt non requirat ſaltem tanquam conditionem, vt prius

agat in medium. Sed contra eſt, primò quia hæc reſponſio concedit falſam eſſe cõmunem ſententiam Thomiſtarũ, quæ affirmat non dari actionem in diſtans, niſi mediante medio, non ſolum tanquam conditione, ſed tanquam immediatiori agente, ita vt medium recepta qualitate ſolum immediate influat in id quod ſequitur, diſtans vero ſine primum agens nòn ſit agens immediatum. ſecundo contra hanc reſponſionem eſt, quia ſi ſemel concedatur nobis agens agere immediate in totam ſuam ſphæram vt ſupra, nulla erit ratio cur ad actionem Phyſicam requiratur tanquam conditio, vt ſit prius in medio quam in corpore diſtanti, poſſumus enim optime cum authoribus ſecundæ ſententiæ dicere, neque requiri vt conditionem, neque tanquam immediatum agens; neque poteſt aſſignari ad quid inſeruiat medium, cum productio effectus non ſit diffuſio localis virtutis agentis, quæ propterea debeat deferri, ſed vera productio effectus, quæ quidem actiuè ſumpta, eſt in agente, paſſiuè in paſſo, vt infra dicetur. Tertiò contra hanc reſponſionem eſt, quia plurima ex prædictis argumentis non tantum probant, non requiri, vt immediatum agens, ſed neque tanquam conditionem: & ſane pluſquam euidens hoc eſt in actione ignis in lignum; nam partes remotæ ignis agunt in lignum, & tamen non agunt prius in partes viciniores ignis quam in lignum; vnde neque requirunt actionem in medium, nec tanquam conditionem, nec vllo alio modo, & tamen actio quæ proficiſcitur ab illis partibus remotioribus, eſt ejuſdem rationis ac illa quæ à vicinioribus procedit. Alia argumenta apud citatos pro noſtra ſententia authores videri poſſunt. Vt quod vnus Angelus alteri imprimere poſſit aliquem effectum ſpiritualem, etiamſi ab inuicem diſtent, nec ſimilis effectus recipiatur in medio, vt pote incapaci talis effectus ſpiritualis, cum ipſum ſit corporeum: Et ſimilem effectum poteſt Angelus imprimere animæ ſeparatæ. vtrumque docuit B. Thomas: nam 1. part. quæſt. 107. art. 1. juncta reſponſione ad tertium, docet Angelos ſibi inuicem loqui, non ſolum volendo, quod alteri pateat conceptus, ſed etiam excitando alterum ad attendendum, per aliquam ei impreſſam virtutem intelligibilem, qua intellectus ejus moueatur, ſicut ſenſus mouetur à ſenſibili, vt ait; & hanc motionem, nulla diſtantia impediri, nec in medio prius recipi, quam in Angelo, ad quem fit locutio docet art. 4. Et quæſt. vnica de anima art. 15. in corpore prope finem, docet Angelos influere ſcientiam in animas ſeparatas; & hoc, influendo ſpecies intelligibiles in illas, vt explicat ad 15. quod repetit art. 20. ad 11. vbi addit quod cum hujuſmodi actio non ſit ſitualis, non oportet quærere medium deferens.

*Confutatur.*

Obijcies primò, ſi daretur actio in diſtans, poſſet dari actio in diſtans interjacente vacuo; ſed hoc eſt falſum, ergo &c. ſequela patet,

quia non requireretur medium quod deferat actionem ad paſſum diſtans. minor probatur ex Ariſtotele primo Meteororum, vbi dicit inferiora ſuperioribus debere eſſe contigua, vt in actione ſua regi & juuari poſſint: Cenſet ergo ea non poſſe pati à cœlis, ſi intercederet vacuum.

Confirmatur, quia hac de cauſa natura, tam conſtanter fugit vacuum, ne nempe, defectu medij, actio, & reactio impediatur, ergo &c.

*Smiſingus.* Reſpondeo negando minorem. ad ejus probationem dico quod quamvis Smiſingus, & alij conentur interpretari Ariſtotelem, tamen fateri me, Ariſtotelem magis fauere contrariæ ſententiæ, quam noſtræ, ſed ſicut ſententia ipſius paſſim, & meritò reijcitur, dum negat poſſibilem eſſe motum localem in vacuo, etiamſi daretur, ita parui refert ſi idem ſentiat de motu alterationis. Quare non eſt hoc loco certandum authoritate Ariſtotelis: Certè incredibile videtur quod ſol non poſſet illuminare orbes ſibi ſubjectos, vel hæc inferiora, ſi intercederet vacuum vnius pollicis; & quod ardenriſſimus ignis non poſſet nos calefacere, ſi interjaceret vacuum vnius pili; experientia enim docet ignẽ nos calefacere etiam flante vento, & interjacente aëre, vt medium ſit inſtar vacui; quia cum ſemper ſit aliud & aliud, non poteſt magis deferre actionem agentis, quam ſi eſſet vacuum.

Ad confirmationem reſpondeo naturam non refugere vacuum ad faciliorem actionem, ſed quia mundus hic animali aſſimilatur, animal vero ita conſtitutum eſſe debet vt ejus partes à ſe inuicem ſæparatæ & diuiſæ non ſint, ſed continuò ſibi cohærentes; vel ſecundo, vt ait Cardinalis Contarenus lib. 2. de elemen. initio quia mundus quamvis diuerſiſſimis naturis conſtans, vnus eſt, ſuumque creatorem vnum proclamat; Cum autem non ſit vnum continuum, debuerunt ſaltem ejus partes certo ordine inter ſe connecti; & hinc fit, vt hæc inferiora ſint contigua ſuperioribus lationibus.

Obijcies ſecundò cum Gabriele Vaſquez; ſi ſemel ponamus actionem per vacuum, qua ratione agens per aliquam diſtantiam aget, aget etiam per quantumlibet magnam cum nullum ſit impedimentum.

Reſpondeo negando ſequelam; agens enim habet certam ſphæram actiuitatis, non tantum ex medio pleno, ſed ex intrinſeca limitatione naturæ ſuæ quæ limitatio tam bene eſſet in vacuo quam in plenò. fatendum quidem hanc ſphæram variè ex accidente mutari objectu corporum, & impediri virtutem agentis, & conſumi quodammodo intrinſecè ex interpoſitione corporis poſitiuè incapacis, & ſic contrahi ejus ſphæram, & deſinere eſſe intra ſphæram, quod ante fuit, quia illa eſt conditio agentis non liberi, vt niſi totum medium ſuperare

poſſit, per illam lineam qua non poteſt ſuperare, non agat vlterius; impediri autem ſphæram & mutari ex interpoſitione corporis, licet nihil fuerit poſitum in medio reale, patet: ſi enim circundaretur ſoli corpus opacum, ſol nullam haberet ſphæram actiuitatis, quia non poſſet ſuperare reſiſtentiam corporis circumpoſiti: ſi autem tale ſit medium vt poſſit ab agente ſuperari, actionem vlterius continuabit, vt conſtat experientia; ſi enim inter me & luculentum ignem tranſeat rapidiſſimus ventus borealis, calefiam ego diſtans, licet aër non calefiat, quia quamvis medium eo caſu non recipiat actionem ignis, tamen nihil eſt quod poſitiue poſſit impedire, ſiue nihil eſt, quod non poſſit ſuperari ab actiuitate agentis.

Obijcies tertiò, ſi medium non recipiat in ſe virtutem agentis non fiet actio in diſtans, ergo ſignum eſt actionem in diſtans effectiue procedere à virtute medio communicata, & non immediate à virtute agenti extrinſeca. Antecedens patet experientia; ſi inter ſolem & corpus diaphanum, verbi gratia, aërem, interponatur corpus opacum, vt terra, vel lignum, omnino impeditur illuminatio, vt patet, dum clauduntur feneſtræ cubiculi vel ſcholæ alicujus, & noctu dum ſol exiſtit in hemiſphærio inferiori, tunc enim aërem noſtrum non illuminat, propter terræ interpoſitionem, cum tamen aſtra firmamenti longius diſſita illuminet: Et ſi inter ignem & manum ſubito interijciatur aſſer, non ſequitur calefactio manus: & ſi inter viſum & viſibile ponatur corpus ſolidum non admittens ſpecies viſibiles non fiet viſo. Conſequentia probatur, quia ſi virtus agenti inexiſtens, poſſet immediate producere effectum in paſſum diſtans, nihil referret quod medium non admittat in ſe effectum ſimilem.

Reſpondeo hoc argumentum ex dictis ſolui poſſe: verum quia in eo aduerſarij totum ſuum præſidium collocant, placuit expreſſe proponere, & ſoluere. Reſpondeo ergo negando vniuerſè antecedens, & do inſtantiam in magnete, ſuccino, &c. quod aliquando id verum ſit, vt in exemplis allatis, ejus ratio eſt, quod corpus interjectum, terminet ea parte ſphæram actiuitatis agentis, ita vt diſtans quod ante interpoſitionem erat intra ſphęram actiuitatis agentis, poſt non eſt, ſed extra; quia corpus interpoſitum ſua incapacitate poſitiua debilitat, & conſumit virtutem agenti intrinſecum, vt ea parte, qua illi opponitur, non ſit tãta latitudo ſphæræ. dixi, incapacitate poſitiua, quę oritur ex qualitate effectui directè contraria, vel ex diſpoſitionę contraria diſpoſitioni ad receptionem effectus contrarij; ſic terra, & lignum, poſitiue repugnant illuminationi ratione opacitatis ſuæ, quæ opponitur diaphaneitati requiſitæ in ſubjecto ad receptionem luminis, & ſpecierum viſibilium.

Dices corpus interpoſitum non poteſt terminare ſphæram actiui-

tatis agentis,niſi impediendo virtualem petuaſionem agentis per medium, ſed hæc impediri non poteſt, ergo &c. minor patet, quia nihil ponit reale in medio quo poſſit retundi.

Reſpondeo negando minorem.ad probationem dico, ad hoc non requiri vt aliquid reale ponatur in medio ; ſed ſufficere vt virtus agenti intrinſeca exhauriatur, itavt habeat anguſtius & ſtrictius ſpatium in quod poſſit agere,ſic enim medium denſius, verbi gratia, aqua dicitur contrahere ſphæram actiuitatis ignis, quia qua parte igni opponitur conſumit quodammodo ipſius virtutem, vt pertingere non poſſit ad tantam diſtantiam,ac ſi medium eſſe rarius, verbi gratia, aër ; ſic enim objectu alicujus corporis fieri poteſt,vt omnis actio agentis impediatur, & nihil medij immutetur, adeo vt virtus agenti intrinſeca, vel in agente detineatur, vt, verbi gratia, ſi corpus luminoſum, vt ſol, veſtiretur corpore bene opaco , vis illuminatiua ſolis impediretur ab illuminatione, per reſiſtentiam corporis circumpoſiti,& ſi Deus conſeruaret conſtanter qualitatem medij, verbi gratia, aëris, impediretur calefactio : quibus caſibus non fit reſciſſio vel repreſſio alicujus virtutis ab agente per medium diffuſæ, ſed tantum eneruatur vis agenti intrinſeca,quod eſt impedire virtualem peruaſionem.

Dices ergo ſaltem actio in remotius paſſum pendet aliquo modo à virtute medio communicata.

Reſpondeo negando ſequelam, ſed pendet aliquo modo ab ipſo medio, vt à remouente prohibens , adeoque per accidens , nam ſi medium adeo denſum ſit , vt reſiſtentia ſua debilitet virtutem agentis, excludendo à ſe ejuſdem effectum , erit prohibens actionem in diſtās, vel remotius;ſi vero ita ſit diſpoſitum,vt effectum agentis in ſe admittat , & virtuti agentis quaſi tranſitum det , erit remouens prohibens ; non enim ſemper oppoſitum ejus quod impedit actionem, concurrit per ſe effectiue ad actioné,vt patet in multis exemplis; primo calidum vt octo calefaceret vt octo corpus vicinum , ſi non impediretur à frigido vt quatuor,non tamen ſi frigidum vt quatuor fieret calidum vt quatuor mediante illo calefaceret vt octo corpus vicinum ; ſecundo lapis projectus,globus ferreus è tormento bellico excuſſus,rota agitata &c. mouentur localiter virtute illis impreſſa ſecundum probabilem multorum ſententiam,& ſi occurrat impedimentum ceſſat motus, ex quo tamen non ſequitur quod ſublato impedimento,medium, verbi gratia,aër, foret cauſa per ſe vlterioris motus localis.

Dices quid cogit agens vt virtutem ſuam intendat in corpus interpoſitum , vel partem medij ita reſiſtentem?

Reſpondeo naturam agentis non liberi, cujus conditio eſt,vt prius natura per ſe loquendo agat in ſpatium propinquum , quam in remotum : ita quamdiu vis actiua agentis eſt impedita ad ſuperandum propinquum,

propinquum, nihil efficiet in diſtans, quod contactu virtutis non attingat, implicat enim virtutem agere in aliquid, ad quod non ſe extendit.

Obijcies quattò ex Chriſtophoro Gillio prima parte, ſicut operari abſolute haber ſe ad eſſe, ita operari hic, ad eſſe hic, ergo ſicut quod non eſt, non poteſt operari, ita quod non eſt hic, non poteſt operari hic.

Confirmatur ab eodem ex quadam paritate, ſicut enim quod non habet nunc eſſe, non poteſt nunc operari, ita quod non eſt hic, non videtur poſſe hic operari.

Reſpondeo hoc argumentum parum omninò vrgere, quam vis aliquam ſpeciem præ ſe ferat, quod enim non eſt nunc, non habet eſſe abſolute, & ideo nihil mirum ſi non poſſit operari, quod autem non eſt hic, poteſt eſſe alibi, & eſſe abſolute. & certe ſi hoc argumentum cōtra nos valet, valet etiā contra aduerſarios probat enim agens non poſſe agere in propinquum, quia non eſt in ſpatio in quo eſt propinquum. Deinde de ratione agentis actione tranſeunte, in aduerſariorum ſententia, eſt, vt operetur, ſiue effectum producat, vbi non eſt, in quo diſtinguitur ab agente per actionem immanentem, ſecundum ſententiam aduerſariorum.

Obijcies quintò, ſi cauſa ſecunda poſſet agere immediate in diſtans, eſſet perfectior cauſa prima, conſequens eſt abſurdum, ergo & antecedens.

Reſpondeo negando ſequelam; quia agere in diſtans, eſt perfectio quædam ſupponens imperfectionem vel defectum alicujus perfectionis, limitatam nempe & circumſcriptam ſubſtantiam vel entitatem cauſæ, ratione cujus poſſit diſtare à paſſo, vel effectu: Deo autem non conueniunt hujuſmodi perfectiones ſecundum quid, & in particulari hæc, de qua eſt quæſtio, quia propter ſuam immenſitatem non poteſt ab vlla re actuali reali ſpatio diſtare.

Obijcies vltimò, ex operatione Dei in loco recte infertur præſentia illius ſecundum eſſentiam ſeu ſubſtantiam, ita enim patres paſſim, & D. Paulus actorum 17. *non longe*, inquit, *eſt ab vno quoque noſtrum*, ideſt, præſens eſt omnibus, rationem reddens, ait, *in ipſo enim viuimus mouemur, & ſumus*, & Pſalmiſta Regius probat Deum eſſe in extremis maris, quia manus ejus eo deducet.

Reſpondeo his locis non agi de præſentia reali Dei & Phyſica, ſed de intentionali, vnde ad primum dico cum Vaſquez prima parte diſp. 23. num. 14. non eſſe ibi ſermonem de Phyſica Dei præſentia, ſed de intentionali; Apoſtolus enim Paulus eo loco Athenienſes cæcitatis arguit, quod Deum ignorarent, cujus tamen cognitio facillime habetur, nam non longe diſtat à noſtra cognitione, cum illa ipſum attin-

gere poſſit, ex effectibus creatis, in ejus cognitionem perueniens: vnde Apoſtolus eo loco tantum agit de vnitate Dei, quam ait facile poſſe deprehendi, idque ex noſtris motibus, & operationibus; hocque eo fine præſtat, vt Athenienſes à Deorum pluralitate ad vnius veri Dei cognitionem adducat, vt patet ex tota ejus oratione. Ad ſecundum ex Pſalmiſta reſpondeo, ibi etiam non probari Phyſicam præſentiam Dei, ſed probari Deum per cognitionem vbique eſſe præſentem, eo quod lynceos ejus oculos nihil latere poſſit, vt ex argumento ipſius Pſalmi manifeſte patet; *Domine probaſti me & cognouiſti me, tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam: intellexiſti cogitationes meas de longe, &c.* vnde infert propheta ſe non poſſe latere Dei oculos in cœlo, inferno, aut mari, quia cum ibi Deus operetur, probe nouit quod operatur; quare poſtquam dixiſſet, *Et tenebit me dextera tua,* ſtatim addit, *& dixi forſitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delicijs meis, quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus,* legi poteſt Pſalmus, nã in eo clare videbitur nihil aliud agi quã de intentionali Dei præſentia, videri etiam poſſunt D. Hieronymus tom. 8. & poſt ipſum Genebrardus. Reſpondent alij ad hæc loca ſecundò, ex operatione præciſè in genere non inferri legitimè Deum extrinſecè, multo minus rebus omnibus, intime eſſe preſentem, ſed tantum ex operatione in ſpecie, quæ ſcilicet non poteſt conuenire niſi ſuppoſito virtutis infinitæ, & perfectionis, adeoque in immenſum diffuſo, per ſuam ſubſtantiam, vt eſt conſeruatio, & immediata cooperatio cum anima, & omnibus potentijs, ſicuti ex operatione immanenti recte infertur, præſentia agentis in ſpatio vbi eſt operatio, & effectus immanens. Quoad verba aliter reſpondent alij tertio, & dicunt ex aliqua actione in ſpecie colligi præſentiam Dei, non vero ex actione qua actio eſt in genere, actionem autem illam, eſſe vectionem, qua Deus vehit, & manu quodammodo tenet in eſſe omnia, *Portans omnia verbo virtutis ſuæ,* vt loquitur D. Paulus ad Heb. 1. ſed in re hæc reſponſio cum ſecunda coincidit. Vide Leſſium lib. 2. de perfectionibus diuinis, cap. 3. vbi agens de loco illo actuum citato, *Non longe eſt ab vnoquoque noſtrum, in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus,* negat ex eo poſſe colligi præſentiam Dei tanquam ex operatione. *In ipſo* (inquit) *non ſolum tanquam in cauſa efficiente, ſed etiam tanquam in ſede, fundo, & baſi, nos capiente, ſuſtentante, conſeruante, & vndequaq; ambiente; ſi enim ſolum de efficientia, vel conſeruatione actiua loqueretur Apoſtolus, non efficaciter probaret illum non longe eſſe ab vnoquoque noſtrum, Nam ſol longiſſime diſtans à terra in ea tamen lumen, calorem, & res innumeras producit, & conſeruat: Plus ergo voluit, nimirum nos in ipſo eſſe, & viuere ſicut in domicilio, & fundo firmiſſimo, vt loquitur Dionyſius lib. de*

*diuinis nominibus cap.* 1. *&* 10. *Arnobius & Tertullianus.* Qui plura hac de re voluerit conſulat Smiſingum tom. 1. diſp. Theolog. tract. 2. diſp. 5. quæſt. 1. *S. Dionyſius. Arnobius. Tertullianus. Smiſingus.*

# QVÆSTIO OCTAVA.

## *An idem effectus poßit produci à multis cauſis.*

DVPLEX hoc loco quæſtio eſſe poteſt. prima, an idem effectus poſſit produci à multis cauſis totalibus ejuſdem ordinis & rationis. ſecunda, vtrum naturaliter effectus qui producitur ab vna cauſa potuiſſet ab alia cauſa produci. Ad vtriuſque quæſtionis ſolutionem aduertendum eſt, certum eſſe, ejuſdem effectus poſſe eſſe plures cauſas diuerſi generis; patet, quælibet res naturalis compoſita, habet cauſam materialem, formalem &c. Certum eſt ſecundò, non poſſe ejuſdem effectus eſſe plures cauſas materiales, vel formales: patet primò de materiali, quia materia eſt tantum vnius rationis in omni re naturali, quæ ſub cœlo eſt. De formali quoque certa res eſt, nam non poſſunt plures formæ totales eſſe ſimul in aliquo compoſito. Dico formæ totales, quia poſſunt ſimul eſſe plures formæ partiales. Certum eſt tertiò vnius & ejuſdem rei plures eſſe cauſas finales non totales. patet, nam variæ ſpecies rerum naturalium ſunt tum propter pulchritudinē & perfectionē vniuerſi, tū etiā propter ſe inuicem, & propter animalia &c. Certum eſt quartò, vnius & ejuſdem rei poſſe eſſe plures cauſas totales efficientes diuerſi ordinis, id eſt, quarum aliæ ſunt ſuperiores, aliæ inferiores, aliæ vniuerſales, aliæ particulares. patet ex Philoſopho aſſerente Solem & hominem, generare hominem. patet etiā in cauſa prima concurrente cum cauſa ſecunda ad omnes effectus producendos. Certum eſt denique vnum & eundem effectum per ſe produci à multis cauſis efficienribus ejuſdem ordinis. Patet, nam ſol, luna & alia aſtra, ſæpe ſimul comproducunt aliquem effectum in his inferioribus: Illa autem ſunt cauſæ vniuerſales efficientes ejuſdem ordinis. ſimiliter duo homines poſſunt mouere lapidem, & currum duo equi, his ergo ſuppoſitis tanquam certis. I.

Dico primò, non poſſe eſſe ejuſdem effectus naturaliter loquendo & ejuſdem ordinis & rationis plures cauſas totales conjunctim. Eſt communis ſententia Philoſophorum, Scoti in 3. diſt. 1. quæſt. 2. & in 2. diſtinct. 2. quæſt. 2. D. Thomæ 1. part. quæſt. quinquageſima ſecunda articulo tertio, & tertia parte quæſtione octuageſima ſecunda articulo ſecundo. contra quoſdam Nominales. II. *Prima concluſio. Scotus. S. Thomas.*

Probatur concluſio primò ex Philoſopho, qui in hac ſententia eſt *Varia probationes concluſionis.*

clariſſime 5. Metaph. cap. 2. Ratione etiam, quia fruſtra daretur in natura concurſus alterius cauſæ totalis. & confirmatur quia ſi poſſent dari, non poſſet commode ſaluari, quomodo panis deſinat eſſe panis ex vi tranſubſtantiationis in Corpus Chriſti, non enim aliomodo deſinitniſi quia panis non poteſt amplius ſuſtentare accidentia à quibus dependet, non poteſt autem ſuſtentare, quia totaliter Deus & Corpus Chriſti ſupplerent concurſum panis. quod ſi effectus poſſet naturaliter dependere à duabus cauſis totalibus, non ſequeretur panem neceſſariò deſinere, quia poſſet etiam totaliter cócurrere ſimul cum Corpore Chriſti. his argumentis addi poterunt quæ in confirmationem ſequentis concluſionis adducemus.

Dices ſit minima materia combuſtibilis, & ad combuſtionem optime diſpoſita, verbi gratia, modica ſtuppa, quæ ponatur inter duos ignes debitè approximatos, quorum quilibet ſit ſufficiens ad producendum ignem in dicta materia. Iam, vel ignis generabitur ex tali materia, vel non, dici non poteſt ſecundum, quia agente naturali debitè approximato, & materia rectè diſpoſita, de neceſſitate ſequitur actio: ſi primum, ergo cum non ſit potior ratio cur producatur potius ab vno igne quam ab alio, dicendum erit ab vtroque produci, & conſequenter dabuntur plures cauſæ totales ejuſdem effectus.

Reſpondeo varie ad hoc argumentum ab authoribus reſponderi. primò enim reſpondet Iauellus ignem non productum iri, poſita illa hypotheſi, eo quod, inquit, contradictio eſt ignem ab vtraque cauſa produci, & à neutra dependere. hæc reſponſio non eſt improbabilis & facile defendi poteſt, verú facilius & clarius reſpondent alij ſecundò, duos illos ignes habituros locum agentiú partialiú, ita vt vna pars ignis producti, ſit totaliter ab vno igne, & alia pars ab alio, quia ſcilicet cum ſtuppa ſit extenſa & quanta, fieri non poteſt quin vna ejus pars ſit proximior vni igni, altera alteri. vnde vterque ignis producit ignem in parte ſtuppæ ſibi proxima, quod ſane inde manifeſtum eſt, quia ſi tantum eſſet vnus ignis, ſed prope appoſitus, etiam in ſententia aduerſariorum, prius diſponeret & combureret partem ſibi proximam, quam remotam; Omne enim agens corporeum perfectius & validius agit in propinquum, cæteris paribus, quam in diſtans, ergo duobus appoſitis ignibus ſtuppæ, dum vnus agit in vnam partē alius agit in aliam partem, & ſic ſimul comproducunt totum ignem, vnus quidem vnam partem, alius aliam. hæc ſecunda reſponſio valet ſi duo ignes ita ſtuppæ applicentur, vt dum vnus agit in vnam partem ſibi proximam, eodem inſtanti non poſſit agere in partem magis remotam. verum quia poni poteſt etiam poſſe agere partem magis remotam, ideo, reſpondeo tertiò, ignem productum iri ab vtroque igne, ita vt vterque ignis agens, ſit tantum cauſa partialis ignis producti,

vnde vterque habebit locum agentium partialium, non quod quilibet nó poſſet ſeorſum producere totaliter ignem, ſed quia ſimul contingit eos producere, quemadmodum ſi duo homines ſimul moueant aliquod pondus, quilibet eorum mouet tantum partialiter, licet vterque ſeorſim idem poſſet mouere, quia non adhibet ranram virtutem in mouendo, quanram ſi ſeorſim moueret. eodem plane modo, duo ignes producunt eundem ignem, ſed partialiter, quia ſcilicet vnuſquiſque minori virtute, ideſt minori calore & concurrit, quam ſi per ſe ſolum ageret. Omnes hæ reſponſiones faciles ſunt, vt dixi: ſecunda & tertia parum differunt, prima quæ ab illis differt ſuam etiam probabilitatem habet, ſimile enim quid contingit cum aliquod pondus, verbi gratia, oblongum, inſiſtit alicui plano, ita vt impediat ejus deſcenſum deorſum, ſi enim rectum inſiſtat & ſecundum omnes partes vniformiter graue ſit, non deſcender etiam per motum circularem, qui tamen à plano non prohibetur, neque enim eſt ratio cur in vnam partem fiat potius quam in aliam: idem in caſu argumenti dici poteſt fieri, quia duo agentia agere ſimul non poſſunt, & nulla major eſt ratio cur vnum potius, quam alterum agar, neutrum aget.

Dico ſecundò nequidem per diuinam porentiam fieri poſſe, vt vnus & idem effectus procedat conjunctim à pluribus cauſis totalibus ejuſdem generis & ordinis. hæc concluſio eſt Scoti & Scotiſtarum omnium, & ex Thomiſtis Soncinatis 5. Metaph. quæſt. 6. Iauelli ibidem. Ferrarienſis 3. contra Gentes cap. 68. Dominici de Flandria 5. Metaph. quæſt. 2. art. 3. Capreoli in 3. diſtinct. 1. quæſt. 1. art. 3. poſt D. Thomam 1. parte quæſt. 52. art. 3. vbi impoſſibile eſſe ait, quod duæ cauſæ completæ ſint immediatè vnius & ejuſdem rei, quod patet, inquit, in omni genere cauſatũ, vna eſt enim cauſa proxima vnius rei, & vnum eſt proximum mouens, nec haber inquit inſtanriam de pluribus trahentibus nauem, quia nullus eorum eſt perfectus motor, cum virtus vniuſcujuſque ſir inſufficiens ad mouendum, ſed omnes ſunt loco vnius motoris, inquantum omnes virtutes eorum aggregantur ad vnum motum faciendum. ſimilia habet in 1. diſtinct. 37. quæſt. 1. art. 1. ad 4. quæſt. 3. art. 3. & 5. Metaphyſ. in cap. de cauſa. III. *Concluſio 2. Scotus.* *D. Thomas.*

Probatur primò contra Suarium, Baranzanum, & alios, argumento Scoti; nam ex hypotheſi quod vtrumque agens cauſet effectum, euidenter concluditur, effectum pendere ab vtroque, nam nihil aliud eſt eſſe effectum, quam ab alio pendere; poſito autem quod vtrumque agens ita concurrat vt quodlibet ſufficienrer det eſſe effectui, euidenter etiam ſequitur, quod quolibet ablato, effectus remanſurus ſit in ſuo eſſe; ad hoc enim vt effectus remaneat in ſuo eſſe, nihil aliud requiritur, niſi vt remaneat cauſa ſufficiens illum producere, cum ergo quælibet ſit ſufficiens in caſu noſtro per ſe ſumpta, & concurrat con- *Prima eius probatio.*



Digitized by Google

curſu ſufficiente, quælibet etiam per ſe ſumpta retinebit effectum in ſuo eſſe, etiam altera ſublata, hoc autem ſi verum eſt, ſequitur vlterius effectum non habuiſſe dependentiam ab alia cauſa, qua ablata, adhuc remanet: hoc enim eſt ab alio pendere, ita illi ſubordinari in ſuo eſſe, vt ablato illo, etiam illud pereat, quod dicitur dependere: Quod autem hæc ſit vis hujus conceptus, dependentia; patet tum ex communi conſenſu veterum omnium, qui hæc vocabula inuexerunt, apud quos nihil communius, quam ablata cauſa auferri effectum: quod axioma in eo nititur, quod id à quo illud pendet, eum ordinem habeat ad illud, vt non poſſit illud remanere, niſi etiam hoc remaneat, tum etiam ex ipſa metaphora, quæ in hac voce, *dependentia,* reperitur: Clarum enim eſt hanc vocem tranſlatam eſſe ad cauſas, ex ponderibus, quæ interdum ex aliquo loco ſuſpenſa ſunt; vnde quemadmodum ablato, exempli cauſa, clauo, vnde aliquid ſuſpenſum eſt, neceſſarium eſt vt illud decidat, ita proportionaliter neceſſarium omnino eſt, vt ablata cauſa, à qua pendet effectus, effectus pariter à ſuo eſſe cadat. hoc ſi verum eſt, vlterius ſequitur, quod ſi idem effectus ſit à pluribus cauſis totalibus, à quolibet pendere, & à neutro pendere, vt probatum eſt, hæc autem implicant, implicat ergo effectum aliquem pendere à pluribus cauſis totalibus. Ex his refelli facile poteſt Suarius aſſerens in hoc noſtro argumento cõmitti fallaciã in illa particula *per ſe*: nã cauſa per ſe, non eſt, in quit, illa à qua non poteſt non procedere effectus, ſed ea in cujus virtute actiua continetur, & ad illud producendum per ſe ordinatur, ſiue poſſit ab alia cauſa procedere, ſiue non. facile inquam poteſt refelli, nam dependere per ſe vnum ab alio, nihil aliud eſt quam non poſſe ſaltem naturaliter reperiri ſine eo, & propterea anima rationalis per ſe non pendet à materia, licet formæ materiales pendeãt, quia anima poteſt eſſe ſine corpore, licet illæ non poſſint; ſed effectus qui fieret à duabus cauſis totalibus, poſſet naturaliter poni ſine quavis ex illis in particulari, vt fatetur Suarius, ergo &c.

*Refellitur Suarius.*

Probatur 2. effectus in fieri dicit indigentiã, ſed indigentia totaliter expletur per cõcurſum vnius cauſæ, ergo implicat &c. & quia ratione dependentiæ dicit ordinẽ ad cauſam, ſi ſupponitur ſublata indigentia, ſupponitur etiam ſublatus ordo ad cauſam. Rurſus indigentia effectus, eſt totaliter expleta ab vna cauſa, ergo non poteſt in fieri dicere dependentiam ab alia, ergo ſequitur repugnantia & contradictio, quod nempe in illo fieri dependeat, & non dependeat a ſua cauſa.

Probat[illegible] tertiò, quia tota & ſola ratio, cur implicet Deum pendere ab vlla cauſa, eſt, quia ſibi ſeipſo ſufficit adhoc vt ſit, ergo ſi aliquis effectus per influxum vnius cauſæ ſibi ſufficit ad eſſendum, non magis poterit terminare influxum alterius cauſæ, quam ſi eſſet Deus. Hæc

ratio oprimè præcedentem confirmat.

*Aduerſariorum argumenta diluuntur.*

Obijcies primò, plures Sacerdotes recenter ab Epiſcopo ordinati, conſecrant eandem hoſtiam, quam quilibet eorum ſufficiens eſt conſecrare, ergo in eo caſu dantur plures cauſæ totales. Idem quoque accidit cum ordinatur Epiſcopus. Neque audiendus eſt Cajetanus 3. parte, quæſt. 82. art. 2. qui venia petita, ait, ſibi probabilius videri Sacerdotes illos non conſecrare, ſed tantum proferre ea verba, non eſt inquam audiendus, nam expreſsè monentur Sacerdotes, antequam verba conſecrationis proferant, vt intentionem habeant conſecrandi, quod ſine dubio non eſſet receptum in Eccleſia, niſi verè conſecrarent.

Reſpondeo negando conſequentiam; tum ex parte Dei, qui ita cum ſingulis tunc concurrit, vt omnes ſimul, & ſinguli partialiter faciant vnum concurſum totalem, & adæquatum effectui producendo, tum ex parte conſecrantium, quia vt refert D. Thom. 3. part. quæſt. 282. Innocentius 3. ait omnem intentionem, vel referri, vel ſaltem debere referri, ad idem inſtans conſecrationis, alioquin qui primus abſoluit ille conſecrat, cæteri nihil, actum enim agerent: habent ſe ergo in hoc caſu plures Sacerdotes, vt agentia partialia, licet enim vnuſquiſque ex illis quando ſoli concurrunt, ſufficientem habeat virtutem, tamen cum plures ad eandem conſecrationem concurrunt, habent rationem agentis partialis, quod ex eo facile intelligitur, quod Sacerdotes ſe habent vt inſtrumenta diuinæ potentiæ, neque concurrunt ad cònſecrationem virtute propria, ſed diuina. Cum ergo ſoli conficiunt ſacramentum tunc, quia illis totaliter applicatur virtus diuina, habent rationem agentis totalis, cum autem plures conſecrant, tunc quia Deus ſingulis totaliter non applicat ſuam virtutem, vnuſquiſque eſt agens tantum partiale.

Obijcies ſecundò; ſi effectus procedat indiuiſibiliter à duabus cauſis, vtraque erit cauſa totalis illius effectus, ſed per diuinam potentiam procedere poteſt effectus aliquis indiuiſibiliter à duabus cauſis ejuſdem generis, & ordinis, ergo &c.

Reſpondeo quod ſi hoc fieri poſſit, quod concurrent tantum partialiter illæ cauſæ pro exigentia effectus, neque refert quod eſſent fortaſſis cauſæ, agentia naturalia, in quibus non eſſet libertas, vt modo plus, modo minus influerent in effectum, quia ad Deum naturæ authorem in eo caſu pertineret, vt ſolum cum illis tantum concurreret quantum exigeret effectus, producendus, & hoc eſſe illis à natura datum dici poſſet, vt majorem vim non exercerent, quam poſtulent effectus producendi.

Obijcies tertiò, ſupra argumentati ſumus, id quod dependet ab alio, eo ablato perire, & conſequenter ablata aliqua ex illis cauſis peri-

re effectum, vt probaremus non poſſe vnum effectum procedere à duabus cauſis totalibus, hoc autem argumentum nullum eſt, ergo &c. minor patet quia lumen, inquit Suarius, productum, ab vno corpore luminoſo pendet ſine dubio ab illo, & tamen remoto corpore illo luminoſo poteſt ab alio conſeruari, ergo falſum eſt omne quod ab alio pendet, ita illi ſubordinati, vt debeat perire illo ſublato.

Reſpondeo optimè nos fuiſſe argumentatos, quo præter dicta ex eo confirmari poteſt, quod creaturæ dicantur pendere à Deo ex eo præciſe, quod illæ abſque ejus operatione & voluntate, in nihilum redigi non poſſint, & è contra ex eo quòd ablato ejus concurſu in nihilum redirent, vnde inferimus eas ab ipſo pendere, ex quo refellitur Suarius qui aſſerit, id quod ab alio pendet perire communiter dici, intelligi debere, quando id à quo pendet eſt tantum vnum, refellitur, inquam, nam præciſè, nullo alio addito, putatur ſufficiens conſequentia, quod ſi res pendent à Deo, in nihilum redigerentur ſine ejus concurſu, quod ſignum eſt, quod, quod aliquid perea ablatto alio, otiatur ex mera dependentia, & hoc ſatis eſſe, abſque vllo alio, vt res ex ablatione alicujus pereat.

Confirmatur præterea ex indigentia, de qua ſupra, quæ eſt in vnoquoque quod dicitur pendere ab alio, nam niſi res pereat ablato eo à quo pendet, explicari non poteſt qua ratione illo indigeat, nam ſi ſine illo æque bene permanere poſſit, erit ſibi ſufficiens, vel certe alia quæ habet etiam illo dempto, erunt ſufficientia, quare illo non indigebit, & quod hinc ſequitur, neque ab illo pendebit, ex quo ſumi poteſt alia implicātia in ſententia aduerſariorum nimirum effectum qui ponitur à pluribus cauſis totalibus procedere, quâlibet illarum egere, & non egere. Ad illud de lumine, duplex eſt authorum reſponſio; nam quidam primò ajunt non perire lumen, ablato luminoſo, à quo eſt productum, & à quo pendebat in conſeruari, quia aliud luminoſum ſubſtituitur loco illius, in caſu autem noſtro nihil ſubſtitueretur in locũ cauſę quæ aufertur, & res non periret, & conſequenter hoc in aliud referre non poſſumus quam quod, id quod ponitur cauſa, verè non ſit cauſa.

Obijcies quartò, poteſt natura humana vna numero aſſumi à tribus diuinis perſonis, & ſubſiſtere per tres ſubſiſtentias diuinas, ergo vnus effectus poteſt pendere à tribus cauſis totalibus.

Reſpondeo negando antecedens cum Scoto in 3. diſt. 1. quæſt. 2. & Scotiſtis omnibus poſt S. Anſelmum de Incarnatione Verbi cap. 7. & 2. cur Deus homo capite 9. quidquid in contrarium Thomiſtæ contendant. alij conceſſo antecedente negant conſequentiam, diſparitatem ajunt eſſe, quia vt docet Capreolus in 3. diſt. 1. quæſt. 1. art. 3. totum id quod in eo caſu eſſet dependentiæ propriè ſumptæ, tanquam

quam cauſati à cauſa; totum eſſet ab abſoluto, ſiue quod idem eſt, à tribus perſonis ratione abſoluti; vnde cum abſolutum ſit vnum & idem in omnibus, non eſſent in illlo caſu tres cauſæ totales, vt patet à ſimili; in virtute creatiua, quæ ex eo quod vna ſit in tribus perſonis, non ſunt tres creatores. hæc reſponſio meo iudicio non poteſt ſuſtineri: quapropter retinenda videtur præcedens. Quod ſi quæras rationem implicantiæ. Reſpondeo eſſe, quia vna perſona totaliter terminat dependentiam naturæ, ergo non poteſt dependere à pluribus, conſequentia conſtat ex dictis. Antecedens probatur, quia perſonalitas creata totaliter terminat illá, ita vt ipſa ſtante, non poſſit eſſe ſimul cum alia perſona creata vel increata, ſed non minus terminat eam perſonalitas perſonæ diuinæ quam terminetur in ſe, ergo perſonalitas vnius perſonæ diuinæ ita terminat naturam, vt ea terminante, non poſſint aliæ terminate.

Obijcies quintò, nó implicat dari eiuſdẽ effectus plures cauſas totales diuerſi generis & ordinis. antecedens patet; Deus, Sol, & homo, ſunt cauſæ efficientes totales hominis, ergo &c.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia totales eiuſdem generis, diuerſi tamen ordinis, habent ſubordinationem ad inuicem, vnde vna aliam non ſemper excludit. Quod maxime intelligitur reſpectu cauſæ primæ & vniuerſalis. At cauſæ totales eiuſdem ordinis ſubordinationem non habent, & qua totales ſunt, implicitè ſeſe excludunt, vt conſtat ex dictis.

Obijcies ſextò, poſſunt plures quantitates replere aliquem locum, & tamen quælibet ſufficeret ad illum replendum ergo, &c.

Reſpondeo negando conſequentiam, ibi enim ſunt duo effectus, duæ nempe repletiones, ſiue duæ præſentiæ ad eundem locum, ſicut ſi duæ formæ eſſent in eadem materia, non eſſet vnus effectus, ſeu vnum compoſitum, ſed duplex. Ita Scotus loco citato.

Obijcies vltimò, poteſt poni vnum accidens in pluribus ſubjectis, & ab illis pendere tanquam ab adæquatis cauſis materialibus, ergo, &c.

Reſpondeo conceſſo quod Deus poſſit ponere in pluribus ſubjectis vnum & idem accidens numero, negandum eſſe illud accidens poſſe pendere ab illis pluribus tanquam à cauſis totalibus, propter implicantias allatas.

Hæc de hac quæſtione, id eſt, vtrum poſſit effectus aliquis pendere à pluribus cauſis totalibus conjunctim.

Supereſt jam 2. quæſtio quam propoſuimus, vtrum nimirum poſſit aliquis effectus procedere à pluribus cauſis totalibus diuiſim, ſiue quod idem eſt, vtrum effectus qui producitur ab igne A. produci potuiſſet ab igne B. ſi eidem Materiæ applicatus fuiſſet.

Dicendum autem eſt, poſſe naturaliter duas cauſas totales ad eundem numero effectum diuiſim concurrere, ſiue illæ cauſæ ſint vniuocæ, ſiue æquiuocæ.

*Concluſio, duas cauſas diuiſim poſſe naturaliter ad eundem effectum concurrere.*

Senſus concluſionis eſt potuiſſe, verbi gratia, ignem, vt dixi, qui ab igne A. in hoc loco, & tempore productus eſt, naturaliter produci ab igne B. vel C. ſi applicati fuiſſent, imo etiam in alio tempore vel loco, vnde determinatio cauſæ ad productionem huius potius quam illius effectus à Deo tanquam à primo mouente, cui in agendo ſubordinatur, petenda eſt. Hæc concluſio eſt Scoti in 2. diſt. 2. q. 2. & Scotiſtarum omnium. Præterea eſt Suarij diſp. 26. Met. ſect. 5. Hurtadi diſp. 10. Phyſicæ ſect. 4. Salas, Leſſij, & aliorum contra communem ſententiam Thomiſtarum, & præterea contra Fonſecam, Baranzanum, & alios.

*Efficax concluſionis Probatio.*

Probatur breuiter. ſi non poſſet idem numero effectus à duabus cauſis diuiſim applicatis procedere, id contingeret vel ex parte virtutis actiuæ, quia cauſæ ex naturali ſua inclinatione determinarent ſibi indiuidua, & faceret cauſa, hic & nunc, hoc numero indiuiduum; vel ex parte effectus producti, qui poſtulat natura ſua vnam determinatam cauſam, à qua fiat; vel tandem ex parte circumſtantiarum determinantium cauſalitatem, & effectum productum; ſed nihil horum obſtare poteſt, ergo, &c. non primum, nam indiuiduatio ſola & hæcceitas cauſæ conſtituit tantum indiuiduum cuius eſt hæcceitas, & non determinat ad aliud ſimile in ſpecie producendum, & ſi determinaret, ad vnum tantum indiuiduum determinate poſſet, vt major eſſet proportio & ſimilitudo inter vnitatem effectus & cauſæ, quod eſt manifeſte falſum; non ſecundum, quia entitas effectus eſt abſoluta, nec pendet eſſentialiter ab vllo agente vniuoco, ergo non poſtulat dependentiam, ab hac neceſſario cauſa vt magis connaturalem ſibi, quam ab alia, ergo nec poteſt ſibi determinare hanc numero dependentiam, potius quam aliam, cum dependentia effectus à cauſa vniuoca, accidentalis ſit, & ſeparabilis ab ipſo. Adde quod ſi connaturale eſſet omni effectui determinare ſibi vnam tantum cauſam, deberet determinare ſimpliciter vniuocam, vel æquiuocam, ſaltem inter creatas, cum enim hic conſideremus determinationem vel indifferentiam ex parte effectus, non ex parte cauſæ, ſi repugnat effectui indifferentia, & ſi eſt natura ſua determinatus ad dependendum ab vna tantum cauſa ſingulari, non poteſt virtute in pluribus contineri, ſiue vniuocæ, ſiue æquiuocæ ſint, ſed idem effectus numero qui fit ab vniuoca, poteſt fieri ab æquiuoca, non ſolum prima, ſed etiam ſecunda, & creata: Cauſa quippe æquiuoca vel vniuerſalis, quia non formaliter ſed eminenter continet effectum, poteſt per ſe totam ſpeciem, & omnia indiuidua ſub illa contenta reſpicere, ergo ſequitur

ex parte effectus non repugnare, quin naturaliter pendere poſſit ab illa cauſa ſiue vniuoca, ſiue æquiuoca, cum ex parte effectus non poſſit aſſignari Maior ratio repugnantiæ in ordine ad has quam ad illas; nec denique tertium obſtare poteſt petitum ex circumſtantijs adjunctis, quia omnes huiuſmodi circumſtantiæ, vel ſunt indifferentes, vel extrinſecæ, vt tempus, locus, &c. ſed ex multis indifferentibus non poteſt fieri vnum principium determinatum, ſicut nec ex multis vniuerſalibus vnum ſingulare, nec ex extrinſeco oriri poteſt habitudo intrinſeca rei, ergo, &c. addi poſſent alia argumenta, vt nimirum, quod materia ex ſe recipere poſſit formas, quas alia materia habet, ergo, &c. Quod rationes aduerſariorum non magis militent contra cauſas vniuocas quam æquiuocas; Quod effectus contentus ſub objecto cauſæ vniuocæ contineatur eminenter in cauſa æquiuoca, &c. ſed breuitatis cauſa illa omitto. Tantum aduerto me hanc ſententiam teneri ſecundum rei veritatem, non ſecundum mentem Ariſtotelis, & falſa eius principia contra Fidem, quibus exiſtimauit omnia euenire ex neceſſitate. Aduerto præterea noſtram concluſionem procedere tantum de ijs effectibus, qui alioqui non ſunt ſupra vires cauſæ, vt eſſet, verbi gratia, calor vt acto reſpectu caloris vt quatuor. Tertio aduerto etiam loqui nos de ijs agentibus quæ non præbent materiam; vnde quia viuentia præbent ſemen, in quo eſt materia viuentis producendi, hoc viuens, quod producitur ab hoc, non poſſet idem produci ab alio. Denique aduerto non intelligere nos, hanc noſtram concluſionem de ſpeciebus intentionalibus, in quibus eſt peculiaris ratio determinationis, quæ in alijs non interuenit, ſpecies enim habent peculiares habitudines ad objecta quæ repræſentant. idem dicunt aliqui etiam de actibus immanentibus, id eſt, actionibus vitalibus, & habitibus, &c. ſed fortaſſe non eſt eadem ratio actionum vitalium, & ſpecierum intentionalium, nam quod vnus non poſſit elicere intellectionem quæ elicitur ab altero, non refertur neceſſariò in cauſam efficiẽtem; poteſt enim quis reducere in cauſam materialem, ita vt ideo non poſſit vnus elicere intellectionem alterius, quia non educit intellectionem ex eodem intellectu, quo alius educit.

Objicies primò, cum Dominico Soto, non eſſe Philoſophicum cõfugere ad primam cauſam, & reuocare determinationem ad illam, IV.
ac aſſerere Deum determinare cauſas indifferentes, hic & nunc ad *Contraria Argumẽta diluuntur.*
productionem horum potius quam illorum effectuum, cum prima cauſa ex ſe non concurrat, niſi influxu generali, & indifferente ergo, &c.

Reſpondeo Deum non determinare cauſam creatam, quo ad ſpeciem, ſed tantum quo ad numerum, & hoc eſſe maximè Philoſophicum, neque valet illud quod additur de influxu generali, & indiffe-

rente, nam ſi primum agens indifferenter concurreret, cum hoc agente particulari ad omnia effecta, quæ ab hoc produci poſſent, cum hoc indifferens ſit ad infinita, non magis produceretur hoc, quam illud, ac proinde aut omnia, aut nihil. Tolleretur præterea ratio Diuinæ Prouidentiæ, ad determinata indiuidua pertinentis, non intenderet enim Deus certa, & determinata indiuidua, ſed vage hoc vel illud.

Obijcies ſecundò, noſtra concluſio locum non habet in cauſis liberis, ergo neque in alijs.

Reſpondeo negando antecedens, & ratio negationis eſt, quia non poteſt cauſa libera hanc actionem alteri liberè præferre, cum eam non cognoſcat, & tamen facere deberet, ſi verum eſſet quod dicitur in argumento, poteſt quidem volũtas repræſentato objecto illud aut amare, aut odiſſe, ad quod non eget cognitione reflexa amoris & odij, ſed directa tantum cognitione bonitatis, & malitiæ: poteſt tamen intra latitudinem intenſionis, quam cognitio patitur, illud intensè amare, aut odiſſe. Quemadmodum enim totus amor in ejus eſt poteſtate, ita & quæuis determinata pars intenſionis actus ejuſdem, quia ad hoc ſufficit ſola cognitio bonitatis objecti, cum modo illud indifferenter repræſentandi. Sed quo principio moueri poteſt, ad præferendum actũ hujus amoris, alteri actui ejuſdem ſpeciei? Cum igitur ab aliquo determinetur voluntas ad hunc actum numero, potius quam alium, dicendum hoc fieri à Diuina voluntate.

Obijcies tertiò, cum Fonſeca, ſi effectus non pendet à determinata cauſa, non pendebit per ſe connaturaliter ab illa, ſed tantum per accidens, hoc autem abſurdum eſt ergo, &c.

Reſpondeo pendere hunc effectum per ſe, ab hac cauſa, quæ hic & nunc applicata eſt, quia ab ea vere, & propriè accipit ſuum eſſe, per accidens vero pendet ab illa quatenus contingens, & extra illius eſſentiam eſt, quod ab hac cauſa numero potuis quam ab alia fiat, neq; in hoc vlla eſt repugnantia, cum vox per accidens, modo cauſæ ſimpliciter apponatur, modo cauſæ ſimpliciter, & neceſſariæ, vel vniuocæ, quo ſenſu ſic cònceditur.

Obijcies denique ex noſtra ſententia ſequitur, idem poſſe producere ſeipſum, & cauſamà qua productum eſt, hoc autem eſt abſurdum ergo, &c.

Reſpondeo neutrum ſequi; non primum, quia eis effectiua non reſpicit ſeipſam, ſed aliquid à ſe diſtinctum, ſolum ergo ſe extender, ad eos effectus ejuſdem ſecum ſpeciei, à quibus tamen eſt numero diuerſa, non ſecundum, nam quamuis effectus potuerit producere cauſam ſuam, quantum eſt ex vi potentiæ actiuæ, tamen non ſequitur abſolute, poſſe producere ſuam cauſam, cum enim anteceſſerit, ab illo produci non poteſt: nullum ergo incommodum hac ex

parte ſequitur, in noſtra ſententia, tantum enim dicimus quod ſi individua ejuſdem ſpeciei, ſecundum ſe conſiderentur, & non præſupponatur vlla conditio repugnans, qualis eſſet ſi ſupponeretur iam eſſe, vel extiriſſe, effectum habere hoc ex vi ſua agendi, vt poſſit eſſe cauſa cujuſlibet indiuidui in ſua ſpecie.

*Corollarium quoddam ex præcedenti doctrina.*

Hinc infer dari prædeterminationem Phyſicam; cum enim voluntas, exempli gratia, ex ſe indifferens ſit ad plures actus a motis ejuſdem omnino rationis, debet, vt dictum eſt, determinari à prima cauſa; quæ determinatio fieri non poteſt, niſi per prædeterminationem Phyſicam, non enim fieri poteſt niſi per receptionem alicujus à Deo, non niſi prædeterminationis Phyſicæ, ergo &c. Quod debeat hæc determinatio à Deo fieri per hoc quod voluntas, exempli gratia, aliquid recipiat. probatur primò, quia determinatur à Deo tanquam à primo efficiente, & in genere cauſæ efficientis, ergo per influxum receptum, nec enim aliter determinat cauſa efficiens quam influendo. ſecundò probatur, quia cauſa dicitur determinata per aliquid in ea reſidens, neque enim denominatur determinata extrinſecè, ergo per aliquid receptum. tertiò probatur, quia determinatio tollit indifferentiam & indeterminationem, ergo in eo recipi debet in quo eſt indifferentia, vt eam expellat; cum enim indifferentia ſit in cauſa, non in effectu, in eadem recipi debet determinatio, non in effectu, ergo in cauſam debet Deus influere. Ex quo patet non ſufficere prædefinitionem extrinſecam, quicquid in contrarium dicat Suarius; quia præter extrinſecam, debet dari determinatio intrinſeca in cauſa, vt probatum eſt. Sed quia de hac re grauiſſima eſt difficultas ſit.

*Reiicitur Suarium negans prædeterminationē.*

# QVÆSTIO NONA.

*Vtrum cauſa ſecunda præter concurſum Dei ſimultaneum indigeat concurſu prædeterminante.*

AGGREDIMVR quæſtionem prolixam, maximi momenti, & inter Philoſophos recentiores, ac Theologos, ſumma animorum contentione agitatam. Quapropter, vt clarius in ea procedatur, in quinque dubia quæſtionem totam diuidemus.

# DVBIVM SECVNDVM.

*Referuntur ſententiæ de propoſita controuerſia, earumque fundamenta proponuntur.*

1.

PRIMA ſententia eſt eorum qui dicunt ad quamcumque actionem naturalem cauſæ creatæ Deum concurrere concurſu tamen ſimultaneo, & non præuio. hujus ſententiæ jnuentor fuit Ludouicus Molina, vt infra dicemus, eumque poſtea ſecuti ſunt, Suarius, Valentia, Vaſquez, Leſſius, De Coninck, Salas, Rubius, Conimbric. & alij ex Societate Ieſu, quos ſecuti ſunt Maſcaregnas, Malderus, Dioteleuius, Baranzanus, Petrus à Sancto Ioſeph, Moriſanus, & alij; qui pro ſe citant ſed perperam quoſdam veteres. Probant hanc ſententiam primo; quia ſi Deus prædeterminaret quamcumque cauſam creatam, præmoueretque ad agendum, euerteretur in cauſis liberis libertas; hoc autem repugnat fidei Chriſtianæ, ergo, &c. Major probatur, & primò quidem quod euerteretur libertas quo ad ſpecificationem actus, deinde quo ad exercitium; de ſpecificatione, quia tunc tollitur indifferentia in voluntate quo ad ſpecificationem actus, quando aliquo modo efficitur, vt ipſa non poſſit producere niſi vnum actum determinatum in certa ſpecie: ſed ſi ponatur prædeterminatio Phyſica, non poterit voluntas elicere niſi actum certum in aliqua ſpecie, ad quem ipſa Phyſicè prædeterminatur, ergo poſita præmotione illa tollitur indifferentia & libertas quo ad ſpecificationem. Idem argumentum eodem fere modo formari poteſt de libertate quo ad exercitium.

*Prima ſententia negans Prædeterminationem Phyſicam, quæ eſt patrum Societatis; eiuſque inuentor fuit Molina.*

*Prima eius probatio.*

Reſpondent aliqui primo, ex hac præmotione non tolli libertatem, nec quo ad ſpecificationem, nec quo ad exercitium, cujus rei rationem reddunt, quia, inquiunt, de ratione libertatis eſt tantum, vt poſitis prærequiſitis ad agendum poſſit voluntas ſiue agens liberum in ſenſu diuiſo non agere, non autem vt poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum, in ſenſu compoſito, poſſit non agere.

Sed contra hanc reſponſionem vrgent prædicti authores, quia hæc reſponſio confundit operationem naturalem, cum operatione libera; nam ſi ad vſum libertatis ſufficit, vt creatura libera ablata aliqua ex conditionibus præuijs poſſit non agere, omnia agentia naturalia agent liberè; etſi enim poſitis omnibus præuijs neceſſario agant, ſublata tamen aliqua ex conditionibus, verbi gratia, approximatione, aut paſſo, poſſunt non agere, vt patet, in igne, nunquam enim combu-

ret ſi lignum numquam fuerit applicatum. ſecundò quando definitur cauſa libera eſſe, quæ poſitis omnibus ad agendum præ requiſitis poteſt agere, & non agere, &c. definitio procul dubio intelligi debet in ſenſu compoſito, vt, quod poſitis omnibus ad agendum requiſitis, & illis ſtantibus, poſſit agere & non agere; alioqui ſi intelligatur in ſenſu diuiſo, omnis cauſa ſecunda erit dicenda libera, ignis enim, verbi gratia, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, ita agit, vt illis remotis, poſſit non agere: qui conſtringitur Catenis, ita ceſſat ab ambulatione, vt ſi ſoluatur, poſſit ambulare: jugulatus qui dicitur neceſſario mori, ita moritur, vt poſſit non mori, ſi jugulatio non poneretur. Certum itaque eſt illam definitionem debere intelligi in ſenſu compoſito: quod ipſum confirmatur ex communi modo loquendi, quia quãdo dicimus poſſe aliquem tentatum, inuitatum, diſſentire, intelligimus ſtante tentatione, inuitatione, &c. ſimiliter quando dicimus ciuitatem oppugnatam poſſe inimicis reſiſtere, intelligimus in ſenſu compoſito, illis nempe perſiſtentibus; alioqui enim minimus pagus poſſet integro exercitui reſiſtere, ſi ille exercitus abeat: cum ergo authores hujus reſponſionis concedant prædeterminatum in ſenſu compoſito, id eſt, ſtante prædeterminatione non poſſe non agere, manifeſte ſequitur definitionem cauſæ liberæ non conuenire cauſæ prædeterminatæ; nam cauſa libera eſt quæ poſitis omnibus ad agendum præ requiſitis, & illis ſtantibus, poſſit non agere.

Reſpondent alij ſecundò, poſita prædeterminatione adhuc manere libertatem, & Deum qui nouit omnia, noſſe, quomodo poſſit voluntas prædeterminari, & tamen libere agere, ac proinde Deum ita prædeterminare voluntatem, ſicut nouit libere acturam, & hoc vt fortiter & ſuauiter omnia diſponat.

Sed contra hanc reſponſionem vrgent etiam prædicti authores, quia implicat contradictionem cauſam eſſe prædeterminatam, & tamen liberè agere, alioquin, inquiunt, ſimili modò dicere poſſemus Deum qui omnia nouit, noſſe quomodo poteſt fieri mons ſine valle, & eomodo facere, quo nouit; ſed re vera Deus non nouit quomodo id fieri poſſit, quandoquidem id fieri non poſſit: eodem modo fieri non poteſt, vt cauſa prædeterminata agat libere: Deus ergo non nouit quomodo voluntas poſſit prædeterminari & tamen liberè agere. hinc patet quomodo refellendi etiam ſint qui dicunt manere libertatem poſita prædeterminatione, quia manet judicium indifferens: hoc enim eſt nihil dicere; nã judicium indifferens etſi fortaſſis ſit radix libertatis, non eſt tamen formaliter ipſa libertas; illa enim eſt potentia proxima agendi, & non agendi, ergo quantumvis maneat judicium indifferens, ſi hæc non manet, non erit libertas; & vero conſideret vnuſquiſque, an putaturus ſit ſe liberum, ſi judicet quidem indifferenter in objecto

eſſe

eſſe rationes boni & mali, tamen ab extrinſeco ita determinaretur vt fieri non poſſet, vt pro libito ageret. Patet ſecundò quomodo etiam refellendi ſint qui cum admittant prædeterminationem, dicunt tamen eum qui non habet prædeterminationem poſſe agere, ſed nunquam acturum, ajuntque prædeterminationem non requiri ad hoc vt poſſit agens agere, ſed ad hoc vt agat: patet inquam, quomodo ij ſint refellendi, refelluntur enim facile, quia non diſtingunt inter potentiam quodammodo remotam & potentiam proximè expeditam, nam à potentia non expedita, non poteſt dici aliquid, ſimpliciter & abſolute poſſe. ex hac ergo horum Auctorum doctrina ſequitur hominem poſſe equitare ſine equo, nauigare ſine naui, ſcribere ſine calamo, hominem videre in tenebris. Ratio eadem eſt, quæ horum authorum, quia oculus in tenebris poſitus habet integram potentiam viſiuam, manus ſine calamo integram potentiam ſcriptiuam, voluntas ſine propoſitione objecti integram potentiam volitiuam, &c. Neque dicas aliud eſſe agere, aliud poſſe agere; hoc enim veriſſimum eſt; verum falſum eſt, aliud eſſe requirere neceſſariò quippiam ad agendum, & non poſſe ſine illo agere, hoc autem hic inquirimus, an ſi neceſſario requiratur ad agendum prædeterminatio, voluntas poſſit ſine illa agere; hi authores dicunt voluntatem requirere neceſſario prædeterminationem ad agendum, & tamen poſſe voluntatem ſine illa agere. Ego vero non video quomodo hæc ſtare poſſint, nam ſi poteſt agere ſine prædeterminatione, ergo eſt poſſibile vt cauſa ſecunda agat ſine prædeterminatione: Quæro ergo primo, quare dicant eſſe impoſſibile. ſecundo ſi poſſibile eſt voluntatem agere ſine prædeterminatione, ideſt, ſi poſſit agere, peto vtrum poſſit poni agere ſine prædeterminatione? ſi non poſſit poni? quare dicunt eſſe poſſibile: ſi poſſit poni, ergo qui ponunt agere ſine prædeterminatione nihil ponunt abſurdi, nec impoſſibile.

Probant ſecundò, quia ſi daretur prædeterminatio Phyſica ſequeretur Deum eſſe authorem peccati; conſequens eſt contra fidem, ergo &c. ſequela majoris patet, quia qui eſt cauſa præmouens ad aliquem actum, eſt cauſa actus; Imo eſt cauſa ejus quod per ſe & intrinſecè ſequitur ad talem actum, ergo ſi Deus præmouet & prædeterminat cauſam ſecundam ad actum intrinſecè malum, verbi gratia, ad actum blaſphemiæ, vel odij Dei, erit cauſa malitiæ quæ ſequitur ad talem actum; ſed illa malitia eſt peccatum, ergo erit cauſa peccati; hoc autem eſt, vt dixi, contra fidem. Confirmatur quia contraria ſententia vix differt ab hæreſi Lutheranorum & Caluiniſtarum. II. *Probatio ſecunda dictæ ſententiæ.*

Probant tertiò, ſi prædeterminatio eſt neceſſaria ad complendam virtutem cauſæ creatæ, ergo non poterit peccatum imputari illi qui non operatur, quia non habebit prædeterminationem per quam mo- *Tertia probatio.*

ueatur ad implendum præceptum: neque etiam poterit imputari peccatum operanti contra præceptum, quia Deus illum præmouet ad ſic operandum.

*Probatio 4.* Probant quartò, actus qui ſequitur ex ſuppoſitione antecedenti tollit libertatem, ergo actus qui ſequitur ex prædeterminatione non eſt liber. Conſequentia patet, quia prædeterminatio eſt aliquid antecedens ad ipſam actionem. Antecedens ſupponunt aduerſarij ex P.P. v. g. D. Anſelmo, D. Auguſtino & alijs.

*Probatio 5.* Probant quintò, prædeterminatio nec eſt materialis, nec ſpiritualis, ergo non datur: antecedens probant, & primò quidem quod non ſit materialis, quia ſi eſſet materialis eſſet ſubjecto cònaturalis, & conſequenter daretur agens in natura quod illam poſſet producere; vnde non procederet effectiuè à Solo Deo. quod etiam non ſit ſpiritualis, probatur, quia eſſet improportionata ad præmouendam cauſam materialem, ejuſque virtutem complendam, ad eliciendum actionem materialem. præterea vel eſſet connaturalis ſubjecto vel non; ſi non eſſet connaturalis, ergo ſemper antequam vlla cauſa ſecunda ageret Deus faceret miraculum; ſi eſſet connaturalis, ergo aliquid ſpirituale poteſt eſſe proportionatum ad complendum virtutem cauſæ materialis, quod eſt abſurdum

*Probatio 6.* Probant ſextò, ſi cauſa ſecunda vt agat, debet per prædeterminationem ſuperadditam compleri, accipiunt illud aggregatum ex virtute creaturæ ingenita, & prædeterminatione ſuperaddita & quęrunt, an hoc aggregatum habeat rationem cauſæ completæ in ſuo genere, quæ poſita cooperatione Dei, ſine alio concurſu poſſit operari vel non: ſi non, ergo procedetur in infinitum, quia ſemper oportebit aliam atque aliam prædeterminationem: ſi dicatur aggregatum ex prædeterminatione, & virtute creaturæ ingenita, habere rationem cauſæ completæ, idem dici potuit de cauſa ſecunda conſtituta per ſuam virtutem ingenitam; quia propter nullam aliam rationem videtur negari cauſam ſecundam habere virtutem completam, niſi quia eſt aliquid creatum; ſed illud aggregatum eſt aliquid creatum; ergo, &c.

*Probatio 7.* Probant ſeptimò, omnis applicatio & actio debet habere terminum, ſed prædeterminatio non habet terminum, ergo non datur prædeterminatio. Minor probatur, quia terminus hujus prædeterminationis, ſi aliquis eſſet, maxime eſſet actio creaturæ, cum antecedenter ad actionem creaturæ, nihil producatur, ſed non poteſt eſſe actio creaturæ, alioquin daretur actio ad actionem, quod eſt abſurdum, ergo &c.

*Probati ultima.* Probant octauò, motus voluntatis prædeterminatæ, nec eſt naturalis, nec liber, ergo non eſt prædeterminatus. Antecedens patet, &

primò quidem quod non ſit naturalis, quia eſt à principio extrinſeco, nempe à Deo prædeterminante: quod vero non ſit etiam liber, patet quia libertas in hoc conſiſtit quod quis à ſe moueatur, ſed prædeterminatus mouetur à prædeterminatione non à ſe, ergo, &c.

III.

*2. Sententia affirmans dari prædeterminationem Phyſicã; quæ eſt omnium antiquorum.*

Secunda ſententia præcedenti omnino contraria, eſt eorum qui dicunt Deum ad quamcunque actionem creaturæ, cócurrere concurſu præuio, vnde præter concurſum ſimultaneum ſupra explicatum admittunt præuium antecedenter ad omnem creaturæ actionem. Eſt omnium veterum, D. Thomæ infinitis fere in locis; quodlibeto 12. quæſt 4. *à prouidentia Dei omnia ſunt prædeterminata.* 3. Contra gentes cap. 90. in fine exponens dictum quoddam D. Damaſeni, dicit eum *non quamcumque noſtrarum actionum prædeterminationem negare voluiſſe, ſed eam dumtaxat quæ eſt cum impoſitione neceſsitatis. Damaſcenus*, inquit, *dicit in 2. libro quod ea qua ſunt in nobis Deus prænoſcit, ſed non prædeterminat, exponenda ſunt, vt intelligantur ea quæ ſunt in nobis diuinæ determinationi non eſſe ſubjecta, quaſi ab ea neceßitatem accipientia.* Supponit ergo D. Thomas aliquam dari prædeterminationem quæ non tollat libertatem, nec neceſſitatem imponat, & tamen verè prædeterminat. Eat nunc Moriſanus Hirlandus, & dicat quæſt. vndecima Phyſ. art. 2. D. Thomam nunquam vſum fuiſſe voce prędeterminationis reſpectu voluntatis noſtræ. Quæſtione 3. de potentia art. 7. in corpore idem docet, cum ex profeſſo demonſtrat quod Deus operetur in natura, & in voluntate, operátibus, & quidem multipliciter, *primo quidem, quia dedit rebus naturalibus virtutes per quas agere poſſunt. Secundò inquantum conſeruat virtutem naturalem, in eſſe, Tertio inquantum mouet eam ad agendum. Tertio modo*, inquit, *dicitur vna res eſſe cauſa actionis alterius, inquantum mouet eam ad agendum, in quo non intelligitur Collatio, aut conſeruatio virtutis actiuæ, ſed applicatio virtutis ad actionem; ſicut homo eſt cauſa inciſionis cultelli, ex hoc ipſo quod applicat acumen cultelli, ad incidendum, mouendo ipſum, & quia natura inferior agẽs, non agit niſi mota, eo quod hujuſmodi corpora inferiora ſunt alterantia alterata, Cælum autem eſt alterans non alteratum, & tamen non eſt mouens niſi motum, & hoc non ceſſat quouſque perueniatur ad Deum, ſequitur de neceßitate quod Deus ſit cauſa actionis cuiuſlibet rei naturalis, mouens & applicans virtutem ad agendum, &c.* & inferius ad 3. argumentum quod ſibi obiecerat, nempe quod ſi Deus operatur in qualibet operatione naturę, aut vna & eadem operatione operantur Deus & natura, aut diuerſis, ſed non vna & eadem; *quia vnitas operationis atteſtatur*, inquit, *vnitati naturæ, vnde quia in Chriſto ſunt duæ naturæ, ſunt etiam ibi duæ operationes ſimiles, nec eſt poßibile quod ſint operationes diuerſæ, nam diuerſæ operationes non videntur ad idem factum terminari, cum mo-*

*Præclara S. Thomæ loca & expreſſa pro prædeterminatione Phyſica.*

tus & operationes penes terminos diſtinguantur; ita reſpondet. *Ad 3. dicendum quod in operatione qua Deus operatur mouendo naturam, non operatur natura, ſed ipſa naturæ operatio, eſt etiam operatio virtutis diuinæ, ſicut operatio inſtrumenti eſt per virtutem agentis principalis.* & ad 13. argumentum quod ſibi obijecerat, quod & obijciunt authores primæ ſententiæ, nempe; voluntas eſt domina ſui actus; hoc autem non eſſet ſi agere non poſſet niſi Deo in ipſa operante, cum voluntas noſtra non ſit domina diuinæ operationis, ergo Deus non operatur in voluntate noſtra operante; Reſpondet, *ad 13. dicendum quod ſimiliter voluntas dicitur habere dominium ſui actus, non per excluſionem cauſæ primæ, ſed quia cauſa prima non ita agit in voluntate, vt eam de neceſſitate ad vnum determinet, ſicut determinat naturã, & ideo determinatio actus relinquitur in poteſtate actionis & voluntatis.* Quibus verbis clare oſtendit D. Thomas motionem præuiam ideo non tollere libertatem, quia ea poſita abſolute loquendo voluntas poteſt non operari. præterea ad tertium, quod erat hujuſmodi, ſi Deus in natura operante operatur, oportet quod operando aliquid rei naturali tribuat, nam agens, agendo aliquid actu facit, aut ergo illud ſufficit ad hoc quod natura poſſit per ſe operari, aut non: ſi ſufficit, cum etiam virtutem naturalem Deus naturæ tribuerit, eadem ratione poteſt dici quod & virtus naturalis ſufficiebat ad agendum, neque oportebit quod Deus poſtquam virtutem naturę contulerit, vlterius ad ejus operationẽ aliquid operetur: ſi autẽ non ſufficit, oportet quod ibi aliquid aliud iterum faciat, & ſi illud nõ ſufficit, iterum aliud, & ſic in infinitũ, quod eſt impoſſibile: Reſpondet, *ad 3. dicendum quod virtus naturalis, quæ eſt rebus naturalibus in ſui inſtitutione collata, ineſt eis vt quædam forma habens eſſe ratum & firmum in natura, ſed id quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, eſt intentio ſola, habens eſſe quoddam incompletum per modum quo Calores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis: ſicut ergo ſecuri per artem dari potuit acumen, vt eſſet forma in ea permanens, non autem dari ei potuit quod vis artis eſſet in ea quaſi quædam forma permanens, niſi haberet intellectum, ita rei naturali potuit conferri virtus propria vt forma in ipſa permanens, non autem vis. qua agit ad eſſe, vt inſtrumentum primæ cauſæ, niſi daretur ei quod eſſet vniuerſale eſſendi principium; nec iterum virtuti naturali conferre potuit, vt moueret ſe ipſam, nec vt conſeruaret ſe in eſſe. vnde patet quod ſicut inſtrumento artificis conferri non potuit, quod operaretur abſq; motu artis, ita rei naturali conferri non potuit quod operaretur abſque operatione diuina.* Sed quorſum tam multa diui Thomæ loca, ad hoc probandum congerimus, cum Suares diſp. 22. Metaphyſicæ fateatur D. Thom. locis citatis hanc ſententiam docuiſſe; addit tamen 1. parte quæſt. 105. art. 4. & 5. tacite ſe retractaſſe, nam ibi agẽs de modo quo cauſa prima

agit cum ſecunda, motionis præuiæ non meminit. verum hoc eſt aperte falſum (vt relinquamus futilitatem argumenti Suariſtici, non meminit præuiæ motionis, ergo ſe retractauit) vt facile patet ex vtroque loco ſancti Thomæ à Suario citato, vbi omnino eadem quæ locis ſupra citatis docet, vt legenti manifeſtum erit, præſertim vero art. 5. citato in corpore, vbi, *primū agens*, inquit, *mouet ſecundum ad agendū, & ſtatim* ſubdit: *Deus mouet res ad operandum, quaſi applicando formas & virtutes rerum ad operationes, ſicut artifex applicat ſecurim ad ſcindendum.* vbi illa vox, *quaſi*, vt optime notauit Didacus Aluarez lib. 3. de auxilijs diſp. 18. num. 10. non eſt dictio diminuens, ſicut neque apud Ioannem 1. cum dicitur, vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi vnigeniti à patre; vnde in ſolutione ad tertium eiuſdem art. abſolute dicit *quod applicat res ad agendum*, & prima parte, quæſt. ſecunda, art. 3. in corpore idipſum clariſſime docet, cum ait, *mouentia ſecunda non mouent niſi per hoc quod ſunt mota à primo mouente, ſicut baculus non mouet niſi per hoc quod eſt motus à manu.* & 1. parte quæſt. 83. art. 1. ad 3. idem docet & 1. etiam p. quęſt. 19. art. 3. ad 5. vbi cum propoſuiſſet tale argumentum, ab eo quod eſt ad vtrumlibet non ſequitur aliqua actio, niſi ab aliquo alio inclinetur ad vnū, vt ait Cōmentator, 2. Phyſ. textu 2. ſi ergo voluntas Dei, in aliquibus ſe habet ad vtrumlibet, ſequitur quod ab aliquo alio determinetur ad effectum, & ſic habet aliquam cauſam priorem. Reſpondet, *cauſa quæ ex ſe eſt contingens oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum, ſed voluntas diuina quæ ex ſe neceſſitatem habet, determinat ſe ipſam ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam* vide eundem D. Thomam 1. 2. q. 109. art. 1. 3. contra Gentes cap. 100. 24. q. de vitate art. 1. ad 5. vbi hoc idem docet. ex his omnibus clarum eſt quam ridicula ſit reſponſio Suarij, quod nec alios ejuſdem cum illo familiæ latuit, qui vt reſponderent prædictis D. Thomę locis, dixerunt D. Thomam alioſque veteres præmotionem quidem qua omnes cauſæ creatæ ad actiones applicantur, admiſiſſe, prædeterminationem tamen non cognouiſſe. ſed hoc quid aliud eſt, quam ludere in verbis; qui enim prædeterminationem admittunt, ijdem & præmotionem appellant, & omnes huc vſque qui prædeterminationem ſuſtulerunt, ijdem & præmotionem negarunt, vt videre licet in omnibus aduerſarijs, Salas, Suarez, & alijs. Eandem ſententiam docent ex Thomiſtis Capreolus in 2. diſt. 28. quæſt. 1. art. 3. ad 12. argumentum Durandi, Ferrarienſis 3. contra Gentes, cap. 89. §. ad Confirmationem. Sotus 1. naturæ, cap. 16. Palatius in 2. diſt. 37. diſputatione. 1. Cabrera 3. parte quæſt. 17. art. 4. Aluarez tomo de auxilijs per totum. Nauarrettū tomo 1. Controu. per totum fere, Petrus de Ledeſma; Ioannes Vincentius, Martinez, Gonzales de Azebelda. De Riſpolis, & alij. Idem docet Scotus in

4. diſtinct. 49. quæſt. 6. *Dico ergo*, vt notauit Gabriel in 1. diſtinct. 33. quæſt. vnica cap. 2. verba Doctoris Subtilis ſunt hæc, *contra naturam voluntatis eſt determinari à cauſa inferiori, quia hoc ipſo non eſſet ſuperior, non eſt autem contra naturam ejus determinari à ſuperiori.* Idem docet in 1. diſtinct. 37. vt infra videmus, cum ejus argumentis rationem noſtrã confirmabimus. Idem docet ex Scotiſtis Nicolaus De Orbellis in 1. diſtinct. 25. quæſt. 1. in fine vbi ſic loquitur, *Manente liberi arbitrij naturali poteſtate non poteſt Deus ipſum cogere, hoc enim eſſet facere contradictoria, tunc enim liberum arbitrium, non eſſet liberum, bene tamen poteſt efficaciter ipſam inclinare & facere vt moueat ſe libere, ad quamcunque partem voluerit*; vnde Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Dei eſt, quocumque voluerit inclinabit illud.* Idem habet Baſſolius Gentilis noſter apud Eſtium, idem etiam expreſsè tenet Mayronius Conterraneus in 1. diſtinct. 38. quæſt. 1. art. 4. concl 5 vbi ait, *omnia contingentia per diuinam voluntatem determinari*, idem denique tradit Gulielmus de Rubeone in 1. diſtinct. 38. tota quæſtione prima, & cum eo omnes alij veteres Scotiſtæ; quos ſequuti ſunt ex recentioribus Carthagena, Bagninius, & alij. Idem etiam docent D. Bonauentura & alij veteres apud Eſtium. ex recentioribus præter citatos idem docent, Ianſenius, qui vt notat Nauarrerus tomo 2. controuerſia 22. in illud Prouerb. *ſicut diuiſiones aquarum ita cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud*, ſic loquitur, *ſicut Riui aquarum ſiue humana opera, ſiue ex natura ſua in diuerſas partes feruntur, ita cor Regis per manum Domini ejuſq; potentiam ac prouidentiam huc illuc que fertur pro illius libito, nimirum quia cum fauet Dominus inſpirat ſana principibus conſilia, atq; ad ea implenda impellit.* hæc ille, quibus verbis præter motionẽ moralem, per conſiliũ, & inſpirationẽ Phyſicam etiam motionẽ agnoſcit per impulsũ, quod clarius habet in concordia cap 59. circa illud Ioannis 6. *nemo poteſt venire ad me niſi pater qui miſit me traxerit illum.* Vega lib. 6. in Conciliũ Tridentinum cap. 5. vbi vult Deum applicare & inflectere voluntatem ad operandum, Driedo libro de captiuitate & redemptione generis humani tractatu 5. cap. 3. & libro de concordia gratiæ, & liberi arbitrij cap. 3. Ruardus in explicatione art. de libero arbitrio, vbi habet voluntates noſtras tam in politicis quam in moralibus moueri & determinari ad opus per Diuinam Prouidentiam : addit & alia in eandem ſententiam. Idem habet in quadam altercatione de gratia & liberi arbitrio propoſitione nona, *prius natura*, inquit, *voluntatem Deus determinat & applicat, tanquam principale agens ſuum inſtrumentum, nec major eſt in operibus gratiæ difficultas, quam in operibus naturæ.* Dominicus Bannes ſecunda ſecundæ quæſt. 10. art. 1. Iacobus Bayus in Catechiſmo, Blaſius Verdu, Syluius, Gaſpar Ram, Franciſcus Zumel, Guilielmus Eſtius, Franciſcus de Auila, Trigoſius, Colle-

*Egregia ſententia Doctoris Subtilis pro prædeterminatione.*

*Nicolaus de Orbellis.*

*Mayronius. Baſſolius.*

*De Rubeone.*

*Ianſenius. S. Bonauentura.*

*Driedo. Vega. Ruardus.*

*Bannes.*

giumComplutenſe in Phyſica, & alij, & nouiſſime Puteanus ptima 2. quæſt. 111. dub. 4. vbi ſic ſcribit, *Negari non poteſt quin Deus poßit & interdum præſtet vt per gratiam præuenientem efficacem determinetur voluntas creata Phyſice, manente illæſa libertate ejuſdem.* Ex aduerſarijs idem docent Pererius lib. 8. Phyſ. cap. 8. vbi in hunc modum loquitur. *In eo quod adjungit D. Thomas cauſas ſecundas & in his voluntatem noſtram à Deo moueri, applicari, & determinari ad volendum, licet nonnulli diſſentiant Theologi, ego tamen manibus pedibuſque in eam ſententiam per quam libenter eo; hoc enim eſt ingenium, hæc conditio, hic nexus atque contextus mouentium, & cauſarum per ſe ac eſſentialiter ſubordinatarum, vt poſterior non moueat niſi mota à priori &c.* Cardinalis Toletus ſuper 17. Ioann. vbi vt notat Nauarretus controu. 21. ſoluit argumenta quæ contra hanc ſententiam objiciunt authores primę ſententiæ. Henriques cujus hæc ſunt expreſſa verba lib. de fine hominis cap. 5. prope finem, *Recte concors Theologorum ſententia docet Deum habere prædeterminationem bonorum efficacem, ex prouidentia perfecta ab æterno, in qua, & per quam, tanquam per rationem certo omnia ſciat,* verbum vnum his non addem. probant authores hujus ſententiæ illam primo ex ſcripturis; & primò quidem ex illo ad Philipenſes 2. *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini, ipſe enim eſt (videlicet Deus) qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* ac ſi diceret Apoſtolus (inquit Dominicus Bannes) *conſiderate cum quanta humilitate & reuerentia debetis ſubijci* Deo *ex cujus libera voluntate prouenit quod operetur in vobis non ſolum vt poßitis velle bonum, ſed etiam operatur ipſum velle.* ad idem facit celebris ille ad Epheſios locus, vbi Apoſtolus Paulus ſic loquitur. *Ipſius factura ſumus creati in operibus bonis quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus:* vbi aduerte modum loquendi Apoſtoli qui præmotionem voluntatis noſtræ procedentem à Deo per creationem, quæ nihil ſupponit, ſed omnia antecedit, explicat, inſinuare nobis volens, præmotionem gratiæ eſſe præuiam & antecedentem, vt ambulemus in operibus bonis quæ Deus ab æterno decreuit vt à nobis fierent, quod optime omnino aperuit Regius Propheta Pſal. 5. cum dixit *cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.* idem probant alij ex illo ad Hæbreos 13. *Aptat nos in omni opere bono vt faciamus ejus voluntatem.* Idem deniq; deducit B. Thomas 3. contra Gentes cap. 89. & poſt ipſum Ferrarienſis, ex Iſaiæ 26. vbi dicitur *omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine*; & ex Prouerb. 21. vbi Salomon ait, *Cor Regis in manu Dei eſt, quocunque voluerit inclinabit illud.*

*Complutenſes. Puteanus. Eſtius. Zumel. Blaſius Verda. Iacobus Bayes. Fran. de Auila. Frigeſius. Sylnius. Pererius. Toletus. Henriques. Gaſpar Ram.*

*Secunda ſententia.*

*Prima Probatio ex ſacra ſcriptura.*

Probant ſecundò ex Catechiſmo Romano decreto Sacro ſancti Cōcilij Trident. juſſu Pij V. ſummi Pontif. edito, parte 1. de primo ſymboli art. num. 22. vbi ſic loquitur, *Non ſolum autem Deus vniuerſa quæ*

*Secũda probatio.*

*ſunt prouidentia ſua tuetur, atque adminiſtrat, verum etiam, quæ mouentur & agunt aliquid, intima virtute ad motum atque actionem ita impellit vt quamuis ſecundarum cauſarum efficientiam non impediat, præueniat tamen cum ejus occultiſſima vis ad ſingula pertineat & quemadmodum ſapiens teſtatur attingat à fine vſque ad finem fortiter, & diſponat omnia ſuauiter*..quibus verbis clariſſime continetur prædeterminatio diuina & præmotio tam ad actiones naturales quam ſupernaturales. nec valet reſponſio Moriſani Catechiſmum Romanum profectum à Pio V. ſummo Pontifice qui fuerat ordinis ſancti Dominici antequam ad ſummum Pontificatum aſſumeretur: non inquam valet hęc reſponſio, quia non quærimus cujus ordinis fuerit Pius V. ſed vtrum doctrina hujus ſententiæ apertè contineatur in Catechiſmo ejus juſſu edito, & quidem antequam Ludouicus Molina contrariam ſententiam docere incepiſſet. ſecundò hæc ejus reſponſio proficiſcitur à Ieſuita cujus ille ſcripta hac de re ſuo nomine edidit, vt expreſsé patet ex diſput. 2. Phyſicæ, quæſt. 11. art. 1. vbi de hac re diſputans oblitus eſt expungere quæ Ieſuita ille ſuis diſcipulis dictauerat, vt, *Nos Ieſuitæ*, &c. *Ex noſtra Societate*, & ſimilia. vide quæſtionem ejus Logicam de vniuerſali à parte rei, ex qua idem patet.

*Tertia probatio.* Probant tertiò ex PP. præſertim ex D. Auguſt. qui tractat. 72. in Ioannem, in perſona Dei, ſic loquitur. *prius ego facio, deinde vt ipſe faciat, quia facio vt faciat*. & libro 5. de ciuitate Dei cap. 8. vbi approbat ſententiam Philoſophorum qui dicunt tales eſſe hominum mentes & voluntates ſingulis diebus & horis, quales in eis Deus voluit fingere ſeu formare.

*Quarta probatio.* Probant quartò ex Philoſopho 8. Phyſ. cap. 5. vbi reducit omnia mouentia particularia ad primum mouens omnino immotum & immobile, atque omnia mouentia particularia moueri prius mota: quo loco clariſſimum eſt loqui Philoſophum de motione intrinſecè requiſita in omni mouente ad agendum, cũ omne agens inferius inquantum agens ſubordinetur ſuperiori agenti, ergo cauſæ inferiores omnes, formaliter, vt cauſæ ſunt, reducentur ad primam cauſam. Confirmatur quia Ariſtoteles loquitur de ſubordinatione qua cauſa inferior ſubordinatur ſuperiori, inquantum cauſat, ergo vult in ipſa actuali cauſalitate cauſam inferiorem mouere motam, ergo vlterius vult cauſam ſecundam vt cauſat requirere præmotionem intrinſecam procedentem à cauſa prima.

Confirmatur ſecundò ex eodem Philoſopho qui 7. Phyſic. capite primo, vult rationem cauſæ primæ in hoc conſiſtere, quod cætera moueat ipſa immota manente; vnde cum ex Philoſopho, vnumquodque in tantum ſit perfectum, inquantum eſt actu, eſſe cauſam primam perfectiſſimam inter omnes cauſas, eſt habere ita perfectam

perfectam actualitatem in operando & in ratione principij operationis, vt nihil potentialitatis in ea remaneat, quod non reperitur in cauſis ſecundis, in quibus principium ipſum operandi partim eſt in actu, comparatum ad cauſam ſecundam, & partim in potentia comparatum ad Deum, hoc ergo principium quod eſt in potentia debet reduci in actum per principium, quod eſt purus actus.

Confirmatur tertiò, ex 2. Metaphyſ. cap. 2. text. 5. vbi habet Philoſophus in cauſis eſſentialiter ſubordinatis inferiores moueri à ſuperioribus.

Confirmatur denique ex 8. Mor. Eud. cap. 13. quo loco ad hanc ſententiam probandam vtitur D. Thom. prima ſecundæ, quæſt. 9. art. 4. quo loco quærit Philoſophus vtrum principium actionis in anima ſit à fortuna dicit autem in deliberationibus animæ non dari proceſſum in infinitum, ſed deueniendum tandem eſſe ad primam cuius principium ſit ipſe Deus, hæc autem ſunt Philoſoph. verba. *Patet autem ſic eſſe quemadmodum in vniuerſo eſt Deus & vicißim cuncta in illo, mouentur enim omnia ab inexiſtente in nobis numine. Rationis autem non ratio, præſtantius quippiam eſt principium, quod autem ſcientia præſtantius eſt niſi Deus?* hæc Philoſophus quibus vt ex ſequentibus ejus verbis luce clarius habetur præmotio Phyſica ſaltem ad primam actionem in anima, imo ipſam actionem primam immediate non ab intellectu ſed à Deo proficiſci, vt mirum ſit (Chriſtianos Philoſophos ab Ariſtotele hac in re ſuperati, & quod ille lumine naturali Deo tribuendum cenſuit, ipſos eidem denegare. Nec eſt quod ad hunc Ariſtotelis locum dicatur illum agnoſcere ex hac prædeterminatione, læſam libertatem, ac propterea aſſerere homines prædeterminatos irrationabiles eſſe, & duci furore animi. Non eſt, inquam, quod hoc dicatur, primò quia ad recte agendum tanquam irrationabiles impelli dicuntur, non ab ipſo Philoſopho, ſed à veteribus *quocirca veteres*, inquit, *dixerunt fœlices ex fortuna, qui irrationabiles ad recte agendum impellerentur.* ſecundo ſit ita; demus Philoſophum ex propria ſententia, citata verba protuliſſe, quod tamen falſum eſt, poſſunt adhuc prædeterminati, dici irrationales, nec velle habere, non quidem reſpectu operationis quam prædeterminatio cauſat, ſed reſpectu receptionis ipſius prædeterminationis, ad illud quod objciebatur de furore ineptum omnino eſt; quia D. Dionyſius 4. de diuinis nominibus, pag. 9. tribuit Angelis furorem, vt recte notauit Cauellus diſp. 3. de anima ſect. 17. nec tamen propterea ab illis abſtulit libertatem. hæc de ipſo Philoſophi loco, quem pluribus vrget D. Tho. loco citato 1. 2. & 3. contra Gentes cap. 39. quo vltimo loco ita loquitur, *tandem Ariſtoteles*, inquit, 37. *Moral. Eud. habet hoc modo huius quod aliquis intelligat conſilietur, & eligat ac velit, oportet aliquid eſſe cauſam,*

m

*quia omne nouum oportet habere aliquam cauſam ; ſi autem cauſa ejus eſt aliquod conſilium, & alia voluntas præcedens, cum non ſit procedere in infinitum, deueniendum erit ad aliquod primum : hujuſmodi autem prium debet eſſe aliquid melius ratione, nihil autem melius eſt ratione & intellectu, niſi Deus ; eſt igitur Deus primum principium noſtrorum conſiliorum & voluntatum.* hæc D. Tho. quę ejus ingenio digna planè ſunt, ſed authores primæ ſententiæ aperte falſitatis conuincunt.

*Quinta probatio.* Probant quintò, Ratione deducta ex D. Thoma 3. contra gentes cap. 100. & 1. 2. quæſt. 9. art. 4. Philoſopho. 12. Metaph. textu 35. Doctore Subtili in illũ locum, Auerroe 2. Phyſ. textu 2. Quod eſt in potentia non poteſt reduci in actum niſi per aliquid quod ſit in actu, ſed omnis cauſa creata eſt in potentia ad agendum antequam agat, ergo nõ poteſt reduci ad actu agendum niſi per aliquid quod ſit actu. major propoſitio patet, quia quod eſt in potentia calidũ, verbi gratia, non ſit actu calidum niſi per aliquid quod actu ſit calidum, vel formaliter, vel eminenter. Minor probatur, quodcumq; modo facit vnum, modo aliud, eſt in potentia ad ſuam actionem, ſed hoc competit omni cauſæ creatæ, vt inductione patet, ignis enim, exempli gratia, modo agit, modo non, modo ſtuppam modo lignum comburit; ergo, &c. iam ſic, omnis cauſa creata debet fieri actu cauſa, & actu agere, per aliquam cauſam quæ ſit actu cauſa, ſed hæc cauſa, non alia eſt quam Deus, ergo Deus reducit omnem cauſam creatam de potentia ad actu agendum, ergo prædeterminat omnem cauſam creatam ad actu agendum. Quod vero non ſit alia cauſa quam Deus, patet, quia, vt dictum eſt omnis alia cauſa eſt cauſa in potentia. hinc refellitur quod dicunt aliqui, cauſam eſſe ipſam determinationem voluntatis in voluntate, verbi gratia; refellitur inquam, nam de illa determinatione quæro vtrum interdum ſit in potentia, an non : & ſi fuerit ſicut fuiſſe neceſſe eſt, quomodo reducta fuerit in actum. quod autem non alio modo reducat Deus quam prædeterminando, patet manifeſtè; quia non aliter quam præmouendo, præmouere autẽ eſt prædeterminare. fundatur hæc ratio in Ariſtotele, qui textu citato 12. Metaph. ex eo quod Deus non motus moueat Cœlum, infert eſſe purum actum. *Igitur*, inquit, *eſt aliquid quod non motum mouet ſempiternum; & ſubſtantia & actus.* in quem locum egregiè Scotus, *eſt aliquid*, inquit, *quod mouet non motum, ſed eſt immobile & ſempiternum, & per conſequens ſubſtantia & ens & actus, quia ſupple ſi eſſet in potentia, natum eſſet ab alio moueri.* hæc Scotus.

*Sexta probatio.* Probant ſextò, argumento deſumpto ex D. Thom. quæſt. 3. de potentia art. 3. nullum indiuiduum poteſt aliud in ſimili ſpecie conſtituere niſi præmotum ab illa cauſa quæ reſpicit totam ſpeciem, totum-

que eſſe naturæ inferioris,ſimilitet nullum particulare agens poteſt aliquid in ratione entis conſtituere, niſi præmotum,& præuenrum ab illa cauſa quæ forma eſt, & origo omnis entis omniq; eſſe ſuperemi-nens: ſed hæc eſt ſolus Deus, ergo nulla cauſa effectum ſuum producere poteſt niſi præmota à Deo. de majori tantum poteſt eſſe difficulras, ſed facile probatur,conſtituere in ordine aliquo,eius eſt qui in ordinem poteſtarem habet, verbi gratia, in ordine militiæ (quod eſt exemplum D. Th.) admittere aliquem militem, non cujuſquam priuati miliris, ſed ejus eſt tanrum qui cohorti præeſt,ergo à pari, &c.

Probant ſeptimò, niſi Deus prædeterminet Creaturam ad agendum ſequitur eſſe plura prima principia,conſequens eſt contra fidem, ergo, &c. ſequela majoris probatur, de ratione prinicpij eſt, vt agere poſſit ſine auxilio prioris agentis, & influenria ejus, ergo ſi voluntas creata exempli gratia actionem aliquam poſſet producere ad quam Deus non præmoueret, & prius concurreret quam creatura voluntas, reſpectu ralis actionis haberet rationem primi principij, & ſic eſſenr plura prima principia, quod eſt hæreticum, neque ſufficit dicere volunratem non habere rationem primi principij ſimplicitet quia non habet eſſe à ſe ſed ab alio,non inquam ſufficir quia vt optimè norar Angelicus Doctor in 2. diſt. 37. quæſt. 2. art. 2. par. eſt ratio de operari, & de eſſe, vnde quod à ſe eſſe non habet, à ſe agere non poteſt. ſecundo quia hæc reſponſio nõ virar quod Deus non ſir primum agens ſi crearuræ actio,in aliquod prius agẽs, ranquam in cauſam non reducitur, *ſi*, inquir D. Tho. *voluntas humana actionem aliquam poſſet producere, cujus author Deus non eſſet voluntas humana haberet rationem primi principij & quamuis ſoluere nitantur dicentes quod voluntas etſi per ſe poßit actionem producere ſine influentia prioris agentis, non tamen habet eſſe à ſe, ſed ab alio, quod etiam exigeretur ad rationem primi principij: hoc tamen videtur inconueniens, vt quod à ſe eſſe non habet, à ſe agere poßit, cum etiam per ſe durare non poßit quod à ſe non eſt, omnis enim virtus ab eſſentia procedit, & operatio à virtute, vnde cujus eſſentia ab alio eſt, oportet quod virtus, & operatio ab alio ſit, & præterea quamuis per hanc reſponſionem euitaretur quod non eſſet primum principium ſimpliciter; non tamen poteſt vitari quin eſſet primum agens, ſi ejus actio in aliquod prius agens non reducetur ſicut in cauſam*, hæc Angelicus Doctor. *Septima Probatio.*

Probanr octauò, Deus ab æterno ſtaruit concurrere antecedentet ad actiones particularium agentium concurſu determinato, ergo Deus prædetermin at actiones particularium agentium: hoc argumentum alio modo formarur à quibuſdam, & melius hoc nempe pacto, niſi Deus prædeterminet Creaturam antecedenter ad concurſum ſi- *Octaua Probatio.*

multaneum non poteſt conjungi cum illa ad concurrendum concurſu ſimultaneo, ergo, &c. Antecedens patet, quia conjunctio in operando cum creatura, non dicit ſolam indiſtantiam localem cũ illa, quia multa ſunt quæ habẽt indiſtantiam localem cum alio, & tamen cum illo non cooperatur, & Deus propter ſuam immenſitatẽ intime præſens eſt omnibus rebus, non tamen coëfficit cum illis omnia quæ poteſt coëfficere; ſed dicit præterea, quod per ſe & non caſu, conueniant ad producendum eandem operationem, & per eandem operationem ad producendum effectum: porro tunc per ſe conueniunt ad producendum eandem operationem, quando vel ambæ ſubordinantur alicui ſuperiori cauſæ, vel ambæ natura ſua ſunt determinatæ ad illam operationem, ita vt eãdem non poſſint non producere; vel quia propter peculiarem rationem, vna ex illis determinat operationem, & conſequenter determinat aliã cauſam ad ita operandum, & non alio modo; præter hos enim modos conueniendi ad productionem ejuſdem operationis alius non videtur excogitari poſſe: nullus autem ex his videtur poſſe conuenire cauſæ primæ cum ſecunda ad productionem ejuſdem operationis, niſi per modum cauſæ ſuperioris & primæ determinantis inferiorem & ſecundam, ergo ita dicendum eſt Deum concurrere. Quod autem nullo alio modo, patet; nam primo falſum eſt quod vtraque, id eſt, tam prima quam ſecunda ſubordinentur alicui ſuperiori cauſæ, cum Deus nullam habeat cauſam ſupra ſe, nec cauſa ſecunda ſubordinetur vlli, niſi Deo. Neque verum eſt quod vtraq; natura ſua determinetur neceſſario ad operationem, cum Deus in omni concurſu ad extra ſit liber, & multa etiam ſint agentia libera quæ non agunt ex neceſſitate, ſed habent Dominum ſui actus. Falſum etiam eſt quod cauſa ſecũda determinet operationẽ primæ, quia concurſum cauſæ primæ determinabilem eſſe à concurſu cauſæ ſecundæ inuoluit indigentiam, potentialitatem ac imperfectionem, quę in Deum cadere non poſſunt. vnde ſic argumentor; Deus cõcurrit cum voluntate noſtra, vt actus purus, ergo non expectat aliquẽ concurſum noſtrę voluntatis, quo determinetur ejus indifferentia. cõſequentia patet; repugnat enim puro actui determinari per aliquid quod dicat perfectionem, quandoquidem purus actus determinet & actu & alia, & à nullo determinetur vel actuetur. Confirmatur quia ſi cõcurſus Dei indifferens eſſet, & determinaretur à cauſa ſecunda in genere cauſę efficiẽtis, vel quod idẽ eſt, ſi Deus expectat cõcurſum noſtrę voluntatis, vt in genere cauſę efficientis antecedentem, non ſolum determinabitur Dei concurſus, ſed & Deus ipſe; neque ſolum eius actio, ſed ipſemet qui eſt cauſa & principium actionis, hoc autem eſt abſurdiſſimum, ergo, &c. ſequela majoris probatur; prioritas inter actiones reſpiciendo genus cauſę efficientis, reſpicit ipſas actiones quatenus

formalirer egrediuntur à ſuis agentibus, actio enim qua actio formalirer eſt ab agenre & per illam, in materiam ſubjectam agens dicirur agere, ergo priotitas inrer actiones formalirer, vt actiones, eſt prioritas quo ad illum modum procedendi ab agentibus, ſi ergo actio vnius cauſæ eſt priot in genere cauſæ efficienris actione alterius cauſæ, non tanrum operabitur in ipſam actionem, ſed etiam in cauſam à qua procedit, & proptetea Atiſtoreles, & cum illo Philoſophi omnes eodem plane modo ordinant actiones & agenria à quibus proueniunt actiones, & in ordine cauſæ efficienris, eſſe vnam actionem priorem alrera, eſt vnum agens eſſe prius alrero; & conſequenrer vnā actionem habere influxum efficienrer in aliam, ſi ira loqui licer, eſt vnum agens habere influxum in aliud. ergo ſi noſtra volunras, ſuo concurſu in genere cauſæ efficientis ira determinar concurſum diuinum, vr ejus concurſus expectet noſtrum, volunras noſtra determinabir concurſum diuinum efficienter, imò determinabit & ipſum Deum, quod hotrendum eſt dictu, nec à Chtiſtiano ferendum. Confirmarur 2. quia Deus prius haber ſcientiam infallibilem actus futuri quam talis actus ſit, vel quam conſideretur in ſe ipſo, & hoc lumine naturali clarum eſt, alioquin non daretur in Deo perfectio omnimoda, qualis eſt certitudo furutorum, anrequam participarerur à creaturis, ergo determinario actus futuri contingentis præcedit in Deo antequam intelligatur in creaturis, ergo prius dererminario debet relucere in concurſu qui primo correſpondet Deo ad extra quam relucear in concurſu voluntaris creatæ. conſequentia clara eſt, quia eodem modo loquendum eſt, vt bene norar Nauarretus controuer. 23. de deterrminarione Dei reſpectu rerum ad extra, arque de effectu quem media tali determinatione producit Deus, arque contra; vnde fit, quod ſi non datur illa determinario in decreto diuino ad intra non proueniens à noſtra voluntare, nec etiam poterit dari ad extra. Ex his parer falsò dixiſſe Bellarminum lib. 2. de amiſſione grariæ cap. 18. & lib. 4. de graria & lib. arb. cap. 14. & 15. Suarium lib 1. opuſcu. cap. 15. & alibi ſæpe Leſſium, Curiel, & alios, concurſum diuinum quem præbet creaturis ex ſe indifferentem eſſe, & à concurſu creaturæ determinati. hoc argumentum viſum eſt Suatio in Metaph. grauiſſimum & meritò ſanè, quia inſolubile. *Reffelluntur Suarius, Bellarminus, Curiel & Leßius.*

Vtramque prædictam ſentenriam conciliare conatus eſt Franciſcus de Arriba in opere Conciliarorio grariæ & liberi arbitrij: verum ejus Conciliatio tam improbabilis eſt, vt, prærer ipſum, patronum nullum inuenerit, hoſtes omnes. *Reiicitur Franciſcus de Arriba.*

# DVBIVM TERTIVM.

*Præmittuntur aliqua ad quæſtionis deciſionem.*

I. AD hujus quæſtionis ſolutionem. Ptæmitto ptimò, hanc queſtionem agitari intet authores relatos, tam de voluntate ad actus ſupetnaturales, quam naturales, verum hujus loci non eſſe illam de ſupetnaturalibus diſputare, & quæſtionem illā relinquere nos Theologis ac agere ſolum de naturalibus, ex quibus tamen facile colligi poteſt quid cum ptopoportione de ſupernaturalibus dicendum ſit, hoc vt melius intelligas aduerte, intet actus quos poteſt elicere libeta hominis voluntas alios eſſe ſupernaturales, alios mere naturales; ſupernaturales ſunt actus amoris Dei ſuper omnia, actus contritionis, & ſimile; naturales, ſunt deſideria naturalia, amor rerum naturalium, ptopter moriua humana, & ſimiles actus: intet hos actus illud eſt diſcriminis, quod ad actus ſupernaturales eliciendos, voluntas de ſe non ſit cauſa ſufficiens, ſed indigeat auxilio patticulari, illam eleuante, & teddente ſufficientem in actu primo, ſicut cum ptopottione intellectus ad videndum Deum, vt in ſe eſt, indiget lumine gloriæ, ad actus veto naturales voluntas de ſe habet vim ſufficientē, hoc ſuppoſito vt certum hic ſuppono, dico ad actus ſupetnatutales volūtatem indigere in actu primo auxilio peculiari gtatiæ, hocque etiam ex ſubotdinatione quam haber cauſa ſecunda ad cauſam primam, oriti, illudque auxilium ptæmouere Phyſicè ipſam voluntatem, vt pulchrè docet D. Auguſt. cap. 3. lib. de geſtis Pelagij contta aduetſarios gtatiæ Domini noſtti Ieſu Chriſti, vnde explicans illud Apoſtoli ad Rom. 8. *quotquot ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei*; & Pelagium impugnans contendentem omnes voluntate ptopria tegi, ſic loquitut *nam procul dubio plus eſt agi quam regi, qui enim regitur aliquid agit, & à Deo regitur, vt recte agat, qui autem agitur agere aliquid ipſe, vix intelligitur, & tamen tantum præſtat voluntatibus noſtris gratia ſaluatoris, vt non dubitet Apoſtolus dicere quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei, &c.* & lib. de Cottept. & gratia cap. 12. *ſubuentum eſt*, inquit, *ergo infirmitati voluntatis humanæ, vt Diuina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur.* notent hoc authotes primæ ſententiæ.

II. Præmitto ſecundo libertatem veram, eſſe indifferentiam ad multa, tamen per otdinem ad finem, vnde & libettatis vetæ definitio eſt illa, libertas eſt illa pet quam agens liberum poſitis omnibus prætequiſitis ad agendum poteſt agere, & non agere ſetuato ordine finis, quam def-

finitionem late explicabimus in Moralibus, vnde hoc loco tantum aduerto illud quod habet D. Th. 1. parte quæſt. 62. art. 8. libertatem noſtram, à fine originem ducere, ſeque habere vſum libertatis, ſiue electionem mediorum ad finem in moralibus, ſicut in ſpeculabilibus cõcluſiones ad principia, vt habet Philoſophus 2. Phyſ. textu 89. vnde quemadmodũ qui bene colligit, colligit duntaxat concluſiones ex principijs & nõ vltra vel præter eorum vim & efficaciam: ſic qui liberè agit, ſiue quod idem eſt, qui bene eligit, eligit duntaxat ſecundũ quod expedit ad finem, & à fine ad eligendum mouetur, ita vt intentio finis ſit illi applicatio ad media. intentio porro quandoq; electionem præcedit, quandoque vnus idemque cum illa actus eſt, vt cum quis, verbi gratia, ſecum proponit, volo Romam proficiſci, vt beneficium adipiſcar, ſed ſicut cum incipimus ab electione mediorum, reperitur in eadem intentio finis: ita cum ſuppoſita intentione finis ad electionem & proſecutionem mediorum accingimur, repetitur ac renouatur in ea intentio finis, & ſiue hoc, ſiue illo modo fiat, id eſt, ſiue ordiatur homo ab intentione, ſiue ab electione, quæ illam includit, ſemper verum eſt Deum opt. maximum, intentionis authorem eſſe, & per finem quem intendimus, nos applicari ad media quæ eligimus. Et hoc eſt fundamentum doctrinæ noſtræ in tota hac materia, finem videlicet eſſe rationem eligendi media: vnde cum vſus libertatis ſit in electione & circa media, opus eſt, vt ad illam per intentionem finis applicemur, & hæc eſt doctrina Philoſophi 3. eth. cap. 4. vbi electionem definit eſſe, eorum quæ ad finem ſunt, & quatenus aptiora ſunt magiſque conuenientia ad illum conſequendum προαίρετον ὡς ὂν ἑτέρων αἱρέτων quod nimirum ad finem præ cæteris eſt optabilius; vnde male vertit latinus interpres, *quod ex deliberatione ante poſitum fuerit* quaſi particula *ante* vel *præ* ſignificent prioritatem durationis, vel naturæ, ſiue cauſalitatis; re vera prioritatem dignitatis & perfectionis ac bonitatis ſignificant, vt ex Græco textu iam citato manifeſtum eſt. Quære iam à Philoſopho quid de ea electione ſentiat qua deterius eligimus; reſpondebit, ab electionis perfectione & natura deſciſcere, & cum electio ſit proprium opus liberi arbitrij, à libertatis quoque perfectione & natura: lib. quoque 7. Mor. Eudem. poſt quam præmiſiſſet ad Dei ſuauiſſimam gubernationem commendandam, Deum non tam præcipere, videlicet, quaſi ex appetitu dominandi, quam finem ipſum eſſe qui pręcipit atq; agenda nobis imperat, & determinationes quidem ac definitiones ab illo profectas in alijs ſub Deo eſſe, non in Deo ipſo, quippe qui nullius eget, ideoque finem nullum habet, ſed ipſe eſt finis omnium: poſtquam, inquam, hoc præmiſiſſet, ſubjunxit eam electionem eſſe præſtantiſſimam quæ Deum intendere atque intueri nos facit, irrationa-

lem autem animæ partem, qua talis eſt, minime ſentit: eam vero electionem peſſimam quæ vel ob exceſſum vel ob defectum Deum conſiderare colereque non patitur, cum ergo electio & libertas ſeſe mutuo explicent, ſequitur ex doctrina Philoſophi, tum quoque libertatem arbitrij ſiue contradictionis fore perfectam cum finis ordo ſeruabitur: & ſi immutabiliter ſeruetur ita vt ab illo nequidquam declinare poſſimus, fore perfectiſſimam, quæ eſt ipſiſſima doctrina Angelici Doctoris, 1. parte quæſt. 62. art. 8. ad 3. vnde ſi quis ſit ſtatus qui minuit indifferentiam ad multa adauget autem adhæſionem ad finem cujuſmodi eſt ſtatus gloriæ qui retrahit nos à multitudine & fortaſſis ab exercitio contradictionis circa objectum ſecundarium, & vt iam non ſit homini beato liberum agere & non agere, ille auget libertatem non minuit, quod expreſſe tradit D. Th. & indicat non obſcurè Eccleſiæ lumen Auguſt. Epiſt. 89 quando aſſerit voluntatem tanto liberiorem, quanto diuinæ gratiæ ſubjectior fuerit *voluntas libera*, inquit, *tanto liberior quanto Sanior, tanto autem Sanior quanto diuinæ gratiæ miſericordiæque ſubjectior*, hinc D. Thomas 3. parte quæſt. 18. art. 4. ad 3. cum obieciſſet liberum arbitrium ſe habere ad vtrumque, voluntatem autem Chriſti fuiſſe determinatam ad bonum, quia non potuit peccare. Reſpondet, quod voluntas Chriſti licet ſit determinata ad bonum non tamen ad hoc vel illud bonum, & ideo pertinere ad Chriſtum, eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono, ſicut ad beatos, quo poſito ſic ex D. Th. licet argumentari docet D. Thomas Chriſtum fuiſſe liberum libertate contradictionis quia quamuis ad Deum determinatus fuerit, ad omnia tamen inferiora, quæ per hoc & illud bonum intelligit, non fuit determinatus ſed indifferens, non poteſt autem dici fuiſſe indifferentem ad objecta illa ſecundaria, & particularia, prout diuinæ voluntatis ordine continentur, ab illis enim ita ſumptis non magis quam à Deo ipſo recedere potuit, ſupereſt ergo vt indifferens fuerit ad illa abſolute & ſecundum ſe ſpectata, & libertas contradictionis in eo eſſe dicatur, vt quis circa objecta ſecundaria, circa quæ ſola contradictio eſſe poteſt, ita ſe habeat, vt ea in Deo dumtaxat intueatur & amet, ab illis autem ſecundum ſe ſumptis ſit omnino ſolutus & immunis, ita vt prout ordo finis expoſtulauerit, illas aut amplectatur, aut deſerat, nequaquam illis alligatus. Ex his omnibus conſtat veram libertatem, & propriè dictam includere tantum indifferentiam ad multa, per ordinem ad finem, cujuſque veræ libertatis ſtatum proximum in independentia ab objectis ſecundarijs conſiſtere, remotum vero in quadam infinitate, & ſummi boni amplitudine quæ eſt independentiæ fundamentum, amplitudo autem illa eſt vniuerſalitas in eſſendo, vt ſic loquar, & ſummi boni capacitas, quam ab ejus natura indiſtinctam eſſe, nemo eſt qui non fateatur hinc

teatur: hinc Ariſtoteles 1. Metaph. cap. 2. ſtatum libertatis conſiderans, ait liberum eſſe qui eſt ſui gratia, eſſe autem ſui gratia, importat ad ſeipſum referri, & non ad aliquid extrinſecum. quod de Deo ſimpliciter verum eſt, ſed in ſenſu negatiuo, id eſt, non alio referri; de creatura, cujus gloria eſt Deum pro fine habere, verum etiam eſt in legitimo ſenſu, & non negatiuo, ſed poſitiuo, quatenus etſi ad Deum referatur, non tamen tanquam ad aliquid externum, ſed tanquam ad id quod ſibi intimius eſt, & magis proprium quam quid vis aliud, etiam quam proprium & peculiare eſſe ſpecificum, cum interim, etſi creaturæ irrationales ad ipſum referantur, non tamen tanquam ad proprium ſuum bonum, quia non ſunt illius capaces. hoc autem euidentiſſime indicat ſtatum libertatis dicere amplitudinem & immenſitatem; quæ enim, quæſo, alia perfectio eſſe poteſt, ſecundum quam quis ad ſeipſum referatur, & ſit quodammodo ſibi legitimus, veruſque finis? ſimiliter ſi actum libertatis conſideremus, libere agere dicitur, & qui mouetur à ſe ipſo, & gratia ſui, nec formatur ab externis, ſed ex ſe ipſo promit deliberationes & electiones ſuas, ita vt vere liber propria libertate, quoad exercitium, ſit qui vere dominium habet, & dominus eſt tam ſui, quam aliarum omnium rerum creatarum: aliarum, quia illis vtitur, illas in finem ſuum refert, prout ejuſdem finis ratio poſtulat, quod eſt dominari & præeſſe; ſui, quia ſeipſum quoque in finem vltimum eodem poſtulante tranſmittit, & ita libertatem explicat Cardinalis Contarenus in tractatu de libero arbitrio.

Præmitto tertiò, quod quamvis authores ſecundæ ſententiæ variè ſuam ſententiam explicent, omnium tamen probabiliſſimam eſſe R. ac Subtiliſſimi Patris Gulielmi Gibieuf Doctoris Sorbonici, noſtræ Congregationis Preſbyteri, ac Domus Pariſienſis Moderatoris, aureo illo opere de libertate Dei & creaturæ, explicationem, motionem præuiam eſſe complementum virtutis actiuæ creatæ, vt colligitur ex D. Thoma 3. contra Gentes cap. 66. argum. 4. ac in cauſis naturalibus conſiſtere in quadam intentione, hoc eſt in virtute quadam intentionali, quæ præſupponit naturam determinatam ad vnum, in liberis autem conſiſtere, in ipſa intentione finis, per quam applicatur agens ad media. porro hujuſmodi applicatio, ſecundum eundem authorem, & D. Thom. non ſemper eſt efficax, ſicut nec applicatio inſtrumenti: nam ſecuris, verbi gratia, quæ ab artifice applicatur ad ſcindendum non ſemper ſcindit, nec lapis qui projicitur vehementi conatu, ſemper eo peruenit, quo mittitur. Deficit ergo ſæpe ex defectu recipientis, quem quidem defectum vincit primus motor Deus, motionem corroborando, quando illi ita viſum eſt. Eſt tamen intentio finis, ſiue applicatio cauſæ ſecundæ & primæ, ita nonnunquam efficax, vt rapiat ad ſe voluntates noſtras, obſtetque ne reſiſtant, quin potius ad medio- III.

n

rum electionem procedant:eſt etiam aliquando talis vt voluntas ſuapte voluntate deficiat; aliquando denique talis, vt licet aliquo tempore voluntatem continuerit, in progreſſu tamen, voluntate ſe ſubtrahente, paulatim imminuatur & fatiſcat; vnde oritur corruptio, dum inclinatio illa & propenſio in ſummum bonum paulatim conuertitur ad bonum commutabile & tranſitorium, ad quod comparãdum quęrimus conuenientia media, Deo ſemper inſpirante deſiderium boni, creatura autẽ ſua defectibilitate & deprauatione in malum pro bono intenta. Quod ſi quæras vtrum hujuſmodi præmotio & applicatio habeat eſſe firmum & permanens an non? Reſpondeo cum S.Thoma quæſt.3. de creatione, in reſpon. ad 7. non habere eſſe firmum & permanens, ſed eſſe motionem quandam actualem, ſimilem fere virtuti, per quam aliqui volunt moueri projecta, habereque eſſe incompletum *per modum quo colores ſunt in aëre*, inquit D.Thom. *& virtus artis in inſtrumento artificis.* quibus verbis, vt obiter hoc dicam, manifeſtiſſime & clariſſime ſignificat motum illum quo cauſa ſecũda mouetur à prima, eſſe aliquid diſtinctum, & ab ejus actiua virtute, & ab influxu ſimultaneo cauſæ primæ in effectum; cum ſit aliquid ex mente D.Thom. tenens ſe ex parte cauſæ ſecundæ, & ideo minime idem cum concurſu ſimultaneo; ſed habens eſſe quoddam incõpletum ac intentionale & fluxum, & ideo minime idem cum ejus virtute. ſi quæras ſecundo an hæc præmotio prædeterminet cauſam ad vnum? Reſpondeo proprie non debere dici determinari ad vnum. Ratio eſt, quia ex communi vulgatoque loquendi modo, determinari ad vnum eſt determinari ad aliquid finitum, creatum, & limitatum; Deus autem per prædeterminationem non ita nos determinat, ſed inclinat & determinat nos ad ſeipſum tanquam ad finem vltimum, ſupremum & infinitum ac vniuerſale bonum; qua poſita, adhuc circa media indifferenter nos habemus. hic aduerte per præmotionem non determinari potentiam liberam ad media, ſi proprie loquamur. Ratio eſt, quia determinatur qui de vniuerſali retrahitur & ad particulare contrahitur, quaſi minoratus & decurtatus, at homo & quodcumque agens liberum, non ſic ad media ſe habet, neque enim à ſua vniuerſalitate & ſublimitate deturbatur ad media, quibus nefas eſt ſubjici eum, ſed fas eſt vti tanquam ſuperiorem & dominum, & dum à fine quem intuetur adhuc abeſt, vtitur illorum ope ac ſubſidio vt ad illum magis afficiatur, eique arctius inhæreat, quod eſt non ad media determinari, ſed per media ad finem.

# DVBIVM QVARTVM.

*Oſtenditur quanam ſententia ſit præferenda.*

VTRIVSQVE ſententiæ authoribus & rationum momentis diligenter expenſis, omnino ampleƈtenda videtur ſecunda ſententia. quaptopter I. *Concluſio authoris.*

Dicendum eſt D. Opt. Max. ad omnem aƈtionem creaturæ cujuſcumque, ſiue liberæ, ſiue neceſſariæ, concurrere concurſu præuio. *Prima eiuſdem probatio.*

Probatur concluſio primò, quia contraria ſententia eſt nouitium commentum Ludouici Molinæ, vt fatentur authores ejuſdem cum eo familiæ, & expreſſe inter cæteros Sylueſter Petra ſanƈta in vita Card. Bellar. Leodij typis Ioannis Ovverx, & Leonardi Streel ann. 1626. excuſa, vbi ſic loquitur lib. 3. cap. 5. *fere per idem tempus coepta Romæ agitari cōtrouerſia eſt, inter religioſum ordinem S. Dominici, & Societatem noſtram, circa opiniones P. Ludouici Molinæ de concordia gratiæ & lib. arb. quam ſententiam etſi aliqui, eo quod vnius priuati ſcriptoris nata ex ingenio eſſet, minime cenſebant defendendam à Societate vniuerſa: attamen ij qui tum præerant, aliter ipſi deliberarunt: tum quia noſtrorum profeſſorū pars major in Academiis eam tuebatur, tum vero quia judicabatur in primis idonea &c.* quibus verbis fatetur inuētā illā à Ludouico Molina, & propterea ex eorū etiam Societate reſtitiſſe aliquos, ne vniuerſa Societas ad eam defendendam cogeretur. fuiſſet etiam contraria ſententia ſi ſuperuixiſſet Clemens VIII. ab Eccleſia condemnata, & propterea à nobis defendenda non eſt. hoc docet idem Petra ſanƈta eodem loco, his verbis. *Eo res demum deduƈta eſt, vt retulerit* (nempe ſummus Pont. Clemens VIII.) *ad Cardinales diuerſos, deſtinatum ſibi eſſe de controuerſia decernere. attamen ea res haud propterea Bellarminum expauefecit, ſi quidem cæpit candide, atque liberrime author eſſe Pontifici, in negotio, vnde multa & ſumma penderent, feſtinandum lente, imo ne feſtinandum quidem: ſed Pontifex, qui in re expendenda haud ſibi fuiſſe videbatur indiligens, faƈturum ſe propediem quæſtionis eum finem, quem apud ſe diſpoſuerat, repromiſit, & tum Bellarminus clare futurum dixit, vt de ea re non vtique definiendo pronunciaret. Quoniam vero Pontifex retulit ſe ad eadem, quæ ſemel dixerat, Bellarminus rurſus pari conſtantia negauit fore, vt de re illa decerneret.* hæc Petra ſanƈta, quibus verbis quamvis velit Bellarminū vaticinatum fuiſſe, benè an male ipſe viderit, moriturum Pontificem antequam faceret quæſtionis contra illos finem, tamen fatetur Pontificem omnino ſtatuiſſe contra ipſos ferre

ſententiam. quod clarius habet libro 6. cap. 7. ejuſdem vitæ Card. Bellarmini. *Cum aliquando in æde S. Marcelli Cardinalis à Monte ſolemnibus ſacrorum intereſſet, id temporis quo Clemens 8. Pontifex adhuc viueret, dixit Cardinali Bellarmino, qui item aderat; Deliberatum eſt Pontifici tandem pronuntiare in opiniones de auxiliis gratiæ Dei, natas inter Patres Dominicanos & Patres Societatis Ieſu. tum Bellarminus. hoc enimuero, inquit, Clemens Pont. nunquam definiet; excepit ille, atqui & poteſt & vult; qua igitur ratione, inquit, hoc non definiet? Bellarminus rurſus. Pontificem & poſſe & velle haud inficior, pronuntio tamen fore vt non definiat; imò ſi moliri hoc velit prius eum vita deſeret.* hæc Petra Sancta. ſecundò eſſe nouam, & contra veteres omnes Theol. ex ipſis etiam docet Henriquez, vbi ſic loquitur. *rectè concors Theologorum ſententia docet Deum habere prædeterminationem efficacem, ex prouidentia perfecta ab æterno, in qua, & per quam, tanquam per rationem omnia ſciat.* Eat nunc Moliſanus, vel ille ex Societate, cuius ſcripta ſuo nomine in lucem edidit, & iactet neminem veterum hanc noſtram ſententiam docuiſſe.

*Probatio ſecūda.* Probatur ſecundò concluſio; quia authores contrariæ ſententiæ non poſſunt commode explicare dependentiam & eſſentialem ſubordinationem cauſæ ſecundæ à prima in operando, ſine prædeterminatione Phyſica. ergo neceſſario eſt admittéda prędeterminatio Phyſica. Antecedens patet. quia ſi poſſent explicare illā ſubordinationem ſine prædeterminatione Phyſica, maximè per independentiam Dei cauſa ſecunda in operando, cum tamen cauſa ſecunda dependenter à prima operetur, eo quod cauſa prima, videlicet, poſſit effectum producere non concurrente cauſa ſecunda, quamuis ſecunda ſine prima non poſſit. ſed per talem independentiam explicare non poſſunt. ergo, &c. Minor probatur, quia in primis poſitiua ſubordinatio cauſæ ſecundæ ad primam, non fundatur in illa negatione dependentiæ quæ eſt in Deo reſpectu creaturæ; ridiculum enim eſt aſſerere Deum ſubordinare ſibi eſſentialiter omnes cauſas ſecundas, eo quod non dependeat ab illis, *nec intellectus*, inquit Nauarretus, *in hac negatione inuenit fundamentum tribuendi Deo excellentiam ſubijciendi ſibi cauſas ſecundas in operando.* Quod autem cauſa ſecunda non poſſit operari niſi Deo cócurſu ſimultaneo concurrente, hoc etiam non fundat poſitiuam illam ſuperioritatem Dei ad creaturā; Clarum enim eſt quod quando duæ cauſæ partialiter cócurrunt ad eundem effectum, quamuis vna earum non poſſit operari ſine alia, in hac tamen dependentia non denotatur ſuperioritas cauſæ à qua illa dependet, ſicut nec denotatur ſubordinatio aliqua in vno relatiuo reſpectu alterius, per dependentiam quæ eſt in tali relatiuo. ex alia parte negatio illa dependentiæ, vt iā vidimus, non poteſt eſſe fundamentum ſubordinationis.

ergo nec ex parte creaturæ, nec ex parte Dei, poſſunt hac ratione aduerſarij aſſignare ſubordinationem creaturarum in agendo ad Deum, ergo illa ſubordinatio conſiſtit in præuio influxu poſitiuo, quo cauſa prima influit in ſecundam. Confirmatur, quia ſi creaturæ propterea Deo dicuntur in agendo eſſentialiter ſubordinatæ, quia implicat illas operari, niſi Deo cum illis operante; pariter quo ad aliquẽ effectum, actum nempe vitalem, ſaltem in ſententia aduerſariorum, Deus erit eſſentialiter ſubordinatus creaturis, quia implicat Deum in ſententia aduerſariorum producere actum vitalem ſine cauſa vitali. ergo quo ad actum vitalem Deus non erit magis primum agens quã creatura, quia ſicut implicat contradictionem creaturam illum actum producere ſine Deo, ita etiam implicat Deum illum producere ſine creatura: Quemadmodum ergo in hoc caſu aduerſarij tenentur dicere hoc non arguere ſubordinationem cauſæ primæ ad ſecundam, ſed tantum dependenriam intrinſecam actus vitalis à principio vitæ; ita etiam quod cauſa ſecunda non operetur niſi Deo operante, hoc non arguit ſubordinationem creaturæ à prima cauſa in agendo, ſed intrinſecam tantum dependentiam effectus à primo agente. ergo in aliquo alio conſiſtit ſubordinatio creaturæ in agendo ad Deum. ſed illud aliud nihil eſt quam præuia motio. ergo datur præuia motio.

Confirmatur ſecundò, quia ſubordinatio quæ eſt inter creaturam in agendo ad Deum, eſt ſubordinatio creaturæ tanquam ad primum agens & primum mouens. ergo illa ſubordinatio conſiſtit in præuio motu recepto à ptimo agente. conſequentia patet, quia ſubordinari alicui & dependere ab alio tanquam à mouente & efficiente, eſt ab eo tum motum tum influxum recipere. ergo ſi creaturæ Deo ſubordinẽtur in agendo tanquam primo agenti, debent priuſquam agant, ab eo motum & influxum recipere; quia cauſalitas mouentis & efficientis, eſt influxus & motus, vnde quidquid ab alio in genere mouentis & efficientis dependet, per influxum & motum ab eo receptum dependet. ergo cum creaturæ dependeant à Deo tanquam à primo mouente & efficiente, dependebunt ratione motus & influxus recepti ab illo; quidquid enim dependet ab alio tanquam à cauſa, dependet ratione cauſalitatis circa ſe exercitæ, hoc enim eſt diſcriminis inter pendere ab alio tanquam à cauſa, & tanquam à conditione, quod pendentia vnius ab alio tanquam à conditione, non dicat influxum à conditione receptum, quem dicit pendentia ab alio tanquam à cauſa.

Probatur tertiò, ex Scoto in 2. diſt. 37. niſi dicamus Deum prædeterminare voluntates noſtras, nec erit omniſcius, nec omnipotens: cõſequens eſt abſurdum & contra Fidem. ergò, &c. Sequela Majoris probatur; & primò quidem quod attinet ad primam partem ſic. Deus non certo ſcit actus liberos voluntatis futuros niſi prædeterminẽtur. *Probatio tertia ex Scoto.*

ergo &c. Antecedens probatur. noſſe actum liberum futurum meæ voluntatis, verbi gratia, eſt noſſe, me tale quid voliturum, atque adeo eſt, noſſe me ad illam volitionem pro certo tempore determinatum. ſed Deus nõ nouit illam determinationem, ſublata prædeterminatione. ergo non nouit quod liberè ſim voliturus ſublata prædeterminatione. major clara eſt. Minor probatur. ſublata prædeterminatione non nouit illã prædeterminationẽ voluntatis, in determinatione voluntatis ſuæ, ſed nec nouit illam determinationem voluntatis meæ in ſeipſa, atque adeo in me, ergo &c. Prior pars antecedentis clara eſt, ſecunda ſic probatur. abſurdiſſimum eſt Deũ ſcientiam ſuam mutuati à creaturis, eaſq; illi eſſe objecta motiua cognitionis. ſed ſi aliter nõ nouit determinationem volũtatis meæ, quã in ſe ipſa, mutuatur ſuam ſcientiam à creaturis, à mea nempe voluntate, ſuntque illi creaturæ objectum motiuum cognitionis. ergo &c. Quod autem creaturæ non poſſunt eſſe objecta motiua Dei, luce clarius eſt, & patet, quia etiam in nobis ſolus finis eſt ratio motiua voluntatis, media autem ſunt terminatiua tantum & non motiua. exemplum ſit, ſola Dei bonitas, mouet me ad amorem charitatis erga proximum; ſola ratio ſanitatis mouet me ad vtendum potione medica, & media quæ erant vtilia, immutata in ſemetipſis fiunt inutilia, per ſolam mutationem
Reiicitur Vaſquez. finis, ex quo patet falſam eſſe doctrinam Vaſquez 1.2. diſp.1. cap.2. vbi poſtquam dixiſſet media habere ptopriam bonitatem diſtinctam à bonitate finis, ſuper qua fundatur ptoportio eorum ad finem, quod verum eſt, ſubjunxit, dum media qua media diliguntur, diligi in ipſis ptoptiam, & peculiarem illam bonitatem; hoc enim falſiſſimũ eſt, & neſcio qua ratione ab illo dici potuit, cum media, qua media, dicant tantum relationem ad finem, non autem fundamentum ipſius: præterquam quod hoc ſit contratium putitati amoris, quo Deo inhærere debemus, ita enim amate Deum debemus, vt cum illo etiam ſub illo nihil aliud amemus, ſed omnia dumtaxat in illo; quia alias non amamus illum ex toto cotde. Probatur iam altera pats argumenti *Scoti* de omnipotentia Dei. Deus tantum producere poteſt quod in ſe habet, & continet; atqui ſuppoſita ſententia aduerſatiotum non habet in ſe conſenſum meæ voluntatis. ergo non poteſt illum producere, faciendo cettiſſime, vt velim & conſenriam. id quod ipſe voluetit minor oſtenditur. vnumquodque eſt, in quantum determinatum eſt, ſed determinatio voluntatis meæ non eſt in Deo, cum, ex aduerſariorum ſententia, meam non determinet voluntatem. ergo conſenſus meæ voluntatis non eſt illo.

Neque reſponderi poteſt, Deũ beneficio ſcientiæ mediæ penetrare quid factura ſit voluntas, ſi ſub hac, aut illa conditione ponatur, & inde illi euidens eſſe quid poſſit, hoc, inquã, dici non poteſt, quia in

ptimis hæc reſponſio ſupponit Deum noſſe actus liberos ſub conditione futuros ante decretum ſuum, quod falſum eſt, & ante tempora Ludouici Molinæ inauditum, vt ex ipſomet ſtatim dicemus: & certè ſi Patres ſcientiam mediam agnouerunt, cur ea non vſi ſunt ad explicandam concordiam liberi arbitrij cum diuina præſcientia & prouidentia? cum illa à Recentioribus ejus auctoribus neceſſaria cenſeatur ad hoc myſterium explicandum; imo nihil facilius explicari poſſe putetur, illa ſcientia media ſuppoſita: nihil enim facilius intelligi poteſt, quam gratiam diuinam, ideo eſſe efficacem in vno homine, & non in alio, quia vnius liberum arbitrium incipit prius ratione, ſe determinando ad effectum gratiæ, quam gratia concurrat ad eundem effectum; alterius autem liberum arbitrium non ſic incipit, & ideo gratia non operatur in illo; & conſequenter ideo (ſaltem ſecundum ordinem executionis) vni à Deo decretam eſſe vitam æternam, & non alteri, quia ille, non autem iſte, oblata omnibus gratia ſufficiente, prius ratione quam illa gratia in illo bonum efficiat, ſeſe determinaturus ſit ad opus ſalutis, & ad perſeuerandum in illo vſque ad finem; atque ita decretum efficacis gratiæ, & gloriæ æternæ pendere ex præſcientia conditionata illius determinationis propriæ arbitrij creati ante concurſum gratiæ. At vero non hac facilitate Sancti Patres ſeſe à difficultate illius myſterij expediuerunt, ſed exemplo Apoſtoli ad Romanos 11. ſemper ad altitudinem diuinæ ſapientiæ & ſcientiæ recurrerunt. (*Iam* inquit diuus Auguſtinus libro de ſpiritu, & littera, cap. 34.) *ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadetur vt perſuadeatur, illi autem non ita, duo ſola occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placeat, ô altitudo diuitiarum, &c. & numquid iniquitas apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caueat ne inueniat præſumptores.* Et de prædeſtinatione ſanctorum cap. 9. *Cur iſtum potius quam illum liberet, inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius; melius enim & hic audimus aut dicimus, ô homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? quam dicere audeamus, quaſi nouerimus, quod occultum eſſe voluit.* Et Epiſt. 105. ad Sixtum. *Cur ille credat, ille non credat, cum ambo idem audiunt, & ſi miraculum in eorum conſpectu fiat, ambo idem vident, altitudo eſt diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, cujus inſcrutabilia ſunt judicia.* Et infra. *Cur illum potius quam illum liberet aut non liberet, ſcrutetur qui poteſt judiciorum ejus tam magnum profundum, verumtamen caueat præcipitium.* hæc Auguſtinus; cui, ſi datur ſcientia conditionata ſiue media, prout volunt Authores allatæ reſponſionis, facile reſpondebitur; Quid trepidas, quid times Auguſtine? cur ad altitudinem ſapientiæ & ſcientiæ Dei, & judiciorum eius profundum nos remittis? quid præcipitium times? Ecce plana, facilis, & aperta euadendi via,

*Oſtenditur nullam dari ſcientiam conditionatam ante decretum.*

*D. Auguſtinus.*

ideo vni ita ſuaderi, vt perſuadeatur, alteri non ita, ideo ex vocatis vnum credere, alterum non credere, ideo à Deo liberari vnum, & non alterum; quia vnus, & non alter, prius ratione ſe determinat ad opus ſalutis, quam Deus ad illud concurrat, adeoque ſe determinando ad illud efficiendum, etiam Dei gratiam determinat ad idem efficiẽdum, & conſequenter gratiam, æterno decreto vni & non alteri præparatam, eſſe efficacem, quia ille præuiſus eſt cum his vel illis conditionibus determinaturus Dei gratiam ſibi præparatam ad efficiendum, hic præuiſus eſt non ſic determinaturus gratiam ſibi præparatam ad efficiendum. Verum quia ignota erat Auguſtino hæc ſcientia media, propterea apud ipſum locum non habet reſponſio. Et ſane nec Auguſtino, Proſpero, Hilario, aliiſque Patribus, nec Sacro Concilio Tridentino, ad hæreſes Lutheri & Caluini reprimendas conuocato, notam fuiſſe ſcientiam mediam, vltro fatetur Ludouicus Molina, qui ſe ejus inuentorem non inuitus gloriatur; ſic enim loquitur in concordia quæſt. 23. art. 4. & 5. diſput. 1. membro vltimo. *Quod ſi*, inquit, *ratio conciliandi libertatem cum diuina gratia ex ſcientia media explanata ſemper fuiſſet, forte neque Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta, nec Lutherani tam impudenter arbitrij noſtri libertatem fuiſſent auſi negare, obtendentes cum diuina gratia, præſcientia, & prædeſtinatione, cohærere non poſſe, nec ex Auguſtini opinione, & concertationibus cum Pelagianis, tot fideles fuiſſent turbati, ad Pelagianoſque defeciſſent, facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in Epiſtolis Proſperi & Hilarij fit mentio, fuiſſent extinctæ*. Et infra, ait, *hanc ſuam rationem conciliandi* (per ſcientiam mediam) *libertatem arbitrij cum diuina prædeſtinatione, à nemine quem viderit, huc vſque traditam*. Quæ confeſſio, & ſi nullum ſuppeteret argumentum quo impugnari poſſet ſcientia media, ſufficit ad illam è medio tollendam. Quis enim credet vſque ad Molinæ tempora latuiſſe Eccleſiam Dei, modum conciliandi libertatem cum diuina prouidentia, præſcientia, & prædeſtinatione? quis credet Molinam à Deo miſſum, vt, poſt mille quingentos & tot annos, Eccleſiæ, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis, modum illum aperiret? Verum quia hæc res ex profeſſo in Theologia examinari ſolet, nec huius eſt loci, ideo, breuiter tantum, oſtendo dupliciter falſitatem ſcientiæ mediæ; & primo quidem, quia, etiam iuxta principia eorum, nulla eſt neceſſitas talis ſcientiæ ante decretum, ad concordiam libertatis cum diuina gratia, & prouidentia, explicandam. ergo &c. antecedens probatur, quia iuxta illorum principia aliter componi poteſt. ergo nulla eſt eius neceſſitas ad prædictam concordiam explicandam. Patet antecedens, quia ipſi aſſerunt Deum ſua prouidentia præparaſſe creato arbitrio concurſum generalem, indeterminatum, & indifferentem, ipſum vero arbitrium creatum determinare illum ad certam actionem, tam quo ad ſpeciem, quam quo ad exercitium actionis; & ita præſcientiam &

prouiden-

prouidentiam non modo non deſtruere libertatem arbitrij, ſed ad futuritionem actus liberi, etiam ſupponere propriam determinationem arbitrij creati, ergo aliter componi poteſt, juxta aduerſarios, cõcordia, quam per ſcientiam conditionatam. Quid ergo opus eſt illa etiam juxta principia aduerſariorum? Nulla plane eſt ejus neceſſitas. Secundo juxta eorum principia impugnatur ſcientia media, quia non eſt diſtinctio ſufficiens inter concurſum arbitrij creati, & concurſum Dei, vt concurſus arbitrij creati poſſit eſſe objectum perfectæ, & propriæ ſcientiæ, quin concurſus Dei per eandem ſcientiam cognoſcatur; nec poteſt concurſus arbitrij creati, etiam qua talis, independens eſſe à concurſu Dei, ergo etiam juxta eorum principia nulla datur ſcientia media ante decretum. Antecedens duas habet partes, & vtraque probatur, ac primo quidem prima, nempe non eſſe ſufficientem diſtinctionem &c. Propriæ perfectæque ſcientiæ, qua res quidditatiuè, & prout verè in ſe eſt, penetratur, non poteſt objici vnum eorum, ſine altero, quæ ſolum diſtinguuntur ratione; ſed concurſus arbitrij creati, & concurſus Dei ſolùm diſtinguuntur ratione, per aduerſarios, ergo concurſus arbitrij creati, non poteſt objici propriæ, perfectæq; ſcientiæ, niſi per eandem ſcientiam, Dei concurſus intelligatur. major patet; quia etiam ſecundum aduerſarios Deus non fingit diſtinctiones rationis, ideſt, non concipit tanquam diſtincta, quæ noſtra ſolum imperfecta, ratio diſtinguit; quia diuina cognitio, non poteſt non eſſe perfecta, & propria. minor eſt aduerſariorum: his vero duabus præmiſſis admiſſis, certo certius ſibi contradicunt; negantes deinde concluſionem ex his deductam, videlicet Deum, cujus cognitio perfecta & propria eſſe debet, non cognoſcere concurſum arbitrij creati ſub conditione, antequam cognoſcat ſuum concurſum futurum ſub eadem conditione, ex diuinæ voluntatis decreto: nam ſi Deus non diſtinguit quę non ſunt in re diſtincta, & concurſus arbitrij creati à concurſu Dei in re non eſt diſtinctus, quomodo poteſt Deus vnum concurſum ab alio diſtinguere? adeoque vnum abſque altero diſtinctè & ſeorſim cognoſcere? Secunda pars oſtenditur etiam, nempe non poſſe concurſum arbitrij creati, etiam qua talem, eſſe independentem à concurſu Dei; quia concurſus arbitrij creati, etiam qua talis, ſeu vt ab arbitrio creato eſt, continetur intra latitudinem entis creati, ergo non poteſt eſſe independens à concurſu Dei. Concludo ergo, etiam in aduerſariorum ſententia, vt alia relinquam, nullam dari ſcientiam mediam. Solutio itaque ſupra allata ad argumentum, ex Scoto à nobis allatum, ſuſtinenda non eſt; vnde Scotus, conſequentiſſimè, vt ſemper ſolet, loquens, nullam talem ſcientiam in Deo agnouit. *Omnis* (inquit in 1. diſtinct. 38. quæſt. vnica in corpore) *cognitio præcedens ibi* (in Deo) *actum voluntatis, eſt mere naturalis.* & diſtinct. 39. quæſtione vnica. §. *Scotus.*

*Contra rationes cognoſcendi*, ait, *quicquid in intellectu diuino naturaliter præcedit actum voluntatis diuinæ, eſt mere naturale*: vbi naturale vocat (inquit Smiſingus tomo primo tractat. 3. diſput. 2. quæſt. 5.) quod opponitur libero, vt ex diſcurſu Scoti ibidem patet. & diſtinct. 38. ad quoddam primum argumentum, ait: *Ideo neceſſe eſt ponere primam determinationem in voluntate* (Dei) *reſpectu factibilium.* quod fuſius proſequitur quodlibeto 14. §. *hic intelligendum.*

Sed inſurgunt recentiores defenſores ſcientiæ mediæ, illam manifeſtè haberi ex ſcripturis ſacris, quæ clarè docent aliqua ſub conditione euentura fuiſſe, quæ nunquam euenerunt, vt primo Regum 23. Reuelauit Dominus Dauidi fugienti Saulem has conditionatas; *Si manſeris Ceilæ, Saul veniet; Si Saul venerit, tradent te Ceilani in manus Saulis.* Et Matth. 11. ac Lucæ 10. teſtatur Dominus Tyrios ac Sydonios facturos fuiſſe pœnitentiā in cinere & cilicio, ſi apud eos factæ fuiſſent virtutes, quæ à Chriſto factæ fuerant in Corozaim & Bethſaida. Et multæ ſimiles prædictiones conditionatæ habentur in alijs ſcripturæ locis, vt Geneſis 11. *Ecce vnus eſt populus, & vnum eſt labium omnium, cæperuntque hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant. Ezechielis 3. Non ad populum profundi ſermonis & ignotæ linguæ tu mitteris, etſi ad illos mittereris, audirent te*, ergo, inquiunt, datur ſcientia media.

Confirmant primò ex patribus, in quibus multa continentur, quæ ſcientiam mediam aſtruere videntur; ſæpe enim docent prædeſtinationem eſſe factam ex præſcientia boni vſus liberi arbitrij ſuppoſita gratia, & ita ſignificant Deum antequam decerneret alicui dare gloriam vel gratiam (qui ſunt effectus prędeſtinationis, ſciuiſſe quid quiſque ex parte ſua eſſet facturus, ſi tali gratia præueniretur & excitaretur. ita videtur inter alios docere S. Auguſt. tota quæſt. ſecunda ad Simplicianum, vbi gratiam efficacem explicat illam eſſe, qua ſic vocat hominem ſicut nouerat eum ſequuturum. Præterea idem Auguſtinus epiſt. 49. & lib. de 6. quæſtionibus contra Paganos, ad quæſtionem illam, cur Deus voluerit tot annis differre poſt peccatum Adæ aduentum mediatoris cum ſciret hoc fore nociuum generi humano; reſpondet, Deum ideo ſic voluiſſe, quia ſcilicet ante illud tempus homines non daturos locum prædicationi Chriſti, ergo agnouit Auguſt. ſcientiam mediam.

Confirmat ſecundò Franciſcus Suarius, ex antiquis Theologis, qui etiam eandem ſcientiam agnouiſſe videntur; mouent enim quæſtiones quæ ſupponunt contingentia conditionata eſſe vera vel falſa determinatè, exempli gratia, an ſi Adam non peccaſſet, Filius Dei incarnatus fuiſſet.

Verum hęc argumenta nullo negotio ſoluuntur. Ad primum enim

in primis reſpondent Theologi aliqui, loca illa ſcripturæ exprimere tantum conjecturam fundatam in diſpoſitione cauſæ proximę, ex qua merito conijci potuerit, effectum, qui prædicitur, fuiſſe ſequuturum ſub conditione. Alij exponunt illa loca quaſi contineant ſolum humanum quendam loquendi modum, accommodatum ad exagerandas vel obſeruandas res aliquas, qua ratione Doctiſſimus Ianſenius, cap. 47. Concord. Euang. interpretatur illud Matthæi 11. *Væ tibi Corozaim*, vt ſit exaggeratio ſolum malitiæ habitatorum Corozaim, & Bethſaidæ, ſupra malitiam Tyriorum & Sydoniorum; Et interpretari poſſunt alia loca, nempe vt primo Reg. 23. tantum exaggeretur malitia Ceilitarum, vel timiditas; & Ezechielis 3. extenuetur difficultas prædicandi populo notæ linguæ; ac denique Geneſis 11. exaggeretur vanitas, ac præſumptio ædificantium turrim Babylonicam. Quæ reſponſiones horum Theologum, quamuis probabilitate fortaſſis non careant, tamen nobis non probantur. Et primo quidem prima, quia conjecturalis ſcientia non ſatis commode Deo tribuitur, prout ſignificat iudicium ſolum probabile de futuritione ipſa rerum, conditione ſuppoſita, quia talis ſcientia conjuncta eſt cum formidine de oppoſito, ac proinde in Deum cadere non poteſt: debet itaque, vt probabilis ſit illa reſponſio, conjecturæ nomine, intelligi iudicium certum de proportione rerum, & congruitate ad futuritionem, conditione poſita, ſic enim nullam inuoluit imperfectionem, quia certo & euidenter iudicat Deus, quę cauſæ, conditione ſuæ, cum quibus euentibus congruitatem, proportionemque habeant; vnde hoc modo hæc reſponſio, aſſerit ſcripturas quibus conditionales continentur, ſignificare, Deum, certò & infallibiliter ſcire quanta ſit proportio, congruitaſque arbitrij cujuſque creati ad volendum, id ad quod hæc vel illa conditio inuitat; quæ ſcientia dici poteſt conjecturalis, ſi ad ipſam volitionem, determinationemque arbitrij creati referatur, quamuis Deus non conjectet: neque hoc iudicium Diuini intellectus, de rerum congrua connexione quiſquam negare poteſt. Non eſt tamen ſcientia futuri contingentis, ſi rem diligenter conſideremus, ſed cujuſdam veri naturalis: *quo enim* (inquit Smiſingus) *talis euentus congruitatem habeat cum tali voluntate creata, poſitis talibus conditionibus, ex natura rei pendet, & non ex voluntatis creatæ libertate*; & ideo hæc ſententia ſimpliciter negat, Deum habere ſcientiam de futuris contingentibus, eamque tribuit Franciſcus Suarius Opuſculo de ſcientia Dei, lib. 2. cap. 1. numero primo, Cathatino, & Ianſenio, quorum ſententiam ſequuti ſunt multi Recentiores, inter alios Paulus Burgenſis 1. Regum 23. in fine, in prima additione ad Lyranum, Cabreta, 3. parte quæſt. 1. art. 3. diſp. 1. numero 382. & ſeq. & alibi, Ledeſma diſp. 2. de ſcientia futurorum contingentium, *Ianſenius. Catharinus.*

Hilarion Genuenſis ad Matthei cap.11. Cabezudo 3. part. quæſt. 62. art. 2. quæſt. 2. ad 12. quorum aliquos vidi cum magna facilitate & plauſu illā ſuſtinentes. Verū nec hac ratione explicata reſponſio mihi placet, primo quia loca citata certam Prophetiam ſonant, vt indicat D. Auguſtinus lib. de bono perſeuerantiæ cap. 9. ſecundo quia non poteſt facile applicari hæc reſponſio ad locum citatum ex. 1. Regum, quia Dauid non petebat ſcire à Domino, quomodo cauſæ eſſent tunc diſpoſitæ ad hoc vt Saul veniet Ceilam, & ſi veniret, ipſum traderent Ceilitæ in manus Saul, ſed petebat à Domino quid reuera euentutum eſſet poſita conditione, ac proinde de eodem euentu intelligi debet diuinum reſponſum. Multo minus arridet mihi ſecunda reſponſio, quia Dauid non conſulebat Dominum, quis eſſet humanus loquendi modus de rei euentu in tali rerum circumſtantia. Reſpondeo ergo loca citata probare, quidem dari aliquas complexiones conditionatas de futuro contingenti veras, ſed non niſi ſuppoſito diuinæ voluntatis decreto, de futuritione talium contingentium ſub conditione. Quomodo enim aliquid eſſe poſſet, niſi Deus vellet? Quæres, qua ſcientia videt Deus futura conditionata, in decreto ſuę voluntatis. Reſpondeo videre ſcientia viſionis & abſoluta: viſionis quidem, quia, vt in ſimili, in logicis diximus, agentes de veritate propoſitionum de futuro contingenti, adeo perfectè terminatur ad exiſtentiam futuri ſub conditione, ac terminaretur ad illam, ſi conditione poſita, ipſa exiſtentia talis futuri in aliqua temporis differentia poneretur, hoc autem ad viſionem ſeu intuitiuam cognitionem ſufficit, nec requiritur, vt res ſit præſens: eſt autem abſoluta, quia licet non terminetur ad futurum abſolute, tamen abſolutè terminatur ad futurum ſub conditione.

Ad primam objectionem ex Patribus facilis eſt reſponſio, & primo quidem ad illud, quod dicunt prędeſtinationem eſſe factam ex præſcientia boni vſus liberi arbitrij ſuppoſita gratia, dico illos loqui de prædeſtinatione, vt ſecundum ordinem executionis dicit decretum gloriæ æternæ: hoc enim decretum ſupponit liberi arbitrij ejuſque cooperationis cum auxilio diuino vſque in finem præſcientiam, non conditionatam ſed abſolutam. Ad illud quod ex Diuo Auguſtino adfertur reſpondeo non ſupponere illum, quod ad vocationem attinet, Deum ab ęterno ante decretum ſuę voluntatis, ſcire hos vel illos eſſe conuertendos, ſi tali tempore aut modo vocentur; ſed quod, hos vel illos, ſi tali tempore aut modo vocentur, Deus ab æterno, & antequam eos vocet in tempore, ſciat ex decreto ſuę voluntatis eſſe infallibiliter conuertendos; vnde illa doctrina intelligenda eſt de ordine inter prouidentiam æternam, & exequtionem temporalem, & de ſcientia abſoluta futurorum. Quod ſi extendatur, inquit

Smiſingus, ad ordinem rationis inter actus diuinæ prouidentiæ, & dicatur Deum voluiſſe vocare homines tali tempore & modo, quo, ſi vocentur, nouit eos conuertendos, non eſt accipienda niſi de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, qua ante decretum ſuæ voluntatis, nouit omnes cauſarum proportiones reſpectu ſuorum effectuum, adeoque etiam congruitatem auxiliorum gratiæ, & temporum opportunitates, hominumque diſpoſitiones ad conuerſionem: quid tamen ex cauſis ſic proportionatis ſequuturum ſit, non nouit ante decretum ſuæ voluntatis de conſequutione, ſeu futuritione effectus. Et illam auxiliorum gratiæ aliarumq; cauſarum congruitatem in ſua prouidentia, reſpexit æterna ſapientia, eamque etiam congruitatem, non autem infallibilem connexionem cum effectu, præciſo diuinæ voluntatis decreto, ſignificat S. Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum quęſtion. 2. vbi de non efficaciter vocatis, ait: *Si vellet* (Deus) *etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocare, quomodo illis aptum eſſet, vt & mouerentur, & intelligerent, & ſequerentur.* Smiſingus.

Ad ſecundam confirmationem reſpondeo quæſtiones quas ſcholaſtici mouent de quibuſdam futuris ſub conditione, non intelligi de futuris præciſo decreto diuinæ voluntatis; Talis eſt illa, an ſi homo non peccaſſet &c. neque dicas in his non peti quid futurum fuiſſet, quia nullo fundamento hoc pro alterutra parte concludi poſſet, cum reuelationem non habeamus; reſpondeo enim ſcholaſticos non diſputare quid congruum fuiſſet, ſed ex rerum congruitate, quid euentutum fuiſſet, concludere.

## DVBIVM QVINTVM.

*Soluuntur obiecta ab aduerſarijs.*

AD primum argumentum aduerſariorum, Reſpondeo illud fuiſſe objectum D. Auguſt. à Pelagianis, vnde libro de correp. & gratia cap. 2. Contra ſe adducit hoc ipſorum argumentum, vt quid, inquiebant, nobis prædicatur atque præcipitur, vt malum fugiamus & bonum operemur ſi prædeterminamur à Deo, & ipſe *in nobis velle & operari operatur*; quibus reſpondet S. Auguſt. *Non ſe fallant qui hoc dicunt, ſed potius intelligant ſi filij Dei ſunt, Spiritu Dei ſe agi, vt quod agendum eſt agant, & cum egerint illi à quo aguntur, gratias agant; aguntur enim vt agant, non vt ipſi nihil agant.* neque eſt quod dicatur locuros Pelagianos de præmotione morali: non eſt inquam quod hoc dicatur, quia Pelagiani nunquam præmotionem mora-

lem negarunt, vnde dicebat Pelagius Deum per doctrinam, & reue-lationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit, adiuuare, &c. Contra quem S. Auguſtinus. lib. 1. de gratia Chriſti cap. 24. his verbis inſurgit *legant & intelligant, intueantur non lege atque doctrina inſonante forinſecus, ſed interna, atque occulta mirabili, atque ineffabili poteſtate operari Deum cordibus non ſolum veras reuelationes, ſed etiam bonas voluntates* hæc Auguſt. non negabant ergo moralem præmotionem Pelagiani, ſed Phyſicam, quam & neganr aduerſarij quibus cum Auguſtino dicamus, *Non ſe fallant qui hoc dicunt ſed potius intelligant, ſi filij Dei ſunt, ſpiritu Dei ſe agi, vt quod agendum eſt agant, & cum egerint, illi à quo aguntur, gratias agant, aguntur enim vt agant, non vt ipſi nihil agant.* Idem etiam argumentum objectum fuit à Caſſiano, ſi Sancto Proſpero credimus lib. contra Collatorem, cap.89. definitione 6. aiebat enim Caſſianus, quod non libere venirent, qui preueniebantur à gratia Dei, cui egregie reſpondet Sanctus Proſper, quod ſi aufertur liberum arbirrium cum præuenirur à gratia, etiam dicendum auferri gratiam, cum præuenirur à libero arbitrio, ſicut ergo non aufertur à cauſis naruralibus proprius modus operandi, ſed potuis perficitur cum mouentur à Deo, ita eriam liberum arbirrium non deſtruitur, ſed perficirur, cum præuenitur à gratia, nam graria mouet ſecundum quod liberum arbirrium eſt aptum moueri, hoc eſt liberè. vnde Angelicus Doctor Diuus Th. 1.parte quæſt.83. arte 1. ad 3. ait quod Deus mouendo cauſas naturales non aufert quin actiones earum ſint volunrariæ, ſed porius hoc in eis facit, operarur enim inquir, in vnoquoque ſecundum eius proprietatem. Ad argumenrum iraque in forma, Reſpondeo negando majorem, ad ejus probationem nego minorem quæ minus bene ad aduerſarijs probarur, nam qui applicatur, & prædererminatur ad agendum poteſt non agere, imo poreſt oppoſitū agere, quod facile inrelligerur, ſi in memoriâ reuocetur quod ſupra diximus videlicet applicationem illam non eſſe ad media, ſed ad finē per media, & qui applicarur ad media, non niſi ſeruato ordine finis ad illa applicari, totamque illam applicarionem non niſi in inrentione finis conſiſtere, inde enim fir, vt ſicur quando ordo finis exigit ad media accedo, ijſque vror, ira quādo ordo finis non amplius exigit, vel etiam oppoſitum expoſcir, ab illorum ope, & vſu ſuperſedeam, & ſi in illo caſu illis adhuc inhæream neglecto ordine finis, imo cōtra finis ordinem, quod eſt deficere, non proficere, non vi applicationis hujus (cum nulla ad deficiendum exigatur, ſed per receſſum ab ea, me id facere. Tanrum itaque abeſt, vt qui applicarur, non poſſir ſe continere; quin porius non poſſir non ceſſare, & media quæ fuit amplexus abijcere, quando ordo finis variarur, nam quod ordine finis inuariaro, non poſſir non agere, ſicut ordo fi-

nis exigit, aliud nihil eſt niſi à fine aberrare non poſſe, quod non eſt libertatis imminutio, ſed perfectio, vt ex D. Thoma ſupra notauimus.

Dices. ſaltem cauſæ liberæ vt modo ſe habent in præſenti vita, in qua libertatem habent, corruptioni & ſeruituti admixtam, debent poſſe non agere, etiam inuariato ordine finis, ergo &c.

Reſpondeo poſſe, & id in earum eſt non dicam facultate, ſed infirmitate, deficiendo ab applicatione & motione cauſæ primæ, quæ non eſt hujuſmodi ſemper, vt infirmitatem ſuperet, & ad effectum perueniat. ſicut nec impulſus ſecuris ab artifice, ſeu ex infirmitate artificis, ſeu ex indiſpoſitione ſubjecti recipientis, talis eſt, vt diuiſionem ligni operetur. vincit motione ſua Deus pater miſericordiarum, infirmitatem, & deprauationem noſtram, quando & quomodo illi viſum eſt, ſed non ſemper illi juſtiſſimo judici, ita viſum eſt.

Dices. quod eſt determinatũ non poteſt eſſe indeterminatum & indifferens, ſed poſita præmotione voluntas eſt determinata, ergo &c.

Reſpondeo primò diſtinguendo majorem, juxta principia explicata; quod eſt determinatum non poteſt eſſe indeterminatum & indifferens, ea ratione qua eſt determinatum verum eſt; alia ratione falſum eſt. Ad minorem, ſed poſita præmotione voluntas eſt determinata, diſtinguo minorem, eſt determinata ad finem, concedo minorem, ad media, nego minorem. Ad conſequentiam, ergo voluntas non eſt libera, nego conſequentiam, quia libertas eſt tantum circa media. Addit Aluarez, quod eſt omnimodo determinatum præſertim in facto eſſe, non eſſe indeterminatum, attamen quod in priori naturæ eſt determinatum à Deo in vltimo complemento actus primi, poteſt ſe ipſum determinare in actu ſecundo, vnde prius natura quam voluntas ſeipſam determinet per ſuam operationem liberam, intelligitur indifferens ſeu indeterminata à ſeipſa per eandẽ operationem liberam. addũt alij denique, dici poſſe liberum arbitrium determinari à Deo, tanquam à cauſa prima, & ſe determinare vt cauſa proxima ſuæ operationis. & ſi objicias omnem prędeterminationem præſupponere in ipſa potentia indeterminationem. Reſpondent id verum eſſe loquendo de determinatione & indeterminatione reſpectu ejuſdem cauſæ, vnde priuſquam voluntas creata ſe determinet in actu ſecundo vt cauſa proxima, intelligitur indeterminata à ſeipſa, & à quacumq; alia cauſa proxima, cum hoc tamen, quod præintelligitur determinata à Deo tanquam à prima cauſa, à qua primò incipit omnis determinatio cujuſcumque cauſæ ſecundæ. vide D. Thom. q. 24. de veritate art. 1. ad 5. cujus eſt hæc doctrina, *aliquid*, inquit, *poteſt eſſe ab alio motum, quod tamen ſeipſum mouet, & ſic eſt de mente humana.*

Dices. ſi præmotio & applicatio illa in cauſis liberis, nihil aliud eſt, quam intentio finis, & intentio illa non ſemper ita efficax eſt, vt ex vi

illi, homo ad debita media proſequenda ſe accingat, quin ſæpiſſime ab illo recedat, in ipſo ejus actu, & aliquando etiam in progreſſu, poſtquam ſe ſemel ab illa pertrahi paſſus eſt, dubitatur vnde intentioni efficacia.

Reſpondeo applicationem illam præciſe, qua applicatio eſt, non eſſe efficacem, nec ad agendum primo, nec ad perſeuerandum multo tempore, ſed efficaciam illi ineſſe à diuina voluntate, vt inſinuat D. Thom. prima ſecundæ, quæſt. 112. art. 3. vbi habet, *præparationem ad gratiam, ſecundum quod eſt à Deo mouente, habere neceſſitatem ad id, ad quod à Deo ordinatur, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere, non poteſt, ſecundum Auguſt. qui dicit in lib. de prædeſt. ſanctorum, quod per beneficia Dei certiſſimè liberantur, quicunque liberantur: vnde*, inquit D. Thom. *ſi ex intentione Dei mouentis eſt, quod homo cujus cor mouet, gratiam conſequatur, infallibiliter eam conſequitur, ſecundum illud Ioan. 6. omnis qui audit à patre meo, & didicit venit ad me.* & ſecunda ſecundæ quæſt. 24. art. 11. in corp. ait, *quod virtus ſpiritus ſancti mouentis animam, infallibiliter, operatur, quodcunque voluerit*, vnde impoſſibile eſt, hæc duo ſimul eſſe vera quod ſpiritus ſanctus, velit aliquem mouere ad actum charitaris, & quod ipſe charitatem amittat peccando, ex quibus patet motionem diuinam eſſe efficacem ex Dei intentione, & voluntate, ſiue, quod Deus corroboret motionem ſuam, quantum exigitur ad conuerſionem peccatoris, & ſanctificationem ejus, quando intendit, ſiue (quod magis exiſtimo) quod ipſa motio, eo quod procedat ex voluntate Dei, volentis hominem conuertere, præciſe, & ſine vllo incremento, fit efficax; hoc enim nec determinat, nec proponit D. Th. & primo quidem modo, rem fieri poſſe, indubitatum eſt, poſſe autem ſecundo, eſt probabilius; quia cum Deus creator ſit, & dominus voluntatis noſtræ, quæ quantumlibet rebus creatis implicita, in illius tamen manu eſt, ſicut diuiſiones aquarum, videtur ita illa vti poſſe, vt non tantum adhibito magno conatu, ſed quocunq; impulſu, & quaſi nutu ſolo conuertere illam queat quocunq; voluerit, nec ad id explicandum opus eſt ad ſcientiam mediam ſeu Moliniſticam confugere. Dominus eſt cordis noſtri, flectit illud vt Dominus, pro arbitrio, nec metuendum eſt, ne dum id facit, neceſſitatem illi imponat,

Sed contra, inquies, quando applicatio illa eſt efficax videtur eripere nobis peccandi libertatem, quæ etſi defectus ſit, & non perfectio libertatis, nunquam tamen à nobis aufertur, dum præſentem vitam viuimus, quod autem videatur hoc fieri, patet ex eo quod antecedenter ad noſtrum actum, trahat nos Deus ad ſe ipſum, tractu, quem non vimur poſſe ſubterfugere.

Reſpondeo ne id quidem; tractus enim ille cum ita potentiam immutet

mutet, vt eam in ſua defectibilitate & deprauatione relinquat, non aufert illi peccandi libertatem, quæ in ejuſmodi defectibilitatę conſiſtit, ſed Deus ea non obſtante trahit nos ad finem prouidentiæ ſuæ, tranſmittitque immutabilitatem decreti ſui per mutabilitatem cordis noſtri, ſicut omnes fatentur Deum per cauſas contingentes, manentes in ſua contingentia, immutabiliter exequi quæcumque ab externo decreuit, vt docet D. Thom. quæſt. 6. de potentia att. vnico, ad 3. vbi ſic loquitur. *Deus mouet voluntatem immobiliter, propter efficaciam virtutis mouentis quæ deficere non poteſt, ſed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad diuerſa, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas; ſicut etiam in omnibus prouidentia diuina infallibiliter operatur, & tamen à cauſis contingentibus proueniunt effectus contingentes, inquantum Deus mouet proportionabiliter vnumquemque ſecundum proprium modum.* Illuſtrari etiam hoc poteſt ex D. Thom. quæſt. 6. de prædeſt. art. 3. ſicut Deus infallibiliter conſeruat ſpeciem per ſingularia, quæ ſunt fallibilia, ita etiam per cauſas contingentes, & ſecundum ſe fallibiles, operari poteſt aliquem effectum infallibiliter, quod optime declarat D. Boëtius lib. 4. de conſolat. proſa 6. vbi de rebus creatis, tanquam effectis diuinę potentiæ loquens. *Quæ cũ ab immobilis,* inquit, *prouidentiæ proficiſcantur exordijs, ipſas quoque immutabiles neceſſe eſt eſſe. Ita enim res optime reguntur, ſi manens in diuina mente ſimplicitas indeclinabilem cauſarum* (quarum cauſarum? mutabilium) *ordinem promat, hic vero ordo res mutabiles, & alioqui temere fluituras propria immutabilitate coërceat.*

Ad ſecundum argumentum. Reſpondeo, vt ejus infirmitas declaretur, tria nos hoc loco oſtenſuros. Primum, Deum mouere cauſas creatas ad quemcunq; actum, inquantum actus eſt, etiamſi ſit intrinſece malus. ſecundum, ipſum argumentum ab ipſis aduerſarijs eſſe ſoluendum. tertiò in forma eidem reſpondebimus. & primo quidem quod ad primum attinet, certum eſt ex dictis, Deum omnem cauſam ſecundam præmouere ad actum etiam intrinſece malũ, qua actus eſt: hoc enim euidenter probat argumentum D. Th. in 2. diſt. 37. quæſt. 2. art. 2. vbi oſtendit egregie D. Tho. niſi ponatur Deum pręmouere ad omnes omninò actus, cauſas ſecundas, fore plura prima principia, de quo argumento plura ſuperius. ſecundo omnis cauſa creata reſpectu cujuſcumque actus mouetur à prima, vt ſupra oſtenſum eſt, at hoc ſaluari nõ poteſt ſine prędeterminatione, quia moueri importat aliquid in mobili, quod in ipſum à motore deſcendat, & inquantum vnumquodque mouetur, in tantum in ipſo aliquid recipitur, concurſus autem ſimultaneus, ſecundum quem omnis effectus cauſæ ſecundæ à prima dependet, non tenet ſe ex parte cauſæ ſecundæ in ſententia aduerſariorum, neque in illa recipitur in ſententia etiam eorum-

dem, ergo concurſus ſimultaneus non eſt motus ille quo cauſa ſecunda mouetur à prima: recurrendum eſt itaque ad aliquid prius & conjunctius cauſæ ſecundæ. Tertio omnia entia moralia, etiamſi ſint mala in ratione, entis referuntur in Deum tanquam in finem, ergo ab illo pendent tanquam à fine, ergo ab illo determinantur tanquam à fine, ergo etiam tanquam à primo agente; quia vt bene D. Thomas, ſecundum ordinem agentium eſt ordo finium. Quod autem aduerſarij idem teneantur ſoluere argumentum, ſic probo cum Aluarez lib. 3. de auxilijs diſp. 24. num 2. euertendo ſimul fundamentum aduerſariorum. ex eo enim probāt Deum non prædeterminare voluntatem creatā ad actum peccati inquantum actus eſt, quia ſequeretur Deum eſſe authorem peccati, ſed hoc non ſequitur, ergo &c. Minor probatur. Deus concurrit concurſu ſimultaneo effectiue ad entitatem cujuſcunque actus peccati, vt actus eſt in particulari, abſque eo quod concurrat ad ejus deformitatem & malitiam, ergo etiam influxu præuio prædeterminante voluntatem ad actum vt actus eſt, concurrere poterit, abſque eo quod concurrat ad ejus deformitatem. conſequentia probatur, nam malitia moralis & deformitas peccati non eſt minus annexa actui odij Dei in exercitio, quam applicationi & determinationi voluntatis ad talem actum, ergo ſi Deus ſimul cum voluntate immediate producit odium Dei effectiue inquantum actus eſt abſq; eo quod ad ejus deformitatem concurrat, poterit etiam prædeterminare voluntatem efficienter ad eundem actum in quantum actus eſt, abſque eo quod illam moueat ac prædeterminet ad peccatum vel concurrat ad malitiam moralem quæ talem actum conſequitur vt à voluntate deficiente proficiſcitur. Confirmatur. per concurſum ſimultaneum magis immediatè attingit Deus actum peccati qua actus eſt, quam per motionem præuiam, ergo ſi per influxum ſimultaneum attingit actum peccati, abſque eo quod cooperetur ad ejus deformitatem, à fortiori id poterit præſtari per cōcurſum præuium. Neque eſt quod dicas diſparem eſſe rationem concurſus ſimultanei & præuij, eo quod ſimultaneus concurſus quo immediate influit Deus cum voluntate creata in actum peccati, ſit ſecundum ſe indifferens, homo vero dum peccat abutatur ſua malitia eodem influxu; vnde malitia moralis quæ actui ineſt, in voluntatem tantū refundi debet, non in Deum, qui quantum eſt ex parte ſua non præbet homini concurſum determinatum ad actum malum: Non ita ſe res habet in concurſu præuio, nam per illum Deus tribuit homini concurſum determinatum cum omnibus ſuis circumſtantijs, & per conſequens malitia moralis quæ eſt vna circunſtantia conſequens talem actum ſecundum quod fit in indiuiduo tribuetur Deo, & conſequenter Deus erit author peccati: non eſt inquam quod hoc dicas; quia falſum iam eſſe oſtendimus concurſum Dei eſſe ſecundum ſe indifferen.

tem ¶ & vlterius ex eo patet primo; quia vt omittam reſponſionem hanc de concurſu diuino indifferente, ſupponere ſcientiam conditionatam ante decretum, quam infra impugnabo; contra facit, quod ex ea ſequitur Deum non eſſe Authorem boni operis, quod ſic oſtendo. ſicut Deus concurſu generali dicitur concurre ad malum opus ſecundū aduerſarios, & ad illud determinari à voluntate creata; ita dicendus erit concurrere concurſu generali ad bonum opus, & ad illud determinari à voluntate creata; ergo ſi hoc quod eſt concurrere concurſu generali ad opus & ad illud aliunde determinari, eſt ratio ob quam agens ſic concurrens, & ſic determinatum, non ſit dicendum cauſa mali operis, nec erit dicendū cauſa operis boni. cōſequentia patet. Antecedens probatur, quia in hac ſententia, propterea Deus dicitur concurrere concurſu generali & determinari à voluntate creata, quia hæc eſt cauſa particularis, ille cauſa vniuerſalis; ſed Deus eſt cauſa vniuerſalis, & voluntas cauſa particularis tam in bono opere quam in malo, ergo ad vtrumque concurrit Deus concurſu generali determinatus à voluntate creata. Secundo illa diſtinctio cōcurſus vniuerſalis à particulari, non eſt intelligibilis, vt infra dicam, ergo &c. Tertio quia ſi eſſet Dei cōcurſus ſecundū ſe indifferens determinaretur cōcurſus Dei à voluntate creata, & eſſet ea poſterior, & per conſequens voluntas creata in ordine ad aliquē actum realem vt actus eſt, eſſet ſimpliciter primū agens, vnde iſta cauſalis vera eſſet, quia voluntas creata operatur talem actū vt eſt ens, Deus cooperatur; quam tamen nullatenus concedi poſſe, optime probat argumentum ſupra allatum ex D. Tho. in 2. ſent. diſt. 37. ſequeretur enim conſtituenda eſſe duo prima principia, & Deum non eſſe ſimpliciter primā cauſam omnium quæ quodcunque habent eſſe: quorum vtrumque eſt contra Fidem; Vnde Capreolus in 2. diſt. 37. art. 3. in principio, bene concluſit actionē voluntatis creatæ quo ad omne poſitiuum quod eſt in actu, eſſe poſteriorem actione Dei. *Quantum*, inquit, *ad omne poſitiuum quod eſt in actu voluntatis, actio voluntatis creatæ eſt poſterior actione Dei in producendo quidlibet tale, quia nulla creatura agit, niſi mota à Deo.* hinc patet illud quod ſecundo loco diximus nos oſtenſuros, videlicet propoſitum argumētum aduerſariorum ab ipſiſmet ſoluendum; patet inquam, quia ſi Deus per concurſum ſimultaneum, ipſis fatentibus, non eſt cauſa peccati, nec per concurſum præuium, per quem minus immediate attingitur actus peccati, quam per ſimultaneum. cōfirmatur, quia nullus eſt actus peccati qui non poſſit eſſe in nobis ſine nobis à Deo in pœnam peccati: Ex quo ſic argumentor; ille actus taliter conſideratus erit omnino à Deo, & ſi fiat poſtea noſter, per hoc fiet, quod à regula deficiamus & ad creaturas nos conuertamus, ergo nulla eſt difficultas in præmotione ad actum peccati inquantum actus eſt, etiam fatentibus aduerſarijs. Conſequentia

patet, quia ille actus eſſet in nobis à Deo, antecedenter ad noſtrum conſenſum, antecedens eſt certum. & ſane vt hoc ſecundum punctum concludam, ſimile argumentum objectum olim fuit à Iuliano Pelagiano, contra ſanctum Auguſt. & contra omnes Catholicos objici poteſt: objecit enim Iulianus in paruulis non eſſe peccatum originale, & ſic ratiocinabatur, Deus eſt cauſa generationis hominis, ergo ſi peccatum originale conſequitur talem generationem, Deus erit cauſa peccati originalis, qui enim eſt cauſa alicujus, eſt etiam cauſa hujus, quod conſequitur illud. vnde ſanctus Auguſt. ad articulos ſibi falsò impoſitos, reſpondens, *hæc*, inquit, *objectionis vanitas de illa procedit Schola in qua natura humana immunis à peccato Adæ & illæſa defenditur, vt quia omnes homines præuaricationis reos, & damnationi obnoxios naſci, perituroſque, niſi in Chriſto renaſcantur, aſſerimus, eundem videamur authorem dicere culpæ, quem profitemur eſſe conditorem naturæ, quod nos à ſenſu noſtro penitus abdicamus, qui Deum, juſtum, bonum, ſic humanæ ſubſtantiæ, & interiorum, exteriorumque ſenſuum nouimus creatorem, vt prorſus ab illo ſit, quidquid pertinet ad naturam, & prorſus ab illo non ſit, quidquid eſt contra naturam; peccatum autem contra naturam eſt*, &c. Ad argumentum ergo reſpondet ſanctus Auguſt. lib. 3. contra Iulianum cap. 9. quod peccatum originale non ſequatur generationē hominis, ſecundum ſuam naturam, vt generatio hominis eſt, ſed vt dicit ordinem ad primum parentem, qui voluntarie peccauit. &c. Pari ratione reſpondemus nos (& hoc eſt tertium punctum quod promiſimus) de peccato actuali; quod deformitas peccati ſiue malitia moralis, non ſequatur intrinſecè, & ex natura rei, ad actum odij Dei, v. g. vt actus eſt, neque vt eſt ens in genere naturæ, imo neq; etiam, vt eſt hoc ens in indiuiduo, ſed vt procedit à voluntate creata deficiente, vnde in voluntatem deficietem, & non in Deum, debet refundi malitia moralis, & defectus peccati: ad argumentum in forma, nego ſequelam majoris primi ſyllogiſmi. ad probationem, nego antecedens, quamvis enim Deus prædeterminet ad aliquem actū malum, vt actus eſt, non tamē, vt malus eſt, vel prout deformitati ſubſtat, vnde D. Thomas in 2. diſt. 37. quæſt. 2. arte 2. ad ſecundum, ſoluens hoc aduerſariorum fundamētum, ſi Deus eſſet cauſa actionis in qua malum inſeparabiliter cōſiſtit eſſet vera cauſa peccati. *Reſpondeo*, inquit, *quod illud dicitur ad malum cooperari, quod inclinat ad actionem, ſecundum quod actio deformitati ſubſtat, vnde mala eſt, hoc autem Deo non conuenit, & ideo non oportet, vt ad malum cooperari dicatur, quamvis actionis illius cauſa ſit, in qua malum conſiſtit, ſecundum quod influit agenti eſſe, poſſe, & agere, & quidquid perfectionis in agente eſt*. Ad hoc intelligendum juuabit non parum exemplū quod affert Angelicus Doctor de clau-

dicatione, quæ eſt, inquit, à virtute greſſiua, mediante tibia, per cujus, ſcilicet tibię, curuitatem, obliquitas in greſſu claudicantis relinquitur, vnde quidquid eſt ibi de greſſu, totum eſt à virtute greſſiua, ſed defectus, vel obliquitas greſſus nō eſt à virtute greſſiua, ſed à tibia tantum. ſimiliter etiam eſt ordo Dei ad voluntatem creatam, ſicut cauſæ primæ ad cauſam ſecundam, ideo ex parte Dei nullus defectus accidere poteſt, &c. & ſane cum ad deficiendum non ſit opus applicatione ad opus, vt bene notauit Zumel tom. 2. pag. 467. columna 2. ſed potius deficere proueniat, ex non receptione applicationis vt tradit, D. Thom. in quæſt. diſp. quæſt. de cauſa peccati art. 2. non video cur propter applicationem illam, defectus noſtri Deo tribui debeant: vt ergo Deus eſt cauſa motus, imo & etiam tibia, cauſa motus equi claudicantis, cauſa progreſſus, & motus animalis per virtutem ſaltem progrediendi, quam illi impertiuit, non autem claudicationis; quia illa non ex virtute, ſed ex virtutis defectu, & imbecillitate, cujus ipſe non eſt cauſa, originē ducit; ſic in homine peccāte, Deus eſt cauſa deſiderij illius, verbi gratia, quo deſiderat vetita, pro vt ſpectatur in ratione deſiderij, quia illa ratione procedit ex affectu, & amore ſummi boni, cujus ipſe author eſt, non autem prout eſt deſiderium rei vetitæ, quia vt ſic, procedit ex praua inclinatione, nec aliud diſcrimen eſt, inter exēplum propoſitum, & caſum noſtrum, quod equus non poſſit ſe ab illa, infirmitate, ſeu poſt illam, ab illa claudicatione, continere. homo vero, quippe ratione vtens, & gratia adiutus in illam infirmitatem, non labi, & poſtquam lapſus eſt, reſurgere poſſit. Confirmatur vlterius hæc ſolutio; quia D. Tho. 1. 2. quæſt. 75. articulo 8. docet vt notat Nauarretus, quod induratio & obcæcatio, quatenus ordinantur ad ſalutem hominis, ſint volita à Deo; quia in tali induratione non inſpicit Deus quod malum eſt, ſed ordinationem illam bonam: applicemus hoc noſtro propoſito, & dicamus, quod in peccato, eodem modo inſpiciat Deus entitatem ordinabilem ad ſeipſum, & hanc velit, non autem malitiam moralem, & deformitatem.

Confirmatur quia quando id quod ſequitur actum aliquem, non conſequitur ipſum abſolute, ſed provt importat peculiarem habitudinem agendi alicujus cauſæ, non tribuitur cuicumque cauſæ illius actus, ſed ſolum illi, cui conuenit ſpecialis modus agendi, ſicut comedere, & bibere in actu exercito non tribuuntur Deo, quamvis ipſe ſit cauſa iſtorum actuum, quia ſi ſumantur vt exerciti, important habitudinem ad principium vitale: jam, deformitas peccati, non cōſequitur actum, ſecundum, quod eſt in genere naturæ, vt bene notat D. Th. quæſt. citata ex diſput. ſed conſequitur actum ſecundum quod eſt moralis, ideſt, provt cauſatur ex libero arbitrio creato. Concludo ſolutionem hujus argumenti aduertendo, aduerſarios magis ipſorum argumēto premi,

quam nos;Cum per præmotionem & prædeterminationem in noſtra ſententia, non determinemur niſi ad finem, & per finem ad media, non autem ad id quod auertit à fine, quale eſt peccatum ſub ratione peccati. Confirmatur, præmotio diuina eſt conformis diuino præcepto, & ſicut præceptum prohibet malum, ita diuina præmotio retrahit nos à malo, cum reſpiciat Deum; quamvis ex imperfecta ejus receptione, vt ſupra diximus ex S. Thoma, non eo nos perducat, quo ex natura ſua refertur: non ita fit in concurſu indifferente aduerſatiorum, quem volunt determinari & trahi à creatura ad id quod ipſe prohibet, quod an Deo dignum ſit ipſi viderint. Confirmatur ſecundò, quia præmotio, vt eſt à Deo, ita & ad Deum & ad ipſum determinans retrahens nos à malo; quod non præſtat concurſus Dei indifferens. explicati hoc poteſt exemplo patris manu ducentis filium: ſi filius deficiat in via, nec amplius progrediatur, defectus ille non imputabitur patri, quia per illum non ſtat quominus pergat: eodem ergo modo, pater æternus præmotione ſua manu ducens creaturam ad ſeipſum, ſi deficiat creatura, non erit illius defectus cauſa. Aliud exemplum afferri poteſt de ſcriba ducente manû alicujus pueruli, calamum ad ſcribendum ineptum habentis; defectus aſcribetur calamo vel manui pueri, non autem ſcribæ.

Ad confirmationem. Reſpondeo toto cœlo differre doctrinam noſtram à doctrina hæreticorum; nam Lutherus in primis affirmauit cum ſuis Deum producere in nobis mala opera vel peccata, voluntate noſtra mere ſe paſſiue ad illa habente. Caluinus autem Lutheri ſententiá non omnino ſecutus, libertatem omnino ſuſtulit, ſed tamen voluntatem ad opera bona & mala non omnino ſe habere paſſiue affirmauit, ſed ſpontaneè ad illa concurrere voluit. nos autē longe aliud cum Eccleſia Catholica docemus: affirmamus enim contra vtrumq; tam erga bona opera quam erga mala, liberos nos eſſe, neque voluntatem noſtram paſſiuè, aut ſpontaneè tantum, ſed & actiuè erga illa ſeſe habere. hinc ſequitur & aliud diſcrimen: affirmant hæretici Deum neceſſitare voluntates noſtras ad malú tam quo ad ſubſtantiam actus, quam quo ad modum eius, cum dicant nos ſpontaneè aut paſſiue tantum ad vtrumque concurrere: nos vero fatemur quidem Deum præmouere nos ad omnem actionem, vt ens eſt & actus, etiamſi ſit peccaminoſa; negamus tamen cum omnibus Catholicis concurrere ipſum ad eundem actum prout importat peculiarem habitudinem ad modum agendi cauſæ ſecundæ, ſiue ad illum actum ſecundum quod eſt moralis. nec hoc aliud eſt quam mera D. Thomæ Doctrina, qui ait peccatum non ſequi ad actionem, vt ſupra dictum eſt, ſecundum quod eſt in genere naturæ, ſed ſecundum quod eſt moralis. vide Duræum contra Vvhitakerum folio 214. & deinceps, vbi oſtendit ex Caluini

ſententiam Deum eſſe authorem non tantum entitatis materialis peccati, ſed & etiam malitiæ ſiue deformitatis ipſius peccati, vnde lib.1. inſt. cap.18. irridet Catholicos dicentes *Deum permittere tantum malitiam peccati, non vero etiam illam cauſare. Terguierſando itaque, inquit, effugiunt, Dei tantum permiſſu, non etiam voluntate, hoc fieri; ipſe vero palam ſe facere pronuntians, effugium illud repudiat. vnde & inferius ait, à Deo manare ipſam malitiam & efficaciam erroris: dicitur etiam inquit idem Satan excæcare infidelium mentes, ſed vnde hoc, niſi quod à Deo ipſa manat efficacia erroris, vt mendacijs credant, qui renuunt parere veritati. ſecundum priorem rationem dicit, ſi propheta quiſpiam locutus fuerit mendaciter, ergo Deus illum decepi. ſecundum alteram vero, dicitur ipſe dare homines in reprobum ſenſum, & proijcere in fœdas cupiditates, quia iuſtæ ſuæ vindictæ præcipuus eſt author, &c.* & ſane neceſſarium fuit Caluino Deum deformitatis quæ reperitur in peccato authorem dicere ſuppoſita ſententia quam de prædeſtinatione amplectitur: ait enim Deum ab omni æternitate certos ad gloriam elegiſſe, alios exitio deſtinauiſſe, & illos vt hoc aſſequeretur ad peccata *perpetranda*, in quorum perpetratione liberi non eſſent *coegiſſe. Quemadmodum, inquit, lib. 3. Inſt. cap. 24. num. 12. ſuæ erga electos vocationis efficacia, ſalutem, ad quã eos æterno Conſilio deſtinarat, perficit Deus: ita ſua habet aduerſus reprobos iudicia, quibus conſiliũ ſuum de illis exequatur. Quos ergo in vitæ contumeliam, & mortis exitium creauit, vt iræ ſuæ organa forent, & ſeueritatis exempla, eos vt in finem ſuum perueniant, nunc audiendi verbi ſui facultate priuat; nunc ejus prædicatione excæcat.* clara ergo eſt & ſumma inter nos & hæreticos differentia: & quamuis tam Lutherani quam Caluiniſtæ aliquando conceſſerint Deum non eſſe authorẽ peccati & deformitatis ejuſdem, re vera tamen ſemper ita ſenſerunt; eodem plane modo, quo, vt bene notat Aluarez lib.3. de auxilijs diſp. 26. Pelagius verbis negabat gratiã ſecundum merita noſtra dari, & tamen re vera id ſemper tenuit.

Quæres an ſit dicendum, Deum ad omnes circũſtantias peccati nos pręmouere? Reſpondeo cum Aluarez lib.3. de aux. poſſe ſecundũ quod tales circunſtantiæ habent rationem entis, non tamen quatenus habent rationem peccati vel malitiæ moralis.

Ad tertium quod tangit ſufficientiam gratiæ & auxilij diuini, quo ad priorem eius partem (nam quid dicendum ſit ad poſteriorem conſtat ex ſupradictis; Reſpondeo negando conſequentiam: vnde dico quod quamuis impoſſibile ſit non prædeterminatũ poſſe agere, cum applicatio & prædeterminatio ſit amor & deſiderium finis ſiue ſummi boni; tamen in omnibus iugiter perſeuerat deſiderium iſtud; omnia enim appetunt beatitudinem, & ex appetitu illo operantur, ſed appetitus ille plus minuſve in illis eſt, & modo illuſtrior modo obſcu-

rior, modo generoſior & liberior, modo magis depreſſus & contractus, hoc quidem ex eorum culpa, Deus enim in initio fecit hominẽ rectum, hoc eſt cõuerſum ad ſe, qui eſt ſummum bonum, ipſe autem, cum poſſet in eo fœliciter per ſtare, infirmitate ſua infœliciter excidit: ſuperſunt tamen illi poſt caſum ſcintillæ quædam & igniculi diuini amoris, conatus & deſideria ſummi boni, quibus acceſſio fit quando Deo placet, major, minorve, per inſpirationes & illuſtrationes quibus nos ad ſe dignatur attrahere, & hujuſmodi deſiderium applicatio eſt ad bene agendum: quare tam falſo ſupponitur aliquem eſſe qui non applicetur quam verum eſt omnes & ſingulos appetere ſummum bonum. hinc patet quam inepte objiciant nobis aduerſarij, non omnibus dari ſufficientiam auxilij, ſi ad agendum præterquiri tur prædeterminatio.

Ad quartum nego antecedens abſolute ſumptum in eo ſenſu quẽ intendunt aduerſarij, determinatio enim qua determinamur à fine, eſt antecedens, nec tamen tollit libertatem, vt iam demonſtratum eſt: neque contrarium habent Patres, loquuntur enim tantum de prædeterminatione antecedente intrinſeca, quæ eſt ex natura rei limitans & determinans ex intrinſecis principijs aliquid, ad aliquem determinatum effectum, non autem de determinatione antecedente prouenientè à fine, vel à primo agente; neceſſitas enim ex tali determinatione proueniens, non eſt apud Patres neceſſitas ſimpliciter antecedens. vnde D. Thom. 1. parte quæſt. 19. art. 8. ad 3. cum propoſuiſſet ad probandum quod voluntas Dei, neceſſitatem rebus volitis imponat, hoc argumentum aduerſariorum. Illud quod habet neceſſitatem ex priori eſt neceſſarium abſolutè; ſicut eſt neceſſarium animal mori, quia eſt ex contrarijs compoſitum; ſed res creatæ à Deo, comparantur ad voluntatem diuinam ſicut ad aliquid prius à quo habent neceſſitatem, cum hæc conditionalis ſit vera, ſi aliquid Deus vult, illud eſt: omnis autẽ conditionalis vera, eſt neceſſaria, ſequitur ergo quod omne quod Deus vult, ſit neceſſarium abſolutè. Reſpondet, quod poſteriora habẽt neceſſitatem à prioribus, ſecundum modum priorum, vnde & ea quæ fiunt à voluntate diuina, talem neceſſitatem habent, qualem Deus vult ea habere, ſcilicet vel abſolutam, vel conditionatam tantum, & ſic non omnino ſunt neceſſaria abſolutè. hæc S. Thom. quæ valde notanda ſunt, quandoquidem ex his clare ſoluatur argumentũ. vide eundem D. Thom. quæſt. 23. art. 3. ad 3. vbi eadem vtitur diſtinctione, & in primo diſt. 47. art. 1. ad. 2. vbi ſic loquitur. *Quamuis voluntas Dei ſit immutabilis & inuincibilis, non tamen ſequitur quod omnis effectus eius ſit neceſſarius neceſſitate abſoluta, quam habet res à cauſa ſua proxima, ſed ſolum neceſſitate conditionata.* Ecce D. Thom. docet expreſſis verbis voluntatem Dei immutabilem quamvis ponentem

tem infallibiliter effectum, non tamen tollere libertatem cauſarum ſecundarum. hæc ad ſolutionem argumenti. Nunc breuiter illud idem contra ipſos retorqueo. Dicunt ipſi concurſum Dei de ſe eſſe indeterminatum,& à creatura determinari,ejuſq; determinatioñe ſequi.quo poſito ſic contra illos argumentor. ſi verum eſt agens quod ſequitur determinationem alterius non libere operari,ſed neceſſario, & ex altera parte Deus operatur determinatus à voluntate noſtra, ergo operatur neceſſario, non libere. imo clarius ſic diſputemus ex ipſis conrra ipſos. Deus prædeterminat actus hominis, ergo tales actus neceſſario, & non libere fiunt,inquiunt contra nos aduerſarij, contra quos ſic inuertamus. homo determinat actioñe Dei, ſecundum illos, ergo actio Dei neceſſario & non libere fiet. Vrgeamus illos vlterius cum Zumel. ſi hominis qui cõuertitur,ſecundum illos,ea eſt liberi arbitrij proprietas, & cõditio ſigularis,vt certiſſime in talibus circunſtantijs cõſtitutus ita determinarē ſit acturus, ergo conſtiturus in illis circumſtantijs non manet indifferens ad vtrumlibet, alias ſcientia conditionata eſſet falſa. ergo ſi tunc infallibilirer operatur, non manet indifferens, ſed determinarus determinatione quæ ſumitur à complexione indiuiduali,dum conſtituitur in talibus circumſtanrijs.

Ad quinrum, reſpondeo ridiculum eſſe argumentũ. nam in ſpiritualibus cauſis prædeterminario eſt ſpiritualis,in materialibus marerialis, eſtq; rebus materialibus debita. neq; hinc inferre licet propterea dari debere cauſam in natura cui debeatur ejus productio; nam anima rationalis debetur corpori ranquam comparti, neque ramen propterea debet vlla cauſa creata poſſe ejus productionem attingere.

Ad ſextum(quod magni facit Salas,& ergo nihili facio,quandoquidem,vt ex ſupra dictis locis D.Thomæ conſtat,ſibi objecerit & ſoluerit) reſpondeo ſufficere aggregatum ex prædeterminatione & virtute ingenita creaturę ad agendum,nec tamen dici poſſe ſufficere ipſam ſolam virtutem ingenitam, propter rationes ſupra poſitas in fauorem noſtræ ſententiæ, & præcipuè propter ſubordinationem cauſæ creatæ ad primam.& quamuis prædeterminario ſit aliquid creatum, eſt tamen aliquid creatum renens ſe ex parte cauſæ primæ,complentis adæquatè cauſam ſecundam creatam, & ſubdordinantis eandem cauſam ſecundam primæ in agendo, quod non facit ſola virtus ingenita.

Ad ſeptimum, quod eſt Moriſani argumentum,inprimis reſponderi poſſet negando majorem; multi enim exiſtimanr intellectionem & volitionem nullum habere terminum à ſe ipſis diſtinctum. ſecundo reſpondetur negando minorem.ad cujus probationem reſpondeo terminum immediarum præmotionis diuinæ eſſe actionem crearuræ, mediatum autem eſſe terminum, qui producirur ram à concurſu diuino ſimultaneo, quam ab actione creaturæ. ad illud autem quod dici-

tur, quod daretur actio ad actionem, & motus ad motum, quod eſt abſurdum, reſpondeo motum non terminari ad motum vltimo & completè, terminari tamen aliqualiter & inchoatiuè. quis enim negat motum ſecuris, verbi gratia, quæ ab artifice impellitur, à motu brachij procedere? at motus brachij ibi non quieſcit, ſed ad diuiſionem vſque ligni peruenit. & in opere iuſtificationis idem obſeruare eſt, ſi obſeruemus doctrinam Angelici Doctoris, 1. 2. quæſt. 30. art. 3. ad 2. vbi docet ipſam infuſionem gratiæ quæ à Deo fit, & eſt (vt habet eodem art. & art. 6.) motio Dei, eſſe ipſam per quam ſubjectum diſponitur, diſpoſitio auté illa eſt motus liberi arbitrij in Deum & in peccatum, vt habet fere tota quæſtione, & eſt per ſe euidens. motio ergo eſt principiũ motus, motio primæ cauſæ eſt origo motus cauſæ ſecundæ. Ex his patet quid dicendum ſit ad aliud argumentum quod objiciunt aduerſarij, quod nempe in noſtra ſentẽtia dicamus aliquando nos applicari & non agere, ex quo ſequi videtur dari motum ſine termino, patet, inquam, quid reſponderi debeat: reſpondeo enim neminem iturum inficias ſæpe hoc cõtingere cum in agentibus naturalibus, tum artificioſis, vt cum homo ſemiſopitus ſomno, dum expergiſcitur attollitur tantiſper ad ſurgendũ, & ſtatim pondere ſuo deijcitur, & cum impingitur cuneus in lignum magno fabrj & mallei conatu, nec vlterius peruenit duro nodo reſiſtente. ſic ergo in agẽtibus per rationem niſus etiam fruſtraneos reperiri valde credibile eſt, & niſus quidem Dei in nobis, qui tamen interiori effectu fruſtrantur, non ex defectu agentis, qui eſt infinitæ virtutis, ſed ex infirmitate & deprauatione noſtra, vt ſupra explicauimus.

Ad vltimum reſpondeo cum D. Thoma 1. parte quæſt. 105. art. 4. longiſſime ab omni violentia & ſeruitute poſitam eſſe voluntatem prædeterminatam. à violentia quidem, quia, vt notat in reſp. ad 1. illud quod mouetur ab altero, dicitur cogi, ſi mouetur contra inclinationem propriam, ſed ſi moueatur ab alio quod ſibi dat propriam inclinationem, non dicitur cogi, ſicut graue cum mouetur deorſum, à generante non cogitur. ſic igitur Deus mouendo voluntatem, non cogit ipſam, quia dat ei ejus propriam inclinationem. à ſeruitute etiam, quia, vt notat ibidem in reſp. ad 2. moueri voluntarie, eſt moueri ex ſe, id eſt à principio intrinſeco. ſed illud principium intrinſecum poteſt eſſe ab alio principio extrinſeco, & ſic moueri ex ſe non repugnat ei quod eſt moueri ab alio. Secundo reſpondeo ad vtramque difficultatem, moueri à Deo non eſſe moueri ab alio, multo minus extrinſeco. etſi enim Deus non ſit pars mei, nec egomet, prout ſpector in mea limitatione, eſt tamen meum eſſe laudabile, vt loquuntur Platonici, eſt ἀυτο τὸ ἀυτο, ipſummet ipſum, eſt mihi intimior intimo meo, vt loquitur Auguſtinus: & hoc videtur habere D. Th. 1. parte quæſt.

citata art. 5. hic obiter aduerte præclarum illud S. Auguſt. 26. contra Fauſtum, *id eſt cuilibet rei naturale, quod ille fecerit à quo eſt omnis modus & ordo naturæ.* quod dictum adducit D. Thom. 1. parte quæſt. 105. cit. art. 6. & merito approbat.

# QVÆSTIO NONA.

## *An actio ſit in agente, vel in paſſo.*

PRIMA ſententia eſt actionem eſſe in paſſo, non in agēte: eſt communis recentiorum, Suarij, Hurtadi, Conimbr. &c. I.

Secunda ſententia eſt communis veterum; actionem videlicet eſſe in agente. ita Auicenna lib. 2. ſufficientiæ, Auerroës 12. Metaphyſ. text. 36. Scotus in 4. diſtinct. 13. quæſt. 1. art. 1. & alibi ſæpe, Antonius Trumbetta in quæſt. Met. quæſt. 2. Ioannes Canonicus 3. Phyſic. quæſt. 2. art. 3. Scotellus in 2. diſtinct. 36. quæſt. 1. Ant. Andreas, Tartaretus, & alij Scotiſtæ communiter. Occam quodlib. 6. quæſt. 12. & quodlib. 7. qu. 6. Guilelmus de Rubione, Gabriel, & alij Nominales communiter. ex Thomeſtis, Cajet. 1. part. quæſt. 25. art. 1. in reſp. ad 3. & 4. Nazarius ibid. controuerſia vnica, Ripa, Petrus Bergomas, Syluester, Bartholomęus Tortes, Didacus Aluarez, Flandria, Nauarretus, & alij. ex recentioribus Balforeus ad cap. 9. prædicamentorum, quæſt. vnica, qui ſect. 1. ait contrariam opinionem ita omnium jam animis inhæſiſſe, vt vix duo aut tres reperti ſint, qui auſint quod verum eſt, aperte profiteri, qui tamen propterea vapulant, ab ijs qui vulgatam & receptam ſententiam nimis præfracte tutantur. Ægidius de pręſentatione tom. 2. de beatitudine, Rauiſa lib. 2. cap. 4. num. 136. Zumel ſuper articulum 1. quæſt. 21. D. Thom. diſput. vnica. ad quęſtionis ſolutionem.

Præmitto primò actionem quinque modis ſumi. primo pro operatione, quæ tamen operatio eſt qualitas, vt bene oſtendit Scotus in 1. diſtinct. 3. quæſt. 6. num. 31. & quæſt. 9. num. 10. ſecundò pro reſpectu producentis ad productum totale, exempli gratia patris ad filium, tertiò pro reſpectu inducentis ad inductum, vel educentis ad eductum, & iſti reſpectus, ſunt reſpectus intrinſece aduenientes, quia poſitis, fundamento & termino neceſſario reſultant. quartò ſumitur pro re acta includendo reſpectum, qui eſt eſſe ab alio, vt colligitur ex philoſopho 3. Phyſicorum, Simplicio, Ammonio, & alijs antiquis. quintò pro reſpectu tranſmutantis ad tranſmutatum, in qua ſignificatione conſtituit prædicamentum actionis, non autem in alijs acceptionibus, ſeu ſignificationibus, quia in prima ſignificatione eſt forma abſoluta; in 2. & 3. eſt de genere relationis, ſeu ad aliquid, in 4. eſt in genere quan- II.

titatis, vel qualitatis, ſecundum connotatum, vt colligitur ex philoſopho text. 19. 3. Phyſic. vbi ait, quod actio eſt opus & finis actiui, id eſt, res acta, & conſequenter cum ibi ait actionem eſſe in paſſo, ſumit illam pro connotato illius, ſiue quod idem eſt, pro re acta, vel pro reſpectu ejus, qui eſt eſſe ab hoc. videri poteſt Scotus locis citatis, & in libris de anima quæſt. 7. Quod autem prædicamentum actionis conſtituatur per actionem quinto modo ſumptam. patet ex Philoſopho 5. Metaphyſ. definiente potentiam actiuam, principium tranſmutandi aliud inquantum aliud, ergo tranſmutatio ſecundum Philoſophum eſt actio; ac productio & eductio formæ ſubſtantialis non eſt tranſmutatio, quia non reſpicit aliud inquantum aliud, ita vt ſic maneat, ſed potius de vno facit aliud.

Præmitto ſecundò ex Scoto, actionem non eſſe formam abſolutam, tum quia ad eam eſſet actio, & daretur ſic proceſſus in infinitum; tum etiam quia ſi eſſet forma abſoluta & poneretur in agente, agens prius moueret ſe quam aliud, quod eſt abſurdum: ſi autem poneretur in paſſo, paſſum prius moueretur forma illa abſoluta actionis, quam quantitate vel qualitate; tum denique, quia vt notat Scotus, D. Boëtius de trinit. tenet ſeptem vltima prædicamenta non eſſe res abſolutas; vnde ſequitur actionem eſſe reſpectum, quia inter abſolutum & reſpectiuum, non datur medium.

Præmitto tertiò, relationem ſiue reſpectum, vt in quæſtionibus Logicis fusè diximus, alium eſſe intrinſecum, alium extrinſecum. Reſpectus intrinſecus ille eſt, qui poſitis fundamento & termino neceſſario reſultat, vt poſitis duobus albis, ſimilitudo neceſſario inter illa reſultat, nec impediri poteſt, & poſita potentia actiua & paſſiua in actu ſtatim reſultat paternitas & filiatio. extrinſecus eſt, qui non reſultat ſtatim poſitis fundamento & termino, ſed requiritur aliquid aliud ad ejus poſitionem, verbi gratia, applicatio vnius ad aliud. actio autem quæ conſtituit prædicamentum actionis eſt relatio extrinſecus adueniens, quia poſitis agente & paſſo non reſultat, niſi approximentur. Quod vero ſit relatio, jam probatū eſt, & ex eo patet, quia neq; intelligi, neque concipi poteſt, niſi concepto termino; & vlterius, quia agens & patiens ſunt correlata, ergo & eorum abſtracta. antecedens eſt Ariſt. 5. Metaphyſ. vbi aſſerit agens & patiens referri ſecundo modo relationis. hoc poſito.

III. *Concluſio.* Dicendum eſt actionem eſſe in agente, non in paſſo. intelligo actionem quinto modo ſumptam, & quæ conſtituit prædicamentum actionis.

*Probatio concluſionis.* Probatur concluſio primò ex Philoſopho, qui 8. Phyſ. textu 15. ait quod ſi mundus fuiſſet creatus in tempore Deus fuiſſet mutatus; quæ conſequentia nulla eſt, niſi actio creatiua mundi in ſententia Ari-

ſtotelis ſit in Deo ipſo ratione cujus Deus fuiſſet mutatus; ſed eadem eſt ratio illius actionis & hujus de qua agimus quod attinet ad præſens negotium, ergo actio de qua agimus eſt etiam in agente.

Confirmatur ex eodem; illius eſt actio cujus eſt potentia, de ſomno & vigilia cap. I. cujus rei ratio videtur euidens; quia id quo formaliter aliquid ex potentia reducitur in actum, eſt in eo quod ita reducitur in actum; ſed potentia ad agendum omnium conſenſu eſt in agente, ergo & actio.

Probatur ſecundò ratione; quia ſi actio eſt in agenre, ergo patiés eſt agens. conſequentia patet, quia cauſa formalis Phyſica poſita in ſubjecto facit effectum formalem, ergo actio poſita in paſſo facit effectum formalem, ſed non alium vt actio eſt, quam agens, ergo &c. Minor patet, quia effectus formalis actionis vt actio eſt, non eſt aliud niſi agens, ergo vlterius paſſum eſt agens.

Confirmatur; quia agens eſt formaliter agens per a&ionem, ergo actio formaliter debet eſſe in agente, cum nulla denominatio formalis ſaluari poſſit per ſolam formam quæ ſit extrinſeca ſubjecto quod denominatur, ſemper enim eſt aliqua forma, vel rationis vel realiter intrinſeca illi quod denominatur, quando denominatio fit per prædicationē de ineſſe; ex eo enim prædicatur aliquid de ſubjecto quod illi inſit: vnde non eſt putandum denominationes extrinſecas ideo dici extrinſecas, quod forma quæ realiter eſt in vno ſubjecto præſcindendo à quocunque alio poſſit alterum quid ab ipſo diſtinctum realiter denominare denominatione formali; hoc enim eſt impoſſibile; ſed dicũtur extrinſecæ multæ denominationes, quia illa forma à qua cauſaliter ſumitur denominatio, eſt extrinſeca illi quod ab eadem cauſaliter denominatur; non tamen propterea in ſubjecto quod dicitur extrinſece denominari, deeſt ſua forma intrinſeca, à qua ſemper ſumitur proxima & formalis denominatio, & reſpectu cujus denominatio dici non poteſt extrinſeca.

Confirmatur vlterius, quia omnis prædicatio formalis de ineſſe; cũ ſit de aliquo ſubjecto, ſupponit in illo effectum alicujus cauſæ formalis vnde deſumitur ipſa prædicatio; ſed effectus formalis nihil eſt aliud quam forma in ſubjecto, ergo omnis prædicatio formalis ſupponit formam in ſubjecto, à qua proxime & formaliter deſumitur prædicatio.

Probatur tertiò; quia vt optime notat Cajet. dum agimus experimur in nobis quendam quaſi conatum; qui conatus certò certius eſt aliquid reale in nobis agentibus, ſed non eſt aliquid aliud quam actio ergo actio ineſt agenti, non paſſo.

Probatur quartò. ignis, verbi gratia, ſua calefactione calefacit duo

ligna numero diſtincta, ſi eidem applicentur, in quo caſu calefactio erit neceſſario in igne agente, alioquin vnum accidens eſſet in duobus ſubjectis numero diſtinctis.

Probatur denique. ſi actio eſt in paſſo, ergo agens agit actu per aliquid, quod non eſt in ipſo, ergo poteſt agere per aliquid quod non eſt in ipſo, ergo potentia actiua agentis poteſt non eſſe in agente. Multa alia argumenta addi poſſent ex D. Thoma, Scoto, & alijs, ad hanc noſtram ſententiam ſtabiliendam, ſed allata ſufficient: tantum aduerto breuiter hanc noſtram ſententiam eſſe expreſſam à S. Thom. pluribus in locis, vt in 2. diſtinct. 40. quæſt. 1. art. 4. ad 1. his verbis. *ad primum dicendum, quod cum actio ſit in agente, & paſſio ſit in patiente non poteſt eſſe vnum numero accidens, quod eſt actio, & quod eſt paſſio, cum vnum accidens non poſſit eſſe in diuerſis ſubjectis, vnde Auicenna dicit quod non eſt vna numero æqualitas in duobus æqualibus, ſed ſpecie tantum.* hæc S. Thom. vbi loquitur de actione, quam aduerſarij tranſeuntem vocant, nempe de actione Iudæorum, qua crucifixerunt Chriſtum dominum, & de paſſione Chriſti: quia dicit ibidem argumento primo. *vnde dicitur, actio diſplicuit, ſcilicet Iudæorum, paſſio grata fuit, ſcilicet Chriſti.* Idem habet de potentia quæſt. 8. art. 2. in corpore, vbi *nihil prohibet*, inquit, *aliquid eſſe inhærens, quod non ſignificatur vt inhærens, ſicut & actio non ſignificatur vt in agente, ſed vt ab agente, & tamen conſtat actionem eſſe in agente.* Idem etiam habet quæſt. 7. de potentia, art. 9. ad 7. *Actio*, inquit, *ex eo quod actio, conſideratur vt ab agente; in quantum vero eſt accidens, conſideratur, vt in ſubjecto agente.* vide eundem in 1. diſtinct. 32. quæſt. 1. art. 2. & diſtinct. 40. quæſt. 1. art. 1. ad 1. de vnione verbi, quæſt. vnica, art. 5. in corp. & 3. parte, quæſt. 19. art. 3. ad 3. vbi idem docet expreſſis verbis.

IV. Quæres an idem dicendum ſit de creatione, ideſt, an dicendum ſit creationem eſſe in Deo creante. Reſpondeo Aureolum apud Capreolum in 2. diſtinct. 1. quæſt. 5. Gregorium Ariminenſem ibidem, & complures alios recentiores exiſtimare creationem eſſe aliquam actionem Deo extrinſecam, & vt ipſi loquuntur tranſeuntem. verum, quamvis creatio non ſit actio propriè dicta, rectius tamen multo Scotus in 2. diſtinct. 1. quæſt. 5. D. Thom. 1. part. quæſt. 45. art. 1. cenſent creationem actiuam formaliter in Deo eſſe, neque aliud eſſe, niſi velle diuinum cum relatione creantis ad creaturam, relatione inquam rationis, ita vt creatio actiua duo dicat, vnum de formali, videlicet relationem rationis in voluntate diuina ad creaturas, aliud de materiali, nimirum ipſum velle diuinum, vel voluntatem diuinam. probarique poteſt primo omnibus argumentis, quibus Scotus in 4. diſt. 13. quæſt. 1. §. *Ad hujus autem difficultatis intelligentiam*, probat

actionem non eſſe formam abſolutam; vnde cum creatio ſit actio, ſequitur non poſſe eſſe formam abſolutam, quam comminiſcuntur aduerſarij. argumenta autem illa ex parte ſupra allata ſunt, quibus adde ſequentem rationem. ſi creatio eſt aliquid abſolutum, ergo eſt prima creatura, & Deus mediante creatura producit alias creaturas; quæ duo ſunt plane abſurda. conſequentia probatur; quia illa actio creatiua, quam aduerſarij dicunt formam abſolutam, eſt actio qua Deus realiter creat, ergo habet eſſe proprium, abſolutum, & reale, ergo eſt creatura. hæc ratio eſt Scoti, cui recentiores addunt hanc confirmationem ſeptimam. ſi creatio eſſet aliquid abſolutum, Deus indigeret aliquo creato inſtrumento ad aliquid producendum, puta actione abſoluta creandi; quod abſurdum videtur. item creatio illa eſſet creatura, ſed non eſſet quod creatur, ſed tantum id per quod creatura producitur. Denique & hanc addunt. ſi creatio non ſit aliquid immanens in Deo, ſed aliquid extraneum, vel erit ſubſtantia, vel accidens. neutrum dici poteſt. non primum, quia nulla actio ad extra eſt ſubſtantia. non item poſterius, quia omne accidens debet aptum eſſe in aliquo ſubjecto inexiſtere, ab eoque dependere; atqui creatio apta non eſt in aliquo ſubjecto inexiſtere, ab eoque dependere, tum quia creatio intrinſece poſtulat, vt ex nullo ſubjecto præjacente fiat, tum quia creationis ſubjectum nullum eſſe poteſt. neque dicas primo omnem actionem identificari cum ſuo termino, & conſequenter etiam creationem, quæ eſt aliqua actio, ne, inquam, hoc dicas, quia inprimis, vt ſequenti quæſtione dicemus, falſum eſt actionem identificari cum ſuo termino, quod & etiam ex dictis patet, quia actio eſt in agente, terminus in paſſo. ſecundò, ſit ita, demus omnē actionem, quæ eſt conjuncta cū motu & mutatione, identificatam eſſe cum ſuo termino; hoc tamen non eſt verum de creatione, quæ ab omni motu ſecreta eſt, & relationem inuoluit, ſeu potius de formali dicit, ad terminum productum. talis enim actio realiter, ſine dubio, diſtingui debet à termino, vt patet exemplo proceſſionum. etenim, verbi gratia, generatio actiua, qua pater generat filium in diuinis, eſt proprietas notionalis, vt loquuntur Theologi, ſeu perſonalis patris, ideoque diſtinguitur nemine cogitante à filio genito. at vero creatio eſt actio ſine omni motu & mutatione, vt ex ſe euidens eſt, quia nullum eſt ſubjectum creationis, quod ab ipſa moueatur. neque dicas ſecundo creationem communiter à Patribus & Theologis dici actionem Dei ad extra, & conſequenter nōn eſſe actionem Dei immanentem, quod confirmatur, quia nulla actio immanens producit aliquid ad extra, ſed creatio producit aliquid ad extra, ne inquam hoc dicas; reſpondeo enim diſtinguendo antecedens. creatio vocatur actio Dei ad extra, virtute, concedo antecedens; formaliter, nego antecedens. non eſt enim formaliter actio Dei ad ex-

tra, quia eſt ipſamet actio diuinæ voluntatis, & ſçientiæ practicæ quæ ad creationem tendit, licet in Deo neceſſario maneat atque reſideat. vocatur ea tamen virtute tranſiens, & ad extra, quia nimirum tantę virtutis eſt & efficaciç, vt effectum aliqué extra Deum ponat, ob maximā videlicet voluntatis diuinæ perfectionem & energiam, quæ etiam extra ſe poſita attingit; *ipſe enim dixit, & facta ſunt, mandauit, & creata ſunt; verbo domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorū; ac*, vt loquitur Apoſt. *omnia operatur ſecundū conſilium voluntatis ſuæ*. vnde ad confirmationé, nulla actio immanés producit aliquid ad extra, ſi tam formaliter quam virtute ſit immanés, concedo, ſi vero formaliter immanés ſit, & virtute trāſiés, nego; at vero, licet actio creandi ſit formaliter immanens, eſt tamen virtute tranſiens. neque dicas vltimo, omnis actio Dei immanens fuit ab æterno; neque enim eſt creatio niſi ſit creatura, quam ab æterno non extitiſſe fides docet. ergo creatio non eſt actio Dei immanens. ergo, &c. diſtinguo enim majorem. actio Dei immanens fuit ab æterno entitatiuè, ſeu quo ad entitatem, concedo majorem, terminatiue, ſeu quo ad vltimam terminationem, nego majorem; ſicut entitas, qua Deus dicitur odiſſe iuſtum in peccatum lapſum, ab æterno exiſtit, nam eſt Deus ipſemet, quamuis ab ęterno vltima hinc entitati terminatio non acceſſerit, qua Deus dicatur hominem iuſtum, quem antea amauerat, poſtea in peccatum lapſum de nouo odiſſe. creationis quidem entitas à pari in Deo ab æterno extitit, etenim illa Deus eſt, nihilque eſt aliud quam actus diuinæ voluntatis, quo etſi ſe neceſſario, & creaturas libere diligit, ab æterno pariter adfuit terminatio illa prior diuinæ voluntatis ordinantis & ſtatuentis mundi creationem pro aliquo tempore, ſed abfuit vltima terminatio, ſecundum quam diuina voluntas habet rationem exequentis, & actu creantis.

V.

*Soluuntur obiectiones aduerſariorum.*

Obijcies primo contra concluſionem, aduerſari illam Philoſopho 3. Phyſ. textu 20. vbi ait non eſſe inconueniens vt actio conueniat tam agenti quam patienti, eiſque inſit; verumtamen agenti tantum, vt ei à quo eſt, patienti, tanquā ei in quo eſt ſubjectiue, *vt doctio*, inquit, *quæ eſt à magiſtro docente, eſt in ipſo diſcipulo diſcente*. Secundo Ariſtoteles hoc 2. lib. volens oſtendere qua ratione idem motus ſit actio & paſſio, ait, inter alia motus eſſe actionē, prout eſt *actus hujus in hoc*, vbi per in hoc, indicat actionem eſſe in paſſo ſubjectiue. Tertio 9. Metaphyſ. textu 16. *Quorumcunque*, inquit, *præter actionem eſt aliud quod fit, horum actio in eo quod fit eſt, vt ædificatio in eo quod ædificatur*. & 2. de anima textu 139. *Si eſt igitur*, inquit, *motus, eſt actio & paſſio, & eſt in eo quod mouetur & patitur; actiui enim & motiui actus in patiente eſt*. & textu ſequenti; *Sicut*, inquit, *actio & paſſio in patiente eſt, non in agente, ſic & ipſius ſenſibilis actio in ſenſitiuo exiſtit*. denique 3. Phyſ. textu 19. *Cum igitur*, inquit, *vtraque, id eſt, tam actio quam paſſio*,

*paſſio, ſit motus.* ſed motus eſt in paſſo. ergo etiam actio eſt in paſſo.

Reſpondeo hæc Philoſophi loca facilè explicari poſſe, ſi aduertatur id quod ſupra aduertimus, videlicet nomen actionis varijs modis apud Philoſophum ſumi; vel pro re acta; vel pro operatione, quæ tamē eſt qualitas, qua ratione intellectio & volitio dicuntur operationes, & tamen ſunt qualitates; tertio pro reſpectu producētis ad productum totale; quarto pro reſpectu inducentis ad inductum; denique pro actione proprie dicta, de qua, hoc loco agimus, quæque conſtituit prædicamentum actionis. hoc poſito, dico hæc loca Philoſophi intelligi de actione quæ eſt eſt operatio vel res acta, non autem de actione propriè dicta, de qua hic agimus. Et certe veram eſſe hanc noſtram ſolutionem, & ad mentem Philoſophi, ex ipſomet euidenter conſtat. nam 3. Phyſ. textu 19. ait actionem eſſe opus & finem actiui, id eſt rem actam, vt ſupra notauimus. ſumit ergo Philoſophus nomen actionis pro re acta. vnde quando vult illam eſſe in paſſo, recte de re acta intelligere poſſumus. Idem patet ex 2. de anima, textu 140. vbi ita loquitur Philoſophus. *Atque vt actio paſſioque non in re agente, ſed in eo quod patitur, ſic & ipſius ſenſibilis actio in ipſo ſenſitiuo eſt.* vbi expreſſe & euidenter loquitur de operatione, quæ eſt actio acta, manens in ſenſitiuo. quod clarius habetur in antiqua tranſlatione, in qua ſic legimus; *ſic ſenſibilis actus, & ſenſitiui, in ſenſitiuo eſt.* ſed ſenſitum eſt agens. ergo, ſi ſumit actionem proprie dictam, eſt in agente; verum de hac non loquitur, ſed de operatione quæ eſt immanens, & ſic in paſſo eſt, quod eſt ipſum agens. Idem deducit Scotus quæſt. 7. de anima ex Simplicio ſuper Ariſtotelis prædicamenta, vbi quęrens Simplicius, quare facere ponitur prædicamentum, & non factio, *reſpondet*, inquit Scotus, *quod hoc ideo eſt, quia factio dicitur de actione & effectu actionis; vtrumque enim dicitur actio, & factio, & effectus ejus. Certum eſt autem quod effectus actionis eſt actio, non quæ eſt prædicamentum, ſed facta. Sed poteſt quæri*, inquit Scotus, *quare ſic nominatur. Reſpondeo*, inquit, *quod actio, quæ eſt de genere actionis, eſt reſpectus in agente tantum, quia latens nos quantumcumque de ſe, manifeſtatur per effectum, quæ eſt actio acta. & quia ſic res nominamus in alijs, ſicut per ſenſum apprehendimus, vt communiter dicitur, ideo &c. Ponitur*, inquit, *exemplum de charitate, quæ licet ſit habitus nobilis, quia tamen eſt latens in anima, nominatur per effectum, qui eſt dilectio.* eſt ergo duplex actio ſecundum Philoſophum, actio agens, & actio acta. hæc eſt in paſſo, illa in agente, etiam ſecundum mentem Philoſophi ex locis jam citatis, præſertim ex vltimo, in quo manifeſte loquitur de operatione. non eſt enim alia actio ſenſibilis & ſenſitiui: ſpecies enim à ſolo ſenſibili producitur. ad illud exemplum de doctione, eſt potius exemplum morale, quam Phyſicum. nam docens, nihil phyſicè effi-

*Scotus.*

cit in diſcente, ſed operationes diſcentis dicuntur docentis, quia docens ſigna quædam exhibet, quibus diſcens mouetur, vt tales operationes cognoſcitiuas efformet. Ad illum locum noni Metaphyſices, dico non ſatis fideliter ab aduerſarijs citari, quia non dicitur actionem eſſe in eo quod fit, ſed actum. ſed etiamſi poneretur actio, parum referret, quia loquitur eo loco Philoſophus de operatione tranſeunte, ſiue de re acta, id eſt, ædificationis termino, vt explicat in illum locũ Scotus. Ad locum ſecundi de anima, ſatis jam conſtat ex dictis, illum locum potius nobis fauere, quam aduerſarijs. Alij ajunt philoſophum eo loco tantum diſputare in vtramque partem, & nihil ſtatuere. Denique ad illum tertij Phyſic. locum, reſpondeo procedere tantum de actione ſumpta pro re acta.

Scotus.

Obijcies ſecundò. ſi actio eſſet in agente, nullum eſſet diſcrimen inter actionem immanentem, & tranſeuntem, quia nulla eſſet actio tranſiens. hoc autem eſt abſurdum. ergo &c.

Reſpondeo hoc argumentum ex dictis ad ſuperiorem objectionẽ facile ſolui poſſe; differentia enim inter actionem immanentem & tranſeuntem non eſt, quod actio proprie dicta, alia ſit immanens, alia tranſiens; ſed quod actio, prout ſumitur pro operatione producta ab agente, alia ſit immanens, id eſt, in agente manens, vt intellectio, & volitio, alia tranſiens in aliud, vt verberatio, combuſtio, &c. Secundo dico Mayronium, Cardin. Sarnanum, & alios, diſcrimen inter actionem proprie dictam, immanentem, & tranſeuntem, hoc aſſignare, non quod vna illarum trãſeat, alia maneat, ſed quod effectus actionis tranſeuntis tranſeat in patiens, effectus vero actionis immanentis in agente maneat. vnde propterea dicimus actionem tranſeuntem ita appellari, non quod ipſa in patiens tranſeat, ſed quod effectum ſuum in patiens tranſmittat; quod non facit actio immanens. vide Cardinalem Sarnanum in directorio Theologico pag. 99. editionis Lugdunenſis anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi primi.

Obijcies tertiò. ſi vera eſſet noſtra ſententia, agens agendo mutaretur. ſed agens agendo non mutatur. ergo actio non eſt in agente. major patet; reciperet enim in ſe motum, ergo mutaretur.

Reſpondeo negando minorem; & ad ejus probationem, dico quod quamvis recipiat in ſe actionem, tamen non mutatur, quia non recipit in ſe motum. quamvis ſi nomine mutationis intelligas aliter ſe habere quam prius, concedendum ſit vere mutari. & ſane niſi hoc pacto mutaretur, cur jam produceret effectum, cum antea non produceret; cum eodem modo jam ſe habeat ac prius, & conſequenter non potius agit, quam prius. vt enim ait Philoſophus 2. de generatione, text. 56. *Idem eodem modo ſe habens, eodem modo agere natum eſt*, aut non agere, vt addunt interpretes.

Obijcies vltimò. actio eſt ens ſucceſſiuum, ſaltem quando agens ſucceſſiuè agit. ergo eſt motus;& per conſequens in mobili,ſeu,quod idem eſt, in paſſo.

Reſpondeo cum Scoto quæſt. 7. de anima, actionem menſurari, non tempore, ſed æuo; quia reſpectus non eſt aliquid ſucceſſiuum. *Dicendum*, inquit, *quod actio, quæ eſt prædicamentum, & reſpectus extrinſecus adueniens, manens in agente, non eſt ſucceßiua, quia menſuretur tempore, vel ſit tempus, ſed tantum quia coëxiſtit tempori; ex conſequenti quia coëxiſtit motui, cujus eſt cauſa, manet cum motu, non tamen eſt motus; quia nihil eſt cauſa ſuiipſius, & motus menſuratur tempore, nõ tamen oportet quod propter hoc illa actio menſuratur tempore*, ſicut Angelus coëxiſtit tempore. Dices. Philoſophus 1. Phyſic. probat ad actionem & paſſionem non eſſe motum, quia ad motum non eſt motus. ſed hæc probatio non valet, niſi actio & paſſio ſint motus. ergo quemadmodum motus & paſſio ſunt in patiente, ita & actio. Scotus.

Reſpondeo cum Scoto quæſt. 7. de anima his verbis. *Dicendum*, inquit, *quod conſequentia Philoſophi non tenet per illud medium, quod actio ſit motus, ſed tenet per ſimile, ſic, ſi ad motum non eſt motus, ergo à ſimili ad actionem non eſt actio. ex qua conſequenter vlterius ſequitur, ad actionem non eſt actio, ergo ad actionem non eſt motus, quia actio eſt cauſa motus effectiua, vel formalis, qua agens agit, vel dicitur agens. Vlterius*, inquit, *dicitur per hoc quod eſſet proceſſus in infinitum in actionibus; quia ſi ad actionẽ eſſet motus, cum iſtius motus actio ſit aliqua cauſa, oporteret præſupponi aliam actionem, aliam, inquam, ab illa, ad quam eſſet ille motus; & tunc quæram de illa actione, quæ eſt cauſa illius motus, vtrum ad illam ſit motus, vel non. ſi non, eadem ratione nec ad primum: ſi ſic, erit proceſſus in infinitum. Præterea*, inquit, *tenet per locum à Minori conſequentia Philoſophi; quia cum motus ſit actus potentiæ paßiuæ, ſi ipſa poteſt exire in actum ſuum, qui eſt motus, ſine motu præcedente, multo fortius potentia actiua poteſt in actum ſuum, qui eſt motus, ſine motu præcedente.* hæc Scotus. Scotus.

# QVÆSTIO DECIMA.

## *Quomodo diſtinguantur actio proprie dicta, paſſio proprie dicta, & motus; & in quo prædicamento ſit motus.*

I. AD intelligentiam quæſtionis propoſitæ, ſciendum eſt, quid ſint actio proprie dicta, paſſio proprie dicta, & motus. quid ſit actio, jam ex ſupra dictis conſtat; eſt enim relatio potentiæ tranſmutantis ad potentiam tranſmutatam. Conſtat etiam quid ſit paſſio; eſt enim relatio fundata in potentia tranſmutata ad potentiam tranſmutantem. ſupereſt ſcire, quid ſit motus. Motus autem, vt docet Scotus, eſt forma fluens, ſiue tendens ad eſſe perfectum; vnde motus ad qualitatem, nihil aliud eſt, niſi qualitas mota, motus ad quantitatem, quam quantitas mota, &c. vnde duo dicit motus; vnum materialiter, quod eſt forma fluens; aliud formaliter, quod eſt fluxus, via, ſiue progreſſus formæ ab agente. qui progreſſus duo rurſus dicit; operationem nempe quandam (quæ à Scoto & alijs dicitur actus motiui actiue, actus paſſiui vel mobilis formaliter) & relationem ſiue reſpectum ad agens tanquam ad inducens vel educens, qui explicatur per, *eſſe ab alio*, eſtque relatio intrinſecus aduenienſ, & per conſequens in prædicamento ad aliquid. ex quo patet motum tria adæquatè dicere, materialiter nempe, formam fluentem, formaliter autem, & operationem, & reſpectum. hoc præſuppoſito,

*Scotus.*

II. Dicendum eſt, actionem, paſſionem, & motum, diſtingui inter ſe realiter. eſt Scoti, & ſectatorum, aliorumque authorum citatorum ſupra in 2. ſententia; eſt tamen contra Suarium, Rubium, Hurtadum, & alios.

*Prima concluſio; quæ eſt Scoti & Scotiſtarũ, &c.*

Probatur autem clarè, & primo quidem de actione & paſſione; quia ſunt, vt ex ſupra dictis conſtat, in ſubjectis realiter diſtinctis; & quia *alioquin idem eſſet*, inquit Scotus, *verberare & verberari. Deniq; quia ſequeretur contra Philoſophum 3. Phyſ. quod diuerſarum ſpecie, idem actus eſſet ſpecie & numero*, quia actiuum & paſſiuum ſpecie differunt, inquit Scotus quæſt. 7. de anima. Idem dicendum de actione comparata ad motum, nempe à motu realiter diſtingui. patet, quia motus tãtum eſt in paſſo, actio autem in agente. Tandem de motu & paſſione idem etiam facile euincitur; tum quia paſſio relatio, non fundatur neque in motu, neq; in termino actionis, vt bene docet Scotus in 4. diſt. 13. quæſtione 1. num. 16. quia tunc non eſſet vlla ſufficiens ratio diſtin-

*Eius probatio.*

*Scotus.*

guendi illam à motu, cum ab ipſo inſeparabilis eſſet,& cætera ſint paria, ſed fundatur immediate in potentia paſsiua mutandi, ergo non eſt vnde identificetur motui; tum quia ſi motus ſumatur pro formali quod dicit,id eſt, pro fluxu,modo explicato, eſt relatio intrinſecus adueniens; ergo à paſsione diſtinguitur, quæ eſt extrinſecus adueniens. idem dicendum de operatione in qua fundatur relatio; eſt enim qualitas, & conſequenter diſtincta à relatione extrinſecus aduenient e. ſi vero motus ſumatur pro materiali quod dicit, id eſt, pro ipſa forma educta vel inducta, cum hæc ſit ſubſtantia,quantitas,qualitas, vel vbi ( quia ad hæc tantum datur motus, ſecundum Philoſophum, nec paſſio in aliquo horum fundetur, ſed in mutato,ſiue in potentia tranſmutata ) ſequitur neceſſario reale diſcrimen intercedere inter illam & motum.

Dices cum recentioribus citatis,hinc noſtræ concluſioni aduerſari Philoſophum 3. Phyſ. textu 19. vbi comparans actionem & paſsionem viæ Thebis Athenas, & Athenis Thebas,ait eodem modo ſe habere,quo ſe habet illa via;at illa via realiter eſt eadem. III.

*Proponitur & diluitur aduerſariorum fundamentum.*

*Scotus, Caietanus, Thienenſis, Ægidius.*

Reſpondeo textum hunc Philoſophi probare contra aduerſarios; quia ( vt omittã Doctorem ſubtilẽ,& poſt ipſum Cajetanum, Thyenenſem 3. Phyſicorum queſt. 2. & apud ipſum Ægidium,aſſerere, illud inquirendo,non reſoluendo,apud Ariſtotelẽ haberi) bifariã conſiderari poteſt via Thebis Athenas, & è cõtra. primo, pro reali ſpatio interjacẽte, quod ſine dubio ſemper idẽ eſt,vnde & quo ad ſpatium,ſiue materialiter, vtraque via eadem eſt. ſecundo, ſumi poteſt via illa pro reſpectibus mutuis diſtantiæ Thebarum ab Athenis, & è contra; qui reſpectus inter ſe & à ſpatio differunt realiter, non minus quam ſimilitudines hujus & illius albi inter ſe, & ab albedine in qua fundantur, differunt; vnde Philoſophus textu 21. ejuſdẽ tertij Phyſicorum, *Neq; inquit, ſi ſpatium vnum diſtantium, ſic & diſtare hinc illuc, & illuc hinc, idem erit.* & clarius textu 22. *Neq; doctio cum diſciplina, neque actio cum paſſione, idem proprie eſt, ſed, cui hæc inſunt, motus.* eodem modo, actio & paſſio dupliciter etiam conſiderari poſſunt; primo materialiter, & hac ratione idem ſunt in motu, quia motus, cui quaſi inſunt, idem eſt; *Cui hæc inſunt*, inquit Philoſophus, *motus eſt.* inſunt autem motui, actio quidem terminatiue, paſsio vero quaſi ſubjectiue; quia nempe eſt in eodem ſubjecto, vel paſſo. ſecundo ſumi poſſunt formaliter, & ſecundum ſuas entitates, & hoc pacto realiter diſtinguuntur, vt iam diximus. Potius ergo facit contra aduerſarios citatus textus quam contra nos.

Dicendum ſecundò, motum in varijs prædicamentis reponi poſſe; nempe, in prædicamento ſubſtantiæ, quantitatis, qualitatis, vbi, & relationis. V. *2. Concluſio.*

Probatur facile ex dictis; quia motus,ratione ejus quod materialiter dicit,eſt in prædicamento ſui termini, videlicet ſubſtantiæ, quantitatis, qualitatis & vbi,ad quos dari motum docet Philoſophus. formaliter vero,ratione operationis quã dicit, eſt in prædicamento qualitatis;ratione vero relationis, in prædicamento ad aliquid.

# QVÆSTIO VNDECIMA.

*An accidens ſit principium efficiendi ſiue producendi immediatè ſubſtantiam.*

I.

*Prima concluſio affirmans, quæ eſt S. Thomæ, Dominici de Flandria, Collegii Complutenſis, Albertini, &c.*

PRIMA ſententia eſt eorum qui volunt accidens eſſe principium immediate effectiuum ſubſtantiæ, ejuſque productionem attingens, non quidem virtute propria, ſed ſubſtãtiæ. vnde dicunt authores hujus ſentẽtiæ,nullam ſubſtantiam creatã eſſe immediatè actiuam,ſed tantum per accidentia, & accidentia eſſe principium à quo immediate oritur actio. ita D.Thomas 1. part. quæſt.45. art. 50.& art.8.ad 2.& quæſt.77.art.1. & alibi ſæpe, quē ſequuntur ejus diſcipuli, Capreolus, Dominicus de Flandria,Cajetanus,Bannes,Collegium Cõplutenſe,& alij;quos ex recẽtioribus Albertinus rom. 1.Corolariorum Theologicorum in 2. principio, Philoſophus, & alij multi,præſertim in Italia.

*Secunda ſententia negans, eſt Scoti, Trumbettæ, Pauiſii, Frãciſci de Pitigianis, Occam, Durandi, Vilalpandæ, Valeſii, Gorlæi, &c.*

Secunda ſententia eſt,ſubſtantiã eſſe immediate operatiuam,& poſtquã introductæ ſunt diſpoſitiones, immediate producere formas ſubſtantiales in materia.ita Scotus in 1.diſt.37.& in 2. diſt.18.quæſt.1.& in 4.diſt.12.quæſt.3.& 2.Phyſ.quæſt.5.cõcluſione 3. Ant. Andreas & Ant. Trombetta in ſuis Metaphyſicis, Pauiſius diſp. 6. Metaphyſ. cap. 21. & 22. Franciſcus de Pitigianis, in Commenr. ad quæſt. 5. 2. Phyſ. Scoti, Faber in Philoſophia naturali, & in 4. diſt. 12. Rada, & cęteri Scotiſtæ omnes; ex alijs Occã, Buridana, & nominales omnes,& præter illos, Durandus in 1. & alij;quos ex recentioribus ſequuntur Hurtadus diſput.9. Phyſicæ ſect.3. qui ait hac tempeſtate hanc ſententiam communiorem eſſe, Gorlæus exercitatione 5. Philoſophica ſect. 1. Valeſius, Vvilalpanda, & alij.

II. Præmitto primò ad quæſtionis ſolutionem, omnes ſubſtantias creatas produci immediate ab aliqua cauſa creata,quæ non diſponat tantum ſubjectum,ſed peculiari etiam actione influat in ipſas ſubſtantias. patet primo,eo quod,ſecundum veram & communem ſententiã, detur generatio ſubſtantialis, quę eſt actio inſtãtanea, conſequens alterationem præuiam. Secundo patet,ex eo quod dentur cauſæ principales talium effectuum.

Præmitto ſecundò,contra Peterium, accidens propria virtute non

poſſe immediate agere ſubſtantiæ productionem; quia, vt optime argumentatur Scotus, ſi accidens, quod eſt imperfectius ſubſtantia, poſſet propria virtute immediate ſubſtantiam producere, non poſſemus ex effectibus cognoſcere perfectionem cauſæ, & ex probatione omnium rerum creatarum cognoſcere Deum, qui eſt cauſa perfectiſſima, ſed exiſtimare quis poſſet eſſe res omnes à muſca productas, cum imperfectum poſſit producere perfectius. ſecundò. nihil dat nobilius eſſe effectiue, quam formaliter. ſed nulla res dat eſſe formaliter ſe ipſa nobilius. ergo neque effectiue. tertiò, effectus eſt participatio quædam cauſæ. non poteſt autem eſſe perfectius quod habet eſſe per participationem, quam id à quo participat eſſe. difficultas ergo tantum ſupereſt, an accidens in virtute ſubſtantiæ attingat immediate productionem ſubſtantiæ, vt volunt authores primæ ſententiæ, an vero ſola ſubſtantia id præſtet, vt contendunt authores ſecundæ ſententiæ. *Reijcitur Peregrini.*

III. Dicendum eſt autem, ſubſtantiam immediatè produci ab alia ſubſtantia, non autem ab accidente. hæc concluſio eſt D. Thomæ 3. contra Gentes cap. 69. quamuis alibi contrarium doceat. *Concluſio authoris.*

Probatur autẽ primò ex Philoſopho 7. Metaph. textu 32. vbi habetur proprium eſſe ſubſtantiæ ex his (nẽpe quanto, & quali, & ſubſtãtia compoſita) accipere eſſe; quia neceſſe eſt præexiſtere ſemper aliam ſubſtantiam actu exiſtentem, quæ facit, vt puta animal, ſi animal ſit; quale vero, aut quantum, non eſt neceſſe, niſi potẽtia ſolum. quibus verbis requirit Philoſophus, ad hoc vt ſubſtantia producatur, præexiſtentiam alicujus ſubſtantiæ quæ producat, quod non requirit ad productionem quanti aut qualis. at ſi ſubſtantia non producit ſubſtantiam, ſed accidẽs in virtute ſubſtantię, vt volunt aduerſarij, nullo modo verum eſſet quod ait Philoſophus, requiri vel præexiſtenriam alterius ſubſtantiæ (quorſum enim deberet præexiſtere, cum mala actio ab ea profluat?) ſed tantum ab accidente. *Prima eiuſdem probatio.*

Confirmatur; quia Philoſophus 2. de genet. textu 43. & 44. reprę-hendit antiquos quoſdam, qui omnem actionem tribuebant qualitatibus, auferentes, inquit, eam quæ ſecundum formam cauſat. at hoc ipſum faciunt aduerſarij, accidentibus omnem actiuitatem conferentes, & ſubſtantijs ſolam denominationem extrinſecam cauſæ tribuentes. ſentiunt ergo manifeſte contra Philoſophum. aduerte vtroq; hoc loco loqui Philoſophum de actione quam aduerſarij tranſeuntem vocant.

Probatur ſecundò ratione Scoti nunquam ſatis ſoluta. ſubſtantia non poteſt contineri in virtute accidentis. ergo non poteſt actiue intrinſece attingi à virtute accidentis. conſequentia eſt clara; quia non poteſt virtus accidentalis per ſuam actionem conſtituere talem effectum in actu, niſi ille effectus contineatur virtute; quia actio eſt *Secunda Probatio.*

exercitium virtutis actiuę, & via ac ratio communicandi ſuum eſſe effectiue, extrahendo quodammodo à ſe per efficientiam effectum, tanquam participationem ipſius. ergo, &c. Antecedens, in quo ſola eſt difficultas, optime probatur à Scoto; quia nobilius non poteſt contineri in virtute ignobiliori. ſed virtus illa accidentis, ſub quacunque ratione inſtrumenti conſideretur, eſt ignobilior effectu ſubſtantiali. ergo non poteſt effectus ſubſtantialis contineri in illa. major eſt clara; quia nemo dat quod non habet. cuius ratio à priori eſt, quia effectus continetur in cauſa ſecundum eſſe cauſæ, quia non habet aliud eſſe in cauſa, quam eſſe ipſius cauſę. vnde ſi cauſa eſt vniuoca, effectus habet eſſe æque nobile in cauſa quam in ſeipſo. ſi vero eſt cauſa æquiuoca, vel eſt nobilior, & tunc effectus habet nobilius eſſe in cauſa, quam in ſeipſo; vel eſt ignobilior, & tunc habet ignobilius eſſe in cauſa, quam in ſeipſo. ergo quando cauſa extrahit ab ſe per efficientiam effectum quē continet, vel per ſui exercitium communicat ſuum eſſe, non poteſt extrahere nobiliori modo quam habebat. confirmatur; quia effectus eſt participatio quædam ſuæ cauſę, & actio eſt exercitium cauſæ. ergo effectus non poteſt excedere nobilitatem cauſæ ſuæ. clara igitur eſt major. minor probatur; quia ſub quacunque ratione virtus illa inſtrumentalis conſideretur, non poteſt præſcindere à ratione inſtrumenti, nec aliquid addit ratio inſtrumenti ſupra rationem accidentis, quam eſſe relatiuum ad ſubſtantiam, tanquam ad principale agens. eſſe autem relatiuum, non eſt relatiuum vt quod, ſaltem in ſententia aduerſariorum, ſed ſupponit eſſe actiuum. Hoc argumentum Scoti vehementer vrget aduerſariorum ingenia, vnde Albertinus ingenue fatetur ſe cum aduerſarijs in ejus ſolutione vehementer laborare. & ſane, vt bene aduertit Hurtadus, nihil aliud faciunt, quam ludere in verbis.

*Reiicitur prima aduerſariorum reſponſio.*

Reſpondent ergo aliqui, primò hoc argumentum bene probare, non poſſe acccidens propria virtute producere ſubſtantiam, non tamē probare, non poſſe in virtute agentis principalis, nempe ſubſtantiæ. ſed contra eſt. nam quæro, *vtrum illud in virtute*, ſtet intranſitiuè, vel non. ſi primum, vt reſpondet Cajetanus 1. part. quæſt. 77. art. 1. Sotus, & alij Thomiſtæ, procedit optimè argumentum Scoti; nam nihil eſt aliud quam ipſa virtus accidentis, cum relatione ad principale agens, id eſt ad ſubſtantiam: eſſe autem relatiuum, non dat virtutem actiuam, ſed ſupponit. deinde ſequitur, accidens producere ſubſtantiam propria virtute. nam ſi accipiatur intranſitiuè, id eſt, vt ſenſus ſit, accidens, quod eſt virtus ſubſtantiæ, producit & efficit ſubſtantiam, ſequitur accidens per ſe producere ſubſtantiam, quia accidens, ſecundum ſe, eſt virtus ſubſtantiæ. vnde ſic argumentor. eſſe virtutem ſubſtantiæ, & in ejus virtute, nihil eſt aliud quam agens agere

ſecundum virtutem accidentis; quia, vt bene Hurtadus, nõn habet virtutem ſubſtantiæ, niſi in quantum eſt accidens illius. ſed accidens non poteſt producere ſubſtantiam ſecundum rationem accidentis: ergo neque vt virtus ſubſtantiæ. confirmatur; quia illa virtus eſt formaliter accidens. ergo accidens virtute ſua operatur, ſubſtantia verò per ſolam denominationem ab accidente: eodem fere modo quo panis videtur ratione albedinis, hęc autẽ ratione ſui. ſi dicatur ſecundum, ideſt accipiatur intranſitiuè, primò habetur intentum; nam tunc accidens non concurret actiuè, attingendo intrinſecè ſubſtantiam, ſed tantum extrinſecè, & virtus principalis agentis attinget illam extrinſecè. Secundò, quæro quid ſit illa virtus? ſubſtantiane, an accidens? ſi ſubſtantia, habetur intentum; quia jam ſubſtantia erit immediatè actiua, quod negant aduerſarij. ſi accidens, rurſus argumentabor eodem modo quo prius; nempe cum ſit accidens, non poſſe attingere productionem ſubſtantiæ. deinde ſequeretur proceſſus in infinitum.

Reſpondent alij cum Albertino, rejecta ſuperiori ſolutione, poſſe ſubſtantiam contineri in virtute accidentis tanquam vt quo, in ſubſtantia autem tanquam cauſa principali, & vt quod. *Secunda reſponſio refellitur.*

Sed contra hanc ſolutionem eſt, quia, quidquid dicat Albertinus, non, niſi voce tenus, à præcedente diſcrepat. nam eſſe cauſam vt quo, eſt eſſe inſtrumentum. eſſe inſtrumentum, eſt eſſe virtutem. ergo agere vt quo, eſt agere vt virtutem. quomodo ergo vult Albertinus priorem ſolutionem falſam eſſe, hanc autem veram? Secundò contra hãc ſolutionem facit; nam cum Albertinus nullum admittat influxum producentis vt quod in ſubſtantiam productam, ſed omnem omnino ponat otiri ab accidente, quæ eſt cauſa vt quo, adhuc militat argumentum Scoti. nam per cauſam vt quo, communicatur eſſe effectui. ſed nõ poteſt communicare eſſe effectui, ſi illud in ſe non habeat. ergo debet in ſe habere. ſed accidens non habet, vt ſupra probatum eſt. ergo &c. Tertiò, nullo modo continetur in cauſa vt quod ſubſtantia quæ producitur, niſi prout continetur in accidente, quod eſt virtus ſubſtantiæ, quæ eſt cauſa vt quod, quia tota virtus ſubſtantiæ per aduerſarios eſt accidens. nam contineri effectum in cauſa actiua, eſt contineri in virtute actiua cauſæ. ergo cum hæc virtus, vt pote imperfectior ſubſtantia, illam producere non poſſit, neque poterit ſubſtantia illam producere. Quartò, accidens agere vt quo, quid ſuperaddit accidenti? aliquidne, an nihil? ſi nihil, ergo cum ſecundum ſuam entitatem non poſſit, neque poterit vt quo. ſi aliquid, vel eſt ſubſtantia, vel accidens, vt ſupra. Quintò, ſi ſubſtantia non exiſteret, ex hac ſententia non foret cauſa principalis, & vt quo; quod tamen eſt contra aduerſarios, qui volunt nulla exiſtente ſubſtantia accidentis, agere in virtute ſubſtantiæ. ſequela probatur. accidentia ſenſibilia non faciunt

ſ

Digitized by Google

ſentiri ſubſtantiam, niſi verè in illa ſubjectentur, vt patet in ſanctiſſimo ſacramento, in quo non poteſt dici quod videatur actus ſubſtantiæ panis, licet adſint accidentia, per quæ, ſi adeſſet ſubſtantia panis, diceretur videri per accidens. ergo à pari, quamuis accidentia ſint ratio agendi, & virtus ſubſtantiæ, non poteſt dici quod ipſa ſubſtantia operetur, vel quod, niſi ſit præſens, atq; immediatè, per ſuam actioné attingat effectum. Vide Baranzanum diſp. 6. quæſt. 6. dubit. 2. qui ait mirari ſe homines tam doctos in re tam euidenti errare; & eo magis creſcere admirationem, quo ſubtilius cõſiderat illorum reſponſiones.

Reſpondent alij tertiò, cum Suario, hoc Scoti argumentum euincere quidem, accidens ſe ſolo ad productionem ſubſtantiæ non ſufficere, ſed vna cum ſubſtantia creata, vel Deo, ſupplente vicem illius, concurrere, ita vt etiam ſubſtantia aliqua immediatè ſemper concurrat.

*Reſponſio tertia, quæ eſt Suarii, conuellitur.*

Contra hanc ſolutionem etiam eſt, primò quia per illam non tollitur difficultas argumenti, vt rectè notauit Albertinus. nam accidens per hanc conjunctionem cum cauſa principali, non recipit aliquam actiuitatem, ſeu eleuationem intrinſecè actiuam, ſed tantum eſſe relatiuum, quod reſultat ad hanc conjunctionem cum concurſu ſui principalis. quod quidem eſſe relatiuum, in ſententia Suarij, non eſt actiuum. quare adhuc vrget argumentum Scoti. quæro enim, quomodo ſubſtantia producta, cum non contineatur in virtute accidentis, nec partialiter, nec totaliter, poſſit extrahi, etiam partialiter, ex virtute ipſius accidentis.

*Tertia concluſionis probatio.*

Secundò contra eſt, quia ſi ſemel habeamus formam ſubſtantialem, tanquam principale agens, poſſe habere partialem concurſum immediatum, nulla erit ratio cur non habeat totalem circa eundem, & ſine concurſu cauſæ inſtrumentariæ non attingat effectum. non enim eſt ratio cur repugnet illam habere etiam illum concurſum partialem, quem communicat ſuæ virtuti inſtrumentariæ, quæ agit in virtute principalis agentis. confirmatur; quia eſſe ipſius effectus non partialiter, ſed totaliter continetur in virtute cauſæ principalis, vt principalis eſt. ergo ſicut cauſa principalis concurrere poteſt partialiter, etiam poterit totaliter.

Probatur tertiò concluſio. quando ignis producit calorem in ligno, non poteſt aſſignari, in ſentẽtia aduerſariorum, quis calor ſit inſtrumentum ignis generantis, reſpectu ignis geniti. vel enim eſt ille qui eſt in ipſo igne generante, vel eſt ille qui eſt in ligno comburendo. ſi primum, contra eſt; quia fieri poteſt vt in inſtanti generationis formæ ignis, ignis generans non exiſtat, & exiſtat calor in materia ligni. in quo caſu ſequitur generatio, quæ ſequi non poteſt, niſi cauſa, vel principalis, vel inſtrumentalis, actu exiſteret, atque ageret.

ergo calor qui eſt in igne generante, non eſt inſtrumentum ipſius. ſi ſecundum, contra etiam; quia poſt introductionem formæ ignis in materia ligni, ille calor ſe habet ſicut prius, tunc autem non eſt inſtrumentum ignis generantis. ergo nec potuit eſſe ipſius inſtrumentum antea.

Probatur quartò, argumento quod ſupra indicauimus agendo contra Albertinum. accidentia ſenſibilia non faciunt ſentiri ſubſtantiam, niſi verè in illa ſubjectentur; vt patet in venerabili Sacramento, in quo non poteſt dici quod videatur ſubſtantia panis, licet adſint accidentia, per quæ, ſi adeſſet ſubſtantia panis, diceretur videri per accidens. ergo pari ratione, quamuis accidentia ſint ratio agendi, & virtus ſubſtantiæ, in ſententia aduerſariorum, non poteſt tamen dici quod ipſa ſubſtantia operatur, niſi præſens ſit, atque immediatè per ſuam actionem attingat effectum; quod tamen admittere recuſant aduerſarij. imò præterea præcipuè exiſtimant accidentia tantum concurrere ad productionem ſubſtantiæ, quia vident ſubſtantias aliquas produci, nulla ſubſtantia creata præſente, quæ ſua actione attingat eius productionem. vnde dicunt, in tali caſu produci illam ab accidentibus. *Quarta probatio.*

Probatur vltimò, quia ſi ſubſtantia ad agendum extra ſe, indiget accidente tamquam inſtrumento, vel hoc fit propter perfectionem, vel propter imperfectionem. ſed neutrum dici poteſt. ergo &c. major eſt clara. minor probatur, primò quoad primam partem; quia Deus eſt agens perfectiſſimum, & tamen ſæpè immediatè operatur, & non ſemper medio inſtrumento. imò quo agens eſt perfectius, eo paucioribus indiget ad operandum inſtrumentis. quoad ſecundam etiam partem, probatur; quia accidens eſt imperfectius ſubſtantia, & tamen agit immediatè. ergo ex hoc capite, quod ſubſtantia ſit imperfecta, non repugnat eam agere immediatè. confirmatur; quia ſubtiam eſſe immediatè actiuam, vel excedit limitationem ſubſtantiæ creatæ, vel non. ſi excedit, ſequitur quod ſit perfectio infinita, & quod à Deo non poſſit creari vlla ſubſtantia, quæ ſit immediatè actiua. quod tamen abſurdum videtur, cum aduerſarij vltrò concedant ſubſtantiæ actionem aliquam ab ipſa immediatè procedentem, vel cum formæ reducunt ſe ad priorem ſtatum. ſi non excedit, vt quid ergo denegatur ſubſtantiæ creatæ in productionibus naturalibus aliarum ſubſtantiarum? *Vltima probatio.*

IV. Objicies primò. Ariſtoteles, lib. de ſenſu & ſenſili, cap. de ſapore, prope medium, ita ait; *Qua igitur ignis, & qua terra, nihil actum eſt agere vel pati, neque aliud quidquam. qua autem ineſt contrarietas in eis, hæc omnia agunt & patiuntur.* ergo Ariſtoteles ſenſit ſubſtantias, quâ ſubſtantias, non agere immediatè, quia illis in ratione ſubſtantiæ *Proponuntur, & ſoluuntur aduerſariorum argumenta.*

nulla ineſt contrarietas.

Reſpondeo primò, non loqui Ariſtotelem vniuerſaliter, ita vt velit nihil prorſus poſſe immediatè produci à forma ſubſtantiali terræ, ignis, & ſimilium; ſed loqui iuxta præſentem materiam. agebat enim ibi Philoſophus de cauſa efficiente ſaporum, & vult tantum ſaporem non produci à ſubſtantia ignis, vel terræ, vel ſimilibus, ſed à qualitatibus eorum; quod verum eſt, non tamen contra noſtram ſententiam. quod verò vniuerſaliter non loquatur, etiam aduerſarij concedere tenentur. ipſi enim fatentur quod quando forma ſubſtantialis, verbi gratia, aquæ, reducit ſe ad priſtinum ſtatum frigoris, procedit actio illa à forma ſubſtantiali aquæ. & hoc etiam contingit ſæpe in aliis agentibus. quod ſi dicant Philoſophum locutum de his quæ producuntur propriè loquendo, & non de his quæ ſint per naturalem ſequelam, & per emanationem, quare, vt ipſi faciunt, hanc exceptionem non licebit nobis aliam facere, & dictam expoſitionem adhibere? præſertim cum Ariſtotelis propoſito magis conſona, quam aduerſariorum expoſitio, videatur. Reſpondeo ſecundò, dici poſſe Ariſtotelem loqui de tota actione, ſiue diſpoſitiua, ſiue non requiſita ad productionem ſubſtantiarum, & velle ſubſtantias nihil poſſe agere, niſi in eis ſit contrarietas accidentium; quia per qualitates debent prius diſponere materiam, quam ex ea educant formam ſubſtantialem, vel illi talem formam vniant.

Objicies ſecundò. videmus ſæpe produci ſubſtantiam, & non eſſe eſſe aliquam ſubſtantiam inferiorem, à qua produci poſſit. ergo tunc ſaltem producitur ab accidentibus, tanquam virtutibus ſubſtantiarum. recurrere enim in illis caſibus ad Deum, tanquam ad cauſam producentem per ſe, ſine alia cauſa ſecunda, philoſophicum non eſt, ſed effugium. debuit enim Deus, producendo res creatas, ita earum naturas ordinare, vt omnes naturales effectus in ipſa natura haberent cauſas, à quibus producerentur. quod autem ſæpe producatur ſubſtantia, nec vlla ſit ſubſtantia inferior à qua poſſit produci, quia ex motu aliquando videmus produci ignem, vt in ſilice & ferro, & lumen ſolis, facta reflexione à ſpeculo, vel ſimili alio corpore, comburit, & producit ignem, & ex putri materia quàm plurima fiunt animalia, ſuntque multi alij ſimiles caſus, in quibus non poteſt aſſignari aliqua ſubſtantialis forma, quæ poſſit eſſe principium productionis ſubſtantialis, ſed tantum poteſt aſſignari accidens, quod ſit tale principium.

Reſpondeo, Deum, quando non poteſt aſſignari agens ſufficienter applicatum, eſſe neceſſario dicendum authorem iſtorum effectuum, & neceſſariò recurrendum eſſe ad Deum, tanquam ad autorem naturæ, quia ad ipſum pertinet ſupplere defectum naturæ. &

ideò non eſt miraculum, ſi ipſe ſolus tales formas educat de potentia materiæ; eſt enim debitus concurſus, in hoc caſu, his rebus naturalibus. vnde ad Deum in multis aliis fere ſimilibus caſibus recurrunt Philoſophi quamplurimi, nempe in motu grauium ſurſum, & leuium deorſum, ad vitandum vacuum, &c. neque hæc reſponſio fuga, ſed Philoſopho digniſſima cenſeri debet, quandoquidem pro noſtra ſententia rationes plane conuincentes habeamus, neque inueniri poſſit in talibus caſibus particularis cauſa ſufficiens. neque inferas à Deo factam eſſe naturam aliquam imperfectam. neque, inquam, hoc inferas; quia nihil ita producitur, ad quod producendum non ſit in natura cauſa ſufficiens. per accidens autem eſt, quod tunc talis natura non adſit, & aliis modis, introductis diſpoſitionibus, Deus ſolus huiuſmodi formas producat. neque hoc videtur valde frequens in aliis caſibus, præter illum de colliſione. nec minus fortaſſe frequens eſt grauia moueri ſurſum, & leuia deorſum, ne detur vacuum, licet ſæpe hos motus non aduertamus.

Objicies tertiò. in hac noſtra ſententia nulla poteſt aſſignari cauſa formarum, viuentium equorum, verbi gratia, leonum, &c. facile autem aſſignatur ab authoribus contrariæ ſententiæ. ergo, &c. Reſpondeo, multo clariùs & faciliùs à nobis, quam ab aduerſariis aſſignari. quod facilè patet ex dictis contra ipſos, & vlterius, ex eo quod inter ſe vehementer diuiſi ſunt, dum aſſignant cauſam viuentium quæ producuntur ex putri. quidam enim, vt Moriſanus, Hirlandus, diſp.2. in lib. de cœlo, dub.7. Valentia apud ipſum tom.1. diſput.1. quæſt.3. punct.6. & alij, confugiunt ad cælum, quod dicunt eſſe cauſam eiuſmodi animalium. ſed refelluntur ex eo, quod cœlum, ex communi omnium ſententia, poſt Diuum Auguſtinum, lib. de vera religione, cap.29. D. Thomam 1. part. qu.70. art.3. ad 2. Scotum, & reliquos antiquos, ſit imperfectius rebus animatis, & conſequenter earum cauſa principalis eſſe non poſſit. Confirmatur. viuere, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. ergo major perfectio eſt viuere, quam non viuere. confirmatur; quia operatio vitalis, vtpote quæ manauit à principio intrinſeco, eſt perfectior operatione non vitali; ergo principium à quo procedit. Alij, cum Rubio, & Thomiſtis quibuſdam apud ipſum, confugiunt ad cœlum, non præcisè, & ſecundum ſe, ſed prout coniungitur cum Angelo mouente, & cum illo vnum facit; ita vt cœlum, non ſe ſolo, ſed virtute Angeli mouentis, viuentia illa producat. ſed refelluntur pariter, primò eodem modo, quo ſupra reiecimus eos qui aſſerunt accidens agere in virtute ſubſtantiæ. ſecundò, ex eo quod Angeli nullam formam ſubſtantialem, ſiue accidentalem, ſecundum communem Theologorum ſententiam, in inferioribus producere poſſint, præter motum localem, eiuſque terminum, ad il-

*Oſtenditur cælum non eſſe cauſam eorum quæ producuntur ex putri, neque ſecundum ſe, neque prout facit vnum cum intelligentia.*

lam nempe pertinentem, neque operari poſſent, niſi applicando actiua paſſiuis, qua ratione ſunt tantum cauſæ applicantes, ſicut ille qui applicat ignem ad domum comburendam, dicitur cauſa efficiens combuſtionis. ſed hoc non ſufficit ad cauſam principalem, de qua hic loquimur. Alij denique confugiunt ad cauſam vniuocam in ſpecie, dicuntque cauſam principalem ranæ, verbi gratia, productæ ex putri, eſſe ranam in ſpecie, vel, vt alij loquuntur, ranam vagam. ſed hi etiam communiter refelluntur, & merito; nam eſt plane ſtulta, & pluſquam inepta ſententia. quod ſic oſtendo. primò quidem ad hominem: natura ranæ ſpecifica, ſecundum illos, non diſtinguitur à natura ranæ indiuidua, & à rana quæ producitur, cum, in ipſorum ſententia, gradus metaphyſici ratione tantum diſtinguantur, neque eſſentiæ rerum vllum habeant eſſe ab æterno. ergo, in illorum ſententia, effectus non diſtinguetur à cauſa ſua efficiente, rana nempe producta, à natura ranæ producentis; quod eſt abſurdum. Secundò, directè. diſpoſitiones illæ, vel accidentia, quæ agunt in productione ranæ, ſunt diſpoſitiones particulares. ergo debentur alicui cauſæ particulari. non ergo ranæ vagæ, ſeu ranæ in ſpecie, quæ, ſaltem in ipſorum ſententia, non niſi in intellectu fingente reperitur. Tertiò. ad cauſam efficientem requiritur communiter exiſtentia cauſę efficientis. ſed non exiſtit in ſe illa rana in ſpecie. ergo non poteſt eſſe cauſa efficiens ranæ productæ. Quartò. commune eſt apud Philoſophos, & ab aduerſariis ſaltem omnibus receptum axioma, *actiones eſſe ſuppoſitorum*. ergo non poſſunt eſſe naturæ ſpecificæ. valeat ergo rana vaga. Exiſtimo ergo primò, cum Scoto, Villalpanda, Valeſio, & aliis, formas ſubſtantiales viuentium quæ producuntur ex putri, produci immediatè à Deo. eſt enim Deus autor naturæ, qui eius defectus ſupplere debet. neque eſt inconueniens non dari in natura cauſam, à qua talia viuentia producantur. in primis enim quæ ex ſemine produci poſſunt, per accidens eo modo producuntur. ea etiam quæ tantum ex putri materia fieri poſſunt, non ſunt omnino ſemper à natura intenta, ſed ſequuntur naturæ imperfectionem. exiſtimo ſecundò, formas ſubſtantiales viuentium (excipio animam rationalem) quæ ex ſemine generantur, produci à ſemine. ad hoc probandum, ſuppono primò ſemen effectiuè concurrere ad productionem animalis. ita enim Philoſophi omnes; Ariſtoteles, locis paulo poſt citandis, & cum eo Hippocrates, & Galenus, ac medici omnes. cuius ratio eſt, primò, quia ſi ſemen paſſiuè tantum concurreret, aſſignandum eſſet aliud immediatum efficiens, quod materiam diſponeret ad introductionem formæ viuentis, &c. quod non reperietur à ſemine diſtinctum. ſecundò, quia ſi ſemen paſſiuè tantum concurreret, non videretur adeo neceſſarium, ſed poſſent viuentia ex alia materia ge-

*Oſtenditur neque cauſam vniuocam in ſpecie, eſſe cauſam eorum quæ producuntur ex putri.*

*Probatur animalia quæ producuntur ex putri, produci immediatè à Deo.*

*Semen concurrit actiuè ad productionem viuentium.*

nerari, vt ex ſanguine, vel ſimili alio, ſicut ex alia materia nutriuntur, quia ad nutritionem & augmentationem alimenta ſolum paſſiuè concurrunt. ſuppono ſecundò, quæſtionem duplicem eſſe poſſe, ſuppoſita actiuitate ſeminis. prima, in quam materiam agat ſemen? in ſeipſamne, an in aliud? ſecunda, quid agat, & quid producat? an immediatè effectiuè producat animas viuentium (excipio ſemper animam rationalem in homine) vel ſolum efficiat diſpoſitiones & organizationem? Et quidem quod ad primam quæſtionem attinet, Ariſtoteles 1. de generat. anim. cap. 18. & 20. & lib. 2. cap. 1. & 3. exiſtimat in his quæ generantur ex commixtione maris & fœminę, & commixtione ſeminis vtriuſque, ſemen maris habere omnem efficientiam generationis, fœminam verò nihil efficere; imò nec verum ſemen emittere, ſed ſolum præſtare materiam, & in illam materiam deinde agere ſemen maris. atque ita putat ſemen non agere in ſeipſum, quia ſemen maris dicitur tantum habere efficientiam, & non diſponi paſſiuè, ſed continuo ac effecerit quæ ipſius numeris erant, extra vterum emitti. in qua ſententia duo alia reperiuntur. primum, ſemen maris habere omnem efficientiam in generatione, fœminam nullam, ſed tantum materiam ab ea miniſtrari. & cum Ariſtotele hoc amplectitur D. Thomas 3. part. quæſt. 32. art. 4. vbi multa hac de re Caietanus, & plura 2. 2. quæſt. 154. art. 2. ſecundum, ſemen maris concurrere ſolum actiuè, & nullam eius partem concurrere paſſiuè. & hoc habet Ariſtoteles 2. de generat. anim. cap. 3. & 4. 4. de generat. anim. cap. 1. & 5. D. Thomas 3. part. quæſt. 28. art. 1. ad 1. & in 3. diſt. 3. quæſt. 2. art. 1. & alij cum ipſis. Ego in vtroque hoc puncto Ariſtotelem deſerendum exiſtimo, & oppoſitum amplector, cum Hippocrate lib. de genitura, Galeno lib. 6. de locis affectis cap. 5. & omnibus medicis; & ex Theologis, cum Scoto in 4. diſt. 4. quæſt. 1. & omnibus Scotiſtis, Alberto Magno lib. de generat. animal. D. Bonauentura, Marſilio, Gabriele, Occamo, & aliis. Dico ergo, in generatione maſculi vim eſſe actiuam & paſſiuam, fœminam etiam verum ſemen emittere, in quo pariter ſit virtus actiua & paſſiua, quamuis communiter plus efficiat ſemen maſculi, quam fœminæ. & in hac re credendum potius exiſtimo medicis, quam Ariſtoteli. ſed nec deſunt argumenta quibus hoc probetur. & primò quidem, fœminas verum ſemen emittere, manifeſtis indiciis ab anatomia ductis conuincitur. ſunt enim in fœmina organa præparantia, excoquentia, deferentia, ac conficientia ſemen. cum ergo natura nihil fruſtra faciat, manifeſtè videtur ſequi fœminam ſemen emittere. ad quid enim iis teſtes conceſſiſſet, niſi in eum finem. neque valet quod quidam reſpondet, in his vaſis, nihil coctum & elaboratum reperiri, ſed quid aqueum, crudum, ac ceroſum; eumdemque eſſe eorum in fœminis vſum, qui

*Fœmina habent verum ſemen.*

*Hippocrates.*
*Galenus.*
*Scotus.*
*S. Bonauentura.*
*Marſilius.*

*Fœminæ actiuè ſe habent, & non tantum paſſiuè, in generatione.*

mammarum eſt in viris. non, inquam, valet; quia ſi aqueum tantum ac ſeroſum humorem continerent, quorſum tot gyris intorta, tot anfractibus implicata fuiſſent? natura gyros illos & anfractus non facit niſi ad coctionem & elaborationem nouam. nec quidquam prodeſt confirmatio illa ex mamillis; diſpar enim eſt ratiò. nam mammæ virorum, ſunt tantum ad ornatum & robur, præſertim cum glandoſæ non ſint, vt in fœminis; at iſtorum, de quibus agimus, muliebrium vaſorum, ac præcipue teſtium, alius non poteſt eſſe vſus in fœminis, quam feminis productio; præſertim cum eorum ſubſtantia glandoſa ſit æque bene in fœminis, ac in maſculis. præterea in congreſſu par eſt maſculi & fœminæ voluptas, & fortè major in fœmina, cum percipiatur ex receptione & emiſſione. eadem etiam in vtroque titillatio. ergo, &c. adde quod docent omnes medici tunc fieri conceptionem, quando vtrumque ſemen paternum & maternum miſcentur. at hæc mixtio non fieret, ſi fœmina ſemen non emitteret. ergo, &c. plura vide apud Fernelium 7. ſuæ phyſiologiæ cap. 6. Valeſium, & alios. Quod etiam ſemen fœminæ habeat virtutem actiuam, probatur. proles non ſolum patrem, ſed etiam matrem ſimilitudine repræſentat. atque hæc ſimilitudo oritur à virtute formatiua, quæ actiua eſt. ergo non tantum pater habet illam virtutem actiuam. ſicque actiuè concurrit. ſecundò. formas eiuſdem ſpeciei conſequi ſolent potentiæ eiuſdem rationis. at mas & fœmina, habent formas conuenientes in eadem ſpecie, vt per ſe patet, & docet Philoſophus 10. Metaph. cap. 12. ergo cum mas habeat potentiam generandi actiuam, habebit & fœmina. denique non tantum à patre, ſed etiam à matre ſunt morbi hæreditarij ( generat enim calculoſa calculoſum epileptica epilepticum ) at hi morbi ſanguinis vitio aſſignari non poſſunt, ſed virtuti feminis. quis enim ſanguinem menſtruum ſingularum partium formas in ſe continere vnquam dixit? reddet quidem impurus ſanguis debilem & morbidum fœtum, ſed calculum ibi imprimere ſoli ſemini conceditur, quod ſemen fatalem viuendi & moriendi neceſſitatem in ſe contineat. quia tamen non eſt huius loci hanc controuerſiam exactè explicare, plura vide apud Valeſium 2. controuer. medic. cap. 7. vbi hanc ſententiam optimè comprobatam habes. Declarandum tantum nobis eſt quomodo ſemen agat in ſe. ad quod reſpondeo, illam virtutem non eſſe aliquod accidens, quod per totum ſemen diſperſum ſit, ſed eſſe tantum vim actiuam ipſius animæ ſeminis, in quibuſdam partibus tantum ſeminis, vt in partibus ſubtilioribus & tenuioribus. & hæ partes non agunt in ſeipſas, ſed in partes craſſiores, in quibus non eſt potentia actiua, ſed paſſiua tantum, reſpectu generationis. partem craſſiorem ſeminis, vocant medici corpulentam, tenuem vero ſpiritum complantatum. de

quo

quo optime agit Valeſius 2. contr. medic. cap. 16. ex quibus patet *Valeſius.* quomodo idem non agat in ſeipſum, eo modo quo alibi controuertitur, ſed agens & patiens diſtinguantur, neque aliquid corrumpat ſeipſum. & eodem modo philoſophandum in aliis viuentibus, in quibus non reperitur diſtinctio maris & fœminæ. dicendum enim eſt ibi eſſe talia ſemina. quædam enim ſunt partes corpulenræ, quæ ſolum habent potentiam paſſiuam, & quarum materia fit poſtea materia rei productæ. aliæ partes ſunt tenues, in quibus tantum eſt actiua potentia, & non fiunt partes rei productæ, ſed vbi generationem perfecerunt, à partibus corpulentis ſemouentur, quæ paulatim euaneſcunt & corrumpuntur. vnde errant grauiter, qui dicunt in ſeminibus plantarum tantum eſſe vim actiuam, eamque ſolum agere in materiam à terra miniſtratam. quæ opinio expreſsè aduerſatur Philoſopho 1. de generat. anim. cap. 18. vbi ait ſemen plantarum, & eorum animalium in quibus non eſt diſtinctio ſexus, iam habere quod ex ambobus requiritur. & cap. 20. ait in plantis facultates maris & fœminæ miſceri, neque marem à fœmina ſeparari; & ideo ex ſeipſis generare, neque genituram emittere, ſed conceptum, quod ſemen vocatur, afferre. idem etiam aſſerit D. Thomas 3. part. quæſt. 32. art. 4 & manifeſta experientia patet, aliquam partem ſeminis conuerti in rem productam. nam quando ex grano tritici generatur triticum, primum quod diſponitur eſt materia ipſius tritici; alioqui quare moreretur? vnde quando Ariſtoteles 1. de gener. anim. cap. 2. ait in generatione horum animalium, harumque plantarum, terram ſe habere vt matrem, non vult omnem materiam à terra ſuppeditari, ſed aliquam partem; quod nos non negamus. & ex his patet reſponſio ad priorem difficultatem, quæ oriebatur ex illa ſupra allata communi omnium ſententia, dicente ſemen actiue concurrere ad generationem. ſoluenda jam eſt ſecunda, quid ſcilicet ſemen in generatione efficiat. dubitandi ratio; quia duo poſſunt dici effici ſemine. primum, organizatio, & diſpoſitio materiæ neceſſariæ ad animæ introductionem. ſecundum, eductio ipſa animæ. vtrumque autem videtur ſuperare virtutem ſeminis, & ex conſequenti non poſſe ab illo fieri. primum enim videtur ſeminis virtutem ſuperare, quia ſemen non eſt quid heterogeneum, ſed habet omnes partes ſimiles. vnde non videtur poſſe illam varietatem partium diſtinguere, & requiſitam organizationem efficere. ſecundum etiam videtur ſuperare virtutem ſeminis, quia anima eſt perfectior omni forma non viuentium. ſemen autem non eſt viuens. ergo, &c. ad hæc, ſemen non eſt in eo inſtanti in quo anima producitur. ergo non poteſt educere animam, illamue efficere. Propter hæc argumenta, aliqui non ſolum concedunt ſemen non attingere productionem animæ, ſed etiam non ef-

ficere organizationem, & ad ſummum volunt efficere aliquam alterationem præuiam & imperfectam, animam verò ajunt à Deo produci. ita Scotus, & poſt ipſum eius diſcipuli, & cum illis Nyphus, & apud ipſum Commentator; qui omnes volunt organizationem, vel à Deo, vel à cœlo fieri. nec multum abeſſe videtur Galenus libro de fœtuum formatione, vbi miratur ſapientiam artificis in noſtrorum corporum formatione, & dubitat an illorum author ſit Deus, an anima, an facultas aliqua in nobis exiſtens, an natura, an facultas in ſemine; & ſi hæc, an ſit in aliquo humore, an in ſpiritu aliquo; & tandem fatetur ſe in hoc nihil certi habere, probabiliter tamen ſcire ſe hanc operationem non eſſe ab aliquo rationis experte. Pro ſolutione harum difficultatum, exiſtimo primò, quamuis valde probabilis ſit horum authorum ſententia, dici tamen probabiliter poſſe, ſemen eſſe quod proxime diſponit materiam ad introductionem animæ horum viuentium, & quod efficit illius organizationem. patet; quia ſi hoc negetur, omnis ſeminis actiuitas tolletur. hoc autem videtur eſſe contra communem omnium Philoſophorum ſenſum. ſecundò, in hoc nulla apparet repugnantia; tota enim ea organizatio & varietas poteſt effici à ſemine; ſemen enim eſt quædam ſubſtantia, & in ſe habet virtutem generandi. confirmatur; quia aduerſarij concedunt organizationem illam fieri poſſe à cœlo. ergo melius poteſt fieri à ſemine. ergo, etiamſi non habeat partes diuerſas, neque diuerſas virtutes, non minus poterit id efficere quam cœlum. exiſtimo ſecundò, quando ea viuentia, quæ ſolum vegetatiua anima viuunt, ex ſemine generantur, bene poſſe ſemen attingere immediate effectiue eductiones animæ viuentes, & eius in materiam introductionem. probatur; quia ſemina, quibus talia generantur, viuunt vita vegetatiua, vt ſæpe videtur docere Philoſophus, præſertim 2. de generat. anim. cap. 1. & prope finem capitis, vbi hoc clariſſimè affirmat. ex effectu id etiam oſtenditur; quia habent virtutem organizandi corpora, & gignendi; quæ virtus videtur ad animam pertinere. at Ariſtoteles, inquies, 2. de generat. animal. cap. 3. docet in ſemine eſſe animam vegetantem potentia, non actu. deinde, ſemina animalium non viuunt vlla vita. ergo neque plantarum. tertiò; ſemina illa non nutriuntur, vt patet in tritico longo tempore conſeruato. ſed quæ viuunt, nutriuntur. ergo, &c. quartò; granum tritici exſiccatur, priuſquam colligatur & ſeminetur. ergo moritur, antequam feratur. ad primum, reſpondeo cum D. Thoma 1. part. quæſt. 118. art. 1. ad 4. Ariſtotelem ibi debere intelligi de actu ſecundò, & velle tantum, quando non operatur ſemen & generat, tantum viuere in actu primo, non in actu ſecundo. & hoc patet; quia etiam quando non operatur, habet calorem vitalem, ſecundum Ariſtotelem eodem loco. ergo viuit. quæ ſolutio colligitur

*Semen eſt animatum.*

ex ipſo Ariſtotele, in dicto capite, prope finem, vbi ita loquitur; *Sed habeatne ſemen animam, necne, ratio eadem atque de partibus (ſupple animalis) reddenda eſt. nec enim anima vlla eſſe poteſt in alio, niſi in eo cuius eſt, neque pars vlla eſſe poteſt, quod particeps animæ non eſt, niſi æquiuocè, vt mortui oculus. ſemen igitur & habere animam, & eſſe potentia, palam eſt. propius autem & remotius idem à ſeipſo potentia eſſe poteſt, vt Geometra dormiens, remotius quam vigilans eſt, iſque remotius, quàm qui jam contemplatur.* Ecce manifeſtè ſe exponit Philoſophus de actu ſecundo, id eſt operatione. Ad ſecundum, nego antecedens. nam manifeſtè oppoſitum docet Philoſophus ſupra, vbi potius vniuerſaliter loquitur de omni ſemine; & D. Thomas ſupra, vbi potius loquitur de anima ſeminis animalium, quam de anima ſeminis viuentium tantum. quod ſi quæras, qua anima viuat ſemen animalium; reſpondeo, anima ſenſitiua. & ratio eſt; quia perfectius eſt, & ad perfectiota opera ordinatum à natura ſemen animalis, quam ſemen viuentis tantum. ergo habet animam perfectiorem. confirmatur; quia ſicut ſe habet ſemen viuentium ad viuentia, ſic animalium ad animalia. ſed ſemen viuentium habet eandem animam quam viuentia, licet in ſtatu imperfecto, & in quo non habet operationem, ſeu actum ſecundum. ergo etiam ſemen animalium habet eandem animam quam animalia, licet in ſtatu imperfecto, in quo nullam habet operationem, ſeu actum ſecundum; eandem, inquam, non numero, ſed ſpecie. atque hinc eſt, vt ſicut ſemen viuentium non vegetat, neque nutritur, quia anima eſt ibi in ſtatu imperfecto; ita neque ſemen animalium ſentiat, aut vegetet, aut nutriatur. & ſane nulla experientia magis probare poteſt ſemen animalium non habere animam ſentientem in ſtatu illo imperfecto, quam ſemen viuentium tantum non habere animam vegetatiuam in ſtatu imperfecto. & hinc ſoluitur illud quod tertio loco obijciebatur. ratio verò quare anima in ſemine eſt in ſtatu imperfecto, hæc reddi poteſt; quia ſemen non tam eſt propter ſe, quam propter generationem, & ideo ſatis eſt ſi dicto modo habeat animam, neque eget anima exiſtente in ſtatu perfectiori. ad quartum, reſpondeo illam exſiccationem tritici non eſſe mortem illius, ſed potius eſſe complementum diſpoſitionis illius. videri poteſt Valeſius 2. controuerſ. medic. cap. 9. vbi hoc bene explicat & tuetur. Exiſtimo tertiò, quando animalia ex ſemine generantur, ſemen bene poſſe effectiuè attingere productionem animæ, & eius in materiam inductionem. probatur eodem modo, quo ſupra probatum eſt viuentia, quæ ex ſemine generantur (excipio ſemper hominem) effectiuè attingi poſſe à ſemine. ſemen enim ex quo hæc animalia generantur, viuit vita ſenſitiua, vt oſtenſum eſt. ergo non eſt cur non valeat educere formam ſenſitiuam ex potentia materiæ. quod ſi obij-

cias, ſemen, licet habeat animam, habere tamen eam in ſtatu imperfecto, ergo non poſſe producere animam in ſtatu perfectiori, neganda eſt conſequentia; quia illud ſuppletur ex bona diſpoſitione materiæ, ex calore, ex organizatione, & reliquis, quæ perfectius reperiuntur in corpore animalis & viuentis, quam in ſeminibus. poſſunt autem hæc à ſemine produci, vt jam probatum eſt. hæc via omnium maximè probabilis mihi videtur, ad defendendum quod animalia generentur effectiuè à ſemine. nam dicere ſemen tantum concurrere ad diſpoſitiones producendas, & animam à ſolo Deo produci, facit naturam valde imperfectam, & parum potentem. ex dictis ſoluuntur omnes rationes, præter vltimam, quæ erat huiuſmodi. forma ſeminis non eſt in inſtanti generationis. ergo non producit animam viuentis, vel animalis. ad quam rationem aliqui reſpondentes, concedunt antecedens, dicentes, ſatis eſſe quod fuerit immediatè antea, vt in eo inſtanti efficiat generationem. verum hoc incredibile eſt, immò & impoſſibile. nequit enim fieri vt aliquid efficiat quod non eſt, licet immediatè antea fuerit. reſpondeo ergo aliter, negando antecedens. nam in eo inſtanti generationis adhuc eſt ille ſpiritus complantatus, & animatus, & conſequenter vim effectiuam habens (& in hoc conueniunt nobiſcum D. Thomas, 3. part. quæſt. 28. art. 10. ad 5. & de potentia art. 11. ad 8. & in 3. diſt. 3. quæſt. 5. art. 1. Soncinas 7. Metaphyſ. quæſt. 29. ad 2. & alij Thomiſtæ; & præter illos Valeſius 2. contr. cap. 17.) poſtea verò ſpiritus ille complantatus parum durat, quia ſeparata parte corpulenta, quæ efficitur pars rei productæ, ſpiritus complantatus ſeparatur, & vincitur à contrariis. adde quod cum jam non ſit neceſſarius, nulla eſt ratio cur à natura conſeruetur. ſed difficultas eſſe poteſt de partibus corpulentis ſeminis, an nimirum in inſtanti generationis maneant eædem, vel non; nam ſi habebant antea eandem animam, quam habent quando ſunt partes viuentis, videntur manere eædem. Aliqui ad hoc reſpondent, illas partes non corrumpi eſſentialiter, ſed propter accidentarias diſpoſitiones, & formas partiales quas acquirunt, habere eandem animam quam antea habebant, alio modo, videlicet in ſtatu perfecto, & exercente actum ſecundum. Verum probabilius exiſtimo illas partes corpulentas non viuere; quia ſunt multo imperfectiores ſpiritu complantato, & quia cum non ſint futuræ generationis effectrices, fruſtra illis vita daretur. & hoc videtur magis conforme Ariſtoteli, quia ipſe ait ſolum ſemen viuere; ea vero quæ ſolum paſſiuè concurrunt ad generationem, non vocat ipſe propriè ſemen, vt patet, cum loquitur de ſemine fœminæ, quod paſſiuè tantum concurrere arbitratur.

VI. Ex his colligitur, primò à quo corrumpantur formæ ſubſtantiales. dicendum enim eſt accidentia non corrumpere effectiuè & im-

mediatè ſubſtantias, ſed tantum diſpoſitiuè & mediatè, quatenus producunt diſpoſitiones in ſubjecto, ad quas ſequitur ſtatim vt ſubſtantia producat ſubſtantialem formam; à qua forma formaliter expellitur forma præcedens, effectiue vero ab efficiente, introducente talem formam in materiam.

Colligitur ſecundò, formas accidentales effectiue non expelli à formis exiſtentibus in eadem parte ſubiecti, quæcumque illæ ſint, ſed à formis à quibus illæ formæ in eodem ſubiecto producuntur, non compatientes alias præcedentes. & ita ſenſit Scotus, & cum illo eius diſcipuli; & de Thomiſtis Souinus 7. metaph. quæſt. 3. contra Dominicum Sotum 2. phyſ. quæſt. 4. art. 2. & alios. Probatur; quia id tantum expellit effectiue formam, quod effectiue concurrit ad producendam formam aliam cum ipſa incompoſſibilem. ſed formæ quæ producuntur in eodem ſubiecto, non concurrunt effectiue ad ſui met productionem. ergo neque ad expulſionem formæ præcedentis. Major probatur; quia omnis efficientia vera & poſitiua, eſt ad aliquem verum terminum & poſitiuum, productum, vel producendum ea efficientia. nihil enim directe agit ad corruptionem alterius, loquendo naturaliter; corruptio enim non eſt per ſe intenta à natura, ſed tantum per accidens. conſequenter ergo nihil expellit vnam formam effectiue, niſi quatenus aliam producit effectiuè, quæ cum ipſa ſimul eſſe non poſſit

Colligitur tertiò, formas ſubſtantiales non expelli effectiuè à formis ſubſtantialibus introductis in eadem materia, ſed ab iis formaliter tantum ejiciuntur; neque expelluntur effectiue à diſpoſitionibus accidentalibus formam produ[illegible]n præcedentibus; neque ab accidentibus agentis, ſed à princi[illegible] immediate producentis efficienter formam ſubſtantialem, in q[illegible]a non poſſunt eſſe. probatur autem eadem ratione qua paulo ante.

# QVÆSTIO DVODECIMA.

*Vtrum accidens producat accidens in virtute ſubſtantiæ.*

NOn quærimus hoc loco, quid ſit quod producit accidens; conſtat enim eſſe ſuppoſitum, actiones enim ſunt ſuppoſitiorum. vnde Philoſophus 2. de anima dicit humanitatem non ambulare, ſed Socratem. & ratio eſt, quia illi tribuuntur operationes, cui tribuitur eſſe. eſſe autem eſt ſuppoſitorum. ergo & agere. verum cum hæc ſuppoſita naturalia maxima ex parte ſint compoſita ex materia I.

& forma ſubſtantiali, illiſque præterea multa inſint accidentia, quærimus per quid agant tanquam per principium agendi, quando producunt accidentia.

Certum eſt autem principium agendi non eſſe materiam primam; quia materia, ſecundum omnes, non eſt actiua; ſed talis actio proueniret à forma. controuerſia ergo tanrum eſt, an huiuſmodi principium ſit forma ſubſtanrialis, vel accidenralis. qua in re

D.Thomas part.1.quæſt.45.art.8. & 66.art.1. ad tertium, & alibi ſæpe, vult formam ſubſtantialem non eſſe principium immediatum alicuius actionis. vult tamen in omni productione ſubſtanriali vel accidentali, quæ fit in materialibus, duplex reperiri agendi principium; vnum principale, & mediarum, quod vult eſſe formam ſubſtantialem; alrerum minus principale, ſed proximum, & immediatum. Scotus in 2.diſt.18.& in 4.diſt.12. quæſt.3. docet principium principale & ſimul proximum producendi accidens, eſſe ſolum accidens. Idem ſequunrur Scotiſtæ, & recentiores nonnulli Thomiſtæ.

III. *Prima concluſio.* Dico primò, ſubſtantias aliquando atringere tanquam principium proximum productionem accidentis. in hac concluſione non exiſtimo eſſe inter D.Thomam & Scotum controuerſiam.

*Eius probatio.* Probatur concluſio clare ex dictis ſupra; quia ſubſtantia aquæ, verbi graria, eſt cauſa frigiditatis quæ in ipſa eſt, dum ad priſtinum ſtatum poſt calefactionem ſe reducit. præterea, ſubſtantia agit, & conſequenter cauſa eſt actionis, eo modo quo cauſam habere poteſt; actio autem eſt accidens.

IV. *2. concluſio.* Dico ſecundò, accidens poſſe eſſe principium principale, & ſimul proximum, accidentis. eſt Scoti, & ſectatorum, contra D.Thomam.

*Eiuſdem probatio.* Probatur. nam quando ignis calefacir, verbi gratia, ( & idem eſt de aliis accidentibus ſimilibus ) calor non eſt inſtrumenrum calefactionis, ſed principalis cauſa & ratio agendi; quia id quod propria ſua virtute poteſt aliquid efficere, non eſt cauſa inſtrumentaria, reſpectu illius effectus, ſed principalis. ſed calor propria ſua virtute poteſt calefacere, & calorem gignere. ergo, &c. minor probatur; quià calor non minus calefacit ſeparatus à ſubſtantia, quam ſi ſubſtantiæ inhæreret, vt patet in ſancta Euchariſtia; neque magis agit in aqua, vel ferro, quam in igne, imo porius celerius & vehementius. qod ſignum eſt, ignem, cui calor maxime connaturalis eſt, non concurrere ad actionem caloris. ſi enim concurrerer, melius concurreret quam reliquæ formæ. quod experientia falſum eſſe deprehendimus.

Confirmarur; quia non poteſt aſſignari cuius formæ ſubſtantialis calor ſit inſtrumentum. nam vel eſt aliquarum formarum, vel alicuius determinatæ. neutrum dici poteſt. nam non primum; quia multæ ſunt formæ ſubſtantiales, quibus valde repugnat calor. neque ſecundum;

hoc enim pugnat cum eo quod diximus, videlicet non minus agere calorem in aqua & ferro, quam in igne.

Confirmatur denique; quia calor ignis & calor ſolis ſunt eiuſdem ſpeciei. ſed calor productus à ſole, producit vt cauſa principalis. ergo & calor ignis. Minor probatur; quia non poteſt aſſignari cuius ſit inſtrumentum calor productus à ſole in aëre vel terra. non enim poteſt dici inſtrumentum ignis, cum neque ſit in igne, neque ab igne ſit productus. neque eſt inſtrumentum ſolis; demus enim ſolem eſſe in alio hemiſphærio, & in hoc noſtro nihil agere. Idem argumentum poteſt fieri de calore producto per motum, attritionem, &c.

Objicies primò. accidens, quidquid eſt, adæquatè eſt alterius, nimirum ſubſtantiæ; eſt enim entis ens. ergo quidquid facit, facit vt aliquid alterius, & vt entis ens. ergo illud aliud erit cauſa principalis, cui debebitur actio. V. *Soluuntur obiecta aduerſariorum.*

Reſpondeo diſtinguendo conſequens. facit vt aliquid alterius, id eſt, vt inſtrumentum alterius, nego conſequentiam; id eſt, vt accidens alterius, concedo conſequentiam.

Objicies ſecundò. omne accidens eſt propter ſubſtantiam. ergo quidquid facit, facit propter illam. ergo illa erit cauſa principalis actionis.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens; ergo quidquid facit, facit propter illam tanquam cauſam efficientem principalem, nego conſequentiam; tanquam propter cauſam finalem, concedo conſequentiam. ſed hoc quid contra nos? aduerte ad ſolutionem aliorum argumentorum, aliud eſſe, accidens eſſe aliquid alterius, aliud, accidens eſſe inſtrumentum alterius; nam omnia accidentia, illa etiam quæ non ſunt actiua, verbi gratia quantitas, &c. ſunt aliquid alterius, quia de ratione accidentis eſt, quod ſit entis ens; & tamen non ſunt inſtrumentum alterius. aliud igitur eſt operari vt aliquid alterius quomodocumque, aliud vt inſtrumentum alterius.

# QVÆSTIO DECIMATERTIA.

*In quo conſiſtat cauſalitas cauſæ finalis.*

Mirum eſt quanta ſit hac de re inter auctores ſententiarum varietas, ex ſumma ejus difficultate orta. aliqui, inter quos eſt Caietanus, ſentiunt cauſalitatem hanc ſciri non poſſe. Hi refelli non poſſunt, quia nihil dicunt quod refelli poſſit. Alij recentiores dicunt, cauſalitatem finis eſſe ipſam actionem Phyſicam agentis, quatenus ſit I. *Caietanus.*

gratia finis. Sed hæc ſententia falſa videtur. primò, quia ſic cauſa finalis moueret phyſicè, non metaphoricè, ejuſque motus phyſicus eſſet, non metaphoricus, contra Ariſtotelem & totam antiquitatem. Secundò. diuerſarum cauſarum diuerſa eſt cauſalitas. ſed cauſa efficiens, & finalis, ſunt diuerſæ cauſæ. ergo diuerſa eſt vtriuſque cauſalitas. Tertiò. ſæpe aliquid cauſat finaliter, & tamen non interuenit actio poſitiua & realis, quam aduerſarij volunt eſſe cauſalitatem cauſæ finalis. Ergo cauſalitas eius non conſiſtit in actione (quæ eſt cauſalitas cauſæ efficientis) prout fit gratia finis. antecedens probatur; quia quando aliquis quieſcit cauſa ſanitatis, verè interuenit cauſalitas cauſæ finalis, & tamen verè nihil poſitiuum operatur, nec vlla actio poſitiua interuenit eo modo quo volunt aduerſarij. vnde errant, quando dicunt eandem eſſe cauſalitatem cauſæ efficientis, & cauſæ finalis, quamuis diuerſa ratione. Quartò. multa non ſolum dependent à fine, vt ſunt eius effectus, quando fiunt, ſed etiam poſtquam facta ſunt. ergo &c. antecedens patet. multa accidentia, poſtquam facta ſunt, dependent à ſubſtantia, tanquam à fine. ergo, &c. Præterea, materia prima Ariſtotelica dependet à forma, tanquam à fine, & non per actionem per quam facta eſt. ergo, &c. hinc patet actionem non poſſe eſſe cauſalitatem cauſæ finalis. Et ſane cum Philoſophus 7. metaph. textu 23. vocet actiones & motus ad finem, effectus finis, & ratio idem ſuadeat, cum ſint propter finem, tanquam propter id cuius gratia, clarum eſt non poſſe eſſe cauſalitatem cauſæ finalis. hac ergo ſententia rejecta, aliiſque breuitatis cauſa prætermiſſis;

*Oſtenditur actionem non eſſe cauſalitatem cauſæ finalis.*

II. *Concluſio.*

Dicendum exiſtimo, duplicem eſſe diſtinguendam in fine cauſalitatem; vnam reſpectu agentis, alteram reſpectu mediorum. & cauſalitatem eius, reſpectu agentis, eſſe eiuſdem bonitatem, prout ab ea mouetur actu agens ad agendum; cauſalitatem vero reſpectu mediorum, eſſe illis bonitatem & appetibilitatem tribuere. Duæ itaque ſunt inadæquatæ cauſalitates cauſæ finalis; vna reſpectu agentis, alia reſpectu mediorum, quæ vnam adæquatam conſtituunt.

*Eiuſdem probatio.*

Probatur, & explicatur concluſio, quo ad vtramque partem. & primo quidem quod attinet ad primam, id eſt, quod cauſalitas eius, reſpectu agentis, ſit eius bonitas, prout ab ea mouetur actu agens ad agendum, facile probatur & explicatur; quia Ariſtoteles 1. de generat. textu 55. Auicenna 6. metaph. tract. 5. cap. 5. Albertus 5. metaph. tract. 1. capite 3. & omnes antiqui fatentur cauſalitatem finis conſiſtere in motione metaphorica; ſed hæc motio metaphorica non poteſt conſiſtere niſi in tractu, ſecundum quem aliquis dicitur trahi ab alio, in quantum tenetur deſiderio illius, & bonitas eius mouet actu ad agendum. ad quod intelligendum, nota duplicem eſſe motionem; vnam propriam, quæ eſt actio qua agens aliquid influit in effectum; & in

*Ariſtoteles. Auicenna. Albertus.*

hac

hac non poſſe conſiſtere finis cauſalitatem probatum eſt. alteram improprìam & metaphoricam, quæ eſt (vt diximus) veluti tractus quidam, ſecundum quem dicitur aliquis trahi ab alio inquantum tenetur deſiderio illius. & in hac conſiſtit eius cauſalitas. vnde Ariſtoteles 1. de generat. textu 55. citato, ait ſanitatem, quæ eſt finis curationis, impropriè mouere medicum ad curationem adhibendam, & 2. Phyſicorum definit finem *eſſe id cuius gratia aliquid fit*. at hoc nihil aliud eſt quam mouere agens; nihil enim aliud eſt dicere ago propter illud, quam, illud mouet me ad agendum. at vero non mouet efficienter, vt probatum eſt. ergo metaphoricè tantum, modo explicato; id eſt, injiciendo ſui amorem & deſiderium, quo perinde agens mouetur, ac ſi impelleretur extrinſecus; ideoque in exprimenda eius cauſalitate additur *Metaphoricè*. quod ad ſecundam partem attinet, nempe quod alia eius cauſalitas ſit cauſare bonitatem & appetibilitatem in mediis, facile conſtat; quia cauſat proculdubio bonitatem & appetibilitatem in illis. ergo, &c. Verum hæc finis cauſalitas reſpectu mediorum, non eſt primaria eius cauſalitas, ſed tantum ſecundaria. ex eo enim quod agens appetit finem, aſſumit illa media, eaque appetit, quamuis ſuapte natura non ſint appetenda; cujuſmodi eſt amara potio. Concludo ergo, duplicem eſſe finis cauſalitatem modo explicato, & vtramque ſignificaſſe Philoſophum, dum poſt traditam definitionem finis, in qua prior & primaria cauſalitas continetur, ait; Omnia quæ ſunt inter agens & finem media, fieri ejuſdem finis gratia.

# QVÆSTIO DECIMAQVARTA.

*A quo moueantur proiecta.*

AD intelligentiam propoſitæ quæſtionis, ſuppono cum Ariſtotele 8. phyſ. text. 82. projectorum nomine appellari quæcumque mouentur extrinſeca vi pulſa. quamuis autem ſoleat dici motum projectorum eſſe motum violentum, non ita tamen accipiendum eſt, vt non poſſit eſſe projectio etiam ad locum naturalem alicuius corporis, exempli cauſa, lapidis deorſum. nam, vt bene Ariſtoteles 4 phyſ. text. 10. etiam cum motus, qui alias fuiſſet naturalis, fit ab expellente, velocitas major quam ſit illa quæ naturaliter in iiſdem circumſtantiis in eodem motu fieret, dicitur projectio. ex quo patet, motum projectorum dici motum cauſatum ab expellente præter naturam, ſiue ſecundum ſubſtantiam, ſiue ſecundum modum. ſuppono ſecundò, non eſſe quæſtionem de cauſa remota, & principali, ac prima I.

V

motus huiuſmodi. certum enim eſt eſſe primum expellentem; vnde & 7.phyſ.text.10.& 8.phyſ.text.82.& 3. cæli tex.29.is qui primum expulit projectum, dicitur eſſe is qui mouit. is vero qui mouit & cauſa efficiens, apud Ariſtotelem idem ſunt. imò & 8.Phyſ.text.82. dicitur primum mouens. quæſtio ergo eſt de cauſa immediata; ita vt quęratur, poſtquam ſaxum, exempli cauſa, non amplius tangitur manu projicientis, à quo moueatur immediatè? non enim ab ipſo projiciente, vt patet; quia amplius non tangit mobile. ergo non mouet; nam mouens immediatum, localiter debet eſſe ſimul cum moto, ſeu illud tangere. quæ quidem quęſtio celeberrima eſt inrer Philoſophos.

II. *Prima ſententia.* Prima ſententia eſt quorumdam recentiorum, qui dicunt motum producere motum, & illum qui eſt in prima parte aëris producere illum qui acquiritur in ſecunda, & ſic deinceps.

*Reiicitur dicta ſententia.* Sed hæc ſententia refellitur. primò, quia experientia patet motum localem non producere motum localem; vt cum quis aperta manu defert huc illuc lapidem; non enim cernitur motus receptus in manu, impellere ipſam manum ad nouum motum. ſecundò, quia motus localis eſt ens ſucceſſiuum, in quo non eſt vna pars ſimul cum alia, ſed ſemper vna ſuccedit alteri, & dum incipit ſecunda corrupta eſt prima. quomodo ergo ſecunda producitur à prima, quæ non eſt? nihil enim effectiuè dat eſſe alteri, niſi exiſtat. alia argumenta contra hanc ſententiam facile vnicuique occurrent.

III. *Secunda ſententia.* Secunda ſententia eſt aliorum quorumdam recentiorum, qui dicunt motum proiectorum fieri à propria virtute motiua ipſius projecti, quæ extrinſecè determinatur à projiciente, vt in illam partem potius moueatur, quam in aliam. volūt enim grauitatem & leuitatem non habere ex ſe determinationem ad motum potius in hanc quam in illam partem, ſed vel determinari naturalirer ab ipſa forma cui ſunt debitæ, & ſic efficere motum naturalem in eam partem ad quam inclinat forma; vel violenter ab extrinſeco, vt à projiciente, & ſic efficere motum violentum, in quācumque partem ab illo determinetur.

*Reiicitur etiam dicta ſententia.* Sed nec hæc ſententia probabilis mihi videtur. primò, quia qualitates naturales ſunt per ſe & natura ſua determinatæ ad vnum, neque poſſunt ab extrinſeco determinari ad diuerſum effectum producendum, vt patet in calore, qui nunquam poreſt producere frigus. ſecundò, quia ſi ita dicatur, tolletur diſtinctio inter grauitatem & leuitatem; imo & via inueſtigandi diuerſa, & non modo qualitates motiuas, ſed & potentias productiuas, cum eadem qualitas poſſit accipere quamlibet determinationem. rertiò, quia falſum eſt has qualitates, quando non determinantur ab extrinſeco, efficere motum naturalem. nam in vapore eſt leuitas, non ab extrinſeco determinata, vt patet; quia manet quoad iterum denſetur aqua, & tamen non efficit in

illo naturalem motum m. quartò, per quid agens extrinſecum determinat has qualitates? producendone aliquid in illis, an non? ſi primum, rectius ponerent qualitatem diſtinctam, vt nonnulli faciunt, præſerſertim cum iiſdem vrgeantur argumentis quibus illi. ſi ſecundum, quomodo qualitas motiua determinatur à nihilo? aut quomodo manens omnino idem, non facit ſemper idem, vt docet Ariſtoteles 2. de generat. text. 56. quintò, quia qualitas motiua ſæpiſſime eadem eſt, & medium idem, & tamen projecta non ſemper eadem celeritate mouentur. quare non habent motum à propria qualitate motiua. Neque fundamentum illorum validum eſt, vt ex dicendis manifeſtum erit. fundamentum enim illorum eſt, quia non poteſt aſſignari alia cauſa. hoc enim falſum eſſe ſtatim oſtendemus.

IV.

*Tertia ſententia. Capreoli. Soti. Cardani. Suarii. Conimbricēſium. Toleti. Rubii. Baranzani, &c.*

Tertia ſententia eſt, cauſam immediatam motus eſſe qualitatem, & virtutem quandam motiuam, genitam in mobili, ſeu mobili impreſſam ab ipſo projiciente; quamuis adiuuet etiam aër. & hoc tantum dicunt velle Ariſtotelem locis citandis, vbi ait aërem & medium eſſe cauſam motus projectorum. dum enim, inquiunt, projicitur ſaxum, producitur à projiciente virtus huiuſmodi in ipſo ſaxo, quæ, ſicuti grauitas deorſum, aut leuitas ſurſum, ita ipſa in eam moueat partem, in quam à projiciente dirigitur. ita D. Thomas de potentia quæſt. 3. attic. 11. ad quintum, & alibi; Capreolus in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 3. Sotus, & alij Thomiſtæ. præterea Scaliger exercitatione 28. Cardanus lib. 2. de ſubtilitate; Suarius diſp. 21. Metaphyſ. ſect. 3. Conimbricenſes 6. Phyſ. cap. 2. quæſt. 1. Toletus 8. Phyſ. cap. 9. ad textum 86. dubitatione hac de re, Rubius, Baranzanus, & alij. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia niſi huiuſmodi virtus ponatur, non ſaluantur multæ experientiæ. nam projecta cum receſſerunt à projiciente, vel mouentur à ſeipſis, vel à nullo, vel à medio, vel à virtute impreſſa. ſi dicas vltimum, habetur intentum. primum autem dici non poteſt; quia mouere ſeipſum non eſſet proprium animantium, quod tamen ipſi contendunt ſenſiſſe Ariſtotelem; & quia in ſe non habent per quod moueantur, neque formam, neque inſtrumentū formæ, vt patet in lapide qui projicitur ſurſum. neque ſecundum; quia quicquid mouetur, ab aliquo mouetur, neque motus in lapide qui poreſt intelligi, aut eſſe, ſine mouente. nec denique tertium, videlicet à medio, propter argumenta infra afferenda.

*Reiicitur multipliciter.*

Sed nec hæc ſententia mihi probatur. & primo quidē ex triplici capite. primò, quia non poreſt explicari quomodo iſta virtus producatur. ſecundò, non poteſt explicari cuius ſit naturæ. tertiò, neque quomodo corrumpatur. primum probatur. primò; quia vel iſta virtus impreſſa producitur cum motu, vel ſine motu. non ſecundum, vt experientia conſtat; alioqui quæ cauſa eſt, cur, cum exporrecta manu li-

brum teneo, non imprimam iſtam virtutem, & aufugiat? aût cur corpora quæ ſe inuicem tangunt, hanc virtutem in ſe mutuo non producant? dicet fortaſſe aliquis, neceſſariam eſſe grauitatem, ſeu conatum vnius corporis in aliud.

Sed contra eſt; quia grauitatio quando non eſt coniuncta cum motu, nihil eſt aliud quam virtus motiua, quæ deſcenderet, ac moueret ſubiectum, niſi impediretur; quæ ſicut nihil addit virtuti motiuæ, ita non poteſt facere vt producat entitatem virtutis impreſſæ, quam per ſe producere non poteſt. ſecundò; quia ſi ſuſtineretur manibus lignum hinc inde, & ſupra ligum grauitaret magnum pondus plumbi, deinde in eodem inſtanti remoueatur plumbum, & deferatur, lignum non velocius mouebitur, quam ſi antea non grauitaſſet plumbum ſupra lignum. nullam ergo virtutem impreſſit grauitatio plumbi. neque producitur iſta virtus impreſſa cum motu. primò, quia cum motus non ſit cauſa producens, vt infra probabo, ſcire cuperem ab aduerſariis quid iuuet ad productionem iſtius virtutis. ſecundò, quia quando defertur res vna manu, & mouetur manus & quod eſt in manu, neque tamen imprimitur virtus. Idem accidit, ſi impellatur manu aliquid, vel quod ipſa ſuſtineat, vel quod ſuſtineatur ſiue in tabula, ſiue appenſum in aëre. neque dicas, non eſſe magnum motum; nam etiamſi veloci motu impellatur ſupra tabulam, ita vt ſemper manus comitetur, neque etiam imprimetur ipſa virtus. tertiò, quia ſæpe imprimitur ipſa virtus (ſi ab illa mouentur projecta) ſine motu projicientis; vt patet in pila quæ reſilit à pauimento vel pariete; neque enim aut pauimentum mouet aut paries.

*Reſponſio aduerſariorum.* Dices, ſatis eſſe motum ipſius projecti.

*Refellitur.* Sed contra; nam quid iuuat virtutem productiuam parietis? item ſi ſatis eſt motus projecti, quando aliquid prolabitur ſupra pauimentum, imprimetur virtus continuo. quare nunquam abſoluetur motus. item, ſi aſcendendo contingat parietem; & tamen contactus ille cernitur impedire. imo etiam in aëre produceretur ſemper noua virtus, quando per illum mouentur projecta. quare nunquam eſſet finis motus, ſicut neque producendi nouam virtutem. confirmatur. nam ſæpe accidit vt ſi pila quæ projecta eſt, incidat, dum lentè mouetur & paulatim deſcendit, in ſaxum aliquod quod decliue jaceat, ita vt dum tangitur pila prolabi poſſit, multo longius excurret. neque explicari poteſt quo modo vel ſine motu lapidis, vel cum exiguo motu pilæ projectæ, tanta virtus producatur, vt intermortuus pilæ motus iterum exſuſcitetur. quartò, quia ſi cum motu projicitur, vel cum majori motu producitur major virtus, vel non. ſi ſecundum; ergo tantumdem virtutis producitur quando lento brachio aliquid jacitur, ac quando magno conatu. ſi primum; quomodo igitur tantum

indice & pollice compreſſus nucleus tanto impetu extruditur? & magis ſi cum quadam arte, & ſi nucleus humidus ſit. item, quia videmus quoſdam minori conatu, ſed majore quadam arte res longiſſime projicere. confirmatur in luſu pilæ majoris, ſeu follis; conſtat enim exiguo brachij motu, præſertim ſi quadam arte fiat, follem longiſſime projici. quintò, quia ſiue cum motu, ſiue ſine motu hæc virtus producatur, antequam corpora producant in alio, debent producere in ſeipſis. ratio eſt manifeſta; quia ſunt ſubjectum æque capax, ſi fiat per motum; & ſi fiat illa virtus ſine motu, multo magis ſunt. vltimò, conſtitutum in actu vt producere poſſint, & agens, eſt æquiuocum, quod etiam poteſt agere in ſeipſum. quod ſi ita eſt, ſequitur aliud abſurdum, nunquam videlicet finiri motum projectorum; quoniam ſemper creſceret illorum virtus vna cum motu. contrarium vero patet experientiis.

Secundum argumentum contra productionem qualitatis impreſſæ eſt; quia, vel producitur illa virtus ſucceſſiue, vel in inſtanti. non ſucceſſiue; tum quia, vt ipſi dicunt, non habet contrarium, & ſi haberet, expelleret, quare non poſſet eſſe cum virtute motiua naturali, contra experientiam; tum quia mobile, cum eſt coniunctum cum projciente, nunquam habet illam virtutem, vt patet, cum exporrecta manu huc illuc mouetur velociter etiam ſuſtentatus lapis, & ſi antequam è manu expellatur prohiberetur ſolum expulſio, non retineret illam virtutem impreſſam. confirmatur; quia ſi quis magno cum conatu impellat ſaxum, & antequam emittat, retineat parum, non amplius mouebitur, nec longè recedet.

Dices requiri expulſionem. *Aduerſariorum reſponſio.*

Sed contra primò. quęro enim quid ſit expulſio in mouente, pręter motum? an etiam quod retrahat ſe? id vero non poteſt vllo modo augere virtutem. deinde, expulſio eſtne in inſtanti, an in tempore? duo autem ſunt rempora; alterum cum mobile eſt coniunctum cum projiciente; alterum quando ſeparatum. ſed neque dum coniunctum eſt, neque dum ſeparatum eſt, eſt expulſum. ſi autem expulſio dicatur impulſus ille, ex quo ſequitur vt mobile extra moueatur, ſupra probatum eſt in impulſu non produci illam virtutem. ſi in inſtanti, ſequitur verum eſſe ſecundum membrum diuiſionis argumenti, hanc nempe virtutem introduci in inſtanti. at contra hoc eſt primò; quia vel in eo inſtanti projectum eſt coniunctum cum mouente, vel non. ſi ſecundum, non poteſt quicquam producere in illo. ſi primum, ergo nondum eſt expulſio, ſed ſi quæ eſt actio, erit impulſus. ſed, quod magis eſt, in eo inſtanti nullus eſt motus. ergo hæc virtus non producitur cum motu. Dices fuiſſe. ſed quid prodeſt fuiſſe, ſi non eſt, aut quam vim habet ad præſens id quod fuit & non remanet? aut cur non *Reiicitur.*

in aliis inſtantibus prioribus iſta virtus producta eſt? confirmatur; quia ſi in eo inſtanti occurreret aliquid aliud, & tangeretur ita vt manus non vlterius truderet, ſicut non trudit mobile quod ejicit, nullam imprimeret in eo virtutem. cur igitur impimit in iſto? hæc autem omnia, vt infra conſtabit, facile ſoluuntur in aëre.

Sunt qui dicant, produci hanc virtutem ſucceſſiuè. Verum hi etiam impugnantur; quia nulla videtur aſſignari poſſe ſufficiens ratio huius ſucceſſionis. omnia enim quæ ſucceſſiuè producuntur, vel ideo producuntur ſucceſſiuè, quia habent contrarium reſiſtens quod expelli debet; vel quia producuntur poſt productionem formæ habentis contrarium quæ ſit diſpoſitio; vel denique quia producuntur ex ſucceſſiua applicatione agentis ad paſſum. at nihil horum aſſignari poteſt in virtute impreſſa. ergo, &c. Minor (de qua ſolum poteſt eſſe difficultas) patet. & primo quidem quo ad primam partem; quia clarum eſt virtutem impreſſam nullum habere contrarium in ſubiecto in quo primo recipitur. quoad ſecundam partem, etiam patet; quia ante productionem qualitatis impreſſæ, nulla introducitur diſpoſitio ſucceſſiuè; niſi forte dicatur introduci ipſe motus localis. hoc autem dici non poteſt; quia quotieſcumque aliquid producitur per motum, ita ſe habet, vt per primam partem motus, vel poſt primam partem, producatur prima illius pars, & poſt ſecundam ſecunda, quod non ſit in virtute impreſſa, vt clare examinanti patebit. Quoad tertiam, etiam patet, quia manus projicientis non eſt magis applicata projecto in vna parte motus quam in alia.

Tertium argumentum contra idem caput eſt; quia vel hæc virtus producitur à motu, vel ab aliquo alio. quidam dicunt à motu. ſed contra hos eſt; quia motus localis non eſt productiuus vllius qualitatis aut entitatis abſolutæ, vt diximus ſuperius ex *Ariſtotele 8. Phyſ. tex. 59.* Secundò, quia ſi motus producit ſemper in projecto hanc virtutem, ſicut eſt nouus ſemper motus, ita noua ſemper eſſet virtus; quare nunquam ceſſaret motus. Tertiò, quia quando res mouetur, ſemper deberet producere, vel in ſe, vel in alio, iſtam virtutem. Quartò, quia vel producit motus projecti, & ita ſemper de nouo augebitur virtus in projecto, vel motus projicientis, & ita, cum pila reſilit à pauimento vel pariete ad quem fuit alliſa, non produceretur iſta virtus. alij dicunt produci à virtute motiua cuiuſque corporis. ſed contra eſt; quia virtus motiua non eſt productiua niſi motus & vbi, neque eſt ad aliud à natura conceſſa. Secundò; quia cœlum, ſecundum aduerſarios, non habet virtutem motiuam, & tamen imprimit hanc virtutem igni. Tertiò; ſi lapis in alio lapide (quando alium propellit) producit iſtam virtutem, ergo & in ſeipſo, vt argumentatur Ariſtoteles 1. de generat. text. 48. quod eſſe falſum ſatis patet experien-

Digitized by Google

tia. alij dicũt fieri à qualitate quadam communi omnibus corporibus. ſed contra hos eſt etiam; primò quidem, quia quid motus (ſi verum eſt quod dicunt) facit ad productionem qualitatis impreſſæ? ſi non facit ad eius productionem, quorſum requiritur ad motum projectorum? deinde, an non etiam illa virtus communis eſt conficta? certè rebus inferioribus nunquam aliud commune agnouerunt veteres, niſi materiam & quantitatem, quarum neutra propriè eſt productiua. quod ſi aliquid fingendum eſt, quare non dicimus in aëre, qui erat futurum medium ad maiorem partem motuum, poſitam eſſe à natura virtutem aliquam, qua projecta in omnem partem moueantur.

*Profligatur ulterius virtus impreſſa.*

Tranſeamus nunc ad ſecundum caput impugnationis huius ſententiæ; nempe non poſſe explicari cuius ſit naturæ hæc virtus impreſſa. probatur; nam vel virtus impreſſa, per quam mouetur projectum, eſt eiuſdem ſpeciei in omnibus projectis, vel diuerſæ. neutrum dici poteſt. ergo nulla eſt natura huius virtutis. maior patet. minor probatur; quia ſi eſt eiuſdem ſpeciei, difficile eſt explicare, quomodo vna virtus ex ſua natura moueat in vnam partem projectum, & alia natura ſua moueat in aliam partem. non enim dici poteſt virtutem impreſſam eſſe ex ſe indeterminatam ad mouendum projectum potius in hanc partem quam in aliam, & à projiciente ipſo determinari vt moueat in hanc & non in aliam; hoc, inquam, dici non poteſt, niſi in ipſa virtute ponatur recipi aliquid reale, per quod determinetur. ſi quidem intelligi non poteſt, vt id quod natura ſua eſt indifferens ad producendum effectum realem, fiat de nouo realiter determinatum ad illum, abſque eo quod ponatur aliquid reale determinans. neque dicas talem determinationem poni ab extrinſeco; quia tunc ſequeretur nullam eſſe rationem etiam cur non diceremus eodem modo poſſe determinari virtutes naturales. & ſic vera erit ſecunda ſententia, meo iudicio ab vniuerſa philoſophia aliena. ſi autem eſt diuerſæ ſpeciei, remanet explicandum vnde ſumat ſuam diuerſitatem ſpecificam. cum enim ſit virtus motiua, debet extrinſecè ſpecificari à termino, ſicut aliæ virtutes motiuæ. ex alio capite nullum habet terminum certum à natura conſtitutum, cum projectum poſſit à projiciente moueri ad quamcumque partem. vel ergo nullum habebit certum terminum à quo ſpecificetur, vel habebit non tot quin plures, eo quod non ſit maior ratio cur vna virtus accipiat ſpeciem ab vno termino, & alia accipiat ab alio parum à priore diſtante. atque ita tot erunt virtutes impreſſæ ſpecie diſtinctæ, quot in loco diuiſibili poſſunt aſſignari partes. non enim locus extrinſecus poteſt ſpecificare virtutem impreſſam, vt eſt locus ſurſum, vel deorſum, naturalis, vel violentus; cum talis conceptus præſcindat in ſuo naturali à loco, vt eſt naturalis corpori projecto.

Secundò. vel hæc virtus impreſſa eſt qualitas realis prima, vel ſecunda? non ſecunda; quia non ſequitur in ſubjecto ex primis. ergo prima. & quia eſt tangibilis, vt reliquæ qualitates motiuæ, falſum erit quatuor tantum eſſe qualitates tangibiles.

Tertiò. iſta qualitas nulli eſt naturalis, vt fatentur aduerſarij. quomodo igitur audent propemodum nouum monſtrum in naturam inuehere?

Quartò. hæc virtus impreſſa non diſtinguitur à virtute motiua naturali. ergo, &c. Antecedens probatur; quia quando lapis impellitur deorſum, virtus quæ per aduerſarios illi imprimitur, nihil habet per quod diſtinguatur à grauitate naturali illius lapidis. ſi enim à lapide auferretur grauitas per diuinam potentiam, & conſeruaretur prædicta virtus, præſtaret eundem effectum quem præſtat grauitas. neque valet dicere quod diſtinguatur à grauitate; quia eſt à diuerſa cauſa efficiente. cauſa enim efficiens non ingreditur efficientiam rei, & poteſt effectus eſſentialiter idem produci à cauſis efficientibus eſſentialiter diuerſis. neque etiam ſufficit ad illarum diſtinctionem eſſentialem, quod virtus impreſſa moueat celerius quam moueat grauitas. nam præter quam quod poſſet ita attemperari impulſus, vt ſublata ab aliquo lapide grauitate virtus impreſſa illum moueat quantum moueret grauitas, magis & minus non faciunt differentiam eſſentialem. nam alioqui maior & minor grauitas in duobus lapidibus, eſſentialiter different. ex hoc capite conſtat, hanc virtutem impreſſam non diſtingui à virtute motiua naturali. ex alio capite, certum eſt diſtingui, etiam fatentibus aduerſariis; & facile ex dictis probatur. ergo eſt diuerſæ naturæ à virtute motiua naturali. ergo vlterius ſimul eſt eiuſdem naturæ ac diuerſæ. quod implicat.

Vrgeamus iam tertium caput impugnationis virtutis impreſſæ, videlicet de corruptione. & quidem quæro, vtrum hæc qualitas ſucceſſiuè corrumpatur, an in inſtanti?

Dicent ſucceſſiuè. ſed contra; quia ſi quis apprælhendat projectum in eo inſtanti in quo conſiſtit, ceſſat tota virtus. dicunt eſſe conditionem ipſius vt conſeruetur cum motu. præclarum fulcimentum ruinoſæ ſententiæ. ſed quid cauſæ eſt, vt etiam ſi moueatur proiectum, interdum maior virtus diutius duret, quam minor? vt patet in trocho, & aliis, quæ diu mouentur in gyrum, ſi vel leuiter impellantur, non ita quæ mouentur motu recto, etiam ſi maiori virtute. tertiò. quomodo fit vt etiam in motu recto, citius in vno extinguatur hujuſmodi virtus, quam in alio? vt in grauioribus, quam in leuioribus? & in aqua citius, quam in aëre? an in illis, quia non habent maius contrarium? ergo habent contrarium, quod ipſi negant. in aqua vero, quia magis reſiſtit? à reſiſtentia ergo corrumpitur.

Quarta

Quarta ſententia cauſam huius motus immediatam ait eſſe medium per quod fertur projectum, ſiue illud ſit aër, ſiue aqua; quanquam, quia notiores ſunt proiectorum motus qui per aërem fiunt, abſolute ipſius aëris fiat mentio, dum de hoc medio ſermo eſt. ita expreſsè D. Thomas 3. cœli lect. 7. & 8. vbi diſertiſſimis verbis negat imprimi in projecto lapide virtutem aliquam per quam moueatur. additque probationes duas; *Et quia motus violentus eſſet à principio intrinſeco, quod eſt contra rationem motus violenti; & quia ſequitur, quando aliquid violenter mouetur localiter, alterari, quod eſt contra ſenſum.* deinde explicat modum quo ab aëre mouetur; & ait projicientem non ſolum imprimere lapidi motum quamdiu ipſum tangit, ſed quia aër facilius mouetur quam lapis, & quia eſt ſubtilior, & quia eſt leuis, velocius mouetur quodammodo ab impulſu motoris, quam lapis. vnde ceſſante eo qui proiecit, aër commotus vlterius propellit lapidem, & ſimul coniunctum aërem, qui etiam commotus, pari modo promouet lapidem, vt Ariſtoteles 8. Phyſ. docet, & nos infra pluribus explicabimus. ac tandem concludit, hinc fieri vt proiectum moueri poſſit, etiam ſi projiciens non amplius tangat; & ſecundò, niſi eſſet aër, non fore violentum; & tertiò, aërem non ſolum eſſe inſtrumentum propter bene eſſe & adiuuans in motu violento proiectorum, ſed neceſſarium. idem docet 8. Phyſ. in text. 82. vbi explicat quomodo ceſſet motus proiectorum; quia videlicet prima pars aëris mouentis maiorem vim habet ad mouendum, & proiectum, & aërem vicinum, quam ſecunda, & ſecunda maiorem quam tertia, & ſic deinceps; donec tandem ceſſet motus in aere. eandem ſententiam diſertis verbis docet Scotus 8. Phyſic. explicans illa verba Ariſtotelis, *Neceſſe autem, &c.* eandem etiam indicat 4. Phyſ. quæſt. 9. eandem etiam tenent & explicant Auerroës 8. Phyſ. text. 82. & 3. cœli text. 28. 4. Phyſ. & alibi, vbicumque ſe offert occaſio, Themiſtius 8. Phyſ. & alibi, Simplicius 4. Phyſ. commento 58. & 5. Phyſ. commento 105. ex recentioribus eandem ſequuntur Pererius lib. 14. cap. 4. Franc. Bonamicus in lib. de motu, Hieronymus Borrius in tractatu de motu grauium & leuium, Contarenus tractatu de elementis, Fracaſtorius lib. de ſympathia & antipathia cap. 4. Zabarella lib. 1. de motu grauium & leuium cap. 16. Dandinus lib. 2. de anima digreſſ. 11. Vicomercatus, & alij; quanquam non omnes eodem modo explicent. communiter tamen explicari ſolet vt explicat D. Thomas, & nos infra cum hac ſententia.

*Quarta ſententia, medium eſſe cauſam motus proiectorum.* — *D. Thomas.* — *Scotus.* — *Auerroës.* — *Themiſtius.* — *Simplicius.* — *Zabarella.* — *Bonamicus.* — *Borrius.* — *Fracaſtorius.* — *Contarenus.* — *Vicomercatus.* — *Dandinus.*

Dicendum eſt motum proiectorum fieri non ab aliqua qualitate impreſſa, ſed à medio. VI. *Sentẽtia auctoris*

Probatur; primò auctoritate Ariſtotelis 8. Phyſ. text. 82. 3. de cœlo text. 28. libro de ſomniis cap. 2. ſect. 11. problematum problemate 6. *Prima probatio.*

in mechanicis quæſt.33.quibus omnibus in locis cauſam proiectorum tribuit ſoli medio. nec valet reſponſio Conimbricenſium, Ariſtotelem locutum ex ſententia celebriore ſua ætate. nam ita erat celebris tempore Ariſtotelis ſententia quæ ait proiecta moueri à medio, vt ne mentio quidem eſſet virtutis impreſſæ. loquitur ergo Ariſtoteles ſecundum probatam ſententiam; nam ſemper omnem quæſtionem de proiectis ſoluit per aerem. melior ergo eſt alia reſponſio eorumdem Conimbricenſium, & magis ingenua, qua fatentur Ariſtotelem in noſtra fuiſſe ſententia. nec melior eſt fuga Rubij, Ariſtotelem duo poſuiſſe principia motus proiectorum; aliud intrinſecum & occultum, nempe virtutem impreſſam; aliud extrinſecum & notius, ipſum nempe medium; Ariſtotelem autem de virtute impreſſa, tanquam de re nota, locutum non fuiſſe, ſed reliquiſſe eam vt notam. adeò enim nota non erat Ariſtotelis tempore virtus impreſſa, vt nemo plane eius meminerit; ſed alij antiperiſtaſi proiectorum motum tribuerint, vt Ariſtoteles refert 4.Phyſ.text.68.& 8.Phyſ.text. 82. alij aeri, vt ipſe. nec denique melior eſt ſolutio Soti, Ariſtotelem ſuppoſuiſſe dari virtutem impreſſam, quæ ſit inſtrumentum actiuum proiectorum, ſicut ſupponit grauia & leuia habere grauitatem & leuitatem, quæ ſint inſtrumenta actiua generantis ad motus ſuos. vnde enim Sotus collegit ab Ariſtotele ſupponi dari inſtrumentum intrinſecum actiuum proiectionis in proiecto? nam quod ſupponat grauitatem & leuitatem in elementis, habemus ex pluribus eius locis, quibus expreſſè grauitatis meminit & leuitatis.

*Reiiciuntur Conimbricenſes.* *Reiicitur Rubius.* *Confutatur Sotus.*

*Probatio 2.* Probatur ſecundò; quia poſita noſtra ſententia rectè, intelligitur qua ratione verum ſit illud quod habetur apud Ariſtotelem 8.Phyſ. text.82. motum proiecti non eſſe vnum numero, aut continuum, ſed eſſe multos motus ſibi inuicem contiguos, ex quibus vna pars aeris propellat proiectum, reducendo ſe ad priſtinam raritatem, deinde idem faciat alia, & alia; quod non poteſt explicari in contraria ſententia. ergo, &c.

*Probatio 3.* Probatur tertiò. experientiæ plures repugnant virtuti impreſſæ. ergo illa eſt fictitia. ſi enim in quibuſdam caſibus oſtendamus non eſſe neceſſariam, fictitia erit in omni caſu. antecedens probatur experientiis ſequentibus. prima quotidiana in campanis. attollatur enim campana ab eo qui eius manubrium fune trahit, deinde relinquatur, non modo ſuo pondere deorſum ad perpendiculum redibit, ſed deinde ſponte ſua ex altera parte iterum eleuabitur. in quo motu totali duos motus partiales diſtingue; alterum deorſum ad perpendiculum; alterum ſurſum à perpendiculo. caſu hoc poſito, ſic argumentor. motus à perpendiculo ſurſum, non poteſt eſſe à virtute impreſſa. ergo aliquis motus proiecti non eſt à virtute impreſſa. antecedens probatur.

virtus, ſi imprimitur, vel imprimitur à tollente, vel ab aëre. non primum; nemo enim imprimit virtutem per ſolam derelictionem rei ſuæ naturæ in aëre. neque ſecundum; quia virtus hæc imprimitur per motum in eam partem in quam mobile mouetur. prius ergo aer mouit campanam ſurſum, quam virtutem imprimeret. ergo mota eſt campana aliquando ab aere moto, ſine huiuſmodi virtute. ergo & ſemper. eadem eſt ratio de rota aliqua duobus ſuſtentata polis, qualis eſt rota cultros acuentium. ab aliquo enim mota, in fine motus mouetur in contrarias partes. at hoc non poteſt referri niſi in aerem, vt patet.

Reſpondent aduerſarij; & quidem ad primam, dicunt aerem campanæ virtutem imprimere per motum, qui ſimul ſit cum motu campanæ verſus illam partem, non qui anteceſſerit. idem dicunt ad ſecundam experientiam allatam de rota, quod ſi rota recidat deinde in contrarium, tribuendum inæqualitati ponderis partium. *Aduerſariorum reſponſio.*

Sed contra eſt; quia, etiam ſi aer imprimat virtutem per motum, qui ſimul ſit cum motu ipſius aeris, ſic argumentor. motus aeris, quo campanæ imprimitur virtus, non eſt motus ſolius aeris, ſed aeris ſimul & campanæ. ſed hic motus eſt independenter à virtute impreſſa. ergo motus aliquis campanæ ſurſum eſt independenter à virtute impreſſa. major probatur, tum exemplo aliorum proiectorum, tum ratione. exemplo; quia motus manus, quo lapidi imprimitur virtus, non eſt motus ſolius manus, ſed & ipſius lapidis manu præhenſi. item, motus nerui arcus, aut pulueris tormentarij, quibus imprimitur virtus, ſagittæ ab arcu, globo à tormento, non ſunt motus ſolius mouentis, ſed etiam mobilis, quod projiciendum eſt. ratione vero, quia ex ſolo alieno motu nihil intelligitur mutari in ſe, vel aliter ſe habere. ergo neque proiectum. ergo ſi virtutem non habeat impreſſam ſibi ante motum projicientis, neque poſt. minor probatur manifeſtè. non eſt hic motus à virtute impreſſa, vt à cauſa. ergo independenter ab illa. antecedens patet; quia potius hic motus eſt cauſa virtutis impreſſæ, & inſtrumentum. ergo non poteſt eſſe ab illa; dependeret enim ab illa ſimul vt à cauſa & inſtrumento; quare eſſent ſibi inuicem cauſæ in eodem genere cauſæ; quod ab aduerſariis non conceditur. confirmatur, & explicatur. non poteſt quicquam imprimere virtutem proiecto per motum, niſi poſſit illud idem proiectum mouere antequam illud relinquat, vt patet in proiectis notiſſimis; nemo enim poteſt projicere lapidem, niſi poſſit ipſum lapidem mouere antequam projiciat. ſed per aduerſarios poteſt aer ille imprimere campanæ, virtutem vt moueatur. ergo poteſt illam mouere antequam relinquat & projiciat. quod ſi ſemel cōcedatur de vna aeris parte, actū eſt de virtute impreſſa. nam idem dicam de parte ſequēte, ab ipſa ſcili- *Impugnatur.*

cet vehi, vel pelli proiectum, id eſt, trudi non relinquendo, & ſic de reliquis vſque ad finem motus. iam, ſi hæc experientia non recte ſaluatur, neque ſaluantur ſimiles, & inter cæteras, illa de rota cultellos acuentium. & idem dicendum eſt de pila decidente in pauimentum, & reſilienre; reſultantia enim illa non eſt à virtute impreſſa. ergo, &c. antecedens conſtat ex ſupra dictis. quod ſi dicas moueri à pauimento; contra eſt; quia non imprimitur virtus illa, niſi per motum pauimenti. pauimentum autem non mouetur. quod ſi dicas imprimi ab aëre, impugnatur ratione paulo ante propoſita.

Secunda experientia. pila bombardæ intra bombardam, cum initio exploditur, mouetur ſine virtute impreſſa. ergo, &c. antecedens probatur; quia recte & ſufficienter ſaluatur per ſolam rarefactionem pulueris pyrij, ſeu tormentarij, qui cum ignitur, facillime rareſit, ac proinde locum vult in quo erat globus ferreus; quare eum ejicit per ſolum motum quo locum illum occupat, ſicuti ſi quis continuo motu detruderet aſſeſſorem è ſuo loco, ſcamno, &c. in ea enim detruſione, quia non poſſunt duo corpora ſe penetrare, ſolum per acquiſitionem eius loci quem habebat aſſeſſor, pellitur aſſeſſor. idem dico de ſimilibus experientiis cuniculorum eodem puluere ſuccenſorum, quibus mœnia & integra propugnacula maximo impetu dejiciuntur, de terræ motibus, de nubium ex fulmine ſciſſionibus; quæ omnia fiunt per ſolum motum impreſſum à rebus ſe celerrimè rarefacientibus, & conſequenter dum locum maiorem occupant, ex eodem pelluntur corpora quæ prius eundem locum occupabant, per ſolum impulſum & detruſionem.

*Reſponſio aduerſariorum.* Dices ab igne imprimi virtutem impreſſam.

*Confutatur.* Sed contra eſt; nam non ſatis eſt dicere ab igne bombardæ intra bombardam imprimi virtutem, ſed neceſſe eſt reſpondere oſtendenti non eſſe neceſſariam illam virtutem; nam ſic argumentor. poteſt rectiſſimè fieri ille motus intra bombardam ſine vlla virtute impreſſa. ergo virtus ab igne ibi non imprimitur. conſequentia eſt certa ex axiomate recepto, Non ſunt multiplicanda entia, &c. antecedens patet ex dictis. quod argumentum mihi videtur inſolubile.

Tertia. tremor ille rerum ſolidarum, hoc eſt arborum, in partes aduerſas, non poteſt ſaluari per virtutem impreſsam. ergo, &c. antecedens patet in motu tremoris in aliqua re ſolida, verbi gratia, in ramo arboris, ſemel impulſa & ſibi relicta; itemque in pede altero forcipis igniarij, quem vbi pepulimus, diu moueri videmus. hæc autem non poſſunt referri in virtutem impreſſam; nam non imprimitur à primo mouente. volo enim vt hic trahat ramum, exempli cauſa, deorſum, deinde permittat ſuæ naturæ; in quo caſu perinde ſe habet ac trahens campanam. quare idem hic fit argumentum. idem

dicendum de pede forcipis igniarij. Quarta eſt de ligneis tubis, quos pueri duobus ex vtroque extremo occluſos paruis globulis explodunt, hac ratione, vt ex altero capite ligneum paxillum immittant, eoque detrudant primum globum; eo enim vſque ad certum ſpatium promoto, antequam pertingat ad ſecundum, magno fragore ſecundus proſilit, & magno impetu. in quo caſu manifeſtè patet ab aëre nimium conſtipato raritatem connaturalem quærente violenter detrudi globum. neque dubito quin ſi ſolidiori materia ſimile quid fieret ſclopi in morem, magna vi explodi poſſent globi etiam lethales ſolo aere. quod factum iam eſſe teſtatur Florentius Riuallius lib. 4. Elemẽtorum initio; cuius ſclopi figuram refert & artificium. Quinta eſt in cucurbitulis medicis; in iis enim aer ab igne incluſo nimium rarefactus carnem ſurſum attrahit, vt poſſit ſe minori loco concludere dum denſatur, & ſi id non poſſit, cucurbitulas vi diſrumpit.

Multa alia adjici poſſent argumenta, tum à ratione, tum ab experientiis ducta; verum hæc ſufficient. Iam vt obiectionibus aduerſariorum occurramus, duo nobis facienda ſunt. primò quidem, occurrendum eſt quibuſdam dubitationibus, quæ mentem ab hac noſtra ſententia reuocare ſolent. ſecundò, declarandus eſt modus quo projecta ab aere mouentur. quod ad primam attinet,

Dubium primum eſt, non poſſe in aëre tantam eſſe vim ad mouenda proiecta, præcipue quando paulo maiora ſunt. verum ſi quis diligentius aduertat, quanta ſit vis aeris commoti, & rarefactionis ad efficiendum motum, hanc dubitationem facile deponet. quam enim ob cauſam contremiſcunt turres & domus tonitru quod fit in nubibus, niſi ex commotione aeris? hoc idem accidit in exploſione bombardarum, præſertim in vicinis locis. nulla enim alia eſt cauſa, niſi aeris commotio. item, quanam alia cauſa fiunt maximi terræ motus, quibus eruuntur ac transferuntur ingentes interdum campi, ipſæque vrbes interdum totæ concutiuntur, jactantur, deturbantur, dehiſcitque horribili hiatu tellus, niſi vi rarefactionis aeris, & exhalationum? ventorum vis maxima, ſiue ad diruenda ædificia, ſiue ad confringendas vel eradicandas arbores, ex eadem rarefactione oritur, ſiue aeris, ſiue exhalationis in nubibus. fulmina vnde tantam accipiunt vim, niſi ex eadem rarefactione? bombardæ quomodo tanto impetu extrudunt globos ferreos, niſi propter rarefactionem? neque dicant, in his imprimi virtutem qua deferuntur. nam ſi rarefactio imprimit virtutem, multo magis mouere poterit; cum impreſſio virtutis maiorem quendam impetum requirat, quam ſimplex motus, aut delatio proiecti. vnde quædam nos attollere & mouere poſſumus, non tamen projicere. quod ſi hæc referunt ad rarefactionem aliarum rerum, non aeris, primò, perſimilis ratio eſt. ſecundò, in ventis, præſertim VI.

qui non prodeunt è nubibus, in nullam fere aliam cauſam referri poſſunt, niſi in aerem; & ventis tamen impelluntur maxima nauigia celerrimo motu. ſed ad alia, quæ noſtris oculis quotidie expoſita ſunt, veniamus. primò. globus aliquis, ſiue ligneus ſiue lapideus, deſcendit naturaliter deorſum, & incidit in pauimentum marmoreum, ac reſultat, vt ſupra diximus, magno impetu. jam motus ille reflexus non poteſt tribui niſi aeri, vt ſupra probatum eſt. ergo ab aere poſſunt deferri proiecta. ſecundò. celeritas motus naturalis quem habent grauia ab aere, multo maior eſt quam motus quem habent à naturali virtute. ſed virtus naturalis, ſi ſola daretur, poſſet mouere, etiam ſi non iuuaretur ab aere, vt patet in initio motus, & in aqua, in qua vix iuuatur mobile deſcendens per illam. ergo & aer, ſi ſolus eſſet, poſſet mouere. maior probatur ex ſenſibus, auribus nimirum, oculis, tactu. ſibilus enim aeris magnus in fine motus, nullus initio, indicat multo maiorem eſſe celeritatem. & ipſi oculi fidem faciunt, ac multo magis tactus. ictum enim lapidis è proximo deſcendentis vix ſuſtinemus, certe non lædimur; at ictum eiuſdem ruentis ex altiori loco, non ſuſtinemus. maior autem ille tactus non eſt propter lapidis innatam grauitatem, quæ eadem eſt. ergo propter velociorem motum, & impulſum intrinſecum aeris. quare, quæ proportio eſt ictus ad ictum, ea eſt velocitatis ad velocitatem. ſed ictus ruentis ex alto longè excedit ictum cadentis è proximo. ergo, &c. tertiò. ſi lapis ſit ſuſpenſus è lacunari, & deinde verſus vnam partem, aut parietem, attollatur, tum liberè ſine vllo impetu addito demittatur, feretur vſque ad alterum parietem, vel à virtute naturali, vel ab aere. nam aliud nullum eſt quod mouere poſſit. non à virtute naturali, quæ non mouet niſi deorſum. quare cum lapis tantummodo ad medium vſque moueatur deorſum, cum incipit recedere à medio, & mouetur ſurſum, ab eo loco vſque ad alterum parietem feretur à ſolo aere. aer igitur ſolus poteſt mouere proiecta. creſcit autem admiratio in re tam certa, eò magis, quo lapis ipſe fuerit maior. ſit exemplum in malleo campanæ, cuius pondus eſt ducentarum aut trecentarum librarum, & plurium; & multo magis in ipſa campana 10000. aut plurium ſæpe librarum, quæ tamen dum pulſatur, & ad vnam partem attollitur, redit ad contrariam ſine vllo extrinſeco impetu, ſolum ab aere. iam quis exiſtimaret tantum ponderis, in quo attollendo, etiamſi ſuſpenſum, plures deſudant, poſſe à ſolo aere in contrariam partem propelli? & tamen, velint nolint aduerſarij, hoc neceſſario fatendum eſt. ex quo aliud quoque non leue ſumitur argumentum, vt ſupra dictum eſt, contra virtutem impreſſam. nam ſi tantam, tam exiguo ſpatio poteſt aer imprimere virtutem, ſi præterea in proiectis eſſet virtus impreſſa à projiciente, nunquam proiectum deſineret moueri; quia non tan-

tum virtutis corrumperetur in proiecto, quantum reſtauraretur ab aere. patet itaque poſſe aerem mouere proiecta.

Dubium ſecundum, quod etiam primo aſpectu reddit quibuſdam hanc noſtram opinionem minus probabilem, eſt, quod non videtur proiectum ab aere poſſe ſuſtentari. ſed animaduertere debent primò, aerem non facile ſcindi. patet ex eo, quod grauia aliquandiu ſuſtententur ab aere, antequam perueniant ad terram; & Mathematici demonſtrant, ſi è ſummo cœlo (ſupponunt enim plures dari) demittatur ſaxum tanta celeritate, quanta fertur ſagitta, centum circiter annos in eo ſpatio conficiendo conſumpturum. quod cum valeat ad oſtendendam immenſam altitudinem primi cœli, multum etiam facit ad oſtendendam difficultatem qua aer ſcinditur. nam ſublata hac reſiſtentia, multo citius ferretur deorſum. confirmatur ex experientia eorum qui ex alto deſiliunt, vt qui ex malo nauium in mare ſe dejiciunt; nam hi, niſi crura vehementer conſtringant, ab ipſo aere, qui ſe non patitur ſcindi, diuaricatis cruribus propè diſcerpuntur. hoc primum. ſecundò, impeditur deſcenſus lapidis duplici de cauſa. primò, impetu lapidis qui ſurſum fertur, & impellit proiectum. ſecundò, quia dum deberet ſcindere vnam partem aeris, præuenitur ab alia parte, à tergo, à lateribus; hæc enim ſuperueniens mobili, non permittit ſcindere priorem, ſed compellit vlterius ſcindere aerem. exemplum ſit in lapidibus, qui à torrentibus feruntur, & ſuſtinentur ſumma aqua, vt ego non in vno tantum aduerti, non ſolum cum ex alto præcipitantur, ſed cum poſtea excurrunt in planiriem. VIII.

Dubium tertium. qua ratione à nobis impetus ille aeris, quo vehitur proiectum, non ſentiatur, ſi eiuſmodi eſt, vt per eum deferatur proiectum? Verum reſpondeo primò, ſentiri, ſicut ſentitur cum velocitate motum naturalem; & hoc ſatis eſt. ſecundo ſentitur, quando nonnulli interficiuntur tãtum quod ante eos tranſeat globus à bombarda exploſus, & ſecum deferens aërem. confirmatur ex ſibilo qui auditur in proiectis, qui non eſt ſine magna aeris commotione. tertiò ſentitur, vt in manu velociter commota in aëre, & in brachio quod ſuo pondere permittitur deſcendere; cuius tamen celeritas vehementer mouetur ab aere. quartò, non eſt neceſſe tantopere ſentiri, quia aer non tam mouet mobile compreſſione & inæquali impulſu, quam quod comitetur ipſum mobile, & ſecum vehat. & partes quæ à tergo promouent, magnopere id faciunt, promouendo aerem à lateribus, à quo propellitur mobile. & quemadmodum qui fertur naui, non ſentit motum deferentis nauis; ſic mobile. & quemadmodum ſi quis alio transferretur ab ingenti vento, non idcirco neceſſario ſentiret nouos ac nouos impulſus, ſed ſucceſſiuam quandam æqualemque promotionem; ita neque cum quid fertur ab aere. & ſine dubio IX.

magis ſentitur in campanarum turri ventus, quam commotio aeris, quæſita motu ipſius; neque tamen campanæ mouentur à vento, ſed ab aere, vt ſupra dictum eſt, cum ſublatæ in vnam partem deſcendant, & iterum ad contrariam partem aſcendant. exemplum etiam afferri poteſt in aere commoto ab exploſione bombardæ, vel tonitru nubium, à quo quatiuntur parietes & turres ſolidæ, nec tamen nos ſentimus tãtum impetũ aeris. exemplum aliud eſt in cubiculo, in quo cum non ſunt aliæ rimæ, per quas aer ingredi & egredi poſſit, ſi aperiatur velociter feneſtra è regione ianuæ, ſtatim ianua commouetur, quanta quanta eſt, & ſæpe clauditur aeris impetu; & ſi claudatur feneſtra illa, iterum aperitur, vt tantumdem aeris ingrediatur, quantum occluſione feneſtræ ejicitur. & tamẽ ſi quis in medio cubiculo ſit, non ſentiet eam aeris commotionem. neque enim aer vbique vim facit, ſed vbi multis partibus ſimulac vnitis impellit. ſic autem impellit mobile. ſic aër commotus tonitru fulminis vel bombardæ, parietes, non vero nos. quare? tum quod ſucceſſiuè & æquabiliter quaſi defert mobile, non neceſſe eſt adeo ſentiri aerem; tum quod non ita nos vnitè, atque tam multis partibus ſimul impellit, atque ipſum mobile.

X. Dubium quartum. ſi aer poteſt, quare ventus, vel à latere, vel à fronte præcurrens, non mouet, vel impedit motum proiecti?

Reſpondeo, ventum, niſi magnus ſit, non mouere proiectum quieſcens; quia difficilius mouetur quod eſt in quiete, quam quod eſt in motu; & difficilius impellitur, cum conſiſtit in proprio loco, quam cum eſt extra proprium locum. vtrumque oſtendit experientia, primum etiam docet Ariſtoteles in quæſtionibus mechanicis. quando vero inuenit iam motum, interdum agit proiectum tranſuerſum, neque permittit recta deſcendere, prout maior vel minor fuerit. interdum repellit ipſum mobile, ſed raro efficit tantum, quantum aër cum quo motum eſt à projiciente; quia neque ita æquabiliter commouet, neque adeo adhæreſcit mobili, neque ſimul omnes partes proiecti ſuo motu comprehendit ac pellit. quæ omnia mirificè iuuant motum. id autem habet aër, qui à projiciente applicatus eſt mobili; vna enim eius pars alteram iuuat, & quia applicatæ omnes atque vnitæ mobili ſimul pellunt, facilius promouent. vt cum plures ferunt vnum onus, ſi pari gradu ac proportionato moueantur, facile ferunt, ſin minus, difficulter; & nunc trahat vnus, mox alius, non plures ſimul, quia ſinguli per ſe non poſſunt, nullus feret. at, inquies, in contrariam partem fertur ventus, quare non remouet aërem illum? Reſpondeo nihil mirum eſſe; nam & aqua, licet in vnam partem feratur, tamen ſi quid in illam incidat, vel etiam exigua ſtilla, ſtatim contra omnem aquæ motum, efficit ſuos circulos in omnem partem. experientia in aëre ſit, in vehementi depreſſione protenſæ manus; nam

nam etiam ﬂante vento ſentitur aër deorſum impulſus. confirmatur in velocitate maiori quam habent grauia in naturali motu, etiamſi aër aliò impellatur à vento. quia ergo plures motus in contrarias partes in rebus fluidis non ſe impediunt, ideo etiam ﬂante vento aliquo, adhuc poteſt ab aëre illo adhæreſcente atque applicato proferri mobile contra ventum; quanquam aliquantulum ſine dubio retardatur.

Solutis præcedentibus dubitationibus, quæ aliquorum interdum perturbant mentem, ac ne veritatem noſtræ ac Ariſtotelicæ ſententiæ perſpiciant impediunt; ſupereſt nunc vt breuiter exponamus, quomodo à medio cauſetur proiectorum motus.

Notandum eſt vera eſſe quæ ab Ariſtotele dicuntur 3. cœli tex. 28. & ab eius interpretibus Sancto Thoma, Auerroë, Simplicio, Themiſtio, & Alexandro apud Simplicium, tum 3. de cœlo loco citato, tum 3. Phyſ. text. 82. aërem eſſe inſtrumentum ad omnem motum (quod etiam ex parte conuenit aquæ, ex Ariſtotele ibidem) & eum eſſe à natura factum, vt in omnem partem facile moueatur. quod ei conuenit, tum quia habet mediam virtutem motiuam; vnde Ariſtoteles, *natus eſt*, inquit, *hic grauis eſſe & leuis, & eam quæ ſurſum eſt lationem facere quatenus leuis eſt, cum pulſus fuerit & ſumpſerit principium ab ipſa potentia*, hoc eſt ab extrinſeco mouente; *eam vero quæ deorſum, efficiet quatenus grauis eſt*; tum quia eſt rarus ac fluidus, quamobrem facile diuiditur, comprimitur, rareſcit, &c. verum, vt notant Simplicius & Auerroës, ea differentia eſt inter fluida, & ea quæ habent conſiſtentiam partium, ac certum & proprium terminum, quod hæc, mota vna parte, ſimul moueantur reliquis, vt ſi trahitur aut impellitur prima pars ligni, neceſſariò impelluntur & trahuntur ceteræ, at illa, pulſa vna parte, non ſimul omnes partes mouentur, ſed vna poſt aliam, vt manifeſtum eſt in aqua. quamobrem cum ſemel acceperunt motum & impetum à mouente, non ſtatim eo quieſcente quieſcunt, ſed proſequuntur motum diutius vel minus diu, prout motus in prima parte impreſſus à primo mouente fuerit maior vel minor. aër enim à proiiciente motus, mouet eum qui deinceps, & hic impulſus, alium conſequenter, donec impulſio ſucceſſiua ſenſim deficiat, ac tandem omnino deſinat motus. fit autem hoc, vt Auerroës ait, quoniam partes aëris, cum per impulſum mouentur, conſtringuntur ac denſantur, vt in aqua cernitur, deinde vero dilatantur iterum & rareſcunt; quod cum faciunt, mouent quæ deinceps ſunt partes, & conſtringunt, & ſic illæ alias. ſed quia in hoc aër facit aliquã reſiſtentiam, idcirco paulatim deficit impulſus, donec tandem ceſſet. quod Ariſtoteles explicauit 8. Phyſicorum text. 62. dicens aërem, aquam, & huiuſmodi alia, apta eſſe moueri & mouere, & tunc ceſſare à motu, quando ad aliquam partem ventum fuerit, quæ tantum XI.

moueatur, ſed non poſſit aliam mouere. atque hinc eſt, vt in aqua & aëre ſimul eſſe poſſint contrarij motus; ſimul enim à contrariis partibus fieri poteſt conſtrictio illa & dilatatio, neque vna alteram magnopere impedit, vt experientia in aqua clarum eſt.

Notandum ſecundò, ex hoc nos habere vnam cauſam motus proiectorum, cum receſſerunt à projiciente; nam motus ille aëris ſucceſſiuus impellit projectum, & prima pars trudit illud ac ſecundam partem aeris, quam ſimul cum proiecto impellit, ſecunda tertiam, & ſic deinceps, donec tum à partibus aëris (quæ aliquam faciunt reſiſtentiam, vt diximus) tum à proiecto motus atque impulſus aëris impeditus, tandem in aëre, ac paulo etiam citius in projecto, quod non à quacumque aeris impulſione mouetur, deficiat. ſed alia præterea cauſa eſt proiectorum motus, videlicet rarefactio aeris compreſſi & ſciſſi à proiecto. aer enim ſicut ſucceſſiue pertranſitur à projecto, & deſeritur locus quem proiectum occupauit, ita ſe ſucceſſiuè à tergo rarefacit, & proiectum impellit. qui impulſus cum vehemens ſit, præſertim ſucceſſiue applicatus mobili, multum facit ad illius motum; vt accidit in motu naturali, & maxime quando illud iam inuenit motum, & extra locum, quo tempore proiecta vel leui impetu multum promouentur, vt ex Ariſtotele & experientia diximus. deinde quia iam aer commotus eſt verſus eandem partem à projiciente, facile viam aperit ipſi proiecto, vt ſcindere poſſit, ac progredi in motu. quare impulſus ſe rarefacientis aeris magis illum poteſt promouere. quia etiam hæc aeris rarefactio non ſolum impellit proiectum, ſed & aerem qui eſt à lateribus eiuſdem. quo fit, vt motus ille quem initio acceperat à primo propellente, non ſtatim deſinat in aere, ſed diutius conſeruetur, ac propellat proiectum. his cauſis adde concurſum aëris ad replendum vacuum, qui non poteſt niſi iuuare motum proiecti, vt nonnulli ab eo fieri putauerint acceſſionem velocitatis in motu naturali. Sed quomodo, inquies, initio motus proiectorum minor eſt, maior poſt initium, nullus in fine? Reſpondeo, initio quidem, quando proiectum receſſit à projiciente, eſſe minorem; tum quia aer magis perturbatè fertur, non adeò vnitè, vt etiam ij qui ponunt virtutem impreſſam fatentur, qui etiam celeritatem hanc motus maiorem attribuunt aeri; tum quia nondum iuuatur à rarefactione, aut potius exiguè, & concurſu multarum partium aeris. paucæ enim partes poſt illud rareſiunt, ſicut paucas partes eſt prætergreſſum. contra vero poſt initium, neque adeo perturbatus eſt aer, & rarefactio, & concurſus plurium partium aeris, celerius impellit proiectum, quoad ſumma fiat velocitas quæ fieri poteſt. ſed cum longius progrediendo deficiat motus aeris à projiciente impreſſus, tum ex ſe, tum propter reſiſtentiam proiecti, & ante proiectum denſetur aër, nec

adeo moueatur verſus eandem partem, reſiſtit magis ſciſſioni, neque tam multæ partes rarefiunt poſt mobile, quoniam non tam multæ prætereuntur à mobili, paulatim deficit, donec tandem deſinat omnino. quod etiam explicuit Ariſtoteles, tum 8. illo Phyſ. tum in quæſt. Mechanicis quæſt. 33. vbi quærit, *Cur quippiam feratur latione non ſibi propria, non conſequente impulſore?* & reſpondet, quoniam primum efficit vt alterum impellat, illudque rurſus vt alterum; ceſſat autem, quando non poteſt amplius facere primum impellens vt id quod fertur impellat, & quando ipſa mobilis grauitas nutu ſuo declinat magis, quam impellentis vis ante ſe pellentis. ſunt qui negent in medio proiectorum motum eſſe velociorem quam in principio. de quo aliquid dicetur in ſolutione argumentorum. certe, paulo poſt initium eſſe majorem, deducitur ex eo quod ictus ſagittarum, ſcloporum, & bombardarum, grauiores ſint in certa quadam diſtantia, quam ſtatim poſt miſſionem. his hoc pacto explicaris,

Obijcies primò. ſi aer contra mobile quod quieſcit impellatur quacumque ratione, nunquam tamen fit motus ille qui fit cum projicitur. ergo motus proiecti non eſt ab aere, ſed à virtute impreſſa, quæ in illo à projiciente relinquitur. XII. *Aduerſariorum fundamenta proponuntur, & diluuntur.*

Reſpondeo, diuerſas eſſe cauſas. primò, quia difficilius eſt mouere quod quieſcit, præſertim in loco naturali, quam quod mouetur. vt enim rectè docet Ariſtoteles quæſt. 31. Mechanic. quæ ſunt in motu, facilius feruntur motu eiuſdem rationis, & velocius, quam ſi quieſcerent. nam ſicut difficillimum eſt mouere id quod contrario motu cietur, ita difficilius eſt mouere id quod quieſcit. ſua enim quiete magis reſiſtit, quam quod fertur ſimili motu. facit enim aliquid ſimile ei quod facit impellens, ita quodammodo auget potentiam illius. &, vt Ariſtoteles ait quæſt. 11. earumdem mecha. ſimilis eſt cauſa cur funda longius jaciat miſſilia, quam manus ſine funda. in funda enim, prius commouetur id quod jacitur (rotatur enim funda) & facilius eſt mouere lapidem iam motum, quam quieſcentem. addi poteſt alia cauſa, majori velocitate emitti lapidem è funda, quam ſola manu; tum quod in illa rotatione velocitatur motus à duabus cauſis, à manu & ab aëre, vt in motu naturali grauium, à virtute naturali & ab aëre (quod autem velocius mouetur à projiciente dum eſt conjunctum cum illo, etiam velocius mouetur in aëre, majori vi à projiciente commoto) tum etiam, quia, vt in mechanicis ſæpe docet Ariſtoteles, in circulo partes quo magis diſtant à centro, eò velocius mouentur. æquali enim tempore conficiunt majorem orbem, quam conficiant quæ ſunt viciniores. centrum autem in proiectione per fundam, eſt brachium, pars extrema maximè remota à centro, locus fundæ in quo continetur projectum. quare dum funda attollitur à

brachio, velocius illa mouetur quam manus, & conſequenter longius facit projectum quam manus. ſed ad propoſitum. cauſa igitur vna eſt; quia difficilius eſt mouere quod quieſcit, quam quod mouetur. ſecunda; quia neque ita vniformiter, neque ita multæ aeris partes, neque tam bene applicantur projecto per extrinſecum motum aëris, ſicut cum ipſum projectum ſimul commouetur cum aëre à quo debet deferri. imò neque rarefactio aëris compreſſi ita ſucceſſiuè & vniformiter illud impellit. quare mirum non eſt ſi ab illo aëre non deferatur.

Objicies ſecundò. non poteſt explicari quomodo projectum moueatur contra magnum ventum. ergo, &c.

Reſpondeo, ſupra eſſe explicatum. nam motus plures verſus contrarias partes poſſunt eſſe in aëre, vt diximus; & vehementior eſt commotio aëris, & impulſus quem accipit projectum ab aëre vniformiter applicato, quam à vento, licet ventus majorem commotionem faciat extenſiuè, & minus vniformem.

Objicies tertiò. ſicut aër à tergo projecti, dum rareſcit, illud impellit, ita antecedens, dum denſatur, impedit. quare non major erit impulſus aëris rarefacientis, quam reſiſtentia condenſantis.

Reſpondeo, contrarium cerni apertè in motu naturali. plus enim juuat rarefactio aëris, quam impediat condenſatio. confirmatur. quia ſola prima pars aëris, ſeu aquæ, commota ab extrinſeco mouente, immediate ab illo impellitur, deinde reliquæ à conſtrictione illa ac denſatione primæ, dum ſe rarefacit. Certum eſt autem condenſationem primæ citò ac facile fuiſſe factam à manu, & vis illius rarefactionis durat in reliquis partibus toto tempore quo mouetur aër vel aqua. his adde, quod aër initio in anteriorem partem commotus à projiciente, ſternit projecto viam, & facilem parat aditum ad nouam diuiſionem aëris iam commoti.

Objicies quartò. velocius eo impulſu deberet moueri pluma quam lapis; minus enim reſiſtit motui aëris. & tamen experientia eſt contraria. ergo, &c.

Reſpondeo, argumentum magis facere contra aduerſarios, qui ponunt projecta moueri à virtute impreſſa. quæro enim ab illis, quam ob cauſam in pluma non poſſit imprimi virtus impreſſa? à nobis facilè ſoluitur, ſi dicamus cauſam eſſe, quia pluma non poteſt ſcindere medium, ſed cedit aëri; vnde non longe defertur. item, quia cedit, non impellit aërem, ut cogat illum denſari, & deinde rarefieri; quod requiritur ad motum. debet ergo eſſe aliquid paulo durius quod jacitur, non, vt pluma, leuiſſimum. neque dicas ſatis eſſe ſi aër rarefiat à projiciente. ſi enim corpus quod projicere volumus tenue eſt, ſolum prima pars aëris rareſit à projiciente, ſed non ſequentes. imò quia

perturbatur aër initio, & aliquæ partes in diuerſa feruntur,non omnes vniformiter, ſæpe fit vt pluma modo retro, modo in aliam partem à quacumque aëris particula commoueatur. addam ad hoc quæſtionem 54. Ariſtotelis in mechanicis, vbi quærit, cur quæ valde exigua ſunt, nequeant longe projici, ſicut neque etiam valde magna; cum tamen exigua habeant minorem reſiſtentiam. & reſpondet; id quod debet moueri, neceſſarium eſſe vt ſimul cedat mouenti,& ſimul contrarietur. valde autem magna non cedunt, valde parua non contrariantur. ideo neutra longe mouentur. item, quia tantum fertur id quod mouetur, quantum medij mouetur. quare quæ moueri non poſſunt, vt valde magna, neque etiam poſſunt mouere medium. at verò valde parua, ſicut non poſſunt ſcindere medium, ita neque longe projici.

Objicies quintò. ſi chorda vehementer tenſa magno impetu percutiatur, diu tremit. hoc non poteſt eſſe, niſi quia virtus impreſſa diu duret. ergo, &c.

Reſpondeo. neque ſi velim poſſum intelligere quomodo virtus in vnam partem impreſſa, poſſit modò contra illam, modò ab illa toties ſurſum deorſum mouere chordam illam. quare ſimili argumento ſupra vſi ſumus contra ipſos aduerſarios. nos verò facile dicimus eſſe in illa chorda duplicem motum. vnum à protenſione chordæ, cum chorda redit ad ſtatum in quo anteà quieſcebat, & poſt quieſcit. alterum ab aëre, cum ab illo ſtatu recedit, ſiue verſus vnam partem, ſiue verſus aliam. ceſſat autem, quia aër ipſe reſiſtente chorda, ne ab eo ſtatu in quo quieſcere debet remoueatur, paulatim amittit ad mouendum vires, donec tandem in nullam partem moueat chordam.

Objicies ſextò. ſi proiecta mouentur ab aëre, ſagittæ, quo ſunt craſſiores, velocius mitterentur, quia magis impellerentur; & tamen minores velocius mouentur. ſecundò. haſta acuta in poſtrema parte, non minus mouetur quam lata. at ſi moueretur ab aëre, deberet velocius moueri lata, quia magis impellitur. tertiò. pila longius truditur reticulo, quam tabula. ſi autem ſit motus ab aëre, contra eſſet; nam plus aëris commouetur tabula, quam reticulo perforato. quartò. folles longiſſimè projiciuntur leui motu brachij, quo non multum aëris commouetur.

Reſpondeo ad primum. quò ſunt craſſiores ſagittæ, eò difficilius impelluntur, & difficilius propter craſſitiem ſcindunt aërem. quare non mirum eſt ſi non tam velociter feruntur. at ſubtiles magnum habent acumen, quo ſcindunt facile aërem. ad ſecundum reſpondeo. ſi lata haſta magis impellitur ab aëre, plus aëris debet ſcindere. compenſatur ergo, neque multo velocior ſit motus. & quis quæſo hæc poteſt tam accuratè metiri? quomodo enim dignoſces vtrum æqua-

lem motum impreſſeris, &c. demum idem accidit in his, quoad velocitatem & tarditatem, cæteris paribus, quod accideret ſi naturali motu mouerentur deorſum. quæ enim velocius deorſum feruntur, eadem quoque, propter eaſdem cauſas, ex Ariſtotele 8. Phyſ. text. 82. cum projiciuntur, velocius mouentur. ad tertium, reſpondeo cauſam eſſe, quia reticulum, dum pila occurrente comprimitur, à ſtatu ſuo naturali remouetur, & deinde ſtatim magno impetu redit; vnde aërem vna cum pila velociſſimè mouet. non ita tabula, quæ ſua latitudine & grauitate neque tam facile mouetur, & magis perturbat aërem, quam velocius commotum applicet proiecto. ad quartum, tum folles, cùm motu brachij, & rarefactione aëris ad brachium compreſſi, tum quod ipſi ad brachialis pugillatorij proëminentes & faſtigiatas tuberculos ſeu nodos compreſſi vehementer, dum ad priorem tumorem redeunt, magna velocitate reſiliunt, & commouent ac denſant verſus anteriorem partem aërem, idcirco tam longè mittuntur. & hoc etiam modo pilæ ad terram alliſæ tam altè reſiliunt.

Objicies ſeptimò. ſit phiala vitrea aquæ plena ferme vſque ad collum. deinde agitetur aqua cum ipſa phiala in gyrum. poſtea quieſcente phiala pergit conuolui aqua; nec tamen ab aëre, qui vix in ſumma aqua exiguus eſt. ergo à virtute impreſſa.

Reſpondeo, aquam non neceſſariò debere moueri ab aëre, ſed ſemel accepto impetu, ſicut aeris vna pars mouet aliam ſucceſſiuè, ſic & aquæ vna pars mouet aliam, ſiue propter aliquam compreſſionem & rarefactionem, ſiue etiam propter vndationes aquæ, in qua vna pars commota attollitur ſupra aliam, quæ non permittit ſe ſtatim cum prima impelli, & deinde reſiliens pellit partem aquæ vlteriorem; vt in vndis accidit, quæ tolluntur in altum, & decidentes faciunt aliam vndam vſque ad littus, vbi franguntur. in phiala igitur vitrea, cum aqua conuoluitur, omnes ſimul aquæ partes acquirunt impetum, & vnaquæque aliam priorem impellit, ſicut in motu recto; hac tamen meliori conditione ad motum, quod quia circulus in ſe redit, partes ſe mutuo impellunt, imò eadem pars eſt cauſa noui motus in ſeipſa. quare vnaquæque adiuta, tum ab impulſu aliarum, tum etiam à proprio, qui tandem redit ad eandem partem vnde manauit, diu retinet motum. ceſſat autem, propter reſiſtentiam quam facit vna pars alteri dum impellitur, & quia tota aqua quieſcere vult vt antea in ampulla. falſum ergo quod ſupponit argumentum, aquam moueri ab illo exiguo aere; cum ipſa, ſicut aer, acceptum motum retineat, & imprimat ſequentibus partibus, vt dictum eſt. legatur Ariſtoteles problemate vltimo mechanic. vbi etiam affert cauſam cur grauia, quæ in aqua in gyrum commota voluuntur, ſemper veniunt ad medium.

*Doctrina notāda.* Ad extremum addendum eſt, quod fortaſſe in hac diſputatione deſi-

derabatur, majorem velocitatem in vno motu quam in alio, ex triplici capite oriri. ex mouente, ex medio, & ipſo mobili. quatuor enim ſunt quæ concurrunt ad motum. tria hæc, & tempus; quod cum ſit quid extrinſecum, vt alibi dictum eſt, aut ſi intrinſecum eſt, non ſit effectiuum, non poteſt velocitare motum. quare ex illis ſolum tribus orietur major velocitas. & ex mouente quidem, ſiue quia majori virtute aut conatu impellat mobile, ſiue quia cum eandem habeat virtutem ſeu conatum, magis tamen illum applicat, propterea quod diuerſo modo ſe habeat ad mobile; quomodo eadem vis per vectem attollet ac mouebit maximum pondus, quod ſine vecte attollere non poſſet. qua de re Ariſtoteles in mechanicis, vbi ait; Quoniam partes, quò remotiores ſunt à centro, velociores mouentur, fit vt quò mouens à remotiore parte impellit, id quod in mobili habet locum centri, eò etiam facilius & magis mouere; vt patet in vecte, qui quo eſt longior, eo facilius per illum mouetur pondus. ex quo ipſe ſoluit plurima problemata mechanica. medium autem poteſt eſſe cauſa velocitatis tripliciter. primò, propter tenuitatem, & raritatem; nam quæ ſunt craſſa, magis reſiſtunt, & difficilius à mobili diuiduntur. ſic in aëre facilius res mouentur, quam in aqua, & in aqua tenuiore magis, quam in craſſiore. vnde in mari quædam non merguntur, quæ merguntur in aquis dulcibus. ſecundò, medium poteſt eſſe cauſa majoris velocitatis propter motum; ſi enim habet ſecundum, facilius in illo fertur mobile, quam ſi habet motum contrarium, vel ſi quieſcat, vt ſupra dicebamus ex Ariſtotele. tertiò, propter magnitudinem; quo enim eſt profundius, magis reſiſtit. vnde in aquis profundioribus ſuſtinentur quædam pondera, quæ non ſuſtinentur in minus profundis. at mobile cauſa eſt velocitatis majoris, vel propter minorem reſiſtentiam in ordine ad mouens, vel propter majorem, vt ex dictis patet. vel ſecundò, propter maiorem minoremvè proportionem in ordine ad medium quod ſcindit; quomodo valde leuia non valde mouentur in aëre, quia nutant, neque poſſunt comprimere & ſcindere; vt etiam accidit in aqua, in qua naues melius feruntur grauatæ ſaburra. vel tertiò, propter figuram; quomodo acuta facilius mouentur quam lata, tam naturali motu quam violento, quia facilius ſcindunt medium. quam ob cauſam interdum fit, vt ea quæ alioqui deſcenderent in aqua, propter latitudinem ſupernatent, ex Ariſtotele 4. cœli text. 42. & cauſa eſt, quia lata multum aquæ compræhendunt, quare difficile poſſunt eam ſuperare, & deſcendere. contra verò, quæ non habent tantam latitudinem, compræhendunt exiguam, & facile ſcindunt. inter figuras autem, ad velocitatem maxime facit ſphærica, vt docet Ariſtoteleles quæſt. 5. Mechanic. vel quartò, quia mobile iam moueatur verſus illam partem, ad quam impellitur à mouente, vt

conſtat ex ſupra dictis ex Ariſtotele quæſt.31. Mechanic. poſtremo loco, in hac quæſtione breuiter eſt explicandum quod docet Ariſtoteles 2. cœli text. 35. motum rectum non eſſe regularem & æquabilem, ſed habere remiſſionem & intenſionem, & in naturalibus velociorem eſſe in fine quam in principio, in violentis velociorem eſſe in principio, in proiectis ſummam eſſe velocitatem in medio. primum iam explicatum eſt. poſtrema duo habent difficultatem. violenta enim, & proiecta, eadem ſunt; quomodo ergo ea diſtinguit? aut quomodo dicit eſſe velociora in principio, & in medio? adde quod violenta mouentur velocius poſt initium, vt dictum eſt ſupra. quo ergo modo hæc vera ſunt? placet expoſitio Alexandri, Simplicij, Auerrois, Alberti, & aliorum, nomine proiecti intelligi animalium corpora, quæ dicuntur proiecta, eo quod moueantur ad latus, ſicut ea quæ projiciuntur. conſentit in hoc experientia, & ratio. animalia enim non ita velocius mouentur initio, quã in medio; in medio enim, cum calefit corpus, concurrunt plures ſpiritus, atque excitur animal magis ad motum, quam initio; vnde ſequitur motus velocior. in fine vero, conſumptis ſpiritibus ea longiori agitatione & reſiſtentia corporis animalis, defatigatur animal, & langueſcit, & motus eſt tardior. ſed quid de violentis? quomodo erunt initio velociora? reſpondeo, per initium, ſeu vnde, vt loquitur Ariſtoteles, non eſſe intelligendum ipſum initium primum, ſed paulo poſt initium, non longe ab initio; tunc enim motus violentus eſt velocior. in medio vero iam virtus langueſcit; nam impulſus aeris neque plures ſunt quam eſſent poſt initium, neque vnio partium aeris, & habilitas ad promouendnm, eſt maior. quamobrem reſiſtente grauitate mobilis, & deficiente impulſu illo, quem acceperat aer ad denſandum mobile, paulatim remittitur motus, ac tandem ceſſat.

Objicies octauò. trochus, dum circulariter voluitur, non poteſt moueri ab aëre. ergo à virtute impreſſa.

Reſpondeo negando antecedens. nam aër quantum ſatis eſt adhæreſcit trocho. patet in cœlo, quod cum ſit leuiſſimum & politum, rapit tamen ſuo motu, ſecundum aduerſarios, ſecum ignem. multò magis igitur trochus, qui non eſt ita leuis, neq; politus, & modo pellitur ab aere in vnam partem, modo in aliam. durat autem illius motus, tum ex parte aeris, tum ex parte trochi. ex parte aeris, qui ſicut aqua in gyrum voluitur, dum partes ſe mutuo impellunt, & velocius quam aqua, propter maiorem denſationem & rarefactionem quam patitur ab aere. ex parte trochi, qui exigua ſui parte tangit terram, quo fit vt non adeo ſuſtentetur ab aere, & impediatur illius motus, & facile ab aere poſſit impelli; ſicut res rotundæ facilius impelluntur propter figuram ſphæricam, quæ facilius voluitur. & licet aliqua pars
aeris

aeris flabello remoueatur à trocho, non tamen omnis. & qui manet circa trochum, propter impetum quem trochus antea acceperat, circumuoluit partes de nouo accedentes, donec tandem deſinat trochus moueri.

Objicies nonò. cum lapis manu projicitur, ſtatim atque à manu relictus eſt, vel mouetur ab aere qui fuit intra lapidem & manum (& hic adeo exiguus eſt vt non poſſit cauſare motum) aut ab illo qui ſcinditur. at quomodo poteſt aer ille ſtatim recurrere, & à tergo impellere mobile?

Reſpondeo, moueri ab eo, tum qui ſciſſus iam eſt, & rareſit poſt mobile, tum ab eo cui portandum mobile committitur. vtroque enim modo, vt diximus, aer concurrit ad motum; & præſertim initio concurrit ſecundo modo, cum rarefactio non eſt magna, hoc eſt, non multarum partium, & motus aeris commoti in anteriorem partem valde velox. & fortaſſe hanc ob cauſam, lapis qui ſummis digitis tenetur, longius jacitur quam qui tota manu, præcipue extenſa; citius enim ad illum mouendum concurrit aer per rarefactionem, quæ non ita impeditur, ſicut ab extenſa manu. poteſt etiam iuuati ab eo aere qui eſt intra manum & lapidem.

Objicies decimò. ſi contra jacientem ſagittam opponatur lignum aliquod in quo ſit exiguum foramen per quod tranſire poſſit ſagitta, quam citiſſimè per illud euolabit, & tamen non eſt probabile quod tunc moueatur ab aëre; ſiquidem ipſa pertranſit celerius foramen, quam aer ſubſequens, à quo, iuxta noſtram ſententiam, debet moueri. neque aer citra foramen exiſtens poteſt mouere aerem extra foramen, quia ipſius foraminis anguſtia impedit, cum præſertim à ſagitta occupetur. idem dicitur, ſi globus aut ſagitta emittatur per impetum ab ore impreſſum intra fiſtulam oblongam; in illa enim, quæ anguſtiſſima eſt, non poteſt exiguus aer ita denſari & rareſieri, vt projectum tam vehementer impellat.

Reſpondeo, quod ſagitta per illud foramen tranſiens nonnihil retardabitur, eo quod aer condenſetur circa foramen, & liberè tranſire non poſſit; verum aliquid ſemper aeris tranſit, & ille ſufficiens eſt ad ſagittam promouendam. quod ſi, dum ſagitta tranſit, nihil tranſeat aeris, dico quod vbi ſagitta tota erit intra foramen, vel motus ceſſabit, vel erit valde exiguus & breuis, eo quod partes aeris quæ poſt ipſam ingrediuntur, eam facile promouere non poſſint. ad illud de fiſtula, dico quod aer in ea incluſus poteſt melius globum impellere, quia à fiſtula impeditur ne poſſit rareſieri in alias partes diuerſas, atque idcirco ſolum recuperat ſuam raritatem verſus globum. neque attendendum eſt qualis ſit aer à quo proiectum dicitur moueri, ſed videndum eſt quantam denſitatem habeat præter naturam. ſi enim

habet magnam, magno impetu conatur recuperare ſuam taritatem; ſi paruam, illam recuperat lentè & remiſsè. ſic videmus exiguum puluerem intra bombardam, & paucas exhalationes intra nubem aut terrę viſcera, maximo impetu obuia quęque dejicere atq; proſternere.

Objicies vndecimò. datur in ferro virtus impreſſa à magnete, per quam ipſum ferrum ad magnetem mouetur. ergo ſimiliter poteſt dari in projecto virtus impreſſa à projiciente, per quam moueatur ad eum locum quo ipſa virtus impellit.

Reſpondeo, diſparem eſſe rationem magnetis & projicientis; ferrum enim non poteſt ab alio immediatè moueri ad magnetem, præterquam ab hac qualitate; proiectum autem poteſt moueri ab aëre, vt conſtat ex dictis ſupra. vnde colligitur optimum argumentum contra virtutem impreſſam; natura enim non multiplicat mouentia ſine neceſſitate. deinde; virtus impreſſa in proiectis, habet peculiarem repugnantiam, vt vidimus in argumentis, quam non habet virtus à magnete producta in ferro.

Dices. quando magnes tangit ferrum, atque illi communicat vim ſe conuertendi ad polum, in eo produci aliquã qualitatem, per quam ad polum moueri poſſit. ergo ſimiliter projiciens poteſt impellendo proiectum cõmunicare illi vim, per quam moueatur ad certum locũ.

Reſpondeo, multos putare quod vis conuertendi ſe ad polum communicetur magneti principaliter ab aliqua ſtella, vel aliqua parte cœli verſus polum; eandem tamen communicari ferro, quia magnes illud tangendo relinquit intra eius poros, vel in ſuperficie, aliquos vapores, aut certe producit in illo aliquam qualitatem, ſecundum quam ſit aptum ſubjectum ad recipiendum motum verſus polum ab aliqua qualitate per vim cœli ipſi ferro impreſſam. neque putatur abſurdum ad hoc præſtandum, ſi ponantur in ferro recipi vapores à magnete tranſmiſſi. non enim tam multi ſunt, vt magnes debeat ex eorum ſegregatione deſtrui. non ſufficit autem ad hunc effectum ſaluandum illa qualitas in ferro, per quam vertitur ad magnetem, non ſolum quia talis qualitas forte corrumpitur per abſentiam magnetis, ſicut lumen per abſentiam luminoſi; vis autem quam habet ferrum conuertendi ſe ad polum, in illo remanet abſente magnete. verum etſi in ferro remaneret, non poſſet præſtare hunc effectum. videmus enim ferrum à magnete trahi, abſque eo quod communicetur illi vis conuertendi ſe ad polum; vt cum trahitur à magnete, inter quem & ipſum ſit interpoſitum aliquod corpus. in quo caſu, habet qualitatem per quam mouetur ad magnetem, non tamen habet qualitatem per quam conuertitur ad polum, vt patet experientia. manifeſtum enim eſt, vim conuertendi ſe ad polum, communicari ferro ſolummodo per contactum magnetis im-

mediatum. neque ſufficit in ferro qualitas producta à cœlo, abſque eo quod in illo ſit aliquid productum à magnete; quia videmus nullum ferrum conuerti ad polum, niſi illud quod à magnete tactum eſt. hæc de magnete probabiliter dicta ſint, alij enim aliter ſentiunt.

Objicies vltimò. ſubſtantiæ ſpirituales imprimunt qualitatem, ſiue corporibus, ſiue ſpiritibus, antecedentem ipſum motum, & à qua ſequatur motus. ergo etiam corpus ſimilem poterit corpori imprimere. conſequentia patet à pari. antecedens non aliter probant aduerſarij, niſi quia Angelus cœleſtem ſphęram non niſi injecta tali qualitate moueat; & cum dæmonem aliquo per vim trahit, non niſi eadem ratione trahit.

Reſpondeo negando antecedens, iuxta principia ſancti Thomæ, de poteſtate angelorum ſupra corpora limitata ad ſolum motum. ad probationem, dato, & non conceſſo (de eo enim alibi agendum) quod Angeli cœleſtes ſpæras moueanr, dico, gratis illud quod in eo dicitur aſſumi. nam angelus, ſi mouet, ſolo motu injecto mouet; ſola tractione in dæmone producta, illum trahir. ſi enim corpus à corpore trahitur ſolo motu impreſſo, cur non corpus aut ſpiritus à ſpiritu?

# QVÆSTIO DECIMA QVINTA.

*Quænam ſit formalis ratio quantitatis?*

HÆc quæſtio percelebris eſt, in eaque auctores valde inter ſe diuiſi ſunt. quærimus autem tantum de quantitatis continuæ permanentis ratione formali. I.

*Prima ſententia, Caietani. Ianduni, & aliorum.*

Prima ſententia vult rationem eius formalem in menſurabilitate conſiſtere. Placuiſſe videtur hæc ſententia angelico doctori D. Thomæ, opuſculo 52. de narura loci, in fine; eamque ſequitur Caietanus in prædicamentis, cap. de Quanro; Iandunus etiam 10. metaph. cum aliis paucis eandem amplectitur.

*Secunda ſententia, Soncinatis, Veracrucis, Aquarii, Zerbi, & aliorum.*

Secunda ſententia aſſerit rationem formalem quantitatis conſiſtere in diuiſibilitate. eſt hæc ſententia Soncinatis 5. metaph. quæſt. 21. Iauelli ibidem quæſt. 20. Aquarij, Zanardi, Veracrucij, Zerbi, & aliorum, qui pro eadem afferunt D. Thomam in 1. diſt. 17. quæſt. 2.

*Tertia ſententia, Scoti. Gregorii, Durandi, Nyphi, Louanienſium, Pomponatii, & aliorum.*

Tertia ſententia eſt eorum qui dicunt rationem formalem quantitatis ſitam eſſe in extenſione parrium exrra partes. eſt Doctoris ſubtilis in 4. diſt. 10. quæſt. 1. Gregorij in 1. diſt. 17. quæſt. 4. art. 2. & in 2. diſt. 12. quæſt. 2. Durandi, & aliorum Theologorum, quos ex Philoſophis ſequuntur Nyphus 5. metaph. diſput. 9. Pomponarius lib. 2. de augmentatione cap. 7. Doctores Louanienſes in prædicamentis cap.

de Quanto, & alij. Verum huius ſententiæ authores in tres modos illam explicantes diuiſi ſunt. Primus, eſt eorum qui volunt extenſionem partium extra partes, præciſè eſſe rationem formalem quantitatis. ita communiter recentiores. Secundus modus, eſt eorum qui volunt conſiſtere in extenſione partium extra partes, non quacumque, ſed illa ad quam naturaliter ſequitur impenetrabilitas. ita alij recentiores. Tertius denique modus, eſt eorum qui volunt conſiſtere in extenſione partium extra partes in ordine ad locum, ſiue in extenſione locali. ita Durandus, Occam, Gabriel, Cardinalis Aureolus, & alij. ad ſolutionem quæſtionis,

II. Præmitto duplicem eſſe extenſionem; vnam entitatiuam; aliam quantitatiuam. entitatiua, quæ & extenſio intrinſeca appellari poteſt, in eo ſita eſt, quod res aliqua conſtet pluribus partibus entitatem componentibus, quarum vna non ſit alia, ſiue partes ſint in eodem loco, ſiue non. ſic ſi à Deo poneretur aliquis homo ſine quantitate in puncto, haberet extenſionem entitatiuam; quia licet caput, verbi gratia, eſſet ſimul cum pedibus, & aliis partibus corporis, ſimultate locali, ipſum tamen non eſſet pes, aut alia quæuis pars, ſed ſemper in ordine ad ſe prius vniretur collo, quam pedibus, pectori, ventri, aut aliis partibus remotioribus, vt infra fuſius probabimus. ſcio hanc extenſionem à Thomiſtis negari; ſed inferius cum illis agendum erit. extenſio quantitatiua, quæ & extrinſeca à quibuſdam dicitur, eſt illa qua partes alicuius ſeſe mutuo expellunt ab eodem loco, vel ſpatio, ſiue actu, ſiue aptitudine tantum; vt extenſio vnius palmi, vel plurium. hoc poſito,

III. Dico primo, rationem menſuræ non eſſe rationem formalem quantitatis. eſt contra primam ſenteneentiam.

*Concluſio prima, rationem menſuræ non eſſe formalem rationem quantitatis. Probatio concluſionis.*

Probatur primò; quia quantitas eſt prius conſtituta in eſſe quantitatis, quam ſit menſura. prius enim eſt diuiſibilis, æqualis, vel inæqualis, quam poſſit per eam aliquid menſurari. ſecundo. ratio menſuræ & menſurabilis ideo quantitati conuenit, quia eſt extenſa, & non contra, ideo eſt extenſa, quia menſurabilis. ideo extenſio prior eſt menſurabilitate. denique, menſurabilitas eſt tantum aptitudo quædam vt rei magnitudo cognoſcatur per extrinſecum medium. ſed impertinens eſt ad rei conſtitutionem, quod cognoſcatur, vel poſſit cognoſci. ergo non poteſt dici rationem quantitatis conſiſtere in menſurabilitate. menſurabilitas ergo eſt tantum proprietas, vel attributum quantitatis.

IV. Dico ſecundò, rationem formalem quantitatis non conſiſtere in diuiſibilitate. eſt contra auctores ſecundæ ſententiæ.

*2. concluſio, diuiſibilitatem non eſſe formalem rationem quantitatis. Probatio concluſionis.*

Probatur autem; quia ſi per diuiſibilitatem, formalem intelligant auctores huius ſententiæ, illa eſt tantum proprietas, vt ſu-

pra diximus, ideo enim eſt aliquid diuiſibile diuiſibilitate quantitatiua, quia habet tales partes. ergo ratio partium neceſſario eſt prior diuiſibilitate. ſi autem per diuiſibilitatem, intelligant diuiſibilitatem radicalem, veriſſimum eſt illam eſſe eſſentiam quantitatis. ſed dicendo eſſentiam quantitatis eſſe diuiſibilitatem, vt dicunt hi auctores, non explicatur, niſi valdè confusè, eſſentia quantitatis. vlterius enim explicandum manet, quænam ſit hæc diuiſibilitas radicalis, hoc eſt, quænam ſint partes illæ, quibus conuenit ratio formalis quantitatis.

*Concluſio 3. rationem formalem quantitatis non conſiſtere in extenſione partium in ordine ad ſe.*

Dico tertiò, eſſentiam quantitatis non conſiſtere in extenſione intrinſeca, ſiue in extenſione partium in ordine ad ſe. eſt Durandi in 4. diſt. 10. quæſt. 2. Occami in tractatu de Euchariſtia cap. 29. & in 4. ſententiarum, Cardinalis Auteoli, Gabrielis, & aliorum.

*Prima eiuſdem probatio.*

Probatur primò; quia illa extenſio non eſt ratio formalis quantitatis præciſè, quæ conuenit aliis rebus à quantitate. at iſta extenſio conuenit aliis rebus à quantitate. ergo non eſt ratio formalis quantitatis. maior clariſſima eſt. minor probatur; quia extenſio in ordine ad ſe, ſiue extrinſeca, eſt illa per quam partes alicuius rei ſe habent, vt vna ſit extra aliam in ordine ad ſe, id eſt, vna non ſit alia, ſic tamen vt coniungantur & vniantur inter ſe, vna quidem alteri immediatè, aliis vero non niſi ea mediante. ſed eiuſmodi extenſio conuenit materiæ primæ, imo & cuilibet rei materiali ſecundum ſe conſideratæ, ſi animam materialem excipias. in puncto, verbi gratia, poteſt Deus deſtruere corpus equi, ita vt ſublatis eius accidentibus, ſolaque materia prima remanente, pars materiæ quæ pertinuit ad caput, diſtincta ſit à materia colli, eaque mediante ab aliis, iiſque vniatur. quo poſito, in illa materia reperietur extenſio intrinſeca, & conſequenter talis extenſio conueniet aliis rebus à quantitate. verum de hac re fuſius agemus paulo poſt, cum de partibus entitatiuis.

*Secunda probatio.*

Probatur ſecundò. anima rationalis, quamuis ſit in corpore quanto, eoque mediante ſit in loco, quia tamen ex ſe indiuiſibilis eſt, nunquam diuiſibiliter ſe habet, aut habere poteſt ad corpus & locum. ergo à paritate rationis, ex eo quod quantitas ex ſe ſit diuiſibilis, ſequitur è contrario eam, quocumque modo conſideratam, nunquam poſſe indiuiſibiliter ſe habere ad locum. at poſita extenſione partium extra partes in ordine ad ſe, poſſet indiuiſibiliter ſe habere, quia poſſent omnes partes quantitatis eſſe in eodem loco per modum vnius. ergo non poteſt extenſio talis quantitati conuenire, nec eſſe de illius eſſentia.

Confirmatur; quia diuerſus eſt modus eſſendi partium in intenſione, & extenſione quantitatis. at poſita pro ratione formali quantitatis, extenſione præciſa partium extra partes in ordine partium ad ſe, non eſſet diuerſus, ſed idem modus; quia ſicut partes à ſe ſe inui-

cem diſtinctæ ſe ſe mutuo penetrant in intenſione, ita & penetrarent, aliqua ratione ſaltem, in illa extenſione præciſa partium extra partes in ordine ad ſe. ergo ipſa non eſt ratio formalis quantitatis.

VI.

*Quarta cõcluſio, exteſionem in ordine ad ſe, quæ ſit principium impenetrabilitatis, nõ eſſe rationem formalem quantitatis.*

Dico quartò, extenſionem partium extra partem in ordine ad ſe, quæ ſit principium naturale impenetrabilitatis, non eſſe rationem formalem quantitatis.

*Probatio aſſertionis.*

Probatur concluſio; quia ſi ſemel admittatur impenetrabilitatem conſequi partes in ordine ad ſe, numquam explicari poterit cur non etiam conueniat partibus entitatiuis quę ſunt extenſæ vna extra aliam in ordine ad ſe. hoc autem ſic oſtendo. nulla ratio aſſignari poteſt, in ſententia aduerſariorum, cur impenetrabilitas conſequatur quantitatem tanquam eius proprietas, niſi quia quantitas habet partes in ordine ad ſe. atqui etiam ſubſtantia habet partes extra partes in ordine ad ſe, vt paulo poſt probabitur. ergo, &c.

Confirmatur; quia non alia de cauſa partes corporis Chriſti ſub hoſtia conſecrata dicuntur ſe non penetrare in ordine ad ſe, & vniuerſaliter omnes partes entitatiuæ cuiuſcumque tandem corporis, niſi quia vna manet vnita vni immediatè, & mediante illa alteri, eodem modo quo aduerſarij ponunt partes quantitatis in ordine ad ſe extenſas & vnitas. ergo ſicut ad partes illas, & impenetrabilitatem illam partium in ordine ad ſe, ſequitur in quantitate impenetrabilitas in ordine ad locum; ita etiam ad partes entitatiuas, earumque impenetrabilitatem intrinſecam in ordine ad ſe, ſequeretur impenetrabilitas extrinſeca in ordine ad locum; & ſi non ſequitur in illis, nec ſequi debet in quantitate. & ſane poſitis partibus entitatiuis, ipſarumque extenſione, fruſtra omnino ponitur in quantitate talis extenſio.

VII.

*Quinta concluſio, extenſionem in ordine ad locum, eſſe formalem rationem quantitatis.*

Dico vltimò, extenſionem partium extra partes in ordine ad locum eſſe formalem rationem quantitatis. eſt Cardinalis Aureoli, Durandi, Gabrielis, Occami, aliorum.

*Probatio concluſionis.*

Probatur breuiter ex confutatione aliarum ſententiarum; cum enim eſſentia quantitatis conſiſtat in aliqua extenſione partium extra partes in ordine ad ſe, & non in intrinſeca, cum illa conueniat partibus entitatiuis independenter à quantitate, neceſſarium eſt aſſerere illam conſiſtere in extenſione extrinſeca, quæ eſt extenſio partium extra partes in ordine ad locum.

*Confirmatio eiuſdem.*

Confirmatur. illud quod primum eſt in quacumque re, & radix omnium proprietatum, eſt ratio formalis ipſius. at in quantitate primum quod repetitur eſt extenſio de qua agimus, vt patet ex dictis, eſtque radix omnium proprietatum. ergo eſt ratio formalis quantitatis.

*Soluuntur obiecta.*

Obiicies primò. corpus Chriſti Domini eſt in venerabili ſacra-

mento idem, & cum iiſdem accidentibus, cum quibus reperitur in cœlo. ſed in cœlo eſt cum quantitate, ergo & in venerabili ſacramento. ſed in ſacramento non eſt cum extenſione in ordine ad locum, ſiue cum extenſione extrinſeca, ſed tantum cum intrinſeca. ergo intrinſeca tantum, non autem extrinſeca, poteſt eſſe ratio formalis quantitatis.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem; cum iiſdem accidentibus, abſolutis à loco circumſcriptiuo, concedo maiorem; cum iiſdem quæ ſupponunt locum circumſcriptiuum, cuiuſmodi eſt quantitas, nego maiorem. vt enim egregiè notat Durandus in 4. loco citato, quemadmodum non habet in ſacramento idem vbi quod habet in cœlo, non habet eaſdem diſpoſitiones, cum dicatur modo ſtans, modo ſedens, non tamen in ſacramento; ita non habet quantitatem, quæ dicit ordinem ad locum circumſcriptiuum, quem non habet in venerabili ſacramento. *Durandus.*

Sed, inquies, reſponſio hæc noſtra eſt contra receptam Theologorum ſententiam, cui ſe opponere tutum non eſt. imo Alexander Alenſis in Summa vult hanc noſtram reſponſionem eſſe erroneam, & Cardinalis Alanus vocat illam pene hæreticam; quibus ſuffragatur Faber in 4. diſtinctione 10. diſput. 36. cap. 1. in fine, vbi ait hanc noſtram reponſionem, ſi non eſt hæretica, ſaltem eſſe temerariam & abſurdam.

*Oſtenditur Chriſtum Dominum non habere ſuam quātitatem ſanctiſſimo Sacramento.*

Reſpondeo, non eſſe hac in re confundenda Theologica cum Philoſophicis, ſed valde ſecernenda & diſtinguenda. in Theologicis conuenimus cum Theologis, quatenus cum illis admittimus in Chriſto Domino ſub ſpeciebus extenſionem intrinſecam & entitatiuam; in Philoſophicis autem diſſentimus à quibuſdam, qua parte illi talem extenſionem intrinſecam putant eſſe à quantitate, eſſeque quantitatis rationem formalem; nos autem minime. ſecundò, dico ſententiam tribuentem Chriſto Domino ſub ſpeciebus exiſtenti quantitatem, receptam quidem ſatis eſſe inter Theologos; verum non adeo receptam eſſe, vt noſtra reſponſio non habeat etiam multos grauiſſimos Catholicos aſſertores, æqualis fortaſſis cum aduerſariis auctoritatis. vnde negligenda penitus eſt cenſura aduerſariorum, tanquam ridicula & inepta. & quidem Alenſi opponimus Durandum in 4. loco citato, qui ait difficillimum eſſe ſuſtinere quantitatem Chriſti eſſe in venerabili ſacramento; *patet*, inquit, *quam difficile eſt ſuſtinere quod quantitas corporis Chriſti ſit ſecundum ſe realiter in hoc ſacramento.* Cardinali Alano oppono Cardinalem Aureolum in 4. diſtinct. 10. Fabro principem nominalium Occamum; aliis Maiorem conterraneum meum in 4. diſt. 10. qu. 2. Paludanũ, Aliacenſem, Gabrielem, & alios maximi nominis Theologos. & ſanè ſi Chriſtus ſub paruulæ ho-

ſtiæ quantitate retinet ſui corporis quantitatem, retinebit indiuiſibiliter; quod fatentur aduerſarij. at hoc fieri nequit, cum de intrinſeca ratione quantitatis ſit diuiſibilitas, tanquam proprietas maximè propria eiuſdem. vnde concludendum eſt neceſſariò Chriſtum Dominum ſub parua hoſtia non retinere ſuam quantitatem. & confirmatur, quia, vt diximus, non poteſt ſpiritus, anima rationalis, verbi gratia, vllo modo diuiſibiliter ſe habere ad corpus & locum. ergo nec è contra corpus quantum indiuiſibiliter ſe habere ad locum. neque reſpondeas cum diuo Thoma 3. p. quæſtione 76. art. 4. Caietano, Soto, & aliis, duplicem eſſe diuiſibilitatem quantitatis, vnam intrinſecam, aliam extrinſecam. intrinſecam illam eſſe quæ ſpectatur in ordine partium inter ſe, & hanc eſſe proprietatem à quantitate inſeparabilem; extrinſecam aliam eſſe in ordine ad locum, & illam eſſe à quantitate ſeparabilem; ne, inquam, hoc reſpondeas; quia in primis, vt iam diximus, & paulo poſt fuſius oſtendemus, extenſio illa intrinſeca non habetur à quantitate, ſed conuenit partibus entitatiuis independenter ab omni quantitate, & conſequenter etiam diuiſibilitas, quæ tali extenſioni competit; vnde ſola diuiſibilitas in ordine ad locum, ſeu extrinſeca, eſt de ratione quantitatis, tãquam eius proprietas. & confirmatur, quia non aliunde habemus aliquid eſſe proprietatem alterius, quam quia videmus naturaliter conuenire omni, ſoli, & ſemper; hinc enim collegit Porphyrius proprietatem alicuius rei quarto modo. at diuiſibilitas extrinſeca & in ordine ad locum conuenit naturaliter omni quantitati, ſoli quantitati, & ſemper quantitati. ergo eſt proprietas quarto modo, & conſequenter à quantitate, cuius eſt proprietas inſeparabilis. ſecũdò, ſupponamus cũ aduerſariis, illiſque demus duplicem eſſe diuiſibilitatem in quantitate, vnam in ordine ad ſe, aliam in ordine ad locum; adhuc tamen nulla ratione ſoluitur argumentũ, ſed in ſua vi omnino manet. nam ſicut in quãtitate diſtingunt duplicem extenſionem, vnam in ordine ad ſe, aliam in ordine ad locum; ita & in rebus ſpiritualibus duplicem oportet agnoſcant indiuiſibilitatem, vnam in ordine ad ſe, aliam in ordine ad locum. quo poſito, ſic argumentor. quia rei ſpirituali, animæ, verbi gratia, competit prior indiuiſibilitas in ordine ad ſe, competit etiam illi poſterior in ordine ad locum, ita vt ne quidem per diuiuinam potentiam, etiam ſecundum aduerſarios, poſſit diuiſibiliter ſe habere in ordine ad locum. ergo à pari, quia quantitati conuenit perpetuò & neceſſariò prior diuiſibilitas, competere quoque neceſſariò debet poſterior in ordine ad locum, ita vt nec Deus illam auferre poſſit. vnde manet argumentum in ſua vi, nec vllo modo eneruatur ſolutione diui Thomæ, ſed ea potius ſtabilitur & confirmatur.

Dices cum diuo Thoma 3. p. qu. 66. art. 4. ad primum, cuius argumentum

argumentum proponit his verbis Durandus. *ſicut ſe habet ſubſtantia ad quantitatem quoad eſſe in loco circumſcriptiuè, ita ſe habet quantitas ad ſubſtantiam quoad eſſe in hoc ſacramento. ſemper enim ratio huius eſt, quod eſt per accidens dependet ex eo quod eſt per ſe. per ſe autem conuenit quantitati circumſcribi in loco; per accidens autem conuenit ſubſtantiæ. è contrario primo conuenit ſubſtantiæ eſſe in hoc ſacramento, & per ſubſtantiam conuenit quantitati; ita quod è contrario comparentur ſubſtantia & quantitas ad locum, & ad ſacramentum. ſed ſubſtantia comparata ad locum circumſcriptum mediante quantitate, ſequitur modum quantitatis. ergo quantitas comparata ad hoc ſacramentum mediante ſubſtantia, ſequitur modum ſubſtantiæ. cum ergo ſubſtantia corporis Chriſti ſit præſens ſpeciebus panis hoc modo, quod tota eſt præſens ſpeciebus & cuilibet parti, eo quod ipſa ſecundum ſe non habeat partem & partem, ſed eſt indiuiſibilis in partes eiuſdem rationis, patet quod quantitas corporis Chriſti ſic eſt præſens ſpeciebus, quod ipſa ſecundum ſe totam eſt ſub totis ſpeciebus, & ſub qualibet parte.*

Reſpondeo cum Durando, *non eſſe ſimile quod adducitur pro ſimili: ſubſtantia enim*, inquit, *comparari poteſt ad locum circumſcriptum mediante quantitate, & ſequitur modum quantitatis, quia hoc non repugnat naturæ ſuæ. licet enim ſubſtantia non ſit diuiſibilis ſecundum ſe & quanta, eſt tamen diuiſibilis & quanta per accidens, ratione quantitatis ſibi inhærentis, per quam extenditur. ſed quantitas, cum de ratione ſua intrinſecæ habeat partes diſtinctas, & per hoc ſit diuiſibilis, nullo modo poteſt ſibi competere ratione cuiuſcumque alterius indiuiſibiliter ſe habere.* hæc Durandus, qui paulo poſt rationem reddit, vt ipſe optime ait, omnium prædictorum; *quia nihil*, inquit, *poteſt comparari ad aliud modo incompoßibili ſuæ naturæ. ſed indiuiſibilitas eſt modus incompoßibilis naturæ quãtitatis, cum ipſa de ſua natura intrinſeca ſit diuiſibilis.* ergo, &c.

Dices ſecundò, cum aliis recentioribus. corpus Chriſti Domini in venerabili ſacramento eſſe corpus organicum, viuum, & animatum; quæ omnia ſine figura eſſe nequeunt, & conſequenter nec ſine quantitate. ergo habet ſuam quantitatem. ſecundò. Chriſtus Dominus illis verbis, *hoc eſt corpus meum*, tale ſuum corpus eſſe ſignificauit, quale eſſe ſolet quodcumque aliud indiuiduum humanum quoad dimenſiones & accidentia. ſed tale eſſe non poteſt ſine quantitate. ergò habet ſuam quantitatem. tertiò. Chriſtus Dominus de corpore ſuo quod in venerabili ſacramento exhibebat, dixit, *quod pro vobis tradetur*. ſed corpus quod traditum fuit in cruce, fuit corpus habens ſuam entitatem. ergo corpus eius in venerabili ſacramento habet ſuam quantitatem.

Reſpondeo, hæc argumenta nullius penitus eſſe momenti; & in aduerſarios nullo negotio retorqueri poſſe, vt conſideranti manife-

ſtè patet. volunt enim aduerſarij quantitatem Chriſti Domini in venerabili ſacramento eſſe priuatam extenſione locali; vnde ad omnia argumenta quæ contra nos objiciunt, oportet reſpondeant. & primo quidem, primum propoſitum facile retorquetur. ſi enim corpus viuum, animatum, & conſequenter organicum, non poteſt eſſe ſiue figura, cum figura non habeatur ſiue extenſione locali, & in venerabili ſacramento quantitas non habeat extenſionem localem, ſequitur corpus Chriſti Domini in venerabili ſacramento nō habere, etiam ſecundum aduerſarios, figuram, quæ petitur à quantitate. dico, *quæ petitur à quantitate*; quia independenter à quantitate habet aliqualem figuram, & impropriè dictam, quæ & figura interna dici poteſt, quæ petitur à diſtantia entitatiua, vt infra explicabitur, cum de partibus entitatiuis. ſecundum etiam facile retorquetur; quia ſi corpus Chriſti Domini in Euchariſtia tale eſt, quale eſſe ſolet quodcumque aliud indiuiduum humanum quoad omnia, præſertim quoad dimenſiones & accidentia, cum indiuidua humana habeanr ſuam extenſionem localem, ſequitur etiam corpus Chriſti Domini illam habere in Euchariſtia; quod tamen negant ipſi aduerſarij. tertium eadem facilitate retorquetur; nam corpus Chriſti Domini, quod traditum fuit pro nobis in cruce, habebat ſuam extenſionem localem, & tamen, vel ipſis aduerſariis fatentibus, illam non habet in venerabili ſacramento. ſimiliter retorqueri poſſunt alia ſimilia aduerſariorum argumenta. ſi enim aliquid probarent, probarent etiam in venerabili ſacramento Chriſtum Dominum habere ſuam extenſionem localem; quam tamen certum eſt non habere. ad primum ergo directè reſpondeo, corpus Chriſti Domini eſſe viuum, animatum, & organicum, & conſequenter habere figuram, non quidem externam & localem, quæ ſine locali diſtantia partium non reperitur, ſed internam & entitatiuam, quæ independenter ab omni quantitate à partibus entitatiuis habetur. ad ſecundum, nego Chriſtum Dominum illis verbis, *hoc eſt corpus meum*, ſignificaſſe tale eſſe ſuum in venerabili ſacramento corpus, quoad dimenſiones & cætera accidentia, quæ ſupponunt locum circumſcriptiuum; alioquin ſequeretur habere extenſionem localem, quam tamen aduerſarij habere negāt. ad tertium idem reſpondendū.

Dices denique cum Albertino, tomo 2. in primo Corollario Theologico ex prædicamento quantitatis, dubitatione ſecunda. ſi non exiſteret quantitas in corpore Chriſti in ſanctiſſimo Sacramento, neque exiſterent in eodem qualitates naturales corpori. hoc autem eſt abſurdum. ergo, &c. ſequelam maioris probat; quia illæ qualitates ſubiectantur in quantitate, & conſequenter ablata quantitate pereunt.

Reſpondeo primò, hanc Albertini obiectionem ſupponere ali-

quid falſum; nimirum accidentia, de quibus procedit argumentum, ſubjectari in quantitate, quod verum non eſt. cur enim non poſſunt in ipſa materia prima, habête ex ſe extenſionem internam, ſubiectari?

Reſpondeo ſecundò, negando maiorem. ad eius probationem, dico quod quamuis pereat quantitas in qua ſubiectãtur multæ qualitates naturales corpori, non tamen pereunt qualitates, quia Deus effectiuè præſtat qualitatibus illis, quod quantitas ſubiectiue præſtabat; eo planè modo, quo effectiuè præſtat quantitati panis, quæ remanet in hoſtia poſt conſecrationem, quod materialiter præſtabat materia panis ante conſecrationem.

Objicies ſecundò. extenſio partium extra partes nihil aliud eſt, quam relatio, ſecundum quam vna pars dicitur prius coniuncta vni parti quam alteri. relatio autem non poteſt eſſe ratio formalis quantitatis. ergo extenſio partium extra partes in ordine ad locum, non poteſt eſſe ratio formalis quantitatis.

Reſpondeo, hanc extenſionem eſſe aliquid abſolutum, non autem relationem; quamuis fateor explicari à nobis per terminos aliquando relatiuos, per quos ſignificantur relationes. ipſa tamen non eſt relatio, ſed relationis fundamentum; relationis, inquam, rationis; ipſa enim nihil aliud eſt, quam ipſæ partes ita ſe habentes, vt vna ſit prior alia.

Objicies. extenſio in ordine ad locum ſupponit extenſionem in ordine ad ſe. ergo extenſio in ordine ad ſe erit ratio formalis quantitatis, non autem extenſio in ordine ad locum. & confirmatur; quia extenſio in ordine ad locum eſt alterius prædicamenti à quantitate, eſt enim in prædicamento ſitus. ergo non poteſt eſſe ratio formalis quantitatis.

Reſpondeo, ſupponere extenſionem localem, extenſionem in ordine ad ſe in re quam afficit, non autem in ipſa quantitate; non enim vera eſt hæc cauſalis, ideo quantitas extenditur in ordine ad locum, quia habet prius in ſe partes extra partes in ordine ad ſe. ad confirmationem, nego antecedens. nam ſitus ſequitur ad extenſionem partium, & illam ante ſe præſupponit, ſicut relatio ſuum fundamentum. vnde vera eſt hæc cauſalis, ideo partes huius ligni, verbi gratia, habent talem ſitum, quia habent talem extenſionem in ordine ad locum, ex qua reſultat ſitus. & ſanè manifeſta eſt diſtinctio ſitus ab extenſione in ordine ad locum. vnde multi ſunt qui exiſtimant ſitum eſſe denominationem extrinſecam à loco, prout locus certo quodam & determinato modo rem quæ dicitur ſituata afficit.

Objicies quartò. eadem quantitas in ſe manens poteſt naturaliter occupare minorem locum per condenſationem, & rarefactionem maiorem quam ante occuparet. ergo extenſio in ordine ad locum non

eſt de ratione quantitatis, ſed eſt aliquid diſtinctum realiter à quantitate. & confirmatur, quia Chriſtus Dominus Lucæ 18. & Matth. 19. docet diuina potentia poſſe camelum, maximum & gibboſum animal, ingredi foramen acus.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. eadem quantitas in ſe manens poteſt occupare minorem locum per condenſationem, & per rarefactionem maiorem quam ante occuparet; eadem in ſe manens, id eſt, non corrupta antecedente quantitate, ſed noua illi ſuperaddita, vel priore deperdita, concedo antecedens; eadem in ſe manens, id eſt, ſine acquiſitione nouæ extenſionis localis, & nouæ quantitatis, nego antecedens. & vero nec aduerſarij dicunt fieri maiorem vel minorem, ſine deperditione vel acquiſitione noua extẽſionis localis. vnde quæſtio tota remanebit inter illos & nos, an iſta extẽſio ſit entitas à quantitate diſtincta, vel tantum modus ſuperadditus quantitati. nos dicimus eſſe ipſam quantitatem; ipſi negant, volentes eſſe tantum modum quantitatis. verum contra Ariſtotelem, & rationem. contra Ariſtotelem, manifeſtè 4. phyſicor. aſſerentem, quod ſi à corpore cubico circumſcribantur omnes qualitates & paſſiones, adhuc occuparet locum. contra rationem; quia extenſioni illi locali & modo conuenit ratio quantitatis. quod ſic oſtendo. nam ſi extenſio localis eſt tantum modus quantitatis, vel ille modus eſt per ſe extenſus, vel ratione quantitatis. ſi primum, erit ipſa quantitas, cui conuenit tanquam formalis ratio, eſſe per ſe extenſam. ſi ſecundum, nempe ſi dicatur modum illum eſſe ratione quantitatis extenſum, ſequitur non tribuere maiorem extenſionem quantitati. quod enim extenſum non eſt, quomodo poteſt formaliter magis extendere alterum? & confirmatur; quia hic modus non conſiſtit in indiuiſibili; facit enim maiorem vel minorem extenſionem quantitatis. vnde neceſſe eſt intendi & remitti, & in tantum maiorem extenſionem vel minorem tribuere quantitati, in quantum magis vel minus intenſus inexiſtit partibus quantitatis. at hoc non eſt minus ridiculum, quam impoſſibile. impoſſibile enim eſt intenſionem formaliter tribuere extenſionem. neque ſatisfaciunt, quando dicunt albedinem non eſſe albam, & tamen eſſe rationem formalem albi. nam licet forma non ſit ipſum concretum, effectus tamen formalis illius non eſt niſi forma in ſubiecto. neque poteſt habere forma oppoſitas conditiones ipſi effectui formæ. at iſte modus habet conditiones oppoſitas; maior enim extenſio dicit ſaltem habere magis partes extra partes; iſte autem modus, qui maioris extenſionis eſt cauſa formalis, habet omnes partes intra partes, quæ eſt oppoſita prorſus conditio extenſioni, itavt non minus videatur repugnare extenſionem maiorem eſſe ab intenſione iſtiuſmodi, quam nigrum eſſe ab albedine. ad confirmationem, re-

ſpondeo contrarium potuiſſe ex his locis colligi. ſi quidem ita impoſſibile, ait Chriſtus Dominus his in locis, diuitem intrare in regnum cœlorum, ſicut impoſſibile eſt camelum, retenta naturali ſua quantitate & extenſione, ingredi foramen acus. hoc de ratione formali quantitatis, in cuius tractatione ſuppoſuimus dari extenſionem intrinſecam & entitatiuam, quæ à quibuſdam Thomiſtis negatur. Propterea ſit

# QVÆSTIO DECIMASEXTA.

## *An dentur partes entitatiuæ extenſæ independenter à quantitate.*

PRima ſententia, eſt eorum qui negant huiuſmodi partes entitatiuas, earumque intra ſe extenſionem. videtur diui Thomæ, tum I.
alibi ſæpe, tum opuſculo 6. quæſt. 4. art. 3. vbi ait materiam non poſſe indiuiduare formam, quia in ſe conſiderata eſt indiſtincta; debet autem indiuiduare, prout eſt diſtinguibilis. & ſubdit non eſſe diuiſibilem, niſi per quantitatem. vbi pro eodem ſumit diuiſibile & diſtinguibile, vt patet ex verbis antecedentibus citatis eodem articulo citato. Ad primum, ait quod materia non poteſt indiuiduare, niſi prout eſt ſub quantitate. quod ſi materia in ſeipſa habet partes, cur non poteſt ſeipſam indiuiduare? 4. contra Gentes cap. 66. apertè tradit hanc ſententiam. ait enim quod vbicumque intelligitur diuerſitas partium, ibi oportet intelligi indiuiduationem. ſi ergo in materia independenter à quantitate eſt diuerſitas partium, erit & indiuiduatio. ſed diuus Thomas negat, vt ſupra diximus, materiam habere indiuiduationem, niſi dependenter à quantitate. ergo etiam negat habere diuerſitatem partium. legi poteſt citatum caput, in quo plurima habet in hanc ſententiam. ipſum ſequuntur Capreolus in 2. diſtinct. 18. quæſt. 1. art. 3. Soncinas, Caietanus, Herueus, & alij Thomiſtæ. & ex Auerroïſtis, Tiberius Baciletius primo Phyſicorum Summa 2. digreſſione 3. poſt textum 13. 14. & 15.

*Prima ſententia negans, S. Thomæ, Capreoli. Caietani. Soncinatis, Tiberii Bacilerii, &c.*

Secunda ſententia affirmans eſt præcedenti omnino contraria, dari partes entitatiuas, id eſt, in ſubſtantiis & accidentibus materialibus, præſcindendo à quantitate, reperiri partes inter ſe vnitas. eſt Scoti in 2. diſtinct. 3. quæſt. 4. & diſt. 12. quæſt. 2. Baſſolij in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 1. & communis aliorum Scotiſtarum, Maioris in 4. diſt. 12. & aliorum nominalium, Suarij diſp. 4. metaph. ſect. 4. Fonſecæ 5. metaph. cap. 14. quæſt. 10. ſect. 3. & aliorum; qui tamen diſſentiunt an partes il-

*Secunda ſententia affirmans, Scoti, Baſſolii, Maioris Suarii, Fonſecæ, &c.*

læ vllum inter ſe habeant ordinem independenter à quantitate, vel non. aliqui enim omnem illis ordinem negant, vt Conimbricenſes, & Fonſeca, qui volunt illas partes vniri inter ſe immediatè, ita vt vnaquæque vnicuique immediatè vniatur, nec detur in illis, etiam per aſſignationem, prima pars, media, aut poſtrema. alij concedunt ordinem reſpectu ſui, ſiue inter ſe, ſed qui eſſe non poſſit extenſio proprie dicta, ſiue in ordine ad locum. vide Suarium numero 12. citatæ diſputationis.

II. *Prima concluſio, dari partes entitatiuas.* Dico primò, independenter à quantitate dari partes entitatiuas.

*Prima probatio. D. Thomas.* Probatur primò concluſio auctoritate Philoſophi, qui rarum definit eſſe quod habet parum materiæ ſub magna quantitate, & denſum, quod habet multum materiæ ſub parua quantitate. ita enim 4. Phyſico. & alibi, & poſt ipſum diuus Thomas in 2. diſt. 30. quæſt. 1. ſed hoc non poteſt ſaluari, niſi materia, exempli gratia, ante quantitatem habeat partes. ergo ante quantitatem habet partes. ergo dantur partes entitatiuæ. confirmatur. quia Philoſophus ſæpe ſupponit hanc ſententiam, dum vult continuum, id eſt, corpus affectum quantitate, poſſe diuidi in plura, quorum vnumquodque ſit hoc aliquid. denique pluribus agit de partibus animalium; neque ibi agit de partibus quantitatis, ſed de partibus ſubſtantiæ, vt per ſe patet.

*Secunda probatio.* Probatur ſecundò ratione. ſi entia materialia habent ſuas partes entitatiuas, à quantitate maximè, vt à cauſa formali. ſed hoc eſt falſum. ergo, &c. Sequela conceditur ab aduerſariis. volunt enim per quantitatem fieri formaliter habens partes, ſicut per albedinem album. & patet. non enim eſt à cauſa finali, quia quantitas non eſt melius & optimum reſpectu ſubſtantiæ materialis, ſed contra ipſa quantitas eſt propter formam ſubſtantialem. eſt enim generalis diſpoſitio ad omnem ſubſtantialem formam, & eius gratia etiam ad accidentalem. neque etiam vt à cauſa efficiente; quia quantitas non eſt efficiens ſubſtantiæ materialis & materiæ, deberet enim illam creare. item ex ſua ratione quantitas nullius accidentis proprie eſt effectiua, niſi per emanationem ſuarum proprietatum, non vt à cauſa materiali; materia enim quæ eſt ſubſtantia materialis, non eſt in quantitate vt in ſubiecto, ſed contra quantitas in ipſa. minor itaque, in qua tota eſt controuerſia, ſic probatur. ſi à quantitate vt à cauſa formali materia habet partes, ſequitur partes materiæ non eſſe formaliter ſubſtantias, ſed accidentia. hoc autem implicat. ergo &c. ſequela probatur; quia effectus eſt ſua cauſa formalis. minor patet; quia tota materia eſſet formaliter accidens. quod implicat in terminis.

Confirmatur. accipio lignum, verbi gratia, palmare, & ſic diſputo. partes materiæ & formæ ligni, quæ correſpondent partibus quantitatis, vel ſunt formaliter ſubſtantia, vel accidés. non hoc ſecundum;

totum enim lignum eſſet accidens, quia ſubſtantia non componitur formaliter ex non ſubſtantiis. ergo primum. ergo partes materiæ & formæ ligni, quæ correſpondent partibus quantitatis, non ſunt formaliter à quantitate.

Probatur tertiò. materia quæ eſt ſub forma aquæ, verbi gratia, eſt ſub forma aëris, non ſolum ratione quantitatis, ſed etiam ratione ſui, & poteſt à Deo vniri in vnam materiam cum alia. ergo præſcindendo à quantitate, materia quæ eſt ſub forma aquæ, poteſt eſſe pars materiæ diuiſibilis ab alia parte quæ eſt ſub forma aëris. conſequentia tenet. ſi enim duæ materiæ numero poſſunt ſibi inuicem vniri, itavt efficiant vnam numero materiam, & rurſus poſſunt ſeparari, itavt efficiant duas materias numero, euidentiſſimum eſt quod ſint aliquid diuiſibile, & quod aliquo modo habent partes. quod enim omnino indiuiſibile eſt, nulla ratione à ſeipſo ſeparari poteſt. antecedens probatur. quia poteſt Deus deſtruere formam aëris, & formam aquæ (ſi illas habent) & conſeruare materias quæ erant ſub illis à ſe inuicem diſtantes, & poteſt eaſdem materias vniere inter ſe; in hoc enim nulla eſt implicantia. ergo, &c. *Tertia probatio.*

Probatur quartò; quia ridiculum, & omnino ineptiſſimum videtur, aſſerere non plus eſſe materiæ ſub forma & ſub quantitate totius terræ, verbi gratia, quam ſub forma & quantitate vnius grani milij. at hoc dicere debent aduerſarij; nam plus materiæ ſub vna forma eſſe, quam ſub alia, eſt materiam illam habere plures partes, quam habeat alia.

Probatur quintò. anima rationalis eſt tota in toto, & tota in qualibet parte ipſius, & materia eſt tota ſub tota quantitate, & pars ipſius eſt ſub tota quantitate. ergo ſicut anima rationalis per ſuam entitatem realem eſt tota in toto corpore, & tota in qualibet parte ipſius, ita materia per ſuam entitatem localem erit tota ſub tota quantitate, & per ſuam entitatem partialem & totalem ante quantitatem. ergo partes entitatiuas. omitto multa alia argumenta quæ tangunt principium indiuiduationis.

Probatur ſextò Theologicè ad hominem. in venerabili Sacramento, per ſe, & ex vi verborum conſecrationis ponuntur omnes partes ſubſtantiales & integrantes corporis Chriſti Domini, oſſa, nerui, &c. & omnes harum partium particulæ; quantitas vero, ſi illam habet Chriſtus, ponitur tantum per concomitantiam, & non vi verborum. ergo illæ partes ſubſtantiales earumque particulæ non ſunt formaliter à quantitate. maior & minor ab Theologis conceduntur. conſequentia clara videtur; quia per abſolutam potentiam Dei reperiri poteſt ſub ſpeciebus id quod per ſe ponitur, & ex vi verborum ſub illis, & non reperiri id quod eſt ex ſola concomitantia. er-

go reperiri poſſent omnes partes ſubſtantiales integrantes ſine quantitate. ergo illæ non ſunt à quantitate.

III. *2. Concluſio, partes entitatiuas habere inter ſe aliquem ordinẽ.*

Dico ſecundò, partes entitatiuas independenter à quantitate eſſe vnitas vnam alteri mediante altera, & conſequenter habere inter ſe aliquem ordinem, & habere extenſionem aliquam, quam ſupra diximus vocari poſſe internam.

*Prima probatio concluſionis.*

Probatur concluſio. primò, quia partes independenter à quantitate ſunt vnitæ vna alteri mediante altera. ergo independenter à quantitate habent extenſionem aliquam & ordinem inter ſe. conſequentia patet. antecedens probatur. independenter à quantitate ſunt vnum ſubſtantialiter. ergo independenter ab illa ſunt vnitæ ſubſtantialiter. hæc enim ſunt vel realiter idem, vel primum oritur ex ſecundo. ſed ſunt vnitæ ſubſtantialiter vna alteri mediante altera, vt patet cum ſunt ſub quantitate. ergo independenter à quantitate ſunt vnitæ vna alteri mediante altera.

Probatur ſecundò. ſi præciſa quantitate omnes partes materiæ, exempli gratia, immediatè eſſent vnitæ inter ſe, materia non eſſet ſubjectum proportionatum quantitati, quæ habet partes extra partes. conſequens eſt falſum. ergo & antecedens. maior probatur, quia quantitas ſubiectatur in materia ſecundum partes immediatè & mediatè vnitas. ergo ſubiectum illi correſpondens habere debet partes immediatè vnitas & mediatè.

Confirmatur primò, quia nulla poteſt aſſignari ratio cur vna materiæ pars ſit ſub vna parte quantitatis potius quam ſub alia, niſi quia hæc pars quantitatis educta eſt è potentia huius partis materiæ, & illa ex potentia illius partis. ergo antecedenter ad eductionem illæ partes certum habent inter ſi ordinem correſpondentem ordini partium quantitatis, cum hoc tamen diſcrimine, quod partes quantitatis habeant inter ſe ordinem localem & diſtantiam, partes vero entitatiuæ materiæ habeant inter ſe tantum ordinem & diſtantiam internam.

Probatur tertiò, quia incredibile videtur ſeparata quantitate ab animali, partes animalis non habituras inter ſe certum ordinem. incredibile enim eſt pellem immediatè fore vnitam oſſibus, & non prius carni, eaque mediante oſſibus. ergo incredibile eſt præciſa quantitate inter partes animalis non eſſe certum ordinem. & ſane cum præciſa quantitate animal conſtaret ſuis partibus ſubſtantialibus, etiam in illo caſu partes illæ haberent inter ſe ordinem, cum natura nihil inordinatum & confuſum habeat.

IV. *Proponuntur & ſoluuntur aduerſariorum fundamenta.*

Obijcies primò. Ariſt. 5. metaph. textu 10. definit quantitatem per eſſe diuiſibilem in partes quæ illi inſunt. ergo ſoli quantitati inſunt per ſe partes. conſequentia patet; quia alioqui definitio non conuerteretur cum definito.

Reſpondeo

Reſpondeo, Ariſtotelem, hoc loco & ſimilibus aliis in locis, tantum velle partes, in quas per ſe quantitas & res aliæ per quantitatem ſunt diuiſibiles, eſſe partes localiter extenſas, ſenſibiles, & demonſtrabiles, vt ipſemet ait. 5. metaph. text. 10. dum ait, illas debere eſſe hoc aliquid. certum autem eſt non eſſe ſenſibiles, ſeu demonſtrabiles partes, niſi quantitatis, & rei quæ eſt per quantitatem extenſa; nam per illam ſolum extenditur in ordine ad locum, vt diximus, ſine qua extenſione in ordine ad locum nihil eſt ſenſibile aut demonſtrabile ad ſenſum, vt patet in Christo Domino ſub ſpeciebus ſanctiſſimi Sacramenti.

Objicies ſecundò. ſi ſubſtantia habet partes, non poteſt explicari quomodo ſint vnum. ergo non habet partes. ſequela antecedentis patet, quia explicari non poteſt quomodo huiuſmodi partes materiæ faciant vnum. ergo, &c. antecedens probatur ex 1. Phyſic. textu 16. vbi Ariſtoteles agens contra eos qui ponebant omnia eſſe vnum, ait, vel ſunt vnum vt continuum, vel vt indiuiſibile, vel ratione, hoc eſt definitione, vbi nulla eſt mentio vnius ex ſolis partibus entitatiuis.

Reſpondeo negando maiorem. ad eius probationem dico, facere vnum indiuiſibile Phyſicè.

Objicies tertiò. ſi entia materialia haberent partes entitatiuas per ſe, ſequeretur æqualitatem & inæqualitatem non minus futuras illorum proprietates quam quantitatis. conſequens eſt contra Ariſtot. ergo &c. minor patet ex capite de quanto, vbi æqualitas & inæqualitas dicuntur eſſe maximè propriæ quantitatis. ſequela probatur. nam ſubſtantia habens tot partes quot alia, erit illi æqualis, non tot, inæqualis. præterea ſequitur partes illas entitatiuas habituras figuram, & ſubſtantiam, quæ tamen pertinent ad quantitatem &c.

Reſpondeo negando ſequelam. ad probationem reſpondeo falſum aſſumi; nam partes totidem ſunt in quantite habente tres digitos, & habente tres palmos; vtrimque enim ſunt tres. nemo tamen dixerit eſſe æquales. ſunt ergo æquales quæ ſibi congruunt, hoc eſt, quorum ſuppoſitorum extrema coincidunt, quod idem eſt ac dicere, quæ ſe adæquatè menſurant; quæ omnia non poſſunt eſſe ſine ordinabilitate ad locum, & impenetrabilitate locali. vt per ſe patet. ad id quod additur, reſpondeo nec habituras figuram, nec quantitatem. non figuram, quia figura propriè dicta eſt localis. quod patet; quia figuram, exempli gratia, oblongam dicimus, quæ maiorem diſtantiam neceſſario dicit in extremis longitudinis quam latitudinis. hoc autem ſine locali diſtantia non ſeruatur. idem dicendum eſt de diſtantia propriè dicta. dico propriè dicta, quia concedi poteſt figuram internam, & diſtantiam entitatiuam, impropriaſ tamen, reperiri ſiue quantitate. quod idem de menſura dici poteſt. nam menſura propriè & per

ſe excommuni hominum vſu dicitur de magnitudinibus in ordine ad locum, quæ palmo, digito, & ſimilibus menſurantur. ex quo etiam ſequitur id quod diximus, æqualitatem nempe, & inæqualitatem eſſe proprie in quantitate, in qua poteſt eſſe menſurabilitas in ordine ad locum. quod autem id ſequatur manifeſtè patet, quia illa ſunt æqualia, quæ ſibi mutuo congruunt, vt diximus, hoc eſt, quorum vnum eſt adæquata menſura alterius. contra vero inæqualia.

# QVÆSTIO DECIMASEPTIMA.

*Vtrum quantitas diſtinguatur à ſubſtantia.*

I.

*Occam, Albertus de Saxonia, Leſsius, Gorlæus, & alii, negant quantitatem diſtingui à re quanta.*

NOminales communiter arbitrantur quantitatem à ſubſtantia non diſtingui; vnde negant in ſanctiſſimo Sacramento manere quātitatem panis, & dicunt tantum manere quantitates aliorum accidentium. in quo, contra conſuetum ipſorum modum, multiplicant in vnaquaque re quantitates, & dicunt in quacumque re materiali totidem eſſe quantitates, quot ſunt entitates diſtinctæ à ſe inuicem. ita Occam in ſua Logica cap. 44. in opuſculo de Euchariſtia quodlibeto 4. & alibi ſæpe, Albertus de Saxonia 1. Phyſic. quæſt. 6. & 6. Phyſic. quæſt. 1. Gabriel, & alij veteres, quos tanquam probabiliter philoſophantes ſequitur Hurtadus diſput. 13. Metaphyſicæ, ſectione 2. abſolutè Leſſius lib. 12. de perfectionibus diuinis cap. 16. Dauid Gorlæus exercitatione 6. Philoſophica, & alij recentiores.

*S. Thomas, Scotus, & alii, affirmant diſtingui.*

Contraria ſententia, & communis, negat quantitatem eſſe accidens realiter à ſubſtantia cæteriſque accidentibus diſtinctum. ita diuus Thomas 3. p. quæſt. 67. art. 2. Scotus, & alij veteres Theologi communiter, qui videri poſſunt apud Fonſecam 5. Metaph. cap. 13. quæſt. 2. Suarium diſp. 40. ſectione 2. cum quibus

II.

*Concluſio, quantitatem diſtingui à re quanta. Prima probatio.*

Dicendum eſt breuiter quantitatem eſſe accidens, nemine cogitante diſtinctum à ſubſtantia quanta, eiuſque accidentibus.

Probatur primò auctoritate Philoſophi 1. Phyſic. vbi diſputans contra Parmenidem, qui omnia dicebat eſſe vnum ens infinitum, oſtendit ipſum ſecum pugnare. ſi enim ex ſubſtantia infinita, iam ponuntur duo entia, ſubſtantia videlicet & quantitas, cuius proprium eſt infinitas in extenſione. Philoſophus autem intellexit duo entia realiter, alioquin contra Parmenidem nihil concluſiſſet.

Probatur ſecundo ratione breuiter; quia ſi ſubſtantia haberet ſuam quantitatem trinè dimenſam, & alia accidentia eodem modo ſuas, ſequeretur plura quanta & corpora ſeſe inuicem penetrare; quod eſt

abſurdum. ſequela probatur; quia albedo in lacte, verbi gratia, cum eſſet trinè dimenſa, ac proinde corpus, penetraret dulcedinem, quæ etiam eſſet trinè dimenſa & corpus. neque dicas cum quibuſdam nominalibus, illas quantitates poſſe ſe penetrare, quæ ſe habent vt actus & potentia, vel vt actus eiuſdem potentiæ, alias vero non poſſe. addunt alij quantitates diuerſæ ſpeciei poſſe ſe penetrare, non eiuſdem. contra enim eſt; quia ſi quantitates quæ ſe habent vt actus & potentia, poſſunt ſe penetrare, maximè quia naturaliter ordinatæ ſunt vt ſint ſimul, vt concedunt ipſi nominales, & patet, quia alioqui id gratis diceretur. ſed hæc ratio non valet. ergo &c. minor probatur. anima debet eſſe ſimul cum corpore; & quidem ut actus cum potentia, lumen ſimul cum aëre, locus ſimul cum locato; & tamen Ariſtoteles negat poſſe eſſe quantitates trinè dimenſas, quia ſequeretur penetratio & ſimultas ſecundum eundem locum. ita Ariſtoteles 1. de anima, textu. 62. & alibi. contra id quod addunt alij, facit, quia corpus omne ſubſtantiale ſublunare penetrare ſe poſſet naturaliter cum cœlo, quia eſt diuerſæ ſpeciei.

Dices. ſubſtantia antecedenter ad quantitatem habet extenſionem partium. ergo fruſtra ponitur quantitas tanquam accidens diſtinctum à ſubſtantia. conſequentia patet. antecedens probatur; quia partes quantitatis, ſi ponantur realiter diſtinctæ à ſubſtantia, aliiſque, debent ſubiectari in partibus ſubſtantiæ. ergo in aliquo priori præſupponit iam ſubſtantiam habere partes. III. *Fundamenta aduerſariorum explicantur.*

Reſpondeo, quantitatem præſupponere, vt ſupra diximus, partes entitatiuas ſubſtantiæ aliorumque accidentium, & conſequenter extenſionem internam & entitatiuam, quæ tamen vlterius non præſupponit aliam extenſionem.

Dices ſecundò. ſi quantitas eſſet accidens à ſubſtantia realiter diſtinctum, poſſet, diuina virtute ſaltem, ſeparari. ſed hoc eſt impoſſibile. ergo & id vnde ſequitur. minor probatur; quia ſi fingamus ſubſtantiam, verbi gratia, animalis à quantitate ſeparari, & redigi in punctum, adhuc haberet extenſionem, qua, ſublata quantitate, caput & pedes, qui valde diſtant, per motum localem deberent ad punctum pergere, & non in inſtanti. ergo aliquo ſaltem tempore manerent extenſæ ſine quantitate ſuperaddita.

Reſpondeo. facta illa ſuppoſitione ſubſtantiam in inſtanti redigi ad punctum loci exigeret. hoc autem totum non fieret per motum localem, ſed per ſublationem quantitatis, tanquam rationis formalis, & per deſitionem eſſendi in loco extenſo.

# QVÆSTIO DECIMAOCTAVA:

## *An partes ſint actu diſtinctæ in quantitate?*

*Oſtenditur quantitatem, non componi ex indiuiſibilibus.*

I. SVppono cum Ariſtotele 6. Phyſic. & lib. de lineis inſecabilibus, Doctore Subtili conterraneo in 2. diſt. 2. quæſt. 9. & 7. Phyſic. q. 1. & aliis Peripateticis communiter contra Maiorem conterraneum in 4. ſent. & fusè in 2. diſt. 2. q. 1. Gerardum Odonis, & Nicolaum Turonenſem apud Franciſcum de Pirigianis in cómentariis ad quæſt. 1. 6. Phyſic. Scoti, & quoſdam recentiores, præſertim ex Societate Ieſu, vt referr Collegium Compluteñſe in Phyſica, ipſos ſecutos, quantitatem non componi ex indiuiſibilibus; quod manifeſtè & euidentiſſimè ab authoribus citaris pluribus probarur. ſequeretur enim (vt alia omirram) ex contraria ſententia Achillem nunquam poſſe aſſequi teſtudinem. pater; quia ſi teſtudo & Achilles moueantur ſimul ſuper lineam decem punctorum, dum Achilles acquirit ſecundum punctum, reſtudo, vel acquirir etiam ſecundum punctum, vel nihil. ſi nihil, eſt contra ſuppoſirum, quia ſupponimus ſimul cum Achille moueri, & relinquere primum punctum. nec poteſt dici acquirere mediam partem ſecundi puncti, quia iam punctum eſſet diuiſibile. ergo acquirir torum ſecundum punctum. ergo hactenus æque celeriter mota eſt teſtudo ac Achilles. pergamus. dum Achilles acquirit rertium punctum, teſtudo vel acquirit etiam tertium punctum, vel partem tertij, vel nihil. non nihil, quia alioquin ceſſaret moueri, quod eſt contra ſuppoſitum. non etiam partem, alioquin punctum eſſet diuiſibile. ergo terrium. ergo hactenus æquè celerirer mota eſt ac Achilles. & ſic procedi poreſt ad reliqua puncta. neque eſt quod reſpondeas non póſſe Achillem & teſtudinem poni in eodem puncto, & ab eodem incipere; non eſt, inquam, quod hoc reſpondeas, quia hæc reſponſio nihil facir ad vim argumenti. ponamus enim reſtudinem vno puncto præcedere, vel decem, vel cenrum, perinde enim eſt, ſequirur ſemper Achillem non poſſe aſſequi teſtudinem; quia ſi ponatur Achilles in primo puncto lineæ, reſtudo in ſecundo, dum Achilles acquirir ſecundum, reſtudó acquirir rerrium, dum Achilles rertium reſtudo quartum, & ſic ſemper vſque ad finem. reſpondentem vidi recentiorẽ quendam, Achillem eo inſtanti quo teſtudo acquirit vnú, acquirere rria vel quaruor. ſed in primis ex hac reſponſione ſequitur motum localem fore in inſtanri, quod ſuppono eſſe abſurdum; quia ſi motus localis poſſet eſſe in inſtanri, ſequeretur poſſe eſſe morum inter duas quietes, quæ ſint ſibi mutuò continuæ; copularentur enim vno in-

Digitized by Google

ſtanti, tanquam termino communi. ſecundò, hæc reſponſio non ſoluit argumentum, ſed relinquit in ſua vi; quia Achilles prius debet pertranſire ſecundum, & tertium, quam quartum. quando ergo Achilles eſt in ſecundo, vbi eſt teſtudo? non in ſecundo, quia ſic non moueretur. ſi eſt in tertio, procedit argumentum. denique ſi Achilles vno inſtanti quatuor puncta percurreret, quo tempore percurreret duo? ſi medio inſtanti, ſequitur inſtans eſſe diuiſibile; ſi eodem, ſequitur Achillem non prius eſſe in duobus primis punctis illorum quatuor, quam in duobus poſtremis. hoc ergo ſuppono tanquam luce clarius, & conſequenter ſuppono etiam quantitatem eſſe diuiſibilem in infinitum. ſi enim nulla pars continui ſit indiuiſibilis, ad nullam perueniri poteſt, quę nō poſſit adhuc in infinitum diuidi. quęſtio iam ſupereſt, an hæ partes in quas quantitas eſt diuiſibilis, ſint actu diſtinctæ, an vero tantum potentia, qua in re, II.

Prima ſententia eſt communis recentiorum in Hiſpania, affirmantium partes quantitatis, ſiue continui, eſſe inter ſe realiter diſtinctas. ita Suarius diſput. 7. ſect. 1. Rubius, Hurtadus, & alij Hiſpani paſſim. *Prima ſententia affirmans, Suarii, Rubii, Hurtadi, &c.*

Secunda ſententia eſt negantium. ita fere omnes antiqui. illam expreſſis vobis docet Sanctus Thomas in 4. diſt. 10. quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncula 3. ad 1. vbi ita loquitur. *Ad primum ergo dicendum, quod vnitas rei conſequitur eſſe ipſius. partes autem alicuius homogenei continui ante diuiſionem non habent eſſe actu, ſed potentia tantum. & ideo nulla illarum habet vnitatem propriam in actu. vnde actu non eſt accipere ipſarum numerum, ſed potentia tantum. & propter hoc forma quæ eſt tota in toto tali, & tota in partibus eius, non dicitur ante diuiſionem continui eſſe ibi pluries actu, ſed ſolum potentia, ſed poſt diuiſionem multiplicatur ſecundum actum; ſicut patet de anima in animalibus annuloſis. & ſimiliter corpus Chriſti ante diuiſionem hoſtiæ, quamuis ſit totum ſub qualibet parte hoſtiæ, non eſt tamen pluries actu ſub partibus illis, ſed tantum potentia. nec eſt inconueniens quod ſit ibi infinities in potentia.* hæc S. Thomas. videri poteſt etiam 8. Phyſ. ad textum citandum Ariſtotelis, & ad textum 63. & 36. 1. in eadem ſententia eſt Capreolus in 1. diſt. 43. quæſt. 1. art. 2. & poſt ipſum alij Thomiſtæ. ex antiquis interpretibus Ariſtotelis illam tuentur Auerroës 3. de anima comm. 33. & 8. Phyſ. textu 68. Themiſtius ibidem, Simplicius ibidem, alexander 7. Metaph. comm. ſuo 38. & 9. Metaph. comm. 10. Albertus 8. Phyſ. tract. 3. cap. 5. & alij communiter. ex Scotiſtis eandem defendit Ioannes Canonicus 6. Phyſ. quæſt. 1. art. 2. & alij Scotiſtæ communiter. eſt que communis opinio inter recentiores in Italia, & Gallia. cum hac ſententia, *Secunda ſententia negans, S. Thoma, Capreoli, Auerrois, Simplicii, Themiſtii, Ioannis Canonici, &c.*

Dicendum eſt partes in continuo non eſſe actu inter ſe diſtinctas, ſiue, quod idem eſt, partes non eſſe actu ſecundum multitudinem rea- III. *Concluſio negans.*

lem, quamuis ſint actu ſecundum ſuam entitatem.

*Prima concluſionis probatio.* Probatur primo ex Philoſopho, qui manifeſtè in hac eſt ſententia, & quidem pluribus in locis. primo enim 8. Phyſ. text. 68. ſic loquitur; *In continuo autem inſunt infinita dimidia; non actu, ſed potentia.* & per hoc ſoluit argumentum quo quærebatur, quomodo quantitas poſſet pertranſiri finito motu, & quomodo poſſent infinita dimidia finito tempore percurri? reſpondet illa non eſſe abſolutè infinita, ſed abſolutè finita, & infinita potentia. ſecundò, 3. Phyſ. textu 56. cum probaſſet non dari infinitum, objicit ſibi quod inde ſequeretur quantitatem non poſſe diuidi in infinitū. ad quam objectionem nō aliter reſpondet, quā non eſſe infinitam actu, ſed potentia; ſe autem negaſſe infinitum actu. tertiò. 4. Phyſ. textu 44. ſic habet, *quemadmodum autem dictum eſt, aliqua ſunt in loco poteſtate, aliqua actu; quapropter cum id quod ſimilium eſt partium continuum fuerit, partes poteſtate ſunt in loco; cuius autem diuiſum quidem ſit, ſed partes ſe tangunt, vt cumulus, actu.* 5. Metaph. text. 3. *cæterum continuum & finitum cum è pluribus inexiſtentibus vnum quidem ſit, maximè quidem potentia, non actu.* denique 7. metaph. text. 49. præclaram habet ſententiam, quæ mirum in modum confirmat noſtram concluſionem. *Impoßibile enim eſt, inquit, ſubſtantiam ex ſubſtantiis eſſe, quæ ſic inſunt vt actu. quæ enim duo ſic actu ſunt, nunquam vnum actu ſunt. ſed ſi potentia duo ſunt, erūt vnum, vt duplum ex duobus dimidiis potentia; actus namque ſeparat. quare ſi ſubſtantia, vnum non erit ex ſubſtantiis inexiſtentibus, & ſecundum hunc modum quem rectè Democritus dicit. impoßibile enim ait eſſe ex duobus vnum, aut ex vno duo fieri. magnitudines namque indiuiſibiles ſubſtantias facit. patet igitur quod ſimiliter & de numero ſe habebit, ſi numerus quidem compoſitio vnitatum eſt, vt à quibuſdam dicitur. aut enim non eſt vnum dualitas, aut non ineſt in ea vnitas actu.*

*Reſponſio aduerſariorum.* Reſpondent aduerſarij, Ariſtotelem tantum velle quod in continuo non ſint partes actu diuiſæ, non autem velle quod in continuo non ſint partes actu diſtinctæ.

*Impugnatur.* Sed contra eſt. primo quidem, quia hinc ſaltem habemus Philoſophum non exiſtimaſſe ita loquēdum eſſe vt loquuntur aduerſarij, & abſolutè illum voluiſſe partes in continuo non eſſe multa actu, ſed potentia. à quo modo loquendi non debent recedere aduerſarij. ſecundò Ariſtoteles vult in continuo non eſſe duo actu, non eſſe duo dimidia actu, non eſſe plura actu, non eſſe multitudinem actu &c. quomodo ergo aduerſarij dicunt eſſe plura actu? eſſe multitudinem actu? eſſe dimidia actu? &c. tertiò. quando Ariſtoteles dicit in continuo non eſſe actu infinita dimidia, ſed potentia, quæro quiſnam ſit actus reſpondens illi potentiæ? id eſt per quid debēt fieri actu dimidia? per ſeparationemne? quomodo? quandoquidem facta ſeparatione

non ſint amplius dimidia, quomodo fiunt actu dimidia per id quod facit vt non ſint amplius dimidia? potius itaque dicendum eſt, per ſeparationem fieri actu multa.

Denique ex eo impugnatur ſolutio, quod quando dicit Ariſtoteles poſſe pertranſiri quantitatem per motum, quia in illa non ſunt infinita actu, ſi tantum intelligeret actu diuiſa, non ſolueret argumentum Zenonis, quia eodem modo infinitum actu pertranſiretur, ſiue eſſent partes ſeparatæ actu, ſiue non eſſent, dummodo eſſent actu infinitæ diſtinctæ, quæ in motu numerarentur. ſeparatio enim neque auget numerum &. infinitatem partium, neque magnitudinem, vt experientia patet.

Probatur ſecundo ratione. ſi partes in continuo eſſent actu diſtinctæ, ſequeretur quantitatem conſtare ex indiuiſibilibus. conſequens. vt iam dictum eſt, falſum eſt. ergo & antecedens. ſequela majoris probatur. accipiatur certa aliqua pars, & de illa quæro vtrum diſtinguatur à qualibet alia parte, necne? ſi diſtinguitur actu, ſequitur non eſſe diuiſibilem in ſemper diuiſibilia, quandoquidem nemine cogitante diſtinguitur ab illis partibus in quas eſt diuiſibilis. illud autem quod diſtinguitur ab iis in quæ poteſt diuidi, non eſt diuiſibile in illa. nam ad hoc vt ſit diuiſibile in illa, debet ſaltem ea includere in ſe. at nos non quærimus hoc loco, vtrum vna pars in continuo ſit diſtincta ab alia parte, tanquam includens & incluſum; ſed quærimus vtrum quælibet pars ſit contradiſtincta à qualibet parte, hoc enim eſt, vnum non eſſe realiter aliud. confirmatur. ſi continuum diuiſum eſſet actu in omnes ſuas partes, illæ eſſent indiuiſibiles. ergo ſi eſſet diſtinctum in omnes ſuas partes, illæ eſſent indiuiſibiles. conſequentia vt probetur, ſuppono id quod certum eſt, partes ſeparatas & diuiſas à partibus tantum diſtinctis hoc ſolum differre, quod ſeparatæ non habeant vnionem illam inter ſe, quam habent diſtinctæ tantum. quare ſuppono certo certius non variari, neque in numero, neque in magnitudine, ſi ex diſtinctis tantum fiant ſeparatæ vel diuiſæ, neque contra ſi ex diuerſis tantum fiant diſtinctæ. hoc præſuppoſito, ſic arguo. vnio partium non facit partes maiores quam ſi eſſent diuiſæ, ſed ſi eſſent omnes diuiſæ, non eſſent maiores, quam indiuiſibiles. ergo neque ſi eſſent omnes diſtinctæ. confirmatur. quia ſi ſunt diſtinctæ, ergo ſingulæ à ſingulis; non enim eſt maior ratio vnius quam alterius. accipio ergo vnam; vel eſt diſtinguibilis, vel indiſtinguibilis. ſi non eſt diſtinguibilis, ergo indiuiſibilis; quia eas in partes eſt diſtinguibilis, in quas eſt diuiſibilis. ſi eſt diſtinguibilis, ergo aliquæ non ſunt ab inuicem actu diſtinctæ, & conſequenter nullæ. *2. Probatio conclusionis.*

Probatur tertiò. ſi partes in continuo ſunt actu diſtinctæ, ſequitur circulum maiorem æqualem eſſe minori, & diametrum quadrati eſſe *Alia probationes.*

æqualem lateri ipſius quadrati; quod eſt contra omnem ſenſum & rationem. ſequelam ſic probo. circulus maior & minor, diameter quadrati & latus, haberent totidem puncta. ergo haberent etiam totidem partes; puncta enim ſunt termini actuales partium. quot igitur ſunt puncta & partes in vno circulo actu, tot etiam ſunt actu puncta & partes in alio circulo. quod autem circulus maior & minor totidem haberet puncta, clarum eſt ex iis quæ diximus contra illos qui aſſerunt quantitatem componi ex indiuiſibilibus; de facto enim infinitæ lineæ à centro ad omnia puncta circuli maioris tranſirent per infinita puncta circuli minoris, & conſequenter circulus minor tot puncta haberet quot maior.

Probatur quartò. ſi partes eſſent omnes actu diſtinctæ, ergo, ſaltem de potentia Dei, poſſent omnes eſſe actu diuiſæ; quod eſt contra naturam, & eſſentiam continui. ſequela patet. Deus cognoſcit diſtinctè omnes partes in continuo eſſe actu inter ſe realiter diuerſas. ergo poſſet illas diuidere, quandoquidem vna eſſet extra aliam. poſſet autem tollendo vnionem, quam aduerſarij volunt diſtinctam.

Probatur quintò. ſi partes ſunt actu in continuo diſtinctæ, vel quælibet eſt indiuiſibilis, vel diuiſibilis. ſi indiuiſibilis, continuum componitur ex indiuiſibilibus. ſi diuiſibilis, conſtat ex aliis partibus actu vnde non eſſet vna pars certa accepta, contra ſuppoſitum, cum multas alias cõtineat partes. dices non poſſe accipi vnam partem quæ non includat alias. ſed contra, non poteſt accipi multitudo actualis, niſi conſtet ex vnitatibus indiuiſis.

Probatur ſextò. ex contraria ſententia ſequitur infinitum actu. conſequens eſt contra Ariſtotelem, & contra ſupradicta. ergo ſequela patet, quia omnes partes in continuo ſunt actu, non ſunt autem finitæ; neque enim magis duæ quam decem, quam centum, &c. & ſic in infinitum. ergo infinitæ.

Reſpondent aliqui, partes iſtas eſſe infinitas ſyncategorematicè, non categorematicè.

Sed contra eſt, quia nihil deeſt numero partium continui, vt ſint infinitæ categorematicè. ergo vere ſunt infinitæ categorematicè. & confirmatur, quia illud eſt infinitum ſyncategorematicum, quod eſt infinitum potentia. atqui infinitum partium non eſt infinitum potentia. ergo nec eſt infinitum ſyncategorematicum. minor patet. cum enim tale infinitum habeat omnes partes actu, & nullam potentia, non eſt infinitum potentia. quod vero idem ſit ſyncategorematicum & potentia, patet, quia iuxta communem modum loquendi authorum, infinitum ſyncategorematicum eſt illud quod eſt in ſententia Ariſtotelis poſſibile. hoc autem eſt infinitum potentia. deinde infinitum ſyncategorematicum, non eſt aliud quam numerus finitus in in-

Digitized by Google

finitum. atqui hoc non conuenit toti illi numeto partium, cum non habeat terminos, neque ſit magis binarius quam ternarius &c. ergo non eſt infinitus ſyncategorematicè. Omitto multa alia quæ contra hanc ſolutionem adferri poſſunt.

Reſpondent alij repugnare infinitum in actu, quod habeat infinitatem ſimpliciter. huiuſmodi autem non eſſe illa, quæ quamuis quoad numerum ſint infinita, componunt tamen quantitatem finitam, cuiuſmodi ſunt partes quantitatis.

Sed hæc ſolutio nulla ratione ſtare poteſt cum Philoſopho, neque cum ratione. non cum Philoſopho, quia ipſe, vt conſtat ex 3. Phyſ. textu 55. & deinceps, nullum aliud agnouit infinitum niſi potentia. infinitum autem potentia apud ipſum eſt, cuius pars actu eſt, pars vero potentia, & aliquid in futurum expectat. ſed infinitus numerus partium continui non expectat aliquid in futurum, ſed totaliter eſt quantum poteſt. ergo non eſt infinitum in potentia, quod agnouit Ariſtoteles. cum ratione etiam ſtare nequit reſponſio, quia omnis multitudo conſtituitur in ſpecie per vltimam vnitatem. ergo cum in infinito numeto non poſſit dari vltima vnitas, numerus ille partium non erit in aliqua ſpecie numeri; quod eſt abſurdiſſimum. deinde, ſpecies multitudinis correſpondere debent ſpeciebus numeri. atqui nulla ſpecies numeri poteſt eſſe infinita; numerus enim eſt numerabilis. ergo neque ſpecies multitudinis. denique, ſequeretur vnum infinitum eſſe maius alio. nam ſi ex toto numero partium quæ ſunt in quantitate palmari detrahamus decem vnitates, id quod ſuperetit, erit infinitum, & minus illo in quo continebantur decem illæ vnitates, ſimul cum illis quæ remanent.

Probatur denique. ſi quantitas habet in ſe partes actu diſtinctas, vel habet diſtinctas ſecundum partes æquales, ita vt quæcumque quantitas ſit diuiſa in decem, vel viginti partes æquales, aut aliquem alium numerum; & cum non ſit maior ratio vnius, quam alterius, erit in omnes. vnde erunt actu infinitæ diſtinctiones in vna quantitate ſecundum partes æquales. ex quo ſequitur dari infinitas actu ſpecies numerorum, quod, vt diximus, eſt abſurdum, dari etiam infinitas relationes æqualitatis. vel habet in ſe partes inæquales, ita vt quæcumque quantitas diſtincta ſit in partes proportionales. ſed nec hoc dici poteſt; quia hinc ſequitur dari minimam partem in quantitate. patet; quia non poteſt eſſe actualis diſtinctio in omnes partes proportionales, niſi detur minima. ſicut enim vt fiat diuiſio in partes proportionales, primo debent eſſe actu duo dimidia, deinde vnum ex illis diuidi in alia duo, & ſic vlterius procedendo; ita de facto ſi ſit diſtnctio ſecundum omnes partes proportionales, debet deueniri ad vltimam, quæ actu ſit diſtincta, nec diſtinguibilis in alias, alioqui non

omnes partes proportionales eſſent actu diſtinctæ. multa alia argumenta adferri poſſent, quæ breuitatis cauſa relinquo; nec tam multa attuliſſem, niſi Hurtadus ridicule more ſuo iactabundus diceret, noſtram ſententiam nullo niti fundamento, & à quibuſdam tantum defendi, vt effugiant difficultates.

IV. *Aduerſariorum fundamenta diluuntur.* Objicies 1. Philoſophus ait quantitatem eſſe id cuius partes copulantur termino communi; ita enim tradit capite de quanto. Sed quod copulatur, dicit diſtinctionem; nihil enim ſibi ipſi copulatur. ergo partes in continuo dicunt diſtinctionem. præterea 5. metaph. text. 18. definit quantitatem eſſe diuiſibilem in ea quæ inſunt. ſed eſt diuiſibilis in partes. ergo partes ſunt in continuo. vnde ſanctus Thomas 5. metaph. lect. 15. ſic loquitur; *Quantum dicitur eſſe diuiſibile in ea quæ inſunt, ad differentiam diuiſionis mixtorum. nam corpus mixtum reſoluitur in elementa, quæ non ſunt actu in mixto, ſed virtute.*

Reſpondeo, & primò quidem ad primum locum Philoſophi, dico continuum eſſe id in quo aſſignabiles ſunt partes, & terminus communis illas copulans. idem re reſpondent alij, dicentes definitionem illam accipiendam eſſe fundamentaliter, non formaliter. ad ſecundum locum, reſpondeo quantum eſſe diuiſibile in ea quæ inſunt actu quidem ſecundum entitatem, ſecundum diſtinctionem vero, abſtrahere ab eo quod eſt ineſſe actu, vel ſola potentia. in quantitate enim diſcreta, ſeu numero, actu inſunt partes; in continuo ſola potentia. vnde nihil inferri poteſt pro aduerſariis. ad ſanctum Thomam, reſpondent aliqui rectè aſſignari ab illo potuiſſe eam diſtinctionem inter partes in continuo, & inter elementa in mixto, quia elementa in eius ſententia non dicuntur eſſe in mixto, neque quoad diſtinctionem, neque quoad entitatem; in continuo autem partes inſunt actu, quoad materialem entitatem, quamuis non actu quoad diſtinctionem.

Vrgebis. per illud res diſtinguitur ab alia, per quod conſtituitur eius entitas. ſed datur in continuo partium entitas. ergo datur & partium diſtinctio.

Reſpondeo, per illud rem diſtingui ab alia, per quod conſtituitur eius entitas vltimò terminata per actualem indiuiduationem, non autem diſtingui per illud quo conſtituitur quomodocumque.

Objicies ſecundò cum collegio Complutenſi diſput. 25. Phyſic. quæſt. 3. ex ſacro Concilio Tridentino ſeſſ. 13. vbi dicit totum, & integrum corpus Chriſti Domini, verè, realiter, & ſubſtantialiter contineri in hoſtia conſecrata, & in ſingulis eius partibus ante diuiſionem. ergo &c.

Reſpondeo, Concilium loqui de partibus quoad entitatem, non quoad diſtinctionem, de qua nihil curare potuit eo loco Concilium.

Objicies tertiò. ſi vino conſecrato aliud vinum admiſceatur non conſecratum, ita vt ex ſpeciebus fiat vnum continuum, deſinentibus prioribus entitatibus diſtinctis, Chriſtus Dominus non eſſet præſens amplius ſpeciebus, imo deberent accidentia priora corrumpi. ergo. &c.

Reſpondeo, in eo caſu partes priores non deſinere quoad entitatem, ſed quoad vltimam terminationem, & diſtinctionem ab aliis.

Sed vrgebis. quamdiu manet fundamentum diſtinctionis, debet manere diſtinctio. fundamentum autem diſtinctionis harum partium eſt entitas, quæ ex dictis remanet. ergo &c.

Reſpondeo, fundamentum diſtinctionis non eſſe entitatem præcisè ac per ſe ſumptam, ſed quatenus eſt terminata, ita vt fundamentum incompletum diſtinctionis actualis partium (de qua ſola hoc loco agimus) ſit earum entitas, vel exiſtentia &c. de qua in Metaphyſica diſputari ſolet, compleatur autem per terminationem, tanquam per quoddam connotatum. hæc vero terminatio nihil aliud eſſe videtur, quam extenſio ad tantum vel tantum ſpatium, & non vltra. quando enim duo palmi, exempli gratia, non ſunt coniuncti, ſed ſeparati, ac ſeorſim poſiti, certam habent & determinatam extenſionem, ita vt ad tantum vel tantum ſpatium, & non vltra protendantur; quando vero coniunguntur, & continuantur, vnuſquiſque eorum amittit propriam extenſionem, quoad tantum vel tantum ſpatium præcisè, & recipit vlteriorem extenſionem. hinc aduerte ad multorum argumentorum ſolutionem, in duabus aquis, verbi gratia, quando vniuntur, perire diſtinctionem partium, quia perit complementum diſtinctionis, id eſt terminatio. quod autem pereat terminatio illarum duarum aquarum quando continuantur, patet, quia cum antea eſſent duæ, quarum vniuſcuiuſque ſuperficies erat palmaris, verbi gratia, iam incipiunt eſſe vna, cuius ſuperficies ſit bipalmaris.

Objicies quartò. cauſa & effectus debent ab inuicem nemine cogitante diſtingui, alioquin idem produceret ſeipſum, quod implicat contradictionem. ergo partes in continuo nemine cogitante diſtinguuntur. conſequentia probatur; quia partes in continuo, ita aliquando ſe habent ad inuicem, vt vna ſit cauſa, altera effectus. accenditur enim, exempli gratia, palea. aliqua pars paleæ combuſta comburit ſequentem. ergo diſtinguitur à ſequente, cum ſit cauſa eius.

Reſpondeo, variis modis ad hoc argumentum reſponderi ſolere, quibus omiſſis dico breuiter; ſi conſideremus inſtans, vel tempus in quo exercetur cauſalitas efficientis, neceſſariò illos duos ignes non eſſe continuos, ſed inter ſe diſtinctos. cuius ratio euidens eſt; quia effi-

ci, & efficere, important diſtinctionem nemine cogitante eorum quibus competunt, pro eo tempore quo vnum efficit, alterum efficitur. ex quo patet idem de prioritate naturæ multo magis eſſe dicendum. Si vero loquamur de tempore ſubſequenti ad exercitium cauſalitatis, dico nunquam entitatem cauſæ identificari entitati effectus, vel è contra; ſed vtramque tranſire in tertiam quandam entitatem, in qua nulla eſt diſtinctio actualis. hoc autem eſt quod ſæpe nos decipit in hac re. nam ex eo quod vnum alteri non identificatur, aut non poſſit identificari, inferimus non poſſe ex illis quæ præ fuerunt diſtincta conflari vnum tertium, nullam in ſe retinens actualem diſtinctionem.

Objicies quintò cum Rubio. continuum eſt aliquod totum integrale nemine cogitante. ergo habet partes integrales nemine cogitante.

Reſpondeo, meminiſſe debuiſſe Rubium Philoſophum 10. Metaphyſ. textu 1. aſſerere continuum propriè non eſſe aliquod totum, ac proinde proprie, & in rigore non habere partes. vnde reſpondeo aliud eſſe genus totius per modum continui, quod eſt vnum quid ſimplex; aliud per modum heterogenei, & non continui, quod eſt vnum compoſitum; quia continuum eſt entitas formaliter ſimplex, fundamentaliter tantum & deſignabiliter compoſita. vnde parui momenti eſt hoc Rubij argumentum.

Objicies ſextò. de eadem re verificari non poſſunt contradictoria. ſed de vno continuo verificantur. ergo vnum continuum non eſt eadem res. ergo in continuo ſunt plura numero, ſiue plures res. minor probatur; verificatur enim de eodem continuo, ſi vna eius pars ſit alba, alia non, vna calida in ſummo, alia non, eſſe album, & non eſſe album, eſſe calidum in ſummo, & non eſſe. hæc autem ſunt contradictoria. ergo.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. de vno & eodem numero impartibili, ſeu in eadem parte deſignabili extra partem, concedo majorem; de vno & eodem numero partibili, ſecundum diuerſas eiuſmodi partes deſignabiles, nego majorem. in quo animaduertere debemus nunquam eſſe concedendum abſolutè verificari duo contradictoria; nam ad hoc vt aliqua ſint contradictoria, neceſſarium eſt vt vtraque pars contradictionis cadat ſupra idem indiuiſibile omnino. quod in caſu noſtro non contingit.

Objicies vltimò. nemine cogitante pars cœli quæ eſt in oriente, non eſt pars cœli quæ eſt in occidente. ergo ante deſignationem vna non eſt alia.

Reſpondeo, per hanc propoſitionem, pars cœli quæ eſt in oriente non eſt illa quæ eſt in occidente, & ſimiles alias locutiones, nihil aliud

ſignificari, niſi à parte rei dari aliquid, quod ſit fundamentum ſufficiens concipiendi vnam partem diſtinctam ab alia, & formandi huiuſmodi propoſitiones, quæ veræ proinde ſunt in hoc ſenſu fundamentali, nec aliam in rebus diſtinctionem, quam fundamentalem ſeu virtualem requirunt. vnde diſtingui poteſt antecedens. pars cœli quæ eſt in oriente, non eſt illa quæ eſt in occidente, fundamentaliter concedo, formaliter nego. intelligo autem ante omnem deſignationem. ſecundo dico, cum dicimus hanc partem cœli quæ eſt in oriente, non eſſe illam quæ eſt in occidente, iam fieri deſignationem, ac proinde diſtinctionem; vnde reſpectu huius deſignationis propoſitio vera eſt. hinc autem ſolum inferri poteſt, partes continui actu, diſtingui reſpectu deſignantis, non autem in ſe, & ante omnem deſignationem. quod valde aduertendum eſt in præſenti materia. ſicuti enim, verbi gratia, in ſententia aduerſariorum res viſa à re eadem vt non viſa diſtinguitur actu realiter per extrinſecum reale connotatum, hoc eſt, viſionem, ita pars deſignata dicit, & ſeipſam, & deſignationem, quæ eſt actus vel intellectus, vel viſionis, vel tactus, &c. & ideo pars inuoluens deſignationem realiter extrinſecè immutatur, realiterque diſtinguitur à parte non inuoluente deſignationem. multa alia argumenta objici poſſunt. exempli gratia, quæ ſeparari poſſunt nemine cogitante diſtinguuntur, præſertim ſi vtrumque manere poſſit ſine altero. atqui duæ partes quantitatis ſunt hujuſmodi. ergo &c. & ſimilia. ſed ex dictis clariſſime omnia ſoluuntur, & in particulari hoc (quod eſt Suarij argumentum) ex ſolutione tertij argumenti aduerſariorum ſupra poſiti facile diluitur. hoc enim verum eſt, ſi retineant ſuum eſſe quando ſunt ſeparata, eo modo quo habebant quando erant coniuncta. iam vero partes continuæ, quæ realiter ſunt ſeparatæ, habent proprium eſſe diuerſum ab eo quod habebant quando erant vnitæ, & ratione huius proprij eſſe diſtinguuntur. vide quæ diximus in fine ſolutionis tertiæ objectionis.

Quæres, an indiuiſibilia terminatiua ſint actu in fine continui? dico indiuiſibilia terminatiua, quia ex dictis conſtat continuatiua non eſſe actu in continuo diſtincta, cum non ſint partes actu diſtinctæ.

Reſpondeo, puncta terminatiua, quoad poſitiuum quod dicunt, non eſſe actu diſtincta à continuo ante deſignationem, quamuis, quoad negatiuum quod dicunt, ſint actu diſtincta. ſecunda pars reſponſionis patet; quia negatio nemine cogitante diſtinguitur ab ente poſitiuo, eo modo quo diſtingui poteſt. prior pars facile probatur contra Suarium; quia non poteſt aſſignari ſubjectum punctorum, & indiuiſibilium terminatiuorum realiter diſtinctorum, non enim eſt quantitas, nec indiuiſibile materiæ. ergo nullum habent ſubjectum. non quantitas, quia forma accidentalis (cuiuſmodi ſunt puncta) quæ

informat aliquod ſubjectum, debet eſſe intimè præſens illi ſubjecto; indiuiſibilia autem non poſſunt eſſe intimè præſentia quantitati. non etiam indiuiſibile materiæ; quia inde ſequeretur cótinuò annihilari, & creari aliquid materiæ. ſint enim duæ aquæ diuiſæ, quæ coniungantur, pereunt duæ ſuperficies terminatiuæ quantitatis aquæ. vel ergo pereunt etiam duæ ſuperficies entitatiuæ materiæ, quæ erant ſubjectæ ſuperficiebus quantitatis, vel non. ſi pereant, hoc non poteſt fieri niſi per annihilationem. ſi manent, ergo aqua manet diuiſa ab alia, quia vtraque habet propriam ſuperficiem, nec copulantur termino communi. ſi dicant, ex duabus ſuperficiebus fieri vnam; vel illa vna eſt noua, & ſic primæ perierunt; vel eſt conflata ex primis, & hoc non poteſt intelligi. quomodo enim vniuntur inter ſe duæ illæ ſuperficies? &c. Non poteſt ergo vllum aſſignari ſubjectum indiuiſibilium terminatiuorum, & per conſequens nulla dantur realia actu diſtincta. ſunt itaque indiuiſibilia terminatiua aliud nihil, quam ipſa quantitatis entitas, prout annexam habet, ſiue prout dicit negationem vlterioris extenſionis.

# QVÆSTIO DECIMANONA.

*An dari poßit infinitum actu? vbi etiam agitur, an poßit Deus, qualibet ſpecie dabili, aliam ſub eodem genere perfectiorem producere &c.*

I. *Prima ſentent. Nominalium. Hurtadi, Vaſquez, &c.*

PRIMA ſententia eſt communis Nominalium, eaque affirmans. ita Occam, & Gabriel in 2. diſtinct. 1. Gregorius in 1. diſtinct. 44. quos ex recentioribus ſequuntur nos pauci, inter alios Vaſquez 1. part. diſputat. 26. & 63. Hurtadus in diſput. de infinito, & alij.

*Secunda ſent. Scoti, Diui Thomæ. Durandi. S. Bonauentura, &c.*

Secunda tamen ſententia verior, ac communior inter Theologos & Philoſophos, eſt eorum qui contendunt implicare contradictionem dari infinitum actu. ita Scotus in 2. diſtinct. 1. quæſt. 3. quem ſequuntur Scotiſtæ communiter. Diuus Thomas 1. parte quæſt. 7. art. 3. & alibi ſæpe; quem ſequutur Thomiſtæ omnes. Durandus in 1. diſtinctione 43. Sanctus Bonauentura, & alij, tam antiqui quam moderni. & eſt ſententia Ariſtotelis, qui quamuis non agat de implicantia contradictionis, abſolute tamen docet non poſſe dari. cum hac ſententia

II. *Prima Authoris concluſio.*

Dico primò, implicare contradictionem dari infinitum in eſſentia ſub tota latitudine entis.

Probatur hæc co nclusio facilè; quia talis creatura eſſet Deus; plures autem Deos eſſe implicat contradictionem, vt ſuppono ex Metaphyſica. *Eiuſdem probatio.*

III. Dico ſecundò, non poſſe dari creaturam in eſſentia ſub aliquo certo & determinato genere infinitam. *2 Concluſio.*

Probatur; quia nulla creatura poteſt conſtare gradibus eſſentialibus, genere nimirum & differentia, infinitis. ergo nec eſſentiam infinitam habere. conſequentia patet; quia infinitum non poteſt niſi ex infinitis coaleſcere, cum finitum finito additum nunquam infinitum efficiat. antecedens probatur. gradus genericus vt ſic, non poteſt perfectionem infinitam dicere, cum ſit quid potentiale, à perfectione differentiarum abſtrahens. nec item differẽtialis gradus, cum vt ſic, nec etiam vice verſa generis perfectionem includat. ergo nulla creatura poteſt conſtare gradibus eſſentialibus infinitis, nec ex conſequenti eſſentiam infinitam habere. *Prima probatio eiuſdem.*

Probatur ſecundò. ſi quæ creatura eſſet ita infinita, deberet habere omnes perfectiones ſibi connaturales eſſentialiter infinitas. verbi gratia, ſi quis homo in eſſentia ſua eſſet infinitus, in eſſentia deberet etiam omnes perfectiones ſibi naturales infinitas habere; ergo infinitam volendi & intelligendi potentiam, ſimulque infinitos habitus illis potentiis proportionatos; vim quoque agendi, producendi, & mouendi infinitam; actuſque ſimpliciter infinitos, vtpote omnibus iſtis facultatibus proportionatos, poſſe elicere; ergo & infinita corpora ſimul mouere, infinita intelligere, ſicque Deum comprehendere, infinita producere, & ſimilia, quæ ſoli Deo conuenire, abſque eo quod poſſint creaturis communicari, conſtanter docent omnes Theologi. *Secunda probatio.*

IV. Dico tertiò, implicare contradictionem dari infinitum actu in multitudine. *Tertia concluſio.*

Probatur; quia ex contraria ſententia ſequeretur fore infinitum quidem, ex ſuppoſitione; non fore infinitum, quia ſemper illi aliquid addi poſſet, ſaltem aliquid aliarum rerum diſtinctarum. ſecundò. ex ſuppoſitione infiniti in multitudine, ſequitur in illo eſſe infinitos denarios, infinitos centenarios, infinitos millenarios, & ſic eſſe in illo infinities infinitum. ſequela patet, quia ſi binarij eſſent finiti, vel centenarij, vnitates etiã eſſent finitæ; nam finitum finito additum non facit infinitum. quod ſi vnitates eſſent finitæ, numerus non eſſet infinitus. deinde, ſi binarij eſſent finiti, numerus conſtans ex finitis binariis continet adhuc ſemel tam multas vnitates quot ſunt binarij, & ſic eſt finitus. quod ſi admittatur in numero quolibet infinito eſſe infinitos centenarios, infinitos millenarios, &c. ſequitur primò partem eſſe æqualem toti; nam tantus eſt numerus vnitarum, quan- *Probatio multiplex concluſionis.*

tus centenariorum. ſequitur præterea ab infinito numero poſſe infinitum numero actu detrahi, & tamen remanere infinitum; nam ſi ex infinitis centenariis auferantur infinitæ vnitates, remanebit nihilominus numerus infinitus.

V. Dico quartò, non poſſe dari infinitum in magnitudine.

*Quinta concluſio.*
*Varia probationes concluſionis.*

Probatur, aduertendo infinitum in magnitudine eſſe, quod habet partes infinitas æquales vni certæ; verbi gratia, ſi aliquod eſſet lignum quod infinitos pedes contineret, eſſet infinitum actu in multitudine. hoc poſito, ſic argumentor. ex infinito in magnitudine, ſequitur partem poſſe eſſe æqualem toti. conſequens implicat contradictionem. ergo & antecedens. ſequela patet; nam occuparet tantum ſpatium, quantum totum. ſit exemplum. ſi eſſet columna verſus orientem infinita, verſus occidentem finita; ſi ab ea ex ea parte qua eſt finita abſcinderetur vna vlna, deinde reſiduum columnæ promoueretur verſus occidentem, vt ita occuparet ſpatiū quod occupabat vlna abſciſſa, tunc ſequeretur reſiduum columnæ tantum ſpatij occupare, quantum integra columna occupabat. ſequeretur ſecundò, aquam infinitam poſſe in decuplum rareſieri, & tamen non occupare maius ſpatium quam occupabat antè, quia ex ſuppoſitione ante occupabat infinitum; eſſet enim finitum ſimul, & infinitum. Deniqueſequeretur pedes eſſe æquales paſſibus, & paſſus miliaribus; quia in infinita magnitudine, infiniti pedes tantum facerent, quantum infiniti paſſus, imo quantum infinita miliaria, & infinitæ leucæ. æquè enim occuparent ſpatium infinitum.

VI. Dico vltimò, non poſſe dari infinitum in intenſione.

*ſexta concluſio.*
*probatio duplex concluſionis.*

Probatur concluſio argumento diui Thomæ, quod applicari poteſt omni infinito, ſiue in intenſione, ſiue in extenſione &c. agens per intellectum, nihil poteſt determinatè facere, niſi determinatè ſciat id quod vult facere, omniaque neceſſaria ad illud. atqui infinitum actu, & illa quæ requiruntur ad illud, non ſunt determinatè intelligibilia à Deo. ergo nequeunt à Deo determinatè fieri. minor patet; quia ſi daretur infinitum actu, quocumque gradu detracto, remaneret adhuc infinitum actu in intentione, alioquin detracto finito remaneret infinitum. ſecundò probatur; quia ſequeretur tot eſſe intenſiones vt octo, quot vt quatuor; quod eſt abſurdiſſimum.

VII. Obiicies primò. cuilibet potentiæ actiuæ reſpondere debet effectus adæquatus poſſibilis. ergo diuinæ omnipotentiæ neceſſario reſpondere debet effectus adæquatus poſſibilis, ſed non actu finitus, quia finitus effectus non adæquat potentiam Dei infinitam. ergo actu infinitus, & conſequenter poteſt dari infinitum.

*Aduerſariorum argumenta proponuntur & ſoluuntur.*

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. cuilibet potentiæ finitæ actiuæ neceſſario reſpondere debet effectus adæquatus, tranſeat antecedens;

cedens;cuilibet potentiæ infinitæ actiuæ,nego antecedens.diſparitatis ratio eſt,quia in hoc conſiſtit infinitudo potentiæ,quod nullũ habeat effectum ſibi adæquatum,ſed quod finita in infinitum poſſit.addi poteſt,effectum non debere adæquare Deum,alioquin ex eodem argumento ſequeretur fieri infinitum in eſſentia,& alium Deum.

Objicies 2.plus poteſt ſolus Deus,quam infinitæ actu cauſæ creatæ. ſed infinitę cauſę creatę,ſi eſsẽt poſſibiles,poſsẽt facere aliquid infinitũ actu, v.g.infiniti actu ignes poſſent producere ignes infinitos.ergo &c.

Reſpondeo,argumentum procedere ex hipotheſi impoſſibili & abſurda;quia ſi darentur infiniti ignes, tunc tolleretur impoſſibilitas infiniti,qua ſublata,non eſt mirum Deum poſſe facere infinitum actu.

Sed inquies, ſi Deus ageret neceſſario ex neceſſitate naturæ, vt ipſum agere exiſtimauit Ariſtoteles, produceret infinitum actu. ſed in illo caſu non haberet majorem potentiam, quam jam habeat. ergo poteſt jam producere infinitum actu. major patet; quia ſi ageret ex neceſſitate naturæ,ſimul & ſemel produceret totum quod poteſt producere. ſed illud non eſſet finitum. ergo infinitum.

Reſpondeo,implicare Deum agere ex neceſſitate naturę.vnde non eſt mirũ poſito vno impoſſibili,aliud ſequi. addo quod ſi Deus ageret ex neceſſitate naturæ, fortaſſis nullum produceret effectum; quia deberet vel omnem,vel nullũ.omnem implicat.ergo potius nullũ. denique dici poteſt,quod ſi Deus ageret ex neceſſitate naturæ, produceret effectus ſecundum cuiuſque exigentiam. vnde ſi infiniti effectus non poſſent produci,non produceret,quia eſſet repugnantia ex parte effectuum; ſicut non produceret tempus in inſtanti,quia hoc repugnat.

Vrgebis. ſi in illo caſu non produceret Deus effectus infinitos, quot ergo produceret?

Reſpondeo hoc dici non poſſe,& hoc eſt abſurdum quod ex illa hipotheſi ſequitur, qua ſupponitur Deum neceſſario agere; non enim poſſet dari ratio determinationis effectuum,quæ in Deum libere operantem ſine dubio refertur.

Inſtabis.ad hoc vt producatur effectus finitus,non eſt neceſſaria virtus infinita. atqui,ex noſtra ſententia, Deus tantum poteſt effectum finitum facere. ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem.ad producendũ effectũ finitum categorematicè & ſincategorematicè ſimul non eſt neceſſaria virtus infinita,concedo majorem;ad hoc vt producatur effectus finitus categorematicè & ſincategorematicè infinitus non eſt neceſſaria virtus infinita,nego majorem.ad productionẽ enim effectus finiti,vltra quem potentia nequeat progredi,non eſt neceſſaria virtus infinita,eſt tamen neceſſaria ad productionem effectus,vltra quem potentia poſſit in infinitum progredi.

Dices. hac ratione multæ potentiæ creatæ eſſent infinitæ actu, quia poſſunt infinita ſincategorematicè; verbi gratia, vnus ignis poteſt

comburere infinita ligna, ſi illi applicarentur, intellectus angeli per omnem æternitatem producet infinitas intellectiones.

Reſpondeo, me non inferre infinitatem potentiæ, ex eo tantum quod poſſit infinita ſincategorematicè, ſed ex eo quod poſſit infinita perfectiora ſemper & perfectiora. nam cauſa creata, quando fecit effectum æque nobilem ac ipſa eſt, non poteſt nobiliorem producere; potentia autem diuina, quolibet effectu aſſignato, in infinitum poteſt nobiliorem ſemper & nobiliorem efficere. neque refert quod perfectiora & perfectiora in infinitum fortaſſis non ſint poſſibilia; ſatis enim eſt quod Deus habeat, quantum eſt ex ſe, potentiam illa ponendi, ſi illa in ſe non repugnarent, ſed eſſent factibilia. hinc enim optimè infertur potentia & virtus infinita in Deo. ſed, inquies, ſic ex objecto impoſſibili concluderetur potentia infinita reſpondens tali objecto. ſed hoc videtur ridiculum, cum impoſſibili nulla reſpondeat potentia, quia poſſibile & potentia ſunt correlata. Reſpondeo illam impoſſibilitatem infiniti effectus teneri ſe ex parte effectus, non ex parte cauſæ primæ, ſiue Dei; nec ſolum effectum abſolutè ponibilem eſſe objectum adæquatum diuinæ potentiæ, ſed etiam ponibilem ſub quacumque concepta conditione, ita vt verum ſit dicere, ſi chymera eſſet verum ens, Deus poſſet chymæram producere, & ſic de aliis conditionatis, quæ non poſſunt tranſire in abſolutas ex repugnantia ipſorum terminorum. Ratio autem cur ſic aſſignemus objectum diuinæ potentiæ, eſt quod diuina potentia non menſuratur ſeu quaſi ſpecificatur ab objecto, ſed ſeipſa quidem formaliter, ab eſſentia autem radicaliter, habet abſolutè abſque aliqua vera & reali habitudine ad obiectum factibile, quod poſſit in omne factibile. & hac ratione dici etiam poteſt infinitum abſolutè eſſe objectum diuinæ potentiæ. ex quo colligitur rectius dici infinitum non poſſe fieri, quam Deum non poſſe facere infinitum. quamuis ne quæſtio fieret de modo loquendi, loquuti ſimus vt communiter loquuntur Philoſophi; loquendum enim vt multi, ſapiendum vt pauci.

Inſtabis. ad producendum effectum perfectiorē & perfectiorem in infinitum, ſufficit virtus infinita ſincategorematicè, quemadmodū ad producendos infinitos calores, verbi gratia, vel infinitas intellectiones, ſatis eſt potentia quoad virtutem infinita ſincategorematicè.

Reſpondeo falſum eſſe antecedens; quia quod poteſt aliquid producere, pro eo inſtanti quo poteſt debet habere illud, vel formaliter, vel eminenter. Deus ergo cum non mutetur, ſimul & ſemper habet perfectionem omnem neceſſariam ad productionem cuiuſlibet effectus perfectioris & perfectioris in infinitum. vnde tanta debet eſſe virtus Dei actu, quanta eſt acceſſio nobilitatis effectus in potentia. deinde addo infinitatem omnipotentiæ diuinæ etiam peti ex aliis capitibus, nempe ex eo quod producat effectus independenter à quolibet, ad quod neceſſaria eſt illimitatio & infinitas; omnis enim

limitatio eſt à dependentia; cauſæ autem creatæ nihil efficere poſſunt independenter.

Dices. non minoris eſt efficaciæ voluntas Dei ad volendum, & potentia eius executiua ad operandum, quam ſit intellectiua illius ad intelligendum. atqui intellectus Dei, omnibus fatentibus, actu & ſimul fertur in infinita. ergo in illa ſimul ferri poteſt voluntas Dei, & potentia executiua illius.

Reſpondeo, voluntatem & potentiam executiuam eſſe æquales intellectui in hoc, quod ſicut intellectus adæquate fertur in omne intelligibile, ita & illæ feruntur in omne volibile adæquatè, & in omne poſſibile, non tamen eſſe in omnibus æquales. nam intellectus diuinus fertur in multa, in quæ ſine dubio non poteſt ferri voluntas illa volendo, nec potentia executiua efficiendo realiter, vt ſunt entia rationis, non entia, duo contradictoria, peccata, infinitum, & ſimilia.

Objicies tertiò. Deus poteſt facere tantum quantum poteſt facere. ſupponamus ergo tantum facere quantū poteſt. vel illud erit finitum, vel infinitum. non finitum, quia quolibet finito poteſt fieri majus à Deo. ergo infinitum. ergo Deus poreſt facere infinitum.

Reſpondeo, poſſe negari antecedens, deinde poſſe ſic diſtingui. poteſt Deus facere tantum quantum poteſt facere, ſumpta particula ***tantum*** excluſiuè, nego antecedens. facit enim ſenſum diuerſum, quando diuerſo modo vſurpatur. nam quando poſitiuè ſumitur, ſignificat magnitudinem illam quam poteſt Deus ponere, & ſenſus eſt, hic poteſt facere tantum quantum poteſt facere, id eſt, Deus poteſt facere eam magnitudinem quam poteſt facere, & vera eſt propoſitio. quando vero ſumitur excluſiuè, ſignificat magnitudinem, qua majorem non poſſit facere Deus, & ſenſus eſt, Deum poſſe tantam magnitudinem facere, qua majorem non poſſit; qui ſenſus falſiſſimus eſt. eodem modo poſſunt dupliciter ſumi hæ aliæ particulæ ***tot***, ***quot***, ***tam***, ***quam***. vt autem magis deprælendatur nullius momenti eſſe argumentum allatum, aduerte has propoſitiones, Deus facere poreſt tantum corpus finitum, quantum facere poteſt. faciat itaque. iam corpus factum erit finitum, vel infinitum. non finitum, alioquin ſequeretur Deum non poſſe facere maius finito. non infinitum, alioquin corpus finitum eſſet infinitum; quod implicat. ſimiliter, poteſt Deus tantum quadrangulum quantū poteſt facere. ſupponamus ergo facere, &c. vt prius.

Dices. Deus poteſt facere maximum quod poteſt.

Reſpondeo hanc propoſitionem eſſe falſam. ſic ſi dicerem Deus poteſt facere maximum quandrangulum eorum quæ poteſt facere. neque dicas hanc propoſitionem eſſe identicam; ne, inquam, hoc dicas; vt enim conſideranti patet, nullo modo eſt identica. eſſet tamen identica, ſi hoc pacto diceretur; maximum quod poteſt facere Deus,

eſt maximum quod poteſt facere Deus. ratio autem cur prædicta propoſitio non ſit identica, eſt quia totum prædicatum non coincidit cum toto ſubjecto.

Dices. Deus poteſt ſimul efficere quidquid poteſt efficere. ponamus ergo illum efficere. iam vel illud factum erit finitum, vel infinitum. non primum, id eſt finitum. ergo ſecundum, id eſt infinitum.

Reſpondeo, manifeſtam eſſe æquiuocationem in in argumento. nam particula *ſimul* quæ eſt in antecedente, vel cadit ſupra *poteſt*, & facit ſenſum verum, hunc nempe, poteſt ſimul Deus per potentiam quam totam habet ſimul, facere quidquid poteſt facere, finita videlicet in infinitum; vel cadit ſupra *efficere*, & facit ſenſum collectiuum falſiſſimum, quod ſcilicet Deus efficere poſſit collectiuè quidquid poteſt facere. addo diſtingui etiam poſſe antecedens hac ratione. poteſt Deus efficere ſimul quidquid poteſt facere, diſtributiuè, concedo antecedens; quidquid poteſt, collectiuè, nego antecedens; id eſt, poteſt Deus producere ſingula quæ poteſt producere, verbi gratia, poteſt lignum producere Deus, poteſt bouem producere, ſed non poteſt integram collectionem eorum quæ poteſt producere. quamuis vlterius addi poſſit, Deum etiam facere poſſe quamlibet collectionem finitam. Argumenti allati infirmitas à multis declaratur hoc exemplo. ſumamus, inquiunt, mille oua. poteſt quis ſingula oua comedere, quia nullum eſt ouum ex omnibus quod non poſſit comedere, ſi vnumquodque diſtributiuè ſumatur, & tamen non poteſt ſimul omnia oua collectiuè ſumpta comedere.

Sed inquies. quodlibet à Deo factibile hoc inſtanti, eſt à Deo factibile hoc inſtanti. ſupponamus ergo Deum facere quodlibet factibile.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. quodlibet diſtributiuè, concedo antecedens; collectiuè, nego antecedens. neque dicas collectionem à Deo factibilem hoc inſtanti eſſe à Deo factibilem hoc inſtanti. ſed collectio omnium factibilium hoc inſtanti eſt factibilis à Deo hoc inſtanti. ergo &c. ne, inquam, hoc dicas; quia conceſſa majore negatur minor, ſicut & neganda eſt hæc alia propoſitio ſimilis, omnium librarum à me portabilium hoc inſtanti collectio eſt à me portabilis hoc inſtanti. neque vlterius dicas, Deum poſſe facere quidquid diſtributiuè facere poteſt; ſuppoſito autem quod hoc inſtanti diſtributiuè faciat quidquid poteſt facere diſtributiuè, erit infinitum.

Reſpondeo enim, vt faciat diſtributiuè, non debere facere omnia, ſed ſatis eſſe quod faciat quodcunque ex omnibus quæ aſſignaueris. imo non poteſt facere omnia hoc inſtanti, niſi colligendo omnia.

quando ergo dicitur faciat omnia diſtributiuè, eſt implicantia in adjecto.

Dices. poteſt Deus quantouis corpore facere aliud maius. ergo poteſt facere aliquod corpus quod ſit majus quantouis corpore. ergo poteſt facere infinitum.

Reſpondeo conſequentiam nullam eſſe, vt in hoc alio argumento clariſſimum eſt. cuiuſuis patris eſt filius. ergo aliquis filius eſt cuiuſuis patris. Ratio autem cur conſequentia non valeat eſt, quia proceditur à voce in antecedente disjunctiuè ſumpta, ad eandem ſumptam disjunctim in conſequente.

Objicies quartò. Deus exiſtit extra cœlos de facto in ſpatijs imaginariis infinitis. ergo in illis poteſt producere quantitatem infinitam.

Reſpondeo, vt infra dicam, Deum propriè loquendo nulla ratione dici poſſe eſſe in ſpatiis imaginariis, cum talia ſpatia non dentur; abuſiuè tamen dici poſſe occupare ſpatia infinita, quia poteſt infinita ſpatia creare, quibus ſit præſens; infinita, inquam, ſincategorematicè, non categorematicè.

Obijcies quintò. materia ligni priuata eſt infinitis formis, habetq; in ſe priuationes infinitas. ergo datur de facto infinitum actu.

Reſpondeo huic objectioni facile occurri poſſe; priuatio enim duo dicit, in recto negationem formæ, in obliquo potentiam materiæ. negatio multiplicatur, non multiplicatur potentia. negationes autem dicuntur eſſe infinitæ, quatenus earum eſſentia conſiſtit in non eſſe entia finita, vel formæ finitæ; dicuntur enim infinitæ, non per poſitionem realis infinitatis, ſed per remotionem entium infinitorum. cum igitur conceduntur materiæ negationes infinitæ, nihil aliud conceditur, niſi in materia non eſſe infinitas formas. quod ſine dubio veriſſimum eſt, ſed nihil facit pro infinito actu.

Obijcies ſextò. infiniti homines poſſibiles, ſimpliciter loquendo, ſunt ens reale. ergo &c. & confirmatur; quia quando omnes partes ſunt reales, totum eſt reale. cofirmatur præterea; quia tres homines ſunt tria entia realia. ergo infiniti homines infinita entia realia. confirmatur tertiò. in tota collectione hominum, nulla pars collectionis habet repugnãtiam cum alia. ergo poteſt tota collectio ſimul produci. denique confirmari poteſt; quia ſi toti collectioni repugnaret eſſe, repugnaret ratione alicujus partis; quod falſum eſt.

Reſpondeo, homines infinitos non eſſe poſſibiles ſub infinitate, ſed ſingulos in particulari eſſe poſſibiles, neque nos inpugnare poſſibilitatem hominum, ſed poſſibilitatem infinitudinis. ad primam confirmationem dico non ſemper quoties omnes partes diſtributiue ſumptę ſunt reales, totum eſſe reale; partes enim Chimeræ ſunt reales, & ta-

men Chimera non eſt aliquid reale. vnde non ſolum requiritur vt partes ſint reales, ſed vt realiter componant, & non tantum ſint reales materialiter, verum etiam formaliter. ad ſecundam confirmationem, reſpondeo internario hominum numero non eſſe implicantiam, eſſe tamen in infinito numero. Verum itaque eſt, quod ſi darentur infiniti homines, quod eſſent infinita entia realia. ſed illud ſupponit aliquid implicans contradictionem. Ad tertiam, reſpondeo nullam partem diſtributiuè exceptam habere repugnantiam cum alia, totam tamen collectionem illam habere. Ad vltimam, reſpondeo negando quod quidquid conuenit toti, illi conueniat ratione partis vnius vel alterius adæquatè, præſertim quando quæſtio eſt de prædicatis numeralibus, videlicet de eo quod eſt eſſe quatuor, decem, centum &c. imo facile retorquetur in aduerſarios argumentũm, ex eoque inferri poteſt repugnãtia infiniti; quia cum nulla pars collectionis ſecum ferat infinitatem, vnde habet tota collectio infinitatem? ſi habet, & non ratione alicujus partis, jam inutile eſt ipſorum argumentum. implicantia ergo eſt, quod poſita infinita collectione, eſſet infinita, & non eſſet infinita. infinita eſſet ex ſuppoſitione; non eſſet autẽ, quia cum illa infinitudo cõflari debeat ex partibus, & ſingulæ partes nihil cõferant infinitum, ſed tantum finitum, ex finito autem & finito non poſsit conflari infinitum, ſequitur non fore infinitam.

Obijcies ſeptimò. cognitio Dei in beatis eſt infinita, vt pote cognitio objecti infiniti. ergo de facto datur aliquid infinitum actu. antecedens patet; quia perfectio cognitionis creſcit ad perfectionem objecti. cum itaque Deus ſit objectum infinitum, cognitio ejus finita eſſe non poterit. vnde & hinc multi volunt Deum non poſſe comprehendi à creatura, quia actus ille comprehenſionis eſſet infinitus.

Reſpondeo perfectionem cognitionis, non creſcere ad perfectionem objecti proportione arithmetica, ideſt ad æqualitatem perfectam, ſed tantum proportione Geometrica, quæ in hoc conſiſtit, vt objecti perfectioris cognitio perfectior ſit, & perfectiſſimi perfectiſſima. quæ proportio infert tantum perfectionem ſuperioris ordinis, & incommenſurabilem à rebus alterius ordinis, non autem ſimpliciter infinitam. & ratio clara eſt; quia perfectio actus non dependet ſolum ab objecto, ſed à potentia, quę cum limitata & finita ſit, producere non poteſt neque ſubjectare actionem infinitam. ad illud quod additur de comprehenſione Dei, reſpondeo comprehenſionẽ Dei fore infinitam, quia objectum infinitum cognoſceretur modo infinito, nempe quantum cognoſcibile eſt, vnde & adæquaret cognoſcibilitatem Dei.

Obijcies vltimò. Deus ſimul intelligit infinita quæ erunt per totam æternitatem. ergo poteſt ea omnia ſimul producere.

Reſpondeo non cognoſci à Deo infinitum categorematicum, ſed tantum ſincategorematicum; Deus enim videt res ſicut ſunt. cum igitur infinitum actu repugnet eſſe, non videt Deus infinitum actu. videt ergo tantum creaturas finitas in infinitum, non autem infinitas actu.

Dices. multitudo creaturarum poſſibilium actu cognita à Deo, non eſt finita. ergo infinita categorematicè. iam verò ſi non repugnat infinita multitudo in ſtatu objectiuo,neq; repugnabit in ſtatu actuali.

Reſpondeo multitudinem illam creaturarum poſſibilium eſſe infinitam ſincategorematicè ſolum; poſſibilitas enim ſequitur naturam actus. cum itaque exiſtentia illarum partim actu, partim in potentia ſit, quando ponuntur res in exiſtentia, etiam potentia ſiue poſſibilitas talis eſt, ac proinde eſt infinita tantum ſincategorematicè; cognoſcuntur enim creaturæ illę vt poſſibiles, vna poſt aliam, ea certa collectione quam Deus determinauerit diſtributiuo modo, non autem collectiuo reſpectu omnium.

Inſtabis. multitudo creaturarum poſſibilium in eſſe objectiuo,non eſt partim actu, partim potentia, ſed tota actu, & vnica ſimul cognitione percepta.ergo eſt infinita categorematicè.

Reſpondeo, illam multitudinem eſſe totam actu, per denominationem à cognitione Dei, non vero per intrinſecam rerum actualitatem.

Dices.de facto illæ creaturæ poſſibiles, ita ſimul exiſtunt actu in eſſe objectiuo, ſicut ſi exiſterent ſimul realiter, & à parte rei. ſed ſi ſimul omnes exiſterent, eſſent actu infinitæ. ergo ſunt infinitæ actu in eſſe objectiuo.

Reſpondeo negando majorem;quia de facto objectiuè exiſtunt, & terminant cognitionem per ſuam actualitatem potentia ſemper permixtam. ſi autem ſimul exiſterent à parte rei, jam ſimul eſſet expleta tota potentia, & productum infinitum actu.

Sed inquies, infinitum ſyncategorematicum eſt aliquid indeterminatum & confuſum. ergo non poteſt eſſe in mente Dei.

Reſpondeo nihil eſſe in diuina cognitione indeterminatum, quod ſe teneat ex parte cognitionis, poſſe tamen eſſe aliquid indeterminatum, quod ſe teneat ex parte objecti, quatenus nimirum poteſt hoc vel illo modo eſſe.

Dices. omnes cogitationes angelorum & hominum per totam æternitatem futuræ ſunt infinitæ, & videntur à Deo. ergo à Deo videtur infinitum, & quidem categorematicum. neque eſt quod dicas collectionem omnium nunquam futuram; non eſt,inquam,quod hoc dicas, quia collectio omnium nihil eſt aliud, quam ſingula collecta actu. ergo ſi ſingulæ non repugnant, neque ſingularum collectio repugnabit.

Reſpondeo, huiuſmodi cogitationes neque eſſe infinitas, neque cognoſci à Deo per modum vnius collectionis, ſed modo diſtributiuo, id eſt plures & plures in infinitum, neque omnes cogitationes futuræ efficere poſſunt collectionem vnam ex ea patre qua procedunt in infinitum. vnitas enim dicit negationem plurium, quæ negatio non poteſt habere locum in huiuſmodi cogitationibus; ſemper enim erit poſitio plurium & plurium in infinitum. neque dicas, hoc quod eſt non poſſe fieri vnam collectionem eſſe omnino infinitum, & conſequenter dari infinitum actu ſucceſſiuè; ne, inquam, hoc dicas; hoc enim infinitum actu ſucceſſiuè à parte poſt, non eſt infinitum categorematicum, ſicut eſt infinitum à parte ante, quia totum jam exiſſet cauſas. infinitum autem à parte poſt, ſemper erit permixtum potentiæ.

Obijcies vltimò. in infinito ſyncategorematico, quod objectiue ponitur in mente diuina, eadem omnino ſequuntur abſurda, quæ ex infinito à patte rei categorematico. ergo quemadmodum non repugnat infinitum ſyncategorematicum, nec repugnabit infinitum categorematicum. ſequela majoris probatur. in illo infinito, vnum eſt majus alio; cogitationes enim infinitæ vnius beati erunt pauciores, quam cogitationes plurium, &c.

Reſpondeo, omnes cogitationes angeli, vel vnius beati non videri à Deo per modum vnius collectionis, ſed, vt ſupra dixi, diſtributiuo modo, ſecundum quem vnaquæque cogitatio erit actu, & vnaquæque cogitarionum plurimarum collectio finita erit actu. & hoc modo comparando quamcunque collectionem cogitationum vnius beati finitam, videt Deus illam eſſe minorem quam collectionem finitam cogitationum omnium beatorum, in qua continetur ea collectio cogitationum vnius beati. infinitum autem categorematicum, etiam ſecundum quod continet aliud infinitum ſecundum ſe, vel eſt æquale illi, vel majus; quorum vtrumque abſurdum eſt.

*An Deus qualibet ſpecie dabili poßit perfectiorem producere.*

*Opinio Suarii, Vaſquez. Molina &c. affirmantium.*

*Contraria opinio Scoti. Henrici, Durandi, Aureoli. & veterum negantium.*

VIII. Occaſione hujus quæſtionis diſputari poteſt, an poſſit Deus qualibet ſpecie dabili, aliam ſub eodem genere perfectiorem producere. Suarius diſput. 30. Metaph. ſectione 17. Vaſquez, Molina, Valentia, alijque recentiores affirmanr, adducuntque pro eadem S. Thomam 1. parte quæſt. 25. art. 6. & 2. contra gentes cap. 26. quibus tamen locis ne verbulo quidem attingit hanc quæſtionem; ſed priori loco tantum docet poſſe Deum facere aliquas ſpecies perfectiores, quá ſint ſpecies modo factæ; poſteriori loco ſolum ait ſcientiam diuinam poſſe eſſe cauſam infinitorum, ſed non explicat ſe loqui de ſpeciebus infinitis; & ſic ſufficienter verificatur eius doctrina in indiuiduis infinitis. contra vero ſentiunt veteres fere omnes, Scotus in 3. diſt. 13. quæſt. 2. ad 3. nam illud argumentum erat, *Summa natura non eſt facta; ergo nec ſumma gratia*; ad quod reſpondet Scotus, *Antecedens videri dubium, & contra*

*contra authoritatem diui Auguſtini lib.3. de libero arbitrio cap.5.* quo loquendi modo indicat ſe magis inclinare in opinionem; quæ cenſet ſummam naturam poſſibilem ſub genere animalis eſſe humanam; quia comparat humanitatem Chriſti cum ſumma gratia creabili, & cenſet inter illas non eſſe improportionem, quam tertium illud argumentum concludere nitebatur. vnde quemadmodum opinatur ſub genere animalis eſſe ſtatum in homine tanquam perfectiſſima ſpecie poſſibili, ita diceret etiam ſub aliis generibus ſtatum eſſe in aliqua ſpecie perfectiſſima. omitto alia Scoti loca breuitatis gratia. Henricus quodlibeto 5. quæſt.3. & quodlibeto 8.quæſt.8. Aureolus in 1. diſt. 44. quæſt. vnica art.4. Durandus quæſt. 2. & 3. alijque; quibus accedo. *Opinio negans vera & probatur.* Ratio eſt; quia omne genus entis creati, certam quandam ac limitatam perfectionis latitudinem dicit. ergo implicat ſub illa latitudine ſemper in infinitum abire ad ſpeciem perfectiorem qualibet ſpecie dabili ſub illo genere, ſed ſiſtendum eſt in ſpecie aliqua determinata perfectiſſima. antecedens videtur clarum; quia genus dicit gradum entis finiti, omne autem finitum eſt limitatum; ob quod Deus à Patribus quos in Logicis diſputationibus citauimus dicitur non eſſe in genere ſiue prædicamento, quia ſuæ perfectionis limitem nullum admittit. Conſequentia probatur; quia natura generica & differentia ſpecifica habent ſe tanquam potentia determinabilis & actus determinans. ſed illa potentia eſt limitata. ergo & iſte actus, alias non eſſet inter illa proportio. ergo & conſtitutum ex illis, nempe ſpecies, eſt limitatum; ita vt nô modo quoad hanc vel illam ſpeciem, ſed etiam quoad totam ſpecierum latitudinem poſſibilem ſub illo genere, perfectio ſpecifica ſit limitata ad gradum determinatum, in quo ſiſtendum ſit. hæc poſterior conſequentia, de qua ſola meo iudicio controuerſia eſſe poteſt, probatur; quia non ſolum hæc vel illa differentia ſpecifica, ſed etiam tota latitudo differentiarum ſpecificarum, per quas determinabile eſt illud genus, limitata eſſe debet, vt intra illam latitudinem & genus detur proportio determinantis & determinabilis, cum determinabile ſit finitum & limitatum. ergo non tantum quælibet determinata ſpecies, ſed præterea tota latitudo ſpecierum, quæ conſtitui poſſunt ex tali genere, & tali differentiarum latitudine, neceſſario erit limitata. Confirmatur; quia propter hanc limitationem cujuſque generis, nullum genus accidentis contrahi poteſt per differentiam ſubſtantialem, nec genus ſubſtantiæ corporeæ per differentiam ſubſtantiæ angelicæ, &c. nec enim horum vlla alia ratio aſſignari poteſt, niſi quod ſingulis generibus commenſuratur contrahens determinatæ perfectionis, poteſtque dari contrahens tam perfectum, vt hoc vel illud genus non ſit capax talis contrahentis. Confirmatur ſecundò, quia omni potentiæ Phyſicæ actiuæ finitæ reſpondet effectus determinatæ perfectionis, ita vt vltra illum non poſ-

ſit producere perfectiorem, vt clarum eſt; nec enim poteſt homo angelum creare, nec leo hominem generare, &c. ergo etiam omni potentiæ Metaphyſicæ, qualis eſt genus ob ſuam limitationem, correſpondet actus Metaphyſicus determinatæ perfectionis, videlicet differentia, &c. Ex quo patet ſolutio ad recentiorum, quos citauimus, fundamenrum; nimirum quod non repugnet, neque ex parte cauſæ primæ, neque ex parte effectus, qualibet ſpecie dabili, dari perfectiorem; repugnat enim ex parte effectus, vt oſtenſum eſt.

IX. Quæres, an poſſit ſaltem Deus qualibet intenſa qualitate aſsignata aliam intenſiorem producere? Reſpondeo, Scotum, Durandum, Aureolum, Henricum, Paludanum, alioſque veteres negare; imo Carthuſianus in 1. diſt. 17. quæſt. 8. ait, *Vix aliquem, præter D. Thomam, ſenſiſſe contrarium.* Ratio eſt, quia non ſolum omnis porentia Metaphyſica, ſed etiam Phyſica eſt limitata. ergo omni porentiæ Phyſicæ reſponder actus ita limitatæ & determinatæ perfectionis gradualis, vt repugner in tali ſpecie actus dari aliquem actum magis intenſum ſeu perfectiorem

*Deus non poteſt qualibet intenſa qualitate aßignabili aliam intenſiorem producere.*

## QVÆSTIO VIGESIMA.

*An idem numero corpus poßit eſſe circumſcriptiuè in diuerſis locis? & qua actione? vbi de vbi intrinſeco agitur.*

I. NON eſt quæſtio vtrum naturalirer id fieri poſſit. certum enim eſt naturalirer non poſſe; quia neque apparet modus quo naturalirer id fieri poſsit, nec vnquam naturalirer factum eſt. habemuſque mult..s difficulrates vt perſuadeamus nobis ſupernaruralirer id fieri poſſe. difficultas itaque tantum eſt in ordine ad potentiam Dei, vtrum videlicet per porentiam Dei fieri poſsit, vt vnum corpus ponatur ſimul & ſemel extensè in pluribus locis. dixi extensè in pluribus locis, quia corpus duobus modis poteſt eſſe alicubi, videlicet extensè locum replendo, & inextensè, ſiue ſacramentaliter. vnde triplex hic inſtitui poſſet quæſtio. prima, qua præſentia extenſa, quæ communiter dicitur localis, conferatur cum Sacramentali, id eſt, an vnum & idem corpus ſimul habere poſsit præſentiam extenſam, & ſacramentalem. Secunda, qua plures ſacramentales inter ſe, id eſt, an ſimul habere poſsit plures ſacramentales. Tertia, qua è contrario plures extenſæ,

& locales, id eſt, an idem corpus poſsit eſſe ſimul extensè, & circumſcriptiuè in pluribus locis. verum quod attinet ad duas priores, ſuppono contra ſectarios noſtri temporis (contra quos hic agere non eſt locus) fide certum eſſe, non tantum poſſe Deum facere vt idem corpus ſimul habeat tales præſentias, ſed de facto corpus Chriſti in cœlo & ſanctiſſimo Sacramento illas habere. difficultas ergo tantum ſupereſt de pluribus extenſionibus localibus, id eſt, an idem corpus poſſit ſimul eſſe extensè in pluribus locis. quia in re

Prima ſententia, eſt eorum qui negant id fieri poſſe per potentiam II.
Dei abſolutam. eſt S. Thomæ in 4. diſt. 44. quæſt. 2. art. 2. quęſt. 3. ad 4. & communis Thomiſtarum; quos ex recentioribus ſequuntur Valquez tomo 3. in 3. part. diſput. 189. capite 4. Collegium Complutenſe diſp. 19. Phyſicæ quæſt. 8. & alij.

*Prima ſententia S. Thomæ & Thomiſtarum, implicare contradictionem.*

Secunda, & communis, affirmat poſſe hoc à Deo fieri. ita Hugo de ſancto Victore, libro de Sacramentis, part. 8. cap. 2. *Qui fecit*, inquit, *vt vnum corpus eſſet in vno loco, fecit quomodo voluit, & ſi aliter voluiſſet, aliter facere potuiſſet.* ex Theologis Scotus in 4. diſt. 10. qu. 2. quo (vt bene Monceius in ſuis diſputationibus Theologicis, diſp. 10. cap. 1.) nemo antiquorum ſolidius hac de re diſputauit. eum ſequuntur omnes omnino Scotiſtæ. ex aliis eandem amplectuntur Alexander Alenſis quarta parte quæſt. 11. art. 1. alias quæſt. 44. numero 7. Richardus, Aureolus, Occam, Major, Marſilius, & alij, & ex recentioribus Cardinalis Bellarminus tom. 3. controuerſiarum, Claudius de Sainctes, Suarius, Valentia, Albertinus, Moncejus, Baranzanus, Craſſotius, de Raconis, & alij, quorum multi quærunt qua cenſura digna ſit contraria ſententia. Scotus ait authores illius negaturos etiam forte corpus Chriſti eſſe in ſanctiſſimo Sacramento, niſi fides obſtaret. *Et forte*, inquit, *illi qui negant Deum poſſe facere corpus ſuum in pluribus locis, aliter quam per conuerſionem in Sacramento, negarent eſſe in eo, niſi quia fides dicit ibi eſſe.* Valentia tom. 4. ait oppoſitam ſententiam à Catholicis rejici, vt minus congruentem rebus fidei. Monceïus ait ſecundam hanc ſententiam ſibi eo vſque placere, vt contrariam nunc procul amandatam eſſe vellet, tum quod parum faueat doctrinæ fidei de myſterio Euchariſtiæ, tum quia rationes quibus probari videtur, ſi quam vim habent, æquè militent aduerſus prædictum Euchariſtiæ Sacramentum. Denique, vt alios omittam, Ioannes Major loco infra citando, ait ſe credere hanc ſecundam ſententiam certam haberi ab omnibus, qui non jurarunt in verba Magiſtri.

*Secunda ſententia Scoti, Hugonis de S. Victore, & aliorum affirmantium non implicare.*

*Sainctesius. Craſſotius. De Raconis. Baranzanus. Bellarminus & alii.*

Dicendum eſt cum hac ſecunda ſententia, poſſe per diuinam potentiam vnum corpus poni extensè ſimul & ſemel in pluribus locis. III.

*Concluſio authoris.*

*Maior.*
*Prima probatio conclusionis.*

Probatur hæc concluſio primo à Majore conterraneo noſtro, diſt. 10. quæſt. 4. exemplo corporis ſancti Baldredi. *Patet*, inquit, *de corpore beati Baldredi, quod dicitur eſſe in Aldhame, Preſton, & Tyninghame.* Idem habet de geſtis Scotorum lib. 11. cap. 7. *Sub id tempus, inquit*, (id eſt ſub annum 579. *ſanctus Baldredus extitit, cuius corpus integrum in tribus templis non longè diſtantibus locatum eſſe dicitur; ſcilicet Aldhame, Tyninghame, & Preſton. Sanctus Baldredus in his tribus locis docuit populum verbo, & exemplo. in eius morte omnes tres vrbes ad arma ruunt, certaturæ quæ vrbs eius corpus haberet. inuentum eſt idem corpus numero in varijs locis ſimul, & ſic quælibet illarum vrbium corpore ſancti Baldredi hodierna die gaudet. ſcio*, inquit, *non deeſſe Theologos negantes illud Deo poſſibile, quod idem corpus circumſcriptiuè poni poſſit in varijs locis; quorum modum inopinabilem reor, vt alias in 4. ſentent. differui.* Idem de ſancto Baldredo teſtatur Hector Boëtius lib. 9. hiſt. Scoticæ fol. 177. *Diuus Baldredus*, inquit, *Pictorum Doctor, qui vbi Pictos recta fide pio inſtituiſſet ſudore, in Baſſa* (arcis eſt nomen in Laudonia Scotiæ prouincia, loci natura omnium munitiſsimæ, ſcopulo altiſsimo amplius duobus paſſuum millibus, à continenti vndique mari cincto, ſitæ) *vita defungitur, cumque trium parochiarum viri, Aldhame, Tyninghame, & Preſton, pro efferendo funere decertarent, omnibus, vt tam ſancto pignore honeſtarentur, contendentibus, ſpectaretque res prope ad iniuriam, placuit omnium conſenſu ſequentem noctem piis aſſiſtentes precationibus ſacras facere vigilias, poſtridie quod loci Pontifex (is tum forte illuc vt ſacræ ſupplicationi adeſſet venerat) in re faciundum diceret, abſque lite exequerentur. exacta nocte, tres capuli tribus cum corporibus, veſtimentis ſacris decenter ornati, nulla inter ſe magnitudine, aut colore, aut alio quouis diſcrimine, à ſacerdotibus ſub dubiam lucem inuenti, iubente Epiſcopo pijs ac lætis acclamationibus ad tria vicina templa ſunt delati; vbi idem funus diuina opera tribus in locis, celebri pompa, honeſtiſque ſarcophagis conditum, hoc noſtro æuo à religioſo populo piis votis honoratur.* hæc Boëtius. idem etiam de ſancto Baldredo teſtatur Ioannes Leſlæus Epiſcopus Roſſenſis lib. 4. eiuſdem hiſtoriæ, in Aidano rege. idem denique Dauid Camerarius frater meus, in opere, de ſtatu hominis, veteris ſimul ac nouæ Eccleſiæ, & ſanctis regni Scotiæ, libro primo, in S. Baldredo.

*Hiſtoria mirabilis de corpore S. Baldredi.*

*Boetius, Leſlæus. Camerarius.*

*Secunda probatio conclusionis.*

Probatur ſecundò concluſio ex ſacra Scriptura. de facto vnum corpus fuit in duobus locis modo communi, ac diuiſibiliter: ergo id non eſt impoſſibile. ergo à Deo fieri poteſt. Antecedens, in quo eſt difficultas, probatur. nam, vt habemus ex actuum Apoſtolorum capite 9. cum diuus Paulus Damaſcum proficiſceretur, quærens ad necem Chriſtianos, apparuit illi Chriſtus Dominus in via, & conſequenter fuit in terra, non tantum ſacramentaliter, ſed etiam extenſè

ac diuiſibiliter. apparuit etiam eidem dum detineretur in cuſtodia iuſſu Lyſiæ tribuni, vt habemus ex cap. 23. eorundem actuum. hoc poſito, ſic argumentor. Chriſtus Dominus ex quo aſcendit in cœlum, nunquam vel momento abfuit ab eo corporaliter, nec deſinet eſſe vſque in diem iudicij, & tamen ex quo aſcendit in cœlum, fuit in terra, non tantum ſacramentaliter, ſed extensè, & diuiſibiliter. cœlum & terra ſunt duo loca. ergo fuit de facto extensè & diuiſibiliter in duobus locis. ergo poteſt eſſe in duobus locis. quod Chriſtus numquam vel momento abfuerit à cœlo, ex quo illud aſcendit, patet ex Pſalmo 109. vbi pſalmiſta Regius in perſona Dei patris ſic filium alloquitur, *ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, quod non penitus complebitur, niſi in generali omnium reſurrectione. vnde Auguſtinus tractatu 3. in Ioannem, *Donec finiatur ſæculum, ſurſum eſt Dominus.* idem videtur docere diuus Paulus, qui proptere a epiſtola ad Coloſſenſes cap. 3. hortatur nos, vt quæ ſurſum ſunt ſapiamus, omni videlicet tempore, & continuò, *vbi*, inquit, *Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.* Apertius idem docet diuus Lucas cap. 3. actuum Apoſtolorum. *quem*, inquit, nempe Chriſtum, *oportet cœlum ſuſcipere, vſque ad tempus reſtitutionis omnium Chriſtum in cœlo permanere.* Ex his probatum manet Chriſtum ſemper futurum in cœlo, nec inde diſceſſurum vſque ad diem iudicij. iam probandum manet ipſum poſt aſcenſionem aliquando fuiſſe in terra, vel certè propè terram. hoc autem facile probari poteſt; & primo quidem ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 15. vbi ſic loquitur, *Tradidi vobis quod accepi, quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas; & quia viſus eſt Cephæ, & poſt hoc vndecim; deinde viſus eſt plus quam quingentis fratribus ſimul; deinde viſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis omnibus; nouiſſimè autem omnium tanquam abortiuo, viſus eſt & mihi &c.* quibus verbis Apoſtolus poſtquam ſcripturæ authoritate Chriſti reſurrectionem probaſſet, producit teſtes eiuſdem reſurrectionis, & inter alios ſeipſum, vt bene notauit D. Chryſoſtomus homilia 83. in 1. ad Corinth. quod confirmat Ananias, qui, vt actuum 22. habemus, Apoſtolum Paulum poſtquam in itinere Chriſtum vidiſſet ſic alloquitur. *Deus patrum noſtrorum præordinauit te vt cognoſceres voluntatem eius, & videres iuſtum, nempe Chriſtum, & audires vocem ex ore eius, quia eris teſtis illius ad omnes homines eorum quæ vidiſti, & audiſti.* congruit & oratio ipſius Chriſti, qui vt Apoſtolum Paulum reſurrectionis ſuæ idoneum teſtem faceret, non ſolum in itinere præſens illi adfuit, & ad id teſtimonium reddendum hortatus eſt, verumetiam in caſtris Claudij Lyſiæ Tribuni militum, cum ibi in cuſtodia teneretur; ſic enim narrat S. Lucas actuum 23. *Sequenti autem nocte aſſiſtens ei Dominus, ait, Conſtans eſto,*

*S. Chryſoſtomus.*

*ſicut enim teſtificatus es de me in Ieruſalem, ſic te oportet & Romæ teſtari.* ex his habemus Chriſtum Dominum aliquot annis poſt aſcenſionem viſum eſſe ab Apoſtolo Paulo, & quidem ita viſum ab eo eſſe, ſicut viſus eſt Cephæ, ſicut viſus eſt Iacobo, ſicut viſus eſt pluſquam quingentis fratribus, & Apoſtolis omnibus, vt non minus ipſe quam cæteri teſtimonium magna cum certitudine & ſcientia reddere poſſet Reſurrectionis corporis (vt Chryſoſtomus probat) Domini noſtri Ieſu Chriſti. habemus etiam ipſum non modo vidiſſe Iuſtum, id eſt Chriſtum, ſed ita vidiſſe, vt quemadmodum Ananias teſtatur, audiuerit etiam verbum ex ore ipſius, idque ſimiliter, vt recte teſtificari poſſet quod ipſemet viderat & audiuerat. ex quibus omnibus manifeſtè conſequitur Chriſtum Dominum circumſcriptiuè ſimul fuiſſe in cœlo & in terra, & conſequenter in duobus locis. Quare ineptè Caluinus libro quarto inſtitutionum cap.17. vt ab hoc argumento ſe expediat, aſſerit perſpicacitatem diuinitus diui Pauli oculis datam eſſe, qua cœlos penetraret, ibique Chriſtum è terra videret. ineptè, inquam, quia manifeſtè aduerſatur Scripturæ ſacræ allatæ.

*S. Chryſoſtomus.*

*Reiicitur Caluinus ineptè explicans Scripturam Sacram.*

*Tertia probatio.* Probatur tertiò ratione. Deus poteſt ponere duo corpora in vno & eodem loco. ergo poteſt ponere vnum & idem corpus in duobus locis. Antecedens eſt fide certum; conſtat enim hoc de facto à Chriſto Domino factum, quando natus eſt ſine detrimento virginitatis ſanctiſſimæ genitricis, & quando penetrauit ſepulchrum, & ad diſcipulos ianuis clauſis ingreſſus eſt. Conſequentia probatur; quia quemadmodum naturaliter vnum corpus tantum eſt in vno loco, ita etiam naturaliter in vno loco eſt tantum vnum corpus.

*Reſponſio aduerſ.* Reſpondebis, de ratione vnius duo eſſe, primum eſſe indiuiſum in ſe, ſecundum eſſe diuiſum à quolibet alio; primum autem magis eſſe intrinſecum, quam ſecundum. quando autem duo corpora ponuntur in eodem loco, ſolum fit vt inter ſe non ſint diuiſa; at vero ſi idem corpus poneretur in diuerſis locis, diuideretur in ſeipſum, quod fieri non poteſt. nulla ergo, inquiunt, eſt conſequentia allati argumenti.

*Reiicitur.* Verum contra hanc ſolutionem facit, quod ſi valeret, probaret de qualibet præſentia reali, etiam Sacramentali. nam licet corpus per hanc præſentiam non repleat ſpatium modo quantitatiuo, tamen verè ac propriè per illam, eadem numero res quæ eſt in terra, eſt in cœlo, & in cœlo caret modo quem habet in terra. ergo etiam dicetur diuidi, & diſtare à ſeipſa, ſicut ſi naturali modo eſſet in duobus locis. deinde malè infertur, ex exiſtentia vnius corporis in duobus locis, quod ſecundum entitatem ſit diuiſum à ſe, & ſit duo corpora. nam ſicut cum duo corpora ſunt in eodem loco, non propterea ſunt vnum

corpus, ita nec ex eo quod idem corpus ſit in pluribus locis, ſequitur quod ſit duo corpora, vel à ſeipſo diuiſum, vel diuiſum in multa corpora, ſed ſolum eſſe diuiſum in diuerſa loca, ſic quod diuiſio eſſet locorum, & non corporis.

Probatur quarto. poteſt Deus idem corpus duabus actionibus, vel ſaltem vnica, diuerſis temporibus producere. ergo poteſt diuerſis actionibus, vel vnica actione, vnum corpus producere in diuerſis locis.

Probatur vltimò. non implicat contradictionem vnum corpus exiſtere extensè in duobus locis. ergo poteſt à Deo poni in pluribus locis. Conſequentia eſt clara, quia poteſt à Deo fieri quidquid contradictionem non implicat. Antecedens probatur ex terminis. nam cum dicitur idem corpus eſſe in pluribus locis extensè, nihil dicitur ſupra corpus, præter reſpectum aduenientem extrinſecus fundamento in vno quanto ad aliud quantum circumſcribens. At hujuſmodi reſpectus poſſunt multiplicari in eodem fundamento reſpectu diuerſorum terminorum. cur enim hoc fieri non poterit, præſertim cum multi alij reſpectus intrinſecus aduenientes, multiplicari poſſint eodem fundamento manente, vt eadem albedine manente, diuerſæ poſſunt in ea fundari ſimilitudines ad diuerſa alba. ergo &c. hæc ratio magis intelligetur per hanc aliam. ſi eſſet aliqua repugnantia, & contradictio in hoc quod idem corpus ſit in pluribus locis, ea orietur ex vno ex his duobus capitibus; videlicet, vel ex parte præſentiæ in diuerſis locis, vel ex parte modi eſſendi. neutrum dici poteſt. ergo &c. minor probatur, & primo quidem quoad primam partem, quia fide diuina conſtat idem corpus Chriſti verè & realiter ſimul præſens eſſe diuerſis, & à ſe diſtantibus locis, in diuerſis hoſtiis conſecratis. ergo nulla eſt implicantia, aut contradictio, in hoc quod vnum corpus ſit præſens circumſcriptiuè diuerſis locis; ab actu enim ad potentiam valet argumentum. Quoad ſecundam partem, eadem minor probatur, quia repugnantia non oritur, ſi tamen oritur, niſi ex prima parte, videlicet quod idem corpus numero, ſit realiter præſens diuerſis ſpatiis; vel ſaltem ſi ex prima non oritur, certe prima videtur magis repugnare. ſed non repugnat, vt oſtendimus. ergo neque repugnabit, vt ſit in diuerſis locis modo ſuo quantitatiuo.

Confirmatur: quia ad primam partem requiruntur duo miracula, vnum quo fiat præſens vnum numero corpus diuerſis ſpatiis à ſe diſtantibus; alterum quo fiat vt careat naturali ſuo modo. Ad ſecundam requiritur tantum vnum miraculum, nempe vt fiat præſens diuerſis locis. ergo, &c. Et ſane difficilius multo eſt primam partem quam ſecundam concipere. nam ſi ſemel ponatur aliquod corpus præſens diuerſis ac diſtantibus locis, nihil difficultatis eſt illud ſuæ na- *Confirmatio.*

turæ relinquere, vt modum naturalem habeat.

*Reſponſio aduerſ. ſed reiicitur.* Dices in modo naturali includi negationem quandam, nempe vt corpus quod eſt in hoc loco, exempli gratia, non ſit in alio. Sed contra eſt, quia vt bene notat Monceius diſput. 10. Theologiæ cap. 4. vel id ſic ita intelligendum eſt, vt non ſolum nó debeat res eſſe extra locum localiter extenſa, vel vt omnino non debeat eſſe extra ipſum, ſiue localiter & extenſè, ſiue Sacramentaliter. non primum, quia id abſque vllo fundamento diceretur. cur enim ſi commenſurari loco ſit non eſſe extra illum, ea commenſuratio negat potius modum exiſtendi diuiſibiliter in alio loco quam ſacramentaliter, cum per vnum æquè ac per alium quantitas ſit extra priorem locum, quamuis aliter? ſecundum autem dici non poteſt ſalua fide myſterij Euchariſtiæ. Secundò contra reſponſionem facit, quod commenſuratio illa re vera non includat talem aliquam negationem, ſed formaliter conſiſtat ſolum in adaptatione partium locati ad partes loci, quæ adaptatio adhuc tota intelligi poteſt, non obſtante quod ea res alteri etiam loco ſpatioque adaptatur. vnde aduerte rem circumſcribi loco non eſſe, eam non eſſe extra terminum quo circumſcribitur; alioquin ne ſacramentaliter quidem corpus quod in vno loco diuiſibiliter exiſteret, poſſet in alio eſſe; ſed eſſe, totam illi termino adaptari, eoque ſic contineri, vt nihil illius rei ſit, quod intra eum non ſit. Quamquam ſi quis eſſet Thomiſta, qui obſtinatè contenderet rem circumſcribi loco, includere etiam rem non eſſe extra talem locum, cum illo contendendum non eſſet, ne diſputatio de nomine fieret, & non de re, ſed eo tunc illi dato, dicendum eſſet nos nolle rem illo modo circumſcriptam vno loco, poſſe eſſe circumſcriptiuè in alio, vel quomodolibet aliter, id enim manifeſtam contradictionem inuolueret; ſed rem habentem partes ſuas extenſas, & adaptatas vni loco, & ſpatio, poſſe per abſolutam Dei potentiam ſimili modo adhuc alteri adaptari; hæc ſiquidem adaptatio (vt notat ſupradictus author) non erit tunc idem quod circumſcriptio in illa ſignificatione. vnde non obſtante quod vnum corpus non poſſit ſimul circumſcribi pluribus locis, poterit tamen pluribus adaptari, quod ſolum contendimus.

IV.

*Obiectiones aduerſariorum.* Objicies primò, ſi vnum corpus poſſet per diuinam potentiam eſſe in pluribus locis circumſcriptiuè, ſequeretur poſſe eſſe in infinitis; conſequens implicat contradictionem: ergo & antecedens. ſequela majoris probatur, quia ſi ſemel ponatur corpus ita diuinam potentiam reſpicere, vt poſſit ab illa in pluribus locis collocari, neceſſariò etiam ponendum erit ita eandem reſpicere, vt ab illa poſſit in omnibus locis ſimul collocari; non enim aſſignari poteſt cur poſtremum fieri non poſſit poſito priori, cum ex parte Dei potentia ſit infinita, & ex parte corporis ſit indifferentia. Minor probatur. ſi vnum corpus

poſſet

poſſet eſſe in infinitis locis, ſequeretur poſſe eſſe immenſum; immenſitas autem eſt proprietas ſolius Dei, nec vlli creaturæ communicari poteſt, vnde diuus Thomas, vult hæreticum eſſe aſſerere poſſe illam communicari creaturæ. *D. Thomas.*

Reſpondeo retorquendo argumentum in diuum Thomam. nam ad minimum æquè apparenter procedit contra corpus Chriſti in ſanctiſſimo Sacramento, ac contra corpus modo quantitatiuo in pluribus locis. ſic enim argumentor. corpus Chriſti poteſt eſſe Sacramentaliter in pluribus locis. ergo in omnibus. ergo poteſt eſſe immenſum. quod ſi reſpondeas corpus Chriſti eſſe in Sacramento definitiuè, non autem quantitatiuè, ſeu modo quantitatiuo, nihil dicis. nam nulla creatura poteſt eſſe vbique, quocumque tandem modo in loco ponatur. vnde angelus eſt in loco ſine modo quantitatiuo, & tamen non conceditur angelo ipſum poſſe eſſe vbique. ergo &c. vlterius aduerſarij fatentur corpus Chriſti Sacramentaliter poſſe eſſe vbique. dicunt enim poſſe Deum omnia in corpus Chriſti conuertere, quo caſu eſſet vbique, & tamen non eſſet immenſum. ergo ex eo quod vnum corpus poſſit eſſe in omnibus locis ſiue vbique, male inferunt poſſe eſſe immenſum. reſpondeo ergo ſecundò negando minorem. ad eius probationem dico, non ſequi propterea poſſe eſſe immensũ, vt bene notat Scotus. & ratio euidens eſt, quia de ratione immenſitatis eſt, vt illud quod eſt immenſum neceſſariò impleat omnem locum, ita vt cõtradictionem implicet dari locum, & in illo non eſſe illud quod eſt immenſum. in illo, inquam, ſecundum eſſentiam, præſentiam, & potentiam. vnde Deus his tribus modis neceſſariò eſt in omni loco, & vbique. tali autem modo corpus non eſſet in omnibus locis. *Soluuntur dicta obiect.* *Scotus.*

Obiicies ſecundò. impoſſibile eſt eandem materiã numero eſſe ſub diuerſis formis ſubſtantialibus. at ſi idem corpus numero poſſet eſſe in pluribus locis, ſequeretur illam poſſe eſſe ſub diuerſis. ergo &c. major clara videtur, videtur enim contradictionem implicare meum corpus ſimul informari poſſe pluribus animabus rationalibus. minor probatur. ponatur Andegaui & Romæ idem cibus, & à diuerſis animalibus in duabus illis ciuitatibus exiſtentibus comedatur. tunc potentia nutritiua vniuſcuiuſque animalis cibum illum in propriam ſubſtantiam conuertet, & per conſequens eadem materia reperietur ſub diuerſis animabus illorum animalium.

Reſpondeo cũ Scoto, data ſed nõ conceſſa majore, negãdo minorẽ. ad probationem, dico idẽ dicẽdum eſſe de cibo illo in diuerſis locis collocato, & à diuerſis animalib. ſũpto, quod dicendũ eſſet de illo in vno loco poſito, & à diuerſis animalibus ſũpto. ſi enim idẽ cibus ſumeretur à diuerſis animalibus, & in diuerſos ſtomachos trajiceretur, vel virtus vnius ſtomachi omnino ſuperaret virtutẽ alterius, vel nõ. ſi ſuperaret *Scotus.*

conuerteret penitus cibum in ſubſtantiam ſuam, & ſic eſſet ſub eius tantum forma; ſi non ſuperaret, vel eſſet æqualis virtutis cum virtute alterius, vel inæqualis. ſi æqualis, tunc vtraque virtus æqualiter conuerteret aliquam portionem alimenti, vna vnam aliam. ſi inæqualis, ita vt vna aliam vincat, non tamen omnino ſuperet, tunc debilior minus conuertet, fortior plus.

Obijcies tertiò cum ſectariis noſtri temporis varias implicantias, quibus aiunt ſe perſuaſos eſſe id Dei omnipotentiæ denegare. prima eſt. ſi vnum corpus poſſet eſſe in multis locis, poſſet eſſe vnum & multa; diuiſum & diſtans à ſeipſo; poſſet eidem eſſe præſens & diſtans; poſſet quieſcere ſimul & moueri; quæ omnia implicant. ſecunda. ſequeretur idem corpus poſſe ſimul habere contrarias qualitates intenſiſſimas, vt calorem in vno loco applicatum igni, frigus in alio applicatum niui; quod repugnat naturæ contrariorum, quæ definiuntur ſe mutuo expellere, cumque vnum contrariorum includat negationem alterius, inferri etiam poſſent contradictoria. ſimiliter quoad actus virtuales, idem in vno loco poterit amare Deum, & ſimul in alio odiſſe. quoad habitum etiam & priuationem, in vno loco mortuum eſſe, in alio viuere; in vno ſobrium eſſe, in alio ebriũ; ſimiliter Petrum, verbi gratia, habentem vires ferendi pondus decem librarum, poſſe ferre pondus decem millium ſi in multis locis ponatur; in ſingulis enim decem libras ferret, quæ multiplicatæ ingens omninò pondus efficient. multas alias addunt implicantias, ſed quæ ex harum ſolutione facillimè diluuntur.

*S. Auguſtinus.* Reſpondeo ad has implicantias generatim reſponderi poſſe illud diui Auguſtini lib. 22. de ciuit. Dei cap. 11. *Ecce qualibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam poßidet vanitas.* quanta enim vanitas eſt, ne dicam inſania, eorum qui non aliter Deo credere volunt, quam quatenus quæ aſſerit capere poſſunt, quaſi non multa ſint à nobis credenda, quæ intelligentiam noſtram ſuperant, aut quaſi ipſi ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium percipiant. ſi itaque capere non poſſint, qui fieri poſſit vt Chriſtus realiter ſit in ſanctiſſimo Sacramento, & idem numero in pluribus hoſtiis conſecratis, audiant Apoſtolum 2. ad Corinthios 10. & redigant *in captiuitatem intellectum in obſequium fidei*, & dicant multo plura poſſe Deum facere, quam poſſit intellectus humanus intelligere, iuxta illud Iob 36. *Ecce Deus magnus vincens ſcientiã noſtram*, & ad Romanos 11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! &c.*

Reſpondeo ergo breuiter, & primò quidem ad primã implicantiam dico nullã eſſe; nam corpus vt eſt in vno loco, non diſcontinuatur à ſeipſo in alio. nam diſcontinuari & diuidi, eſt eorum quæ ſunt multa. in caſu autem noſtro, non ſunt duo aut plura corpora, ſed vnum & idem;

ſicut viciſſim ſi duo corpota, pet omnipotentiam Dei ponerentur in eodem loco, eſſent duo corpora, & non vnum, licet vnicus ſit locus. quare ſolum loca ipſa quibus corpus eſt præſens, erunt diſcontinua & plura, non autem corpus; ſicut proportionaliter anima vnica eſt in ſingulis membris cotpotis, & vt eſt in capite eſt ſurſum, & remota à terra, vt eſt in pede eſt deorſum, & terræ proxima, vt eſt in dextera agitata mouetur, vt eſt in ſiniſtra immota quieſcit, ſine vlla vera contradictione, quæ attendi debet non ſolum reſpectu ejuſdem tei, ſed etiam temporis, loci, modi &c. Quare ſine vlla contradictione licet etiam dicere de eodem corpote, in vno loco ſtare, in alio ſedere, quieſcere, & moueri, ſurſum eſſe, & deotſum, ſecundum diuerſa loca in quibus ſtatuitur, & diuerſos eſſendi modos. cum enim hæ ſimileſque ptoprietates dicant rationem præſentiæ localis, ſi multiplicantur loca, relationes etiam quæ ad ipſa terminantur neceſſariò erunt multiplicandæ, nullaque orietur vera contradictio, quia non erit ratione ejuſdem vbi, & loci, ſed diuerſi. ſicut ſubſtantia per vnam qualitatem poreſt eſſe alteri ſimilis, vt ignis calore aëri, per alteram diſſimilis, videlicet ſiccitate; ita vna res ſecundum diuerſa vbi, alteri diſtans, & præſens eſſe poteſt. Dices. hinc ſequeretur idem corpus eſſe alteri æquale, & inæquale, vt ſi corpus tripedale ponatur in tribus locis occupabit locum nouem pedum. Reſpondeo dupliciter intelligi poſſe corpus tripedale occupare ſpatium nouem pedum. primò, quod quantitas talis corporis commenſuretur, & circumſcribatur loco nouem pedum, & hoc falſum eſt. ſecundò, vt talis magnitudo non commenſuretur niſi loco trium pedum, eadem tamen ter ponatur in loco trium pedum, & hoc fieri poreſt per diuinam potentiam, nec vlla eſt implicantia, repugnantia eſſet ſi vnica ſua præſentia ſpatium nouem pedum æquaret. ad ſecundam implicantiam, dico corpus habens plura eſſe localia, ſecundum ſe tantum habere vnum ſubſtantiale; ideo licet expoſitione eius in pluribus locis, neceſſariò inferantur diuerſæ relationes præſentiæ quæ ad illa loca terminantur, vt ex ſupradictis conſtat, prædicata tamen abſoluta à loco, vt qualitates, actiones &c. quæ aliunde quam ab eſſe locali proueniunt, non neceſſariò ex rei natura in corpore illo multiplicantur, quia ſubjectum mutationis idem eſt, & mutatio quæ in eo fit non pendet à loco, vt bene docent ſanctus Thomas 3. p. quæſt. 81. art. 4. Scotus in 4. dist. 10. quæſt. 2. art. 4. & alij. Ad illud igitur de contrariis in ſummo gradu qualitatibus, reſpondeo, licet poſſet Deus, ſi vellet, in eodem ſubjecto ponere ſummum calorem, & ſummum frigus, quod enim natura facere poreſt ſucceſſiuè, Deus author naturæ ſimul facere poteſt. nec tunc ex contrariis inferrentur neceſſario contradictoria; non enim ex frigido inferetur neceſſariò non calidum, nec ex calido non

*S. Thomas. Scotus.*

frigidum, quia eſſe calidum non includit formaliter negationem frigidi, ſed habet ſolum conſequenter adjunctam ſecundum ordinem naturalem, non autem reſpectu potentiæ Dei. vnde notant aliqui, *Cæſarius. Sainctesius. Scotus. D.Thomas.* inter cæteros Cæſarius Dialogo 1. eundem ignem velutirorem frigefeciſſe tres pueros Hebræos, & combuſſiſſe Babylonios. qua de re plura Saínctes, repetitione 4. cap.7. ex natura tamen rei probabilius videtur Scoto in 4. diſt.10. quæſt.2. S.Thomæ loco citato 3.partis, Gabrieli lectione 46. & aliis communiter, non multiplicari, cum corpus ſit vnum, & non multa. & ideo ſi calefieret corpus in vno loco, eſſet etiam calidum in alio, ſi autem ſit in vno propè ignem, in alio prope glaciem, alterabitur eodem modo ac ſi in eodem loco ei applicarentur duo agentia contraria. quare in illo caſu ambæ virtutes calefactiua, & frigefactiua; vel attingent idem corpus ſecundum eandem partem ſui, vel ſecundum aliam, & aliam. ſi ſecundum eandem, vel illæ virtutes ſunt omnino æquales, & ſic illa pars corporis, nec erit ſimpliciter calida, nec ſimpliciter frigida, quia propter æqualitatem illarum virtutum ſic vna impediet alteram, vt illa pars corporis recipiat qualitates ſolum in eſſe refracto, quibu. efficietur tepida; vel erunt inæquales, & tunc inducetur qualitas ſecundum modum excedentis, & non eius quæ exceditur. ſi vero attingant corpus ſecundum aliam, & aliam partem, tunc in illis diſtinctis partibus poſſunt induci oppoſitæ qualitates, ſicut nunc accidere poteſt, vt ſi quis ponat pedem in glacie, & manum in igne. ad illud de odio & amore, cum conueniant ſubjecto ſecundum ſe, non ratione loci aut alterius extrinſeci, qui in vno loco odit, vbique odit. eſtque hoc idem argumentum ſoluendum aduerſ. qui in vno loco localiter, in altero per modum ſubſtantiæ exiſtimant idem corpus eſſe poſſe, cum in his actibus voluntatis ſit vtrobique pars ratio, vt rectè aduertit Franciſcus *Suarius.* Suarius diſput. 48. ſect. 4. & 6. ſimiliter ſi vulneretur, aut moriatur in vno loco, idem apparebit vbique, ſi comedit in vno loco, non eſuriet in altero, etiamſi nihil ibi comedat, quia idem eſt corpus, non diuerſum. ad vltimam inſtantiam Major in 4.diſt.10. quæſt.2. concedit *Maior.* Petrum in pluribus locis poſitum in ſingulis poſſe ferre pondus ſuæ virtuti adæquatum, quia ex eo quod Romæ ferat decem libras, non impeditur ne Andegaui aliud pondus æquale ferat. verum rectius *Scotus. Marſilius. Rada. Faber.* Scotus, Marſilius, & alij, quia ex præſentia eiuſdem potentiæ in pluribus locis non augetur potentia, non igitur plus poterit in pluribus locis quam in vno. plura hac de re videri poſſunt apud Rhadam tom. 4. controuerſiarum controu. 8. Philippum Fabrum in 4.diſt.10. diſp.37. qui fuſiſſimè, & optimè hanc noſtram ſentiam defendit.

Obijcies quartò. non poteſt explicari per quam actionem poneret Deus vnum corpus in pluribus locis circumſcriptiuè. ergo non poteſt

Google

ponere Deus vnum corpus in pluribus locis circumſcriptiuè. Antecedens probatur, quia neque per reproductionem ſubſtantialem, neque per actionem productiuam noui vbi, quam Scotus vocat adductiuam. ergo, &c.

Reſpondeo Leſſium libro 12. de perfectionibus diuinis velle illam actioné eſſe reproductionem ſubſtantialem. verum longe probabilior eſt ſententia Scoti noſtratis, quem ſequuntur eius diſcipuli, hoc fieri tantum per productionem noui vbi, quam productionem Scotus vocat actionem adductiuam. Ratio eſt, quia eodem modo hoc loco philoſophandum eſt de actione qua inciperet corpus eſſe in pluribus locis, quo philoſophamur de actione qua incipit corpus Chriſti eſſe in ſanctiſſimo Sacramento. atqui Chriſtus in ſanctiſſimo Sacramento non producitur noua ſubſtantiali actione, ſed tantum incipit de nouo illic eſſe, per acquiſitionem noui vbi ſeu præſentiæ localis, alioquin neceſſe eſſet in dies ſingulos renouari Chriſti Domini incarnationem, eius corpus videlicet & animam denuo produci, ac rurſus vniri de nouo Verbo diuino, idque nouo modo quam olim in vtero virginali, quod omnino durum eſt. vnde etiam ſequitur Chriſtum Dominum vt eſt in hoſtia conſecrata, non eſſe filium beatiſſimæ Virginis, quia ratione talis ſubſtantialis productionis quæ illic iteratò fit, ſanctiſſima Virgo ad eam nullo modo concurreret. adde quod ſi Chriſtus in Euchariſtia per nouam aliquam ſubſtantialem actionem produceretur, vt vult Suarius, deberet corruptis ſpeciebus ſubſtantialiter deſinere, atque ita annihilari, atque ita pejus cum illo ageretur in dies, vtpote qui in pluribus ſui reproductionibus ſubſtantialiter periret. quod non minus difficile eſt & abſurdum, quam ſi quis fateretur Chriſti productionem quæ eſt in cœlo perire. idem argumentum formari poteſt de apparitionibus ſupradictis Chriſti Domini ad diuum Paulum, in quibus iuxta ſententiam Suarij dicendum eſſet Chriſtum Dominum ſecundum animam, & corpus, imò & ſecundum vnionem hypoſtaticam debuiſſe ſubſtantialiter reproduci, ſicque illud myſterium incarnationis à ſæculis abſconditum in Deo, nouum nouorum, & ſolum ſub ſole nouum, fuiſſe ad ejuſmodi minimam occaſionem de integro renouandum, ac demum re confecta, paucis ad vtrumque directis & delatis verbis, tantum negotium, tanta pompa, tanto apparatu, & diuinæ virtutis contentione perfectum, illico fuiſſe diſſoluendum, & totum Chriſtum ſecundum ejuſmodi eſſe de nouo acceptum tolli de medio debuiſſe. quæ omnia abſurda iuxta doctrinam Doctoris ſubtilis facilè vitantur, vnde ejus ſententiam, poſt Bellarminum, & alios, communiter ſequuntur recentiores.

*Actio per quam poneretur corpus in pluribus locis eſſet adductiua, vt docuit Scotus.*

*Reijciuntur Suarius & Leſſius.*

*Abſurda quæ ex ipſorum ſententia ſequuntur.*

*Doctor ſubtilis.*

Dices, actio qua Chriſtus ponitur in Euchariſtia vocatur à Theo-

logis & Patribus tranſubſtantiatio. ergo eſt vera actio ſubſtantialis.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens. eſt actio ſubſtantialis ratione terminorum inter quos verſatur, hoc eſt ratione duarum ſubſtantiarum, quarum vna ponitur, altera tollitur, concedo conſequentiam, ratione rei de nouo productæ in ipſa ſubſtantia quæ ponitur, nego conſequentiam. etenim per trăſubſtantiationem, corpus Chriſti fit præſens, quod eſt vera ſubſtantia, ſublato pane, qui eſt etiam ſubſtantia, ita tamen vt in Chriſto non producatur aliquid ſubſtantiale nouum, ſed tantum nouum vbi, ſiue noua præſentia.

Sed contra inquies, impoſſibile eſt produci nouam præſentiam, niſi præſupponatur illius ſubjectum. at ſi in ſecundo loco res acquirat tantum nouam præſentiam, nec ſubſtantialiter reproducetur, producetur noua præſentia non præſuppoſito ſubjecto. hoc autem eſt impoſſibile. ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. non poteſt produci aliquod accidens, ſiue non poteſt produci noua præſentia localis, niſi præſupponatur ſubjectum exiſtens in rerum natura, concedo majorem; exiſtens hic, nego majorem. nam cum exiſtere hic ſit effectus formalis noui vbi, ſeu nouæ pręſentiæ, mirum non eſt ſi non præcedat productionem illius. vnde ad minorem reſpondeo, antequam res, verbi gratia Chriſtus Dominus, acquirat nouam præſentiam, ſiue nouum vbi, noua præſentia non præſupponit ipſum exiſtentem in ſecundo loco, ſed facit ipſum exiſtere in ſecundo loco, & tantum pręſupponit exiſtentem abſolutè vi prioris actionis.

Sed inquies, niſi reproducatur ſubſtantia, nullus alius eſt modus quo poſſit incipere eſſe in aliquo, pręter motum localem. at corpus Chriſti non mouetur de cœlo in hoſtiam conſecratam, neque corpus quod ponitur in duobus locis ab vno mouetur in alium, alioqui non remaneret in vtroque. ergo neceſſariò requiritur reproductio ſubſtantialis.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. non eſt alius modus ordinaria virtute, concedo majorem; extraordinaria, nego majorem. modus ille eſt, ſi res accipiat nouam præſentiam, retinendo etiam priorem, & non tranſeundo per medium, ſicut quamuis naturaliter non poſſit paries reddi albus, niſi abjiciendo colorem alium quem habet, poteſt tamen diuinitus vna cum albedine retinere priorem nigredinem. jam ſi corpus ponatur in duobus locis, id fiet hoc modo, dando ſubſtantiæ, quæ iam vnam præſentiam habuit, ſiue vnum vbi, aliam quoque præſentiam, ſiue aliud vbi, ſed non deſtructo priori.

Sed contra inſtabis. producatur aliquod corpus, quod nunquam fuit, & ipſo inſtanti ſuæ creationis ponatur in duobus locis; vel neu-

trobique ſubſtantialiter producetur, ſed ſolum adducetur, vel vno in loco ſubſtantialiter, in alio adductiuè, vel tandem vtrobique ſubſtantialiter. primum dici non poteſt, quia omnis effectus ſubſtantialis requirit aliquam actionem ſubſtantialem per quam incipiat eſſe. ſed nec ſecundum dici poteſt, quia cum æquè primò ponatur in vtroque, non eſt potior ratio cur hic producatur ſubſtantialiter, & non illic. ergo tertium dici debet, futuram nempe vtrobique ſubſtantialem reproductionem.

Reſpondeo negando minorem, & dico neutrobique ſubſtantialiter producendam eſſe rem illam. ad probationem quæ adfertur dico, effectum ſubſtantialem requirere aliquam actionem ſubſtantialem per quam ſit abſolutè, verum eſt; per quam ſit ibi, vel alibi, falſum eſt. nam talis res in aliquo priori inſtanti naturæ, antequam intelligeretur eſſe hic vel illic, haberet eſſe ſimpliciter ab actione productiua ſubſtantiali, ratione cuius foret indifferens ad omnem locum, ſicque vi talis actionis nullibi eſſet, imo pro tali inſtanti nondum deberet eſſe alicubi, ſed pro ſequenti, in quo ſi accipiat tantum vnicum vbi, erit in vno duntaxat loco, ſi vero, vt in caſu propoſito, æquè primò accipiat duo vbi, ſimul poneretur in duobus locis. plura hac de re videri poſſunt apud recentiores Scotiſtas, præſertim apud Gregorium Ruys in 4. ſententiarum controuerſia 38.

Quæres quid ſit vbi? V.

Reſpondeo breuiter cum Doctore Subtili conterraneo in 2. diſt. 2. quæſt. 4. eſſe relationem extrinſecus aduenientem à re vbicata diſtinctam. quod ſit relatio patet euidenter, quia rem habere vbi, ſiue eſſe in loco, nihil aliud eſt ex communi hominum ſenſu, quam exiſtentia rei cum loco. at in conceptu coëxiſtentiæ nihil aliud includitur, quam primo quidem ſubſtantialis exiſtentia rerum quæ coëxiſtere dicuntur, tum habitudo mutuæ ſimultatis & propinquitatis; his enim duobus, quorum primum eſt fundamentum, alterum relatio, conceptis, ſatis concipitur tota coëxiſtentia, & omne quod eſt de intrinſeca ratione talis coëxiſtentiæ & præſentiæ. apage ergo modum illum abſolutum à Suario, Vaſqueſio, Hurtado, aliiſque recentioribus inuentum & confictum; neque dicas cum iiſdem modum illum neceſſarium eſſe, vt ſit fundamentum proximum relationis propinquitatis ſiue præſentiæ; ne, inquam, hoc dicas; proximum enim fundamentum relationis propinquitatis intimæ, ſiue præſentiæ, eſt ipſa ſubſtantia rei præſentis, non modus; illud enim eſt fundamentum iſtius relationis, quod ſine medio ſit præſens, & ad ejus terminum refertur proximè. ſed illud eſt ſubſtantia rei locatæ. ergo &c. neque dicas ad vbi eſſe motum, qui tamen ex Ariſt. 5. Phyſ. non eſt ad relationem. ergo vbi non eſt relatio. ne, inquam, hoc dicas, quia tantum ne-

*Datur rei intrinſecum, quod non eſt aliquid abſolutum, ſed relatio extrinſecus adueniens. Scotus.*

*Reiiciuntur, Suarius, Vaſqueſius, Hurtadus, & alii Recentiores.*

gat Philoſophus eo loco motum ad relationes intrinſecus aduenıẽtes, vt patet ex ratione quam affert, quæ locum nó habet in extrinſecus aduenientibus, ſed tantum in intrinſecus aduenientibus. quod autem illa relatio ſit diſtincta nemine cogitante à re vbicata & loco, patet. quia rem coëxiſtere loco cùm antea non coëxiſteret, eſt nouus effe-ctus formalis poſitiuus in ipſo corpore. ergo debet dari noua forma realis per quam conſtituatur coëxiſtens. ſed hæc forma eſt vbi. ergo datur vbi diſtinctum. neque hoc repugnat Ariſt. 8. Phyſ. aſſerenti per lationem mobile non recedere ab eſſe. Philoſophus enim intelligi debet de eſſe abſoluto, non relatiuo; nam mobile alternare rationem præſentiæ clarum eſt.

# QVÆSTIO VIGESIMAPRIMA.

## *An dentur ſpatia imaginaria? & an Deus in illis ſit?*

I. CONtrouerſia hæc Theologica tota eſt, quia tamen à Philoſophis communiter tractari ſolet, breuiter de illa aliquid dicemus.

*Prima ſententia recentiorum dari ſpatia imaginaria.*
*Albertinus.*
*Zumel,*
*Trigoſius.*
*Scaliger & alii.*

Prima ſententia, & inter recentiores communis, admittit extra cælos ſpatia imaginaria tanquam aliquid reale negatiuum, vultque Deum in illis eſſe. eſt Fonſecæ 5. metaph. cap. 15. quæſt. 9. ſectione 4. Molinæ 1. parte qu. 8. art. 1. Albertini tomo 2. Corollariorum Theologicorum, in prædicamento vbi, quæſt. 2. Suarij, Gillij, Conimbricenſium, Leſſij, Zumel, Scaligeri, Trigoſi, & aliorum.

*Secunda ſententia non dari, quæ eſt veterum, Scoti, in 1. diſt. 37.*
*Marſilii.*
*D. Bonauenturæ.*
*Carthuſiani.*
*Sancti Thomæ.*
*Capreoli, &c.*
*Sequuntur eandem ex recent.*
*Vaſquez.*
*Granadus.*
*Nauarretus.*
*Moncaius.*
*Smiſingus.*
*Faber.*

Secunda ſententia huic contraria eſt communis veterum. ita expreſſè tradunt Scotus in 1. diſt. 37. quæſt. vnica, vbi ita loquitur; *Ante mundi creationem non eſt imaginandum vacuum infinitum, quaſi ibi fuerit præſens Deus ſecundum eſſentiam.* Marſilius in 1. diſt. 39. art. 2. ad 8. vbi ita loquitur, *Deus eſt in ſeipſo, nec eſt in aliquo imaginario ſpatio quolibet modo extra cælum.* D. Bonauentura in 1. diſt. 37. parte 1. art. 2. qu. 2, Carthuſianus eadem diſt. qu. 1. prope finem, Capreolus, & alij. Videtur etiam ſententia ſancti Thomæ, quatenus vult ſpiritualia eſſe in loco per operationem, & ſi nullibi operentur nullibi eſſe, vt patet ex 1. diſt. 37. quæſt. 3. art. 1. ad 4. ex recentioribus eandem ſententiam ſequuntur Vaſquez 1. parte diſp. 29. Moncæius in ſuis diſputationibus Theologicis diſp. 1. cap. 2. Granadus 1. par. diſp. 3. ſec. 2. Nauarretus cõtrouerſia 27. Philippus Faber in 1. diſt. 37. quæſt. vnica cap. 3. Smiſingus tomo primo diſput. Theologicarum tract. 2. diſput. 5. quæſtione ſecunda, & alij. ego vehementer ſuſpicor totam hanc quæſtionem eſſe de nomine. nam, primo certum eſt extra cœlos non dari ſpatia imagina

ria

tia actu, & poſitiuè, quamuis extra cœlos de facto ſit negatio quantitatis realis, & eius poſſibilitas. ſecundo certum etiam eſt Deum non eſſe in ſpatijs imaginariis, quaſi actu ambiatur à ſpatiis imaginariis vere, & formaliter, ſed quod ambiri poſſit à ſpatiis realibus, & abuſiuè dicatur ambiri à ſpatiis imaginariis. hoc poſito

Dico primò non dari actu & poſitiuè ſpatia imaginaria, eo modo quo dantur actu entia realia poſitiua, ſed dari abuſiuè, ſicut dantur negationes, & entia poſſibilia. II. *Prima concluſio.*

Probatur concluſio manifeſtè, & primo quidem quoad primam partem, quia ſi ſpatium imaginarium eſſet ens poſitiuè exiſtens, non eſſet imaginarium, ſed verum ens ponens aliquid à parte rei. deinde ſpatium imaginarium dicitur eſſe infinitum, non eſſe creatum à Deo. quod ſi eſſet quid poſitiuum exiſtens, hæc dici non poſſent. ergo ſpatium imaginarium non eſt quid poſitiuum actu exiſtens. ſecunda etiam pars probatur facile, quia verè extra cœlos nullum eſt ſpatium reale, nec poteſt eſſe, quia poſſibilitas eſt fundamentum cur imaginetur noſter intellectus ibi eſſe aliquod ſpatiũ; concipimus enim poſſibilitatẽ illã quantitatis, ſiue ſpatij realis extra cœlos, per modũ extenſionis, vt patet experientia. datur ergo abuſiuè ſpatiũ imaginarium extra cœlos. dixi abuſiuè, quia priuationes & negationes cum dicuntur eſſe, abuſiuè dicuntur, quia verè nihil ponunt à parte rei, ſed verè tollunt. vnde quando dicuntur eſſe, ſi eſſe propriè ſumatur, & in rigore, implicat in terminis, quia non poteſt aliquid eſſe, propriè loquendo, & per illud nihil eſſe, ſed potius aliquid non eſſe. hinc authores primæ ſentẽtiæ impropriè admodum loquuntur, cum dicunt ſpatium imaginarium habere eſſe reale negatiuum. in his enim terminis, *reale, negatiuum*, includuntur duo contradictoria. ſi enim eſt reale, ponit aliquid; ſi negatiuum, nihil ponit, ſed tollit. deinde particula, *negatiuum*, coniuncta cum hoc termino, *reale*, multo magis alienat à proprio ſignificato realis, quam *pictum*, à proprio ſignificato, *hominis*. ſicut ergo non ſequitur, eſt homo pictus, ergo eſt homo, ſed bene ſequitur, ergo non eſt homo; ſic non ſequitur, eſt reale negatiuum, ergo eſt reale, ſed bene, ergo non eſt reale. & confirmatur, quia homo negatiuus, non eſt homo, ſicut loqui negatiuè, non eſt loqui. ergo reale negatiuum non eſt reale. denique ſpatium illud habet per ipſos aliquod proprium eſſe. ergo ponit aliquid à parte rei. ergo eſt aliquid poſitiuum. quod ſi eſt aliquid tantum negatiuum, & tantum tollat eſſe, quomodo poteſt dici eſſe reale? cum potius tollat eſſe reale, imo ſit ipſa ſublatio entis realis.

Dico ſecundò, Deum non eſſe in ſpatiis imaginariis, quaſi vere ambiatur ab illis, ſed eſſe, quia ratione ſuæ immenſitatis, qua in ſeipſo immenſus eſt, fundamentaliter proximè aptus eſt eſſe in quibuſlibet III. *2. Concluſio.*

ſpatiis realibus, ſi illa ponantur. ita vt ex parte Dei nihil omnino requiratur, ſed tantum requiratur vt ipſa ſpatia ſint.

*Probatur.* Probatur facilè vtraque pars. & prima quidem, quia ſpatia illa, vt dictum eſt, vere & realiter non ſunt. ergo vere & realiter non poſſunt ambire Deum, nec Deus ab illis ambitur. & ad hanc primam partem noſtræ concluſionis reſpexiſſe videntur Tertullianus libro contra Praxeam cap.5. cum ait, *Ante omnia Deus erat, ſolus ipſe ſibi & mundus, & locus, & omnia.* S. Auguſtinus in id Pſalmi 121. *Qui habitas in cælo. antequam*, inquit; *Deus faceret cælum & terram vbi habitabat? Sed dicet aliquis, antequam faceret Deus ſanctos, vbi habitabat? in ſe habitabat Deus, apud ſe habitabat, & apud ſe eſt Deus.* S. Bernardus lib.5. de conſideratione cap.6. *vbi erat*, inquit de Deo loquens, *antequam mundus fieret, ibi eſt. non eſt quod quæras vltra vbi erat. præter ipſum nihil erat, erat ergo in ſeipſo.* ex quo non ineptè Poëta quidam,

*Dic vbi tunc eſſet, cum præter eum nihil eſſet*
*Tunc? vbi nunc, in ſe, quoniam ſibi ſufficit ipſe.*

Subſcribere etiam videtur Mercurius Trimegiſtus in dialogo 3. ad Aſclepium his verbis, *Vnum tantum erat lumen mentale apud mentale lumen, & eſt ſemper mens illuſtris, & nihil aliud erat, quam hujus vnitas ſemper in ſeipſo exiſtens, ſemper ſua mente, & lumine, ac ſpiritu omnia continet.* ſecunda pars etiam clara eſt, quia Deus ratione ſuæ immenſitatis intrinſecè proximè aptus eſt in quocumque ſpatio reali, modo illud ponatur, eſſe; & hoc quidem ſine vlla ſui mutatione, ſicut in incarnatione incœpit Deus eſſe peculiari modo in humanitate Chriſti, ſine vlla ſui mutatione, & poſt creationem mundi incœpit eſſe in rebus creatis cum prius in illis non eſſet, ſine vlla etiam ſui mutatione. neque contrarium habet Scriptura ſacra, aut Patres, quando dicunt Deum eſſe excelſiorem cœlo, eſſe extra mundum &c. his enim loquendi modis ſignificare tantum volunt Deum non definiri mundo, nec vlla re creata, ſed eſſe in ſeipſo, qui major eſt mundo, & eſſe extra res omnes, quatenus illis non definitur, denique eſſe extra mundum, quatenus ſi alios mundos crearet in illis eſſet.

IV. *Obiectio Leſſii.* Sed objicit Leſſius lib.2. de perfectionibus diuinis. ſi Deus non eſt actu poſitiuè & propriè extra cœlum, ergo non eſt id quo majus cogitati nihil poteſt. atqui Deus eſt id quo cogitari majus nihil poteſt. ergo &c.

Reſpondeo mirari me virum Theologum, tam futili argumento in re graui vti voluiſſe. dico ergo ex eo quod Deus non ſit extra cœlum, non ſequi Deum non eſſe majorem majoritate perfectionis omnibus quæ cogitari poſſunt, ſed ſolum non eſſe majorem magnitudine molis, & quantitatiua; quod mirum non eſt, cum hæc magnitudo illi repugnet. ex his patet controuerſiam propoſitam de nomine

eſſe potius quam de re, magis tamen verè & propriè loqui authores ſecundæ ſententiæ.

# QVÆSTIO VIGESIMASECVNDA.

*De variis durationum ſpeciebus; vbi etiam tractatur vtrum duratio rei creatæ ab eadem diſtinguatur, & ſit ſucceſſiua.*

DVratio aliud nihil eſt, niſi permanentia rei in ſuo eſſe, ſiue in ſua exiſtentia. tribus autem potiſſimum modis conſiderari poteſt. primò, vt omnino infinita eſt, & fine ſimul principioque caret. ſecundò, vt omnino finita eſt, finemque ac principium habet. tertiò, vt partim finita, partim infinita eſt, fine ſcilicet natura ſua, non tamen principio carens. priori modo dicitur æternitas, & ſoli Deo eſt peculiaris. ſecundò modo tempus, & omnibus rebus caducis, ac natura ſua defectibilibus communis eſt. tertiò denique dicitur æuum, quo pacto rebus omnibus natura ſua indefectibilibus, animabus nempe noſtris, angelis, lumini gloriæ, viſioni beatificæ, cæteriſque hujuſmodi eſt propria. hoc pacto I.

Dico primò, æternitatem rectè à diuo Boëtio deſcriptam eſſe, interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio. alij hoc modo definiunt, eſt duratio interminabilis, indiuiſibilis & independens. II. *Prima concluſio.*

Probatur ſimul & explicatur. dicitur duratio interminabilis, quod nempe & fine & principio careat; independens vero ſiue perfecta, vt æternitas ita propria Deo reddatur, vt nec angelis, nec cæteris omnibus conuenire queat. dicitur indiuiſibilis, ſiue tota ſimul; æternitas enim Dei non habet partes ſibi inuicem ſuccedentes, quarum aliæ ſint præteritæ, aliæ vero futuræ. vnde egregiè omnino Auguſtinus in pſalm. 101. *æternitas ipſa Dei ſubſtantia eſt, quæ nihil habet mutabile. ibi nihil eſt præteritum, quaſi iam non ſit, nihil eſt futurum, quaſi nondum ſit, non eſt ibi, niſi eſt &c.* & alibi optimè notat à patre de filio pſalm. 27. dictum, *ego hodie genui te*, non olim, quod ſcilicet illum in æternitate tota ſemper ſimulque exiſtentem genuerit. cuius rei hæc communiter à Theologis affertur ratio. ſubſtantia Dei eſt indiuiſibilis, & tota ſimul, in qua nullæ partes ſunt ſibi inuicem ſuccedentes. ſed æternitas realiter eſt ipſamet Dei ſubſtantia. ergo æternitas eſt indiuiſibilis, & tota ſimul, vtpote in qua nullæ partes ſunt ſibi inuicem ſuccedentes. major clariſſima eſt, alioquin enim ſequeretur quotidie aliquid ſubſtantiæ diuinæ effluendo deperire, eique aliquid aliud ſuc- *Probatio & explicatio eiuſdem.*

çedere,& conſequenter ſubſtantiam Dei generabilem eſſe, & corruptibilem,quod eſt ridiculum & imping. minor patet, quia æternitas Dei aliud nihil eſt, quam eius duratio,eius autem duratio, nihil aliud eſt quam eius exiſtentia durans, ſiue perſeuerans, eius autem exiſtentia eſt ipſa eius eſſentia, eſſentia vero eius eſt eius ſubſtantia. ergo à primo ad vltimum æternitas Dei eſt Dei ſubſtantia. ſecundò, ſi æternitas Dei eſſet aliquid re ab eius ſubſtantia diſtinctum, duo ſequerentur abſurda. primum, ſubſtantiam diuinam aliquo à ſe diſtincto perfici, & ita non eſſe infinitè perfectam. ſecundum, Deum, non natura & eſſentialiter, ſed extrinſecè tantum, & quaſi contingenter eſſe æternum. ex his patet, quomodo intelligenda ſit Scriptura ſacra, quando Deo præteritum, præſens, & futurum tribuit, in hoc enim accommodat ſe captui noſtro, non ſecus ac quando eidem Deo, oculos, manus, humanaſque affectiones tribuit; cui etiam modo loquendi occaſionem præbet æternitas, quæ licet præterito & futuro careat, eminenter tamen & præteritum & futurum continet, in quantum præterito & futuro ipſa licet indiuiſibilis coëxiſtit. & *quemadmodum*, inquit diuus Thomas, *centrum, licet immobile & indiuiſibile, totum tamen toti circumferentiæ, & totum ſingulis ipſius partibus reſpondet; ſic æternitas in ſe, veluti punctum aliquod indiuiſibile, tota toti tempori, totaque ſingulis ipſius partibus ſibi inuicem ſuccedentibus, ſine ſucceſſione coëxiſtit.* hoc idem arboris in medio flumine poſitæ exemplo illuſtratur; quemadmodum enim ipſa immota, immutata, totaque manens, ſingulis vndis ipſam ſucceſſiuè præter fluentibus coëxiſtit, ſic æternitas indiuiſibilis, immutata, eademque manens, noſtri temporis præterito & futuro ſibi inuicem ſuccedentibus, ſine vlla in ſe ſucceſſione coëxiſtit. hæc breuiter de æternitate, cuius fuſior tractatio ſpectat ad Theologos.

III. Dico ſecundò, æuum propriè dictum eſſe durationem certam, permanentem totam ſimul, & natura ſua mutabilem, fine, non tamen principio carentem. dixi propriè dictum, quia aliquando pro æternitate ſumitur, vt Eccleſiaſtici 4. *nomen Domini permanens in æuum.* aliquando etiam ſumitur pro noſtro tempore, vt cum dicimus æuum velox traducere. concluſio noſtra eſt contra diuum Bonauenturam in 2. diſt. 2. quem ſequuntur Murcia hoc loco, Salas, & alij recentiores, præſertim in Italia, apud quos eſt communiſſima ſententia diui Bonauenturæ. eſt tamen D. Thomæ quodlibeto 10. quæſt. 2. art. 4. vbi contrariam ſententiam ait eſſe *inintelligibilem.* eſt etiam eiuſdem 1. parte quæſt. 10. art. 5. vbi contrariam diui Bonauenturæ ſententiam dicit implicare contradictionem. eſt etiam Scoti in 2. diſt. 2. & Scotiſtarum omnium, quos vide apud Suarium diſp. 50. Metaph. ſect. 5. Gabrielem Vaſquez diſput. 33. cap. 4. & alios. fateor tamen eſſe,

*Secunda, cõcluſio quæ eſt S. Thomæ, Scoti &c. contra S. Bonauenturam, Murciam, Salas, &c.*

quamuis non formaliter & actu, tamen virtualiter ſucceſſiuam.

Probatur concluſio. duratio ſequitur naturam & modum eſſendi rei durantis, vnde tempus eſt duratio ſucceſſiua, partes priores & poſteriores habens, quia ſequitur modum eſſendi ſucceſſiuum motus, & partes priores & poſteriores eius. ergo æuum, quod eſt duratio angeli, verbi gratia, ſequitur naturam & modum eſſendi angeli. ſed eſſe angeli eſt indiuiſibile, permanens, ac totum ſimul, abſque vlla ſucceſſione aut variatione prioris aut poſterioris. ergo illius etiam duratio debet eſſe penitus indiuiſibilis, & tota ſimul, omni ſucceſſione & variatione carens. confirmatur. nam ideo in æternitate Dei nullam admittimus ſucceſſionem, quia in diuino eſſe nulla eſt ſucceſſio, cuius æternitas eſt proprie duratio. ergo cum nulla ſit etiam ſucceſſio in eſſe angeli, nulla quoque erit in eius duratione. *Probatio concluſionis.*

IV. *Aduerſariorum argumenta ſoluuntur.*

Dices primò, cum aduerſariis, duratio animæ Adami, verbi gratia, eſt major duratione Petri. ergo animæ rationalis duratio diuiſibilitatem admittit. conſequentia patet. antecedens probatur, quia coëxiſtit longè majori tempori, ergo & ipſa longè major debet eſſe duratio.

Reſpondeo animam Adami habere majorem extrinſecam durationem, quia videlicet longiori tempori externo coëxiſtit, non tamen intrinſecam, quæ vt diximus eſt indiuiſibilis, & tota ſimul. illuſtrari poteſt hoc, primo, quia angelus, verbi gratia, etſi altero angelo majorem locum occupet, non tamen propterea vbi eius intrinſecum, vbi alterius angeli majus dicendum eſt, cum vtrumque ſit indiuiſibile & ſpirituale, ſed extrinſecè tantum, per ordinem ſcilicet ad majorem locum. ita anima Adami plus noſtra duraſſe dicitur, non ratione durationis internæ, quæ ſicut ipſa anima indiuiſibilis eſt, nec poteſt major aut minor altera dici, ſed tantum ratione durationis externæ primi mobilis, cuius plures motus anima Adami, quam anima Petri numerauit. hinc ſoluitur aliud argumentum, quod ſibi objicit diuus Thomas, quodlibeto 10. citato, videlicet, ſi in duratione angeli vel animæ non eſt prius & poſterius, idem erit angelum eſſe & fuiſſe. reſpondet diuus Thomas his verbis, *Rei æternæ, vel æuiternæ, poteſt aliquid attribui dupliciter. vno modo ratione ipſius, & ſic non attribuitur ei, nec fuiſſe, nec futurum eſſe, ſed ſolum eſſe, quia in præterito & futuro implicatur prius & poſterius, non autem in præſenti. alio modo ratione menſuræ adjacentis vel ſubjacentis, & ſic attribuitur ei fuiſſe per concomitantiam ad tempus præteritum, & futurum eſſe per concomitantiam ad tempus futurum.* hæc diuus Thomas.

Dices ſecundò, duratio animæ vel angeli eſt tota ſimul. ergo in angelo ſimul eſt fuiſſe & futurum eſſe. & quemadmodum implicat de facto eum non fuiſſe, ita implicabit eum non futurum eſſe, ac proinde à Deo annihilari non poterit.

Reſpondeo, conceſſo antecedente diſtinguendum eſſe primum conſequens. ergo in angelo ſimul eſt fuiſſe & futurum eſſe ratione ſuæ durationis, hoc eſt, in duratione angeli intrinſecè, non eſt aliud fuiſſe & futurum eſſe, concedo conſequentiam; in angelo eſt ſimul fuiſſe & futurum eſſe per denominationem à termino extrinſeco actuali vel poſſibili, nego conſequentiam. nego præterea ſequi quod ſicut implicat angelum non fuiſſe, ita implicet quoque non futurum eſſe. ratio eſt, quia futurum eſſe habetur complerè per comparationem durationis ipſius ad tempus futurum, quæ comparatio tolli poteſt ex eo quod tollatur alterum extremum, aut vtrumque.

Sed inquies, idem eſt in duratione angeli, id per quod ipſe angelus coëxiſtit tempori præterito, & id per quod coëxiſtet tempori futuro. ergo ſi non poteſt tolli coëxtitiſſe tempori præterito, neque tolli poterit coëxtiturum futuro.

Reſpondeo retorquendo argumentum. idem eſt homo qui coëxtitit tempori præterito, & qui coëxiſtet futuro. ergo ſi fieri non poteſt vt non coëxtiterit tempori præterito, neque poterit fieri vt non coëxiſtat futuro. dico ergo directè ad argumentum, eandem eſſe durationem quæ comparatur ad vtrumque tempus; ſed comparationem eſſe duplicem, & tolli propterea poſſe, ſiue potius impediri comparationem qua coëxiſtet, non ſublata qua coëxtitit, quæ propterea non poteſt non eſſe, quia terminus ipſius non poteſt non fuiſſe.

Dices. ſaltem aduerſatur hæc noſtra ſententia Patribus, aſſerentibus diuinæ ſolum æternitati conuenire eſſe totam ſimul, abſque vlla ſucceſſione præteriti vel futuri.

Reſpondeo neque hoc verum eſſe, quia Patres quando aſſerunt in duratione, verbi gratia, angeli, eſſe, fuiſſe, & futurum eſſe, loquuntur de duratione angeli & aliarum rerum, quia illi non repugnat incipere & deſinere, de qua propterea dici poteſt, quod antequam inciperet eſſet futura, & quod poſſit deſinere, & conſequenter quod aliquo modo dici poſſit de ea fuit; quæ omnia dici non poſſunt de æternitate Dei, bene tamen dicuntur de duratione angeli, quamuis illa indiuiſibilis ſit, & tota ſimul abſque vlla intrinſeca ſucceſſione.

V.

*Oſtenditur durationem angeli diſtingui nemine cogitante ab angelo.*

Quæres, an duratio intrinſeca angeli, verbi gratia, ſeu animæ rationalis, diſtinguatur, nemine cogitante, ab angelo, vel anima rationali durantibus.

*Henricus, Richardus. D. Thomas.*

Reſpondeo controuerſiam eſſe inter autores. nominales enim, quos ſequitur Suarius diſputatione 50. ſectione 1. exiſtimant non diſtingui durationem ab exiſtentia rei durantis. contraria tamen ſententia Richardi in 2. diſtinct. 2. Henrici, & aliorum veterum communis longè probabilior eſt, diſtingui; eamque videtur docuiſſe Diuus Thomas prima parte quæſtione 10. articulo 2. in corpore, &

probatur breuiter, quia in re exiſtente debet aſſignari ratio aliqua formalis, ex qua res habeat formaliter vt coëxiſtat huic tempori, & non alteri, cum ex ſe ſit indifferens ad coëxiſtendum. ergo &c. ſecundò, quia omne quod aduenit rei conſtitutæ extra cauſas, ſiue rei exiſtenti, debet ab illa præciſa omni cogitatione diſtingui. talis eſt duratio: ergo &c. hoc argumentum ab aliis hoc modo formatur. ſeparabilitas arguit neceſſariò diſtinctionem realem. ſed poteſt dari exiſtentia ſine duratione, ſaltem proprie dicta, ſi nimirum angelus duraret tantum per inſtans, aut ſi exiſtentia accipiatur in primo ſui eſſe, tunc enim res exiſtens habet exiſtentiam, & tamen non habet durationem. ergo &c. denique, quia exiſtentia rei permanentis incipit per primum ſui eſſe, duratio autem per vltimum non eſſe. ergo nemine cogitante inter ſe diſtinguuntur. quod ſi quæras, an ſit aliquid abſolutum, an verò relatio extrinſecus adueniens? reſpondeo eſſe relationem extrinſecus aduenientem, iuxta alibi dicta. nam eodem plane modo philoſophandum eſt de duratione, ſiue entitate rei duranti ſuperaddita, per quam applicatur res durans tempori, quo philoſophati ſumus de vbi intrinſeco, per quod res loco applicatur; rem enim applicatam eſſe tempori, nihil aliud eſt quam coëxiſtere tempori; per coëxiſtere autem tempori, nihil aliud ſignificatur quam exiſtentia temporis, & rei quæ exiſtit in tempore cum præſentia vnius ad aliam, quæ ſignificatur per illud *co*; vnde communiter omnes nomine coëxiſtentiæ nihil aliud intelligunt, quam relationem præſentiæ. videri poſſunt quæ diximus de vbi intrinſeco, quæſtione decimanona.

Dices. idem eſt quærere quamdiu duret res aliqua, & quamdiu eadem res exiſtat. ergo duratio rei non diſtinguitur ab eius exiſtentia.

Reſpondeo negando conſequentiam. ratio negationis eſt, quia quando quærimus quamdiu res exiſtat, non accipimus nomen exiſtentiæ præciſè vt dicit ſolum actum eſſendi extra cauſas, ſed vt ſignificat rem perſiſtentem in eſſe, & conſequenter prout inuoluit durationem. ſed inquies, ſi ponamus exiſtere & non deſinere, neceſſario etiam ponitur durare. ergo &c. reſpondeo hoc ipſo quod ponitur rem exiſtere permanenter, ſiue non deſinere, ponitur habere durationem ſuperadditam.

Quæres, an tempus etiam diſtinguatur à motu? VI.

Reſpondeo probabilius eſſe etiam diſtingui. eſt Scoti in 2. diſt. 2. quæſt. 2. ſub littera E. §. reſpondeo, & ex Scotiſtis, Baſſolij contertanei ibidem quæſt. 1. Ioannis de Magiſtris 4. phyſicorum quæſtione 6. dubio 3. cui valde etiam fauent Lychettus, & Gratianus in 2. diſt. 2. q. 1. & alij Scotiſtę communiter, quamuis Ioannes Canonicus 4. phyſ.

*Oſtenditur tempus diſtingui nemine cogitante à motu.*

*Scotus.*

*Ioannes de Magiſtris.*

*Gratianus. Baſſolius. Nicolaus de Orbellis.*

quæſt. 5. art. 3. dubio 3. Nicolaus de Orbellis 4. phyſic. Franciſcus de Pitigianis 4. etiam phyſ. in commentariis ad qu. 15. Scoti, exiſtiment tantum diſtingui formaliter; quibus fauet Scotus in 4. diſtinct. 48. quæſt. 2. ſub litteta H. paragtapho ad 1. dicitur. probatur breuiter reſponſio ex Philoſopho, qui 4. phyſicorum cap. 11. probat tempus non eſſe motum. quæ propoſitio Philoſophi cum in ſenſu reali intelligi poſſit, non eſt confugiendum ad ſenſum tantum formalem. Ratione quoq; eadē reſponſio oſtenditur. primò, quia alię ſunt partes motus, & aliæ ſunt partes temporis nemine cogitante. ergo tēpus & motus nemine cogitāte diſtinguūtur. antecedēs probatur, quia motus velox eſt ille, qui habet multas partes ſub parua duratione, & motus tardus eſt ille, qui habet paucas partes ſub magna duratione. ergo ſunt multæ partes in motu, & paucæ in eius duratione, & contra in motu paucæ partes, & in duratione multæ. hoc autem neceſſario arguit diſtinctionem realem inter partes motus, & partes temporis, cum inter illas ſit ſeparabilitas. ſecundò oſtenditur, quia quantitas continua permanens diſtinguitur realiter à re, quæ per ipſam ſit quanta permanenter. ergo & quantitas continua ſucceſſiua debet diſtingui à re, quæ per ipſam ſit quanta ſucceſſiuè, hoc eſt à motu. antecedens ſuperius probatum eſt. conſequentia conſtat à paritate rationis, neque dici poteſt quod motus, vt connotat tempus extrinſecum tantum, vel tantum, ſit ipſum tempus. hoc, inquam, dici non poteſt, quia motus ex ſe non habet vt connotet tantum tempus extrinſecum, potius quam maius vel minus. ſed hoc habere debet ab aliqua forma, quæ de nouo in ipſo incipiatur. ergo &c.

VII. Quæres quænam durent æuo?

*Probatur æuo menſurari, tam ſubſtantias incorruptibiles, quam accidentia incorruptibilia.*

Reſpondeo æuo durare, tum ſubſtantias incorruptibiles, angelos videlicet & animas rationales, item cœlos & materiam primam; tum etiam accidentia incorruptibilia, vt angelorum & hominum intellectus, & voluntas (ſi hæc diſtinguuntur ab anima & ſubſtantia angeli, de quo inferius diſputandum erit) lumen item gloriæ, viſio beatifica, & amor beatificus; pro quibus tribus poſterioribus, ſimilibuſque accidentibus ſupernaturalibus, nouum durationis modum inuenerunt Thomiſtæ, quem æternitatem participatam vocant, atque ita ſub æuo ſolam rerum naturalium, angelorum, verbi gratia, & animarum incorruptibilium durationem, ſub æternitate vero participata accidentium ſupernaturalium durationem comprehendunt. ſed hunc æternitatis participatæ modum optimè negant Scotiſtæ. & ratio eſt, quia accidentium ſupernaturalium durationi, vera ratio æui conuenit. ergo & illa æuo menſurantur.

VIII. Dico tertiò. tempus (ſolum hoc loco de interno agimus) duplex

*Tertia concluſio.*

eſt, ſucceſſiuum, & permanens. ſucceſſiuum eſt vniuſcuiuſque rei ſucceſſiuæ

Digitized by Google

ceſſiuæ defectibilis duratio. permanens (quod alij inſtans diſcretum appellant, alij inſtans permanens) eſt duratio rei habentis totum eſſe ſimul, ſed cum principio & fine. ſub hac duratione continentur primo ſubſtantiæ corruptibiles, ſiue eæ fuerint animatæ, ſiue inanimatæ. hæc eadem durationis ſpecies, tum actibus, tum etiam habitibus quibuſdam ordinis ſupernaturalis, fidei ſcilicet, ſpei, & charitatis conuenit. quod enim ipſorum durationem, modum æternitatis quidam recentiores vocant, videtur protſus ridiculum; cum ipſis temporis ſiue inſtantis permanentis definitio conueniat. ſub hac etiam duratione continentur operationes naturales, tum intellectus humani & angelici, tum etiam humanæ & angelicæ voluntatis. Ex pluribus huiuſmodi inſtantibus diſcretis, ſiue permanentibus, quædam alia fit durationis ſpecies, quam Theologi communiter tempus diſcretum vocant, eſtque duratio plurium rerum ſibi inuicem ſuccedentium, quarum ſingulæ inſtanti diſcreto, ſiue permanente durant: talis eſt, exempli gratia, duratio plurium formarum ſubſtantialium in eadem materia ſibi immediatè ſuccedentium; talis eſt etiam plurium volitionum & intellectionum in eadem voluntate vel intellectu, ſibi inuicem ſuccedentium duratio.

*Bina explicatio & probatio.*

# QVÆSTIO VIGESIMATERTIA.

## *An mundus potuerit eſſe ab æterno.*

I.

PRima ſententia hac in re eſt eorum qui volunt mundum, tam quo ad entia ſucceſſiua, quam quoad permanentia, potuiſſe eſſe ab æterno. tribuitur hæc ſententia Sancto Thomæ 1. parte quæſt. 46. att. 2. 2. contra gentes cap. 28. & quæſt. 3. de potentia articulo 14. eamque ſequuntur Thomiſtæ & Nominales, quos ex recentioribus Scotiſtis ſequuntur Hieronymus Tamarit in primo ſent. tract. de creatione quæſt. 5. Faber in 2. diſtinct. 1. diſput. 5. in fine. ex aliis Collegium Complutenſe diſput. 29. Phyſicæ quæſt. 4. Archangelus Rubeus in 2. diſtinct. 1.

*Prima ſententia, omne genus entis potuiſſe eſſe ab æterno.*

*Eſt D. Thomæ, Thomiſtarum ac Nominalium, & ex Recent. Arch. Rubei, Tamarit. &c.*

Secunda ſententia eſt Durandi in 2. diſt. 1. quæſt. 2. & 3. quem ex Recentioribus ſequuntur Suarius diſput. 20. ſectione 6. numero 12. & deinceps, Vaſquez, Rubius, Conimbricenſes, Hurtadus, aliique complures.

*Secunda ſententia, ſola permanentia potuiſſe eſſe ab æterno.*

*Durandus, Vaſquez, Suarius, Rubius, Hurtadus, Conimb. & alii.*

Tertia ſententia, eſt nullam penitus creaturam potuiſſe ab æterno creari. ita D. Bonauentura in 2. diſt. 1. part. 1. art. 1. quæſt. 2. Aureolus apud Capreolum in 2. diſt. 1. quæſt. 1. artic. 2. Henricus quodlibeto 1.

*Tertia & vera ſententia, nullum*

hh

*ens poſſe eſſe ab æterno.*
*S. Bonauentura. Henricus. Aureolus. Richardus. Alenſis. Marſilius. Eſtius. Raguſæus. Toletus. Rapinæus. Leſsius & alii. Scotus, Pariſienſes, & Ægidius nihil determinant hac in re.*

quæſt. 6. & quodlibeto 8. quæſt. 9. Albertus Magnus in 2. diſtinct. 12. Alenſis 3. parte quæſt. 2. Marſilius, Richardus conterraneus, Gulielmus Pariſienſis, & alij, quos ex recentioribus ſequuntur Georgius Raguſæus in tomo diſputationum peripateticarum, diſputatione integra hac de re, Cardinalis Toletus hoc loco quæſt. 24. Rapinæus diſput. 42. Philoſophiæ quęſt. 7. Leonardus Leſſius lib. 4. de perfectionibus diuinis capite ſecundo, Gulielmus Eſtius in 2. diſt. prima §. vndecimo, & alij. citantur etiam ex antiquis pro eadem Scotus in 2. diſtinct. 13. Pariſienſes 8. Phyſic. quæſt. 1. Ægidius Romanus, & alij. ſed hi, omnes ſententias relatas probabiles exiſtimant, nec vllam ſequuntur. hoc poſito

Dicendum eſt, nullam creaturam, neque permanentem, neque ſucceſſiuam potuiſſe eſſe ab æterno.

II.

*Cõcluſio, nullam creaturã potuiſſe eſſe æternam.*
*Prima probatio.*

Probatur primò. illud quod habet eſſentiam finitam, non eſt capax vllius rationis poſitiuæ infinitæ. atqui duratio æterna à parte ante eſt ratio poſitiua actu infinita. ergo illud quod habet eſſentiam finitam, non eſt capax durationis infinitæ. ſed hujuſmodi eſt omnis creatura. ergo &c. Major probata eſt in ſuperioribus dum ageremus de infinito. Minor patet, & primo quidem quod ad primam partem attinet, videlicet quod duratio æterna à parte ante ſit poſitiua, clariſſima eſt, nec in controuerſiam reuocari poteſt. quod ad ſecundam, nempe quod illa duratio eſſet infinita, clara etiam videtur, nam vel

*S. Bonauentura.*

illa duratio eſt ſucceſſiua, vt ſupra diximus cum S. Bonauentura ſentire multos recentiores, vel eſt permanens, vt nos exiſtimamus. ſi primum, clarum videtur durationem æternam eſſe infinitam actu extenſiuè. ſi vero eſt permanens, & per conſequens indiuiſibilis totaque ſimul, eſt infinita actu. virtute & per æquiualentiam; quemadmodum enim ratio poſitiua indiuiſibilis, qua creatura vbique conſtitueretur, eſſet infinitæ virtutis actu, vocareturque immenſitas, & ratio poſitiua, ſiue potentia quæ poſſet omnia poſſibilia efficere, eſſet infinita, quamuis indiuiſibilis, vocareturque omnipotentia, & qua cognoſcere poſſet omnia poſſibilia, eadem ratione infinita eſſet, vocareturque omniſcientia, non aliam ob cauſam, niſi quia quæuis harum æquiualeret infinitis actu rationibus ſimilibus & eiuſdem generis, immenſitas infinitis vbi, &c. ita eadem ratione, ratio poſitiua, licet indiuiſibilis, quæ infinito actu tempori à parte ante, ſaltem imaginario, ſiue quantum eſt ex ſe, rem coëxiſtere efficit, infinitæ virtutis eſt in ſuo genere, recteque vocatur æternitas. vnde ſic licet argumentari. illud quod æquiualet non tot quin pluribus alicuius generis rationibus, & eſt totum actu, eſt infinitum actu ſecundum æquiualentiam. ſed duratio de qua agimus æquiualet non tot quin pluribus durationibus, eſtque tota ſimul. ergo eſt infinita actu. totus ſyllogiſmus cla-

rus eſt, major enim patet ex diuinis perfectionibus allatis. minor quoque quoad primam partem, nempe quod ſit tota actu, quia eſt indiuiſibilis; quoad ſecundam etiam, id eſt, quod æquiualeat non tot quin pluribus durationibus, quia formaliter præſtat efficitque quod præſtarent efficerentque infinitæ durationes actu ſucceſſiuæ quæ præteriiſſent, diſpoſitæ ſecundum prius & poſterius verſus æternitatem.

Confirmatur efficaciter. nulla ratio indiuiſibilis virtute infinita *Confirmatio.* poteſt communicari creaturæ. ergo neque etiam æternitas. antecedensclarum eſt inductione ex communi Theologorum conſenſu, nam non immenſitas, neque omnipotentia, neque omniſcientia, &c. ex qua inductione optimè propoſitionem vniuerſalem formare poſſumus, nimirum rationes poſitiuas virtute infinitas non poſſe conuenire niſi eſſentiæ infinitæ, qualis eſt diuina.

Reſpondebis diſparitatem maximam eſſe, quia ex aliis rationibus *Reſponſio aduerſariorum.* optimè ſequitur & infertur infinitum actu in re creata; non tamen ex æternitate ſequitur, quia æternitas non efficit vt res ſit præſens omni tempori ſimul. ſed contra, quia omnipotentia diuina nequit ſimul ponere omnia quæcunque poteſt; nec Dei æternitas ponit in actu omnes annos quibus coëxiſtit ſimul, & tamen eſt infinita. ergo eadem ratione &c.

Probatur ſecundò in particulari de ente ſucceſſiuo, verbi gratia, *Impugnatur prædicta reſponſio.* de tempore. ſi enim ponatur tempus ab æterno, ergo vſque ad præſentem diem pertranſierunt infiniti dies. hoc autem eſt abſurdum, vt iam diximus, & alias probauimus in peculiarij quæſtione de infinito. & ratio eſt breuiter, quia infinitum aliquod actu pertranſiiſſe ſucceſ- *Probatio 2. Concluſio.* ſiuè, eſt clarè contra rationem infiniti, vt docet ipſemet Philoſophus, implicat enim contradictionem infinitum pertranſitum, & vnum infinitum eſſe alio majus. ergo, &c.

Dices tempus illud non fore infinitum actu; & ratio eſt, inquies, *Euaſio aduerſar.* quia ejus partes non ſunt omnes ſimul, quod tamen ad infinitum actu requiritur, cum debeat eſſe totum ſimul actu.

Sed contra, quia tempus illud vel erit infinitum actu, vel infini- *Præcluditur.* tum potentia. non potentia, ergo actu. minor, de qua eſt difficultas, ſic probatur. illud eſt infinitum potentia, cujus aliquæ partes ſunt actu, aliæ vero in potentia, ſeu futuræ, vt tradit Ariſt. 3. Phyſ. ſed in tempore elapſo ab æterno vſque ad præſentem diem nihil poteſt dici futurum, cum omnes ejus partes in actu poſitæ ſint eo modo quo potuerunt poni. ergo, &c. Confirmatur clariſſimè. illa actualitas totius ſufficit ad infinitum actu, quæ ſatis eſt ad faciendas actu partes infiniti in potentia vel ſyncategorematici. patet, quia ſi infinitum ſyncategorematicum haberet omnes partes actu ea ratione

qua habet aliquas, eſſet infinitum actu, propterea enim non eſt infinitum actu, quia aliquas tantum habet partes actu, aliquas non, vt docet Ariſtoteles, ſed ad faciendas actu partes infiniti ſyncategorematici ſatis eſt actualitas prætetitionis, ſiue quod idem eſt, ſatis eſt illas aliquando poſitas fuiſſe actu, vt ex ipſomet Ariſtotele 3. Phyſicorum textu 57. patet. poſtquam enim dixiſſet infinitum eſſe, id cuius cum aliquid ſit ſemper, aliud & aliud in potentia manet, ſicut dies, addit ſatis eſſe ad infinitum, id quod cernitur in tempore, vt id quod acceptum eſt ſemper finitum ſit, remaneat autem ſemper alterum & alterum accipiendum. ergo ſi id quod acceptum eſt, quacumque ratione acceptum ſit, nimirum ſiue totum ſimul, ex eo quod res ſit permanens, ſiue non, ex eo quod non ſit permanens, non ſit finitum, cujuſmodi eſt tempus quod ab æterno poneretut (ſemper enim ex illo eſt aliquid æqualè extra accipere) non etit in ſententia Ariſtotelis infinitum in potentia, etgo neceſſariò infinitum actu.

*Probatur tertiò ex Patribus.* Probatur tertiò, de ente petmanente (quod atgumentum etiam vim habet de ente ſucceſſiuo.) Probatut inquam ex SS. Patribus Hu-*Hugo de S. Victore, Damaſcenus.* gone de S. Victote lib. 1. de Sacramentis cap. 10. *Fugit*, inquit, *diuinam virtutem, vt aliquid ſibi coæternum faciat.* Damaſceno lib. primo de fide cap. 8. vbi ſic loquitur, *Creatio cum ſit opus diuinæ voluntatis, non eſt coæterna Deo, quia quod ex non ente producitur, non eſt aptum natum eſſe coæternum ei quod principio caret, & ſemper eſt.* quidam putant D. Damaſcenum ſolum velle aſſetere, cteatutæ non eſſe neceſſarium, aut connaturale eſſe ab æterno, ſed praua tranſlatione Latina decipiuntur, illud enim οὐ πέφυκε non rectè vertitur, *non eſt natura comparatum*, vel *natura non poſtulat*, ſed *non poteſt*, οὐ δύναται, vt paſſim Argyropolis apud Ariſtotelem vertit, vnde ſignificat repugnantiam ex natura rei. ſimili modo idem Damaſcenus paulo ante dixerat, quod diuina natura οὐ πέφυκε ὑπομένειν πάθος ἢ ῥεῦσιν, vbi non vult dicere non eſſe ei naturale ſuſtinere paſſionem ſeu defluxionem, ſed ipſam non *S. Auguſtinus.* eſſe aptam, ſeu capacem paſſionis. idem tradit D. Auguſtinus lib. contra Felicianum Arrianum cap. 7. ex definitione creaturæ probans filium in Diuinis non eſſe creaturam. *Creatura*, inquit, *eſt de eo quod adhuc non eſt, aut aliquando non fuit, rei cuiuſlibet corruptibilis, quantum in ſe eſt, patris omnipotentis Dei voluntate facta ſubſtantia. hæc definitio*
*S. Fulgentius.* *vtrum in filium Dei cadat videamus.* idem habet diuus Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 3. *hic Deus*, inquit, *qui ſine initio ſemper eſt, quia ſummè eſt, dedit rebus à ſe creatis vt ſint, non tamen ſine initio, quia nulla creatura eſt eiuſdem naturæ, cuius eſt trinitas, vnus Deus à quo creata ſunt omnia.* vides creatutam ſecundum D. Fulgentium, non poſſe carere initio durationis, quia non eſt natura Diuina, ſed ex nihilo. idem habet diuus Athanaſius oratione 2. contra Arrianos,

vt ſtatim dicemus. hinc Patres Græci definiunt creationem, *ex non ente ad eſſe productionem*, ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παραγωγήν. vide Damaſcenum lib. primo cap. 8. Athanaſium loco citato, & alios. *S. Athanaſius.*

Reſpondent aduerſarij, primo Patres non negare creaturam eſſe potuiſſe ab æterno, ſed tantum velle non decere aut conuenire, quomodo etiam ſcriptura Sacra loquitur, inquiunt, Matth. 9. & Marci 2. vbi habemus non poſſe ieiunare filios ſponſi, dum eis ſponſus adeſt, & Chriſtum non potuiſſe in patria ſua virtutem vllam facere, propter Iudæorum incredulitatem. *Prima aduerſariorum reſponſio.*

Sed contra hanc reſponſionem facit, quod Patres de abſoluta potentia loquantur, vt patet ex rationibus allatis ex ipſis. ſecundo hæc reſponſio ſeipſam deſtruit, nam cum non poſſit quidquam à Deo fieri, quod non deceat, quod non conueniat, certe ne creaturæ quidem à Deo creari ab æterno potuerunt, cum id non decere, neque conuenire in ſua reſponſione fateantur aduerſarij. *Impugnatur.*

Reſpondent alij ſecundò, inter quos ſunt Vaſquez & Rubius, Patres argumentatos fuiſſe de facto contra Arrianos, hac ratione. omnis creatura de facto eſt in tempore. verbum de facto non eſt in tempore, ſed ab omni æternitate. ergo verbum non eſt creatura. quod quidem argumentum ad hominem contra Arrianos, ſcripturas Sacras admittentes, in quibus major & minor expreſsè continentur, magnam vim, inquiunt, habet. *Secunda reſpõſio, quæ eſt Vaſquez & Rubij.*

Verum hæc reſponſio violenta eſt, & contra mentem Patrum, vt conſtat ex allatis eorum rationibus. deinde falſum eſt omnino Arrianos admiſiſſe minorem, vt patet ex diuo Athanaſio orat. 2. citata, & ſerm. 3. vide diuum Athanaſium orat. 2. vbi diſputans contra Arrianos, clarè oſtendit ſe loqui, non tantum de facto, ſed etiam de poſſibili; inducit enim Arrianos inſtantes ex occaſione diſparitatis, quam ipſe aſſignauerat inter verbum & creaturam, verbum videlicet coæternum patri eſſe, quia ex eius eſt ſubſtantia, creaturas autem non eſſe coæternas, quia ex eius non ſunt ſubſtantia; ex hac ergo occaſione inducit Arrianos inſtantes, petenteſque, ſi Deus creaturas fecit quando voluit, cur eas non ſemper & ab æterno fecit? reſpondetque primo curioſitatem hanc eſſe audaciam furioſorum. (Sanctus Auguſtinus 11. confeſſionum cap. 12. ait à quodam egregiè eſſe reſponſum, ante mundum conditum occupatum fuiſſe in paranda gehenna curioſis.) Secundo reſpondet Deum potuiſſe quidem creaturas æternas facere, verum creaturas non potuiſſe fieri æternas, quia creaturæ ſunt; eſſe enim creaturam dicit eſſe ex non entibus, & non eſſe antequam fiat. quæ verba euidentiſſime nobis oſtendunt de ratione creaturæ in eius ſententia eſſe, vt ſit poſt nihil ſui. quod & idem ſanctus Doctor non ſemel docuit, præſertim dicta oratione 2. quæ legi poteſt. *Reijcitur.*

*3. Reſponſio.* Reſpondent alij tertio duplicem eſſe creationem, vnam cum nouitate eſſendi, aliam ſine nouitate eſſendi, & priorem negari à Patribus poſſe eſſe ab æterno, ſecundam vero non negari, ac proinde poſſe per illam mundum eſſe ab æterno, quamuis non per aliam.

*Confutatur.* Verum contra hanc etiam reſponſionem facit, quod in ſententia Patrum omnis creatio ſit cum nouitate eſſendi, nec vlla ſit poſſibilis ſine nouitate eſſendi, vt patet ex citatis ipſorum verbis; quibus adde D. Auguſtinum 12. Confeſſionum cap. 15. apertè docere nullum

*S. Auguſtinus.* mutabile poſſe eſſe æternum. omnis autem creatura mutabilis eſt, vt ibidem docet idem ſanctus Doctor. ergo in eius ſententia nulla eſt poſſibilis creatura æterna. & ſane Beatus Thomas 1. parte quæſt. 10. art. 6. quem ſequuntur hac in re aduerſarij, æternitatis rationem à

*S. Athanaſius.* priori voluit eſſe immutabilitatem. videri poteſt D. Athanaſius in epiſtolis decreti Nicæni, vbi definit creationem eſſe vocare ad eſſe quæ non ſunt.

*4. Reſponſio Fabri.* Reſpondent alij quarto cum Fabro in 2. diſt. 1. diſput. 5. Patres tantum velle nihil poſſe ex ſe & independenter eſſe coæternum Deo, non autem velle negare poſſe eſſe coæternum actione diuina, & dependenter à Deo.

*Reijcitur.* Sed neque hæc reſponſio ſubſiſtit, nam Patres contendunt nec actione diuina hoc fieri poſſe, cum exiſtiment id rationi creationis repugnare. ipſi enim, vt ex citatis ipſorum verbis conſtat, ſic argumentantur. Quicquid creatur cæpit eſſe ex nihilo; ergo vel ſimul eſt & non eſt, vel prius non eſt quam ſit. non poteſt autem ſimul eſſe & non eſſe. ergo reliquum eſt, vt quod fit ex nihilo, prius non fuerit, & conſequenter, id quod creatur non potuit eſſe ab æterno. explicatur vlterius hæc ratio Patrum. quando aliquid diſſoluitur in nihil, poſterius eſt nihil quam aliquid, & non eſſe etiam tempore quam eſſe. ergo quando aliquid fit ex nihilo, prius eſt non eſſe tempore quam eſſe. Conſequentia clara eſt à paritate rationis. antecedens à nemine negari poteſt, nec negatur. Confirmatur denique à priori ratione ſupra tacta. de ratione creaturæ eſt finitas actualis & limitatio ſecundum quamcumque ſui rationem; ſi enim de ratione creaturæ eſt finitas, ergo cum quæcumque eius ratio ſit etiam creatura, erit de eius ratione finitas ſecundum omnem ſui rationem. at hoc fieri non poſſet, ſi poſſet eſſe ab æterno, & non eſſe prius tempore non præcederet eſſe. ergo &c.

*5. Reſponſio.* Reſpondent denique alij quintò, concedendo Patres in noſtra eſſe ſententia, verum pro contraria ſententia eſſe rationem.

*Impugnatur.* Hæc reſponſio eſt indigna viro Catholico, & Chriſtiana humilitate. quid enim hoc aliud eſt dicere, quam Patres falſum pro vero nobis obtruſiſſe, quod plane temerarium eſt & periculoſum. quam-

tis enim veritatis ratio nulli euidens appareret, tuenda tamen non eſſet ſententia contra vnanimem Patrum doctrinam, ſed quærenda ratio ad illorum doctrinam tuendam. deinde falſum eſt pro ſententia Patrum non ſtare rationem; vt enim iam oſtenſum eſt, de ratione creaturæ eſt prius non eſſe, quam eſſe, &c.

Probatur denique noſtra concluſio à ſimili; ſicut enim in æternitate à parte poſt, nihil dari poteſt poſitiuè poſtremum poſt quod non ſint alia poſſibilia, & alia vſque in infinitum, ita etiam in æternitate à parte ante, nihil eſſe poteſt ita primum, quo aliquid prius eſſe non potuerit. eodem modo ſicut in linea verſus oritem infinita, quæ hic Andegaui, verbi gratia, terminaretur (hæc enim æternitatem à parte ante clariſſimè repræſentat) nullus angelus, verbi gratia, produci poſſet adeo à nobis remotus, quin adhuc poſſet produci alius in remotiori parte intra eandem lineam; ita non poteſt quidquam à tanto tempore eſſe productum, quin potuerit eſſe à maiori & remotiori à nobis, & conſequenter non potuit eſſe ab æterno. Sed

Objicies primo cum aduerſariis, creatura poteſt durare in æternum à parte poſt. ergo poteſt etiam durare æterno tempore à parte ante. III. *Aduerſariorum argumenta proponuntur & diſſoluuntur.*

Reſpondeo negando conſequentiam. diſparitas eſt, quia æternitas à parte poſt eſt tantum ſyncategorematicè infinita, nec vnquam adæquatè percurritur, quin eius ſemper ſuperſint infinitæ partes percurrendæ; vno verbo nunquam terminatur. at vero æternitas à parte ante, ſi quæ fuiſſet in creatura, nunc tota elapſa foret, ac proinde faceret durationem categoricè & actu infinitam, quod implicare iam oſtenſum eſt.

Objicies ſecundò. ſi Deus eſſet agens neceſſarium, feciſſet mundum ab æterno cum omnibus entibus etiam ſucceſſiuis. ergo, quantumcumque ſit agens liberum, potuit, etiamſi, quia liber eſt, non fecit.

Reſpondeo hoc argumentum ſolutum eſſe ſupra in quæſtione de infinito. ſi enim Deus eſſet agens neceſſarium, feciſſet mundum ab æterno, & non feciſſet; vnde ſi ſol eſſet ab æterno, emitteret lucem, & non emitteret. vide quæſtionem de infinito.

Objicies tertiò. Deus nunquam incepit poſſe creare, neque creatura vnquam incepit poſſe creari. ergo ſemper creatura potuit creari, & Deus ſemper potuit creare. hoc autem eſt poſſe creare & creari ab æterno. ergo ab æterno fieri potuit creatura, & Deus ab æterno illam potuit creare.

Confirmatur; quia hodie poteſt creari creatura, heri potuit, præterito ſæculo potuit, ante bis mille annos potuit, & ſic in infinitum à parte ante. ergo potuit ab æterno.

Reſpondeo hoc argumento probari rem ab æterno creatam poſſe ab æterno annihilari. addo idem argumentum nihil concludere; nam etiamſi potuerit fieri prius, & prius in infinitum, non tamen ab æterno; ſicut etſi Petrus poſſit ſaltare hora prima, aut ſecunda, aut tertia, aut quarta, aut quinta, diuiſim loquendo, non tamen ſequitur coniunctim, quod poſſit ſaltare tota die, ſed quod potuerit tota die ſaltare vna hora qua vellet. ſic ergo Deus potuit tota æternitate, ſiue omnibus præteritis ſæculis creare mundum, quo vellet ſæculo, non tamen omnibus ſimul ſumptis.

Ad confirmationem patet ex dictis.

Objicies quartò, non repugnat ab æterno aliquid eſſe cauſam alterius, ergo non repugnat aliquid creari ab æterno. antecedens probatur, non repugnat ab æterno aliquid procedere ab alio, vt patet in diuinis perſonis, ergo neque verè cauſare. conſequentia clara eſt à paritate rationis.

Reſpondeo negando antecedens ad probationem, conceſſo antecedente, nego conſequentiam. diſparitas eſt, quia æternitatem communicari, cui communicatur natura diuina, omnino neceſſarium eſt, & nullo modo abſurdum. at vero abſurdum eſt, & impoſſibile, communicari æternitatem rei quæ non ſit Deus.

Objicies quintò. vniuerſas res creatas incepiſſe, nulla ratio naturalis concludit. ergo nulla ratio naturalis concludit mundum non potuiſſe eſſe ab æterno. antecedens probatur à Diuo Thoma hoc modo, quod fides docet, ratio naturalis non concludit. ſed fides docet omnia incepiſſe in tempore. ergo ratio naturalis id non concludit.

Reſpondeo, negando rem quæ pertinet ad fidem non poſſe naturali lumine concludi, & ſaltem Diuus Thomas ipſe concedit multas eſſe ſpecies entium, quæ non poſſunt eſſe ab æterno.

Objicies vltimò. neque repugnat ex conceptu diuinæ potentiæ mundum fieri ab æterno, quia hæc ſemper fuit, neque ex conceptu creationis, quia hæc non dicit intrinſecè rem aliquando non fuiſſe, neque ex conceptu rei creatæ, quia etiamſi eſſet ab æterno, eſſet tamen creatura, ergo non repugnat rem vllam creatam eſſe ab æterno.

Reſpondeo repugnare (vt ex Patribus ſupra explicatum eſt) ex conceptu creationis, & conceptu creaturæ, quæ de non eſſe vocari debet ad eſſe, non eſſe, inquam, quod tempore prius ſit, quam eſſet.

QVÆSTIO

# QVÆSTIO VIGESIMAQVARTA.

## *An cœlum ſit quinta eſſentia, vel compoſitum ex elementis.*

HVjus quæſtionis tractandæ occaſionem nobis præbet Ariſtote- *Ariſtoteles.* les 1. de cœlo cap.2. qui opinatus eſt cœlum eſſe corpus ſimplex quintæ eſſentiæ, vel naturæ à quatuor elementis, & mixto ex illis conſtituto diſtinctæ. Ariſtotelem ſequuntur Auerroës, D. Thomas, & alij poſt ipſos, cum recentioribus pene omnibus.

Contraria tamen ſententia fuit ante Ariſtotelem communis omnium Philoſophorum, qui vel cœlos igneæ naturæ, vel aqueæ fecerunt, vel denique ex elementis conflatos. in primis fuit hæc ſententia communis Ægyptiorum, qui inter alia ſua dogmata docuerunt, ſtellas eſſe cœleſtes ignes, quorum temperata commixtione cuncta naſcerentur. Anaximander ſolem dixit ignem eſſe puriſſimum, Anaxa- *Anaximander.* goras ſolem candens eſſe ferrum ac penitus ignitum, quapropter *Anaxagoras.* fertur eum impietatis accuſatum à Cleone, quod ſolem dixerit candentem eſſe laminam. quare diſcipulus eius Euripides ſolem in Phaëtonte fabula auream glebam appellauit. in hac ſententia ſunt Plinius lib.2. & Stoïci omnes, aſſerentes ſidera eſſe ignea, ſpiſſis humoribus terrenis & aqueis in ſublime ad ſe attractis. pro qua Stoïcorum ſententia multa apud Ciceronem lib.2. de natura deorum diſputat Balbus. denique fuit ſententia omnium Gentilium Philoſophorum. fuit etiam duorum doctiſſimorum Iudæorum Philonis & Ioſephi. deni- *Philo. Ioſeph.* que fuit ſententia communis Patrum, Iuſtini Martyris, qui reſpon- *Iuſtinus Martyr.* dens ad 90. quæſtionem orthodoxorum idem tradit, diui Auguſtini *S. Auguſtinus.* 2. de Geneſi ad literam cap.3. & alibi, vt fatetur Magiſter ſententiarum lib.2. diſt.12. de Geneſi enim ad literam cap.3. ſic loquitur. *Itaque*, inquit, *ſuper aërem purus ignis eſſe dicitur cælum, vnde etiam ſidera atque luminaria facta conjectant, illius videlicet igneæ lucis in eas formas, quas in cælo cernimus, conglobata diſpoſitaque natura, &c.* S.Am- *S. Ambroſius.* broſij lib.2. exameron, vbi longa & accurata oratione viſu, tactuque, & non ſolum argumentis conſtare cœlum igneum eſſe, aſſeritque contradicentes contrariam ſententiam ſtudio impugnandæ veritatis defendere. *tantum autem, inquit, illis ineſt impugnandæ veritatis ſtudium, vt ſolem ipſum calidæ naturæ eſſe negent, eo quod albus ſit, non rutilus aut rubicundus in ſpeciem ignis, & ideo aiunt quod nec ignitus natura ſit*, & S.Baſilij homilia 3. Iam vero, inquit, ætherem ipſum quis *S. Baſilius.* ambigat igneum eſſe ac vſtiuum, quem niſi fine ab opifice ſibi præ-

ſcripto perutili, ac neceſſario coërceretur, quid quæſo prohibuiſſet omnia ſibi propinqua cremantem atque vrentem vniuerſum rerum omnium humorem iam abſumpſiſſe. *Beda.* Bedæ lib. de natura rerum, & aliorum, qui omnes volunt cœlum, vt conſtat ex ſententiis, eſſe igneum. *Theodoretus.* Theodoreti quæſt. 11. in Geneſim, vbi ſic loquitur; Cum ſcriptura diuina doceat in principio Deum creaſſe cœlum & terram, deinde poſt lucis creationem ſecunda die dicat firmamentum factum eſſe, imperitiæ plena videtur huiuſmodi quæſtio; oportebat enim ex temporis ratione, & ipſo creationis modo, cœlorum diuerſitatem noſſe, & vnum luce prius, alterum vero poſt lucem, & illud quidem non ex aliqua materia, hoc autem ex aquis creatum eſſe. nam inquit, fiat firmamentum in medio aquæ, quod per medium ſeparet aquas ab aquis; ſic enim ab ipſa re cœli ſunt ſortiti appellationem, ſiquidem cum ex aquarum ſubſtantia fluida compoſitum ſit, & natura fluida condenſata & conſolidata fuerit, firmamentum nominatum eſt. deinde quia ſurſum collocatum eſt prioris cœli vſum quomodo noſtro perficiens cœli nomen ſortitum eſt. hæc Theodoretus, ex quibus manifeſtum eſt ipſum velle cœlum eſſe aqueum, quod idem cenſerunt alij veteres. *Plato.* denique Plato ſequutus Timæum in opere de anima mundi, vult cœlum eſſe compoſitum ex quatuor elementis, ſiue ex floribus vel deliciis, vt loquitur Proclus, elemẽtorum, potiſſimum tamen ex terra & igne. vide ipſum in Timæo, & Theodoretum lib. de materia & mundo, qui hanc ſententiam ipſi tribuit.

II. *Concluſio authoris.* Dicendum exiſtimo, cœlum non eſſe quintam quandam naturam, & eſſentiam, ab elementis, & mixto ex illis diſtinctam, ſed vere eſſe corpus mixtum, conſtans ex quatuor elementis.

*Prima probatio.* Probatur concluſio primò ex Ariſtotele, ipſum ſibi ipſi opponendo, nam 3. cœli text. 1. & 7. metaphyſ. text. 5. de elementis loquens; Et quæcumque, inquit, ex his, vt cœlum & partes eius, & rurſum animalia. quibus verbis clariſſime docet, cœlum eodem modo ex elementis componi, quo componuntur animalia. ex quibus conſtat Philoſophum in noſtra eſſe ſententia, quanquam alibi, primo nempe cœli cap. 2. contrarium doceat.

*Secũda probatio.* Probatur ſecundò. omne illud quod eſt calidum, vel eſt elementum ignis, vel conſtat ex elemento ignis, aliiſque elementis. ſed cœlum eſt calidum, & ſecundum aduerſarios non eſt ignis, & ſecundum veritatem, quia ignis non eſt generabilis & corruptibilis, vt cœlum, vt alibi diximus in quæſt. de materia prima. ergo conſtat ex igne & aliis elementis. major eſt manifeſta. minor quoad illam partem tantum controuerti poteſt, quæ aſſerit eſſe calidum. ſed probatur manifeſtè ex ſacris literis pſalmo 18. vbi de Sole loquens Propheta; Non eſt, inquit, qui ſe abſcondat à calore eius. ergo cœlum eſt calidum, &

habet in ſe calorem. idem fuſius traditur cap. 43. Eccleſiaſtici; *Sol*, inquit, *in meridiano exurit terram, & in conſpectu ardoris eius quis poterit ſuſtinere? tripliciter ſol exurens montes, radios igneos exſufflans, ac refulgens radiis ſuis obcæcat oculos.* vides ex ſacris Scripturis manifeſte haberi, coelum eſſe calidum, ignemque in ſe continere.

Reſpondent aduerſarij, cœlum eſſe calidū effectiuè & virtualiter, non formaliter, ac proinde nō poſſe ex citatis locis in coelo eſſe calorē vel ignē formaliter, ſed tantum eſſe calorem effectiuè ſeu virtualiter. *Aduerſar. reſpõſio.*

Sed contra reſponſionem eſt. admitto quidem duplicem hanc diſtinctionem calidi, videlicet formaliter & virtualiter, verum dico hic nullum habere locum. quod ſic oſtendo. non aliunde ſcimus aliqua eſſe effectiuè, & virtualiter calida, niſi quia videmus ſenſu multa, quæ non habent in ſe calorem, poſſe calorem producere. ergo vbi ſenſu non percipimus aliquid in ſe non eſſe formaliter calidum, ſi calefaciat debemus neceſſario dicere eſſe formaliter calidum, & non tantum effectiuè ſeu virtualiter. at nullo modo ſenſu percipimus, ſiue nullo iudicio ſenſus nobis conſtat cœlum non eſſe formaliter, ſiue in ſe, calidum. ergo neceſſario debemus aſſerere in ſe formaliter continere calorem, ſiue eſſe formaliter calidum. & vero ſi hanc rationem inueſtigandi virtualiter vel formaliter calidum è medio tollant aduerſarij, nullo negotio dicent ignem non eſſe formaliter calidum. Confirmatur ex ſenſu Eccleſiæ, qui eſt in cœlo contineri formaliter calorem & ignem, vt manifeſtè conſtat ex hymno, qui ad veſperas feriæ ſecundæ publicè cantatur in templis; *Impugnatio eiuſdem.*

*Immenſe cœli conditor,*
*Qui mixta ne confunderent,*
*Aquæ fluenta diuidens*
*Cælum dediſti limitem;*
*Firmans locum cæleſtibus,*
*Simulque terræ riuulis,*
*Vt vnda flammas temperet,*
*Terræ ſolum ne diſsipent.*

Ex quo hymno clare habemus Deum aquas ſupra cœlos collocaſſe ad cœli calorem mitigandum, & ne cœli ſuo calore omnia inferiora exurerent. ergo vere cœli in ſe habent calorem.

Confirmatur ſecundò ex Patribus citatis, præſertim ex Iuſtino Martyre, ſancto Baſilio, Beda, & aliis, qui propter eandem rationem aquas ſupra cœlos Deum poſuiſſe voluerunt. *Iuſtinus Martyr, Baſilius, Beda.*

Probatur tertiò. omnia accidentia cœli ſunt eiuſdem rationis cum accidentibus reliquorum corporum. ergo & natura cœli. Conſequentia patet, quia vnica ratio bene philoſophandi, eſt ex accidentibus & proprietatibus venari rerum naturas. antecedens probatur in *Tertia probatio.*

quantitate, raritate, denſitate, motu locali, quæ omnia, ſecundum communem ſententiam aduerſariorum, etiam ſunt eiuſdem rationis, ac in corporibus inferioribus, & ſi à quouis dicerentur eſſe diuerſæ rationis, gratis, & ſine vlla ratione diceretur. neque dicas, lumen quod videtur, eſſe cœli proprium: ne, inquam, hoc dicas, quia etiam ignis lucet, vt manifeſta experientia conſtat.

III. *Ariſtotelis & aduerſariorum fundamenta explicantur ac ſoluuntur.* Objicies. tot oportet admittere in vniuerſo corpora ſimplicia, quot poſſunt eſſe motus ſimplices. ſed motus naturales ſimplices ſunt tantum in triplici differentia, nimirum à medio, ad medium, & circa medium. at elementa tantum mouentur naturaliter, aut ad medium, vt terra & aqua, vel à medio, vt aër & ignis. ergo neceſſe eſt dari aliud corpus ſimplex, cui conueniat naturaliter moueri circa medium. hoc autem eſt cœlum. ergo cœlum eſt corpus ſimplex quintæ eſſentiæ. major probatur. natura dicitur eſſe principium motus. ergo quot ſunt motus naturales ſimplices diſtincti ſpecie, tot erunt corpora naturalia ſimplicia. motus autem circularis eſt ſimplex, & diſtinguitur à motu recto, qui conuenit quatuor elementis. ergo præter quatuor elementa, eſt aliud quintum corpus ſimplex, cui conuenit motus circularis. ergo cœlum eſt corpus ſimplex.

Reſpondeo hoc argumentum multa inuoluere, vel dubia, vel apertè falſa. veniamus in primis ad majorem, quæ eſt hujuſmodi. tot oportet admittere in vniuerſo corpora ſimplicia quot poſſunt eſſe motus ſimplices. dico hanc majorem, vt & eius probationem, ſupponere aliquid manifeſtè falſum, non poſſe nimirum vni elemento competere duplicem motum. vt enim optimè aduertit Philoponus, eidem aëri competit motus ſurſum, quando eſt infra aquam, ſiue & motus deorſum, quando eſt ſupra ignem in concauo lunæ, & tamen ſunt duo motus ſimplices. ergo vni corpori ſimplici conuenire poteſt duplex motus ſimplex. ſic igni extra locum ſuum conſtituto competit motus à medio, ſiue motus ſurſum, & tamen eidem in loco naturali, id eſt ſub concauo lunæ, conuenit motus circa medium, id eſt circularis, quicquid contradicat Philoponus. *Philoponus.* quæ enim ratio eſt, quæſo, cur alicui elemento extra locum ſuum conſtituto non poſſit deberi vnus motus, & alter eidem in loco naturali exiſtenti? ſic videmus aquam marinam deorſum tendere, ſi extra locum naturalem, & totum ſuum ponatur, & tamen eandem in ſuo loco naturali exiſtentem moueri, & quidem naturaliter, motu reciprocationis ſtatis horis, quem fluxum & refluxum vocamus, de quo infra plura. vlterius, ſicut in ſententia eiuſdem Ariſtotelis plura corpora ſimplicia eodem motu ſimplici moueri poſſunt, nimirum multi cœli ſpecie diuerſi eodem motu circulari; cur non è contrario vnum corpus ſimplex moueri poterit duplici motu etiam ſimplici? & confirmatur, quia aqua, cui conuenit

naturaliter motus deorſum ſecundum Ariſtotelem, ſi ab extrinſeco mouente diſſipetur reducit ſe ad ſitum priorem, per quendam motum, qui non eſt quidem ad centrum per lineam rectam, nec tamen eſt à principio mixto, à quo tamen Ariſtoteles hoc loco vult procedere motum mixtum, aquæ vero conuenit duplex motus naturalis, quorum tamen neuter ſit propriè mixtus. & ſanè, cur non poteſt vni corpori æque bene conuenire duplex qualitas motiua ſimplex, & conſequenter duplex motus ſimplex, ac illi conuenit duplex qualitas prima actiua, quæ tamen in omnium ſententia illi conuenit. hinc conſtat falſam etiam eſſe illam minorem, quæ ait elementa moueri tantum naturaliter à medio, vel ad medium; aqua enim, vt diximus, & ignis aliter mouentur. denique, vt multa alia omittam, nihil ex hoc argumento in principiis ipſius Ariſtotelis confici poteſt, quam quia motus cœli eſt alius à motu elementorum, eſſe quoque diuerſum illius principium (principium autem per ipſum eſt Intelligentia, ſiue Angelus) & conſequenter Intelligentiam alterius eſſe naturæ ab elementis, quod nemo negat. vnde non probatur cœlum ſecundum ſe ſumptum alterius eſſe naturæ ab elementis. neque dicas cum Auerroë *Auerroës.* & D. Thoma cœlum, quamuis non ſit principium actiuum ſui motus, *D. Thomas.* habere tamen propenſionem quandam naturalem vt moueatur circulariter, ſiue eo motu quo ab Angelo mouetur. nam quod alij orbes ferantur ab ortu in occaſum, alij contra, non eſt, inquit, referendum in voluntatem Angeli, ſed in naturam orbium, quod alij nempe nati ſint moueri ab occaſu in ortum. ne inquam hoc dicas, nam probabile non eſt naturam tribuiſſe cœlo propenſionem ad motum circularem, & tamen eidem denegaſſe potentiam ad executionem talis propenſionis requiſitam, quod tamen ipſi volunt, dum dicunt cœlum actiuè ab extrinſeco, Angelo nempe, moueri. plura hac de re videri poſſunt apud Philoponum ex antiquis, & ex recentioribus apud *Philoponus.* Teleſium 1. de rerum natura per multa capita, ſed præſertim cap. 3. *Teleſius.*

Objicies ſecundò. ſi cœlum non eſſet corpus, ſed mixtum, vel eſſet mixtum ad pondus, vt loquuntur Philoſophi, vel non eſſet mixtum ad pondus. non primum, quia ſic non haberet vllum determinatum locum, & poſitionem in vniuerſo, quia virtutes motiuæ elementorum quæ in illo eſſent, eſſent æquales, ipſumque æqualiter traherent ad locum. non ſecundum, quia alioqui daretur in illo elementum prædominans, & per conſequens haberet locum elementi prædominantis, eſſet tamen infra illud elementum, propter virtutes aliorum elementorum, quæ prohiberent ne tenderet ſupra totum elementum prædominans. hoc autem eſt contra experientiam. ergo &c. IV.

Reſpondeo non eſſe mixtum ad pondus, darique in illo elementum prædominans, ignem videlicet, non tamen debere eſſe infra ele-

mentum ignis, propter finem & formam ſuam, quæ exigit eſſe ſuprà tam ignem, quam alia corpora, quæ, vt docet Ariſtoteles 8. Phyſ. regit, viuificat, & conſeruat omnino inferiora.

V. Objicies tertiò. ſi cœlum eſſet compoſitum ex elementis, & conſequenter corpus mixtum, eſſet ſecundum ſe corruptibile, ſicut & omnia mixta alia corruptibilia ſunt. conſequens autem admittendum non videtur. ergo, &c. ſequela majoris aperta eſt. minor probatur duabus rationibus Ariſtotelis, quarum prima eſt, motus naturalis cœli, circularis nempe, non habet contrarium. ergo neque in cœlo ſunt qualitates contrariæ, quæ ſint inſtrumenta corruptionis. ergo in cœlo nullum eſt contrarium in quod corrumpatur. intellige non eſſe corpus quod ex cœli corruptione generari poſſit, & conſequenter in cœlo neque eſſe qualitates contrarias. vnde cœlum erit incorruptibile, quicquid enim corrumpitur in contrarium corrumpitur, vt docet Ariſtoteles, itemque per contrarias qualitates in ipſum agentes corrumpitur. ſecunda ratio eſt hæc. nulla viſa eſt tot annorum millibus in cœlo mutatio quæ arguat ipſius corruptionem. ergo non eſt corruptibile. adhæc duo argumenta duas congruentias addit Philoſophus, quibus conatur idem oſtendere. prima deſumitur ex eo quod cœlum ab omnibus credatur Dei ſedes, & locus. atqui ſedes, & locus Dei debent eſſe locato ſimiles. ergo Dei immortalis debet eſſe ſedes immortalis & incorruptibilis. ſecunda congruentia ſumitur ex communi ſenſu veterum, qui cœlum vocarunt æthera à ſemper currendo. ergo, ſecundum veterum ſenſum, cœlum debet eſſe ſempiternum.

Reſpondeo concedendo ſequelam majoris, & negando minorem, nempe eſſe abſurdum cœlum eſſe corruptibile, non enim eſt abſurdum, ſed veriſſimum. quod ſic oſtendo, & quidem in primis autoritate Patrum, qui fere omnes, etiam fatentibus aduerſariis, volunt cœlum eſſe corruptibile, idque etiam exiſtimant ſe ex ſacris ſcripturis deducere. imo Iuſtinus Martyr ait Platonem hanc eandem ſententiam ex ſacris literis accepiſſe. ſuffragatur quoque ratio, quia plurimæ viſæ ſunt in cœlo mutationes, quæ cum eius incorruptibilitate ſtare nullo modo poſſunt, ſed clariſſimè euincunt, & eſſe corruptibile, & de facto fuiſſe corruptum; viſæ enim ſunt ſæpiſſime, tum olim, tum hac noſtra ætate nouæ ſtellæ in cœlo, quarum aliquæ etiam poſtea euanuerunt. in primis teſtatur Plinius lib. 4. cap. 26. Hyparchum nobiliſſimum Mathematicum duas nouas conſpexiſſe in cœlo ſtellas. ſanctus etiam Auguſtinus ex Marco Varrone refert ſtellam Veneris aliquando mutaſſe colorem, magnitudinem, & curſum. noſtra etiam ætate anno 1572. tempore Pij quinti ſummi Pontificis, noua ſtella in ſigno Caſſiopeæ viſa eſt, tantæ in principio magnitudinis, tantique

*Oſtenditur cœlum eſſe corruptibile.*

*Iuſtinus Martyr. Plato.*

*Plinius.*

*S. Auguſtinus.*

Digitized by Google

ſplendoris, vt Veneris ſtellam ſuperaret; quæ quidem ſtella paulatim imminuta anno 1574. euanuit. & anno 1600. Clemente octauo ſummo Pontifice, alia in Cygni pectore viſa eſt. denique anno 1604. circa principium Octobris ſub eodem Pontifice, alia viſa eſt ſub genu Sagittarij, & adhuc durat vna cum priore, licet poſterior parum admodum appareat. nõ eſt ergo dubiũ coelum eſſe corruptibile, cum hæ ſtellæ, quæ partes ſunt coeli, in ipſo generatę & corruptæ fuerunt. neq; reſponderi poteſt has ſtellas non fuiſſe in coelo, imò nõ fuiſſe omnino ſtellas, ſed tantũ cometas ſub concauo lunæ in ſphæra ignis exiſtentes, non, inquam, hoc reſpõderi poteſt, quia ſaltem de ſtella Caſſiopeæ & Cygni omnes Aſtronomi conſentiũt fuiſſe in cœlo; nullã enim in illis obſeruarunt paralixim, ſed ſemper eundem ſitum ac diſtantiam cum reliquis ſtellis fixis tenuiſſe reſpectu diuerſorum hominum in remotiſſimis mundi regionibus. neque dicas credendum nõ eſſe Aſtrologis, propter immenſam locorum diſtantiam, qualis eſt terræ ad hujuſmodi ſtellas, propter quam nihil certi ab illis afferri poteſt; ne, inquam, hoc dicas, quia in primis hæc reſponſio pugnat cum recta ratione; ſicut enim omnibus omnia promiſcue credere leuitatis eſt, ita certè non credere viris in arte peritis, præſertim plurimis, cum nullam odij aut amoris cauſam habent, frontis eſt pertinacis. neque dicas multos Aſtronomos diſciplinæ Ariſtotelis odio id pronuntiaſſe; hoc enim falſum eſt. multi enim Aſtronomorum Ariſtotelis ſectatores, ne dum calumniatores, fuerunt, qui tamen ſtellas illas in coelo eſſe dixerunt. pugnat etiam prędicta reſponſio cum Philoſopho ipſo 12. Metaphyſ. text. 45. vbi aſſerit non eſſe ſpernendas Mathematicorum obſeruationes. imo quando ipſi Aſtronomi diuerſa ſentiunt, diligendos quidem vtroſque, adhærendum tamen certioribus. & 1. de coelo cap. 34. loquens de aſtrorum obſeruatoribus, *non tamen juſtum eſt*, inquit; *eos omnes ſimul increpare, &c.* neque etiam dicas, illas ſtellas fuiſſe quidem in coelo ab initio mundi creatas, ſed propter exiguitatem non fuiſſe antea viſas, niſi quando ex accidente aliquo exhalationes in aëre majores excitatæ fuerunt, quæ propter radiorũ refractionem ſtellas illas majores, & conſequenter oculis noſtris aſpectabiles reddiderunt. contra enim eſt, quia huiuſmodi ſtellæ viſæ ſunt è remotiſſimis maximeque oppoſitis mundi partibus, ſine vlla plane diuerſitate aſpectus: neque dici poteſt eo tempore vbique terrarum fuiſſe maximam copiam exhalationum, ac proinde ab omnibus æqualiter fuiſſe conſpectas, quia hac ratione etiam aliæ ſtellæ ſolito majores ab omnibus viſæ fuiſſent, quod tamen falſum eſt. nec etiam dicas ſtellas illas fuiſſe de nouo à Deo creatas, vt aliquid portenderent, & vt Deus ſe Dominum etiam coeli hominibus oſtenderet, quia hoc eſt ad miracula confugere. imo ad frequentiſſima, quod philoſophicum eſt, præ-

ſertim quando huiuſmodi opera in cauſam naturalem referri poſſunt, vt in noſtro caſu referri poſſunt ad nouā coeli condenſationem, & rarefactionem. Confirmatur prædicta ratio, quia viſæ ſunt cometæ ſupra cœlum Lunæ, vt Mathematici fere omnes recentiores, præſertim Tyco Brahe maximus Mathematicus, dimenſi ſunt, & obſeruationibus accuratiſſimis notarunt. quod etiam factum eſt ab antiquis referente Cardano, ait enim Albumazarem Philoſophum ac Aſtronomum nobiliſſimum cometam vidiſſe ſupra Venetem. ex quo ſic licet argumentari. viſæ ſunt cometæ ſupra cœlum lunæ. ergo cœlum eſt inflammabile. ergo corruptibile. ſecunda conſequentia eſt manifeſta. prima ſic probatur. Cometa fit ex materia inflāmabili, videlicet exhalatione ignita. ergo &c. denique confirmatur, quia perſpicillis aſtronomicis recenter inuentis in Sole depræhenſæ ſunt maculæ, quæ ſubinde generantur & corrumpuntur, augentur & diſſoluuntur, quod manifeſtum ſignum eſt, ſupra omnem regionem elementarem generari aliquid de nouo, & corrumpi etiam in ipſo coelo, & conſequenter coelum eſſe corruptibile. hæc in confirmationem corruptibilitatis coeli ſufficient. ad rationes Ariſtotelis in contrarium, dico illas eſſe parui momenti. prima enim in multis peccat. inter cætera ait Philoſophus motui circulari coeli nullum motum eſſe contrarium. hoc falſum eſt ipſo Philoſopho iudice. nam motui circulari vni alius motus circularis contrarius eſt, verbi gratia, motui ab occidente in orientem contrarius eſt motus ab oriente in occidentem, vt docet ipſemet 8. Phyſ. text. 64. deinde quæ conſequentia eſt hæc? motui locali alicuius corporis, nullus motus eſt contrarius. ergo neque in illo corpore eſt qualitas habens contrarium. multa enim ſunt contraria quæ tamen mouentur motu elementi terræ prædominantis. ad ſecundam etiam rationem, dico illam eſſe omnino falſam; viſæ ſunt enim, vt iam diximus, in coelo multæ mutationes, quæ ſaluari nulla ratione poſſunt ſine corruptibilitate coeli. imo ex mutationibus in coelo depræhenſis efficaciſſimum eſt pro noſtra ſententia argumentum ad ſententiam Ariſtotelis penitus conuellendam. prima etiam congruentia Ariſtotelis eſt omnino popularis, & inepte omnino concludens, eodem enim argumento, ſi vim haberet, probare poſſemus coelum fuiſſe ab æterno, nec vllum eſſe habuiſſe à Deo. ſecunda congruentia ridicula etiam eſt; idem enim eſt ac ſi diceret aliquis, coelum quandiu eſt mouetur, ergo coelum eſt incorruptibile natura ſua, quamuis Dei voluntate actu nunquam corrumpendum ſit. quod optimè explicauit Plato in Timæo, *Natura*, inquit, *veſtra* (cœlos in perſona Dei alloquens) *eſtis diſſolubilia, neutiquam tamen vos vlla mortis fata periment, quia mea voluntas, majus, potentiuſque vobis eſt vinculum ad perpetuitatem veſtram, quam illud quo fuiſtis* tunc

*Tyco Brahe.*

*Cardanus.*
*Albumazar.*

*Reſpondetur ad argumenta Ariſtotelis cōtra corruptibilitatem cœli.*

*Aurea Platonis verba.*

*tunc cum gignebamini colligata.*

Quæres an coelum ſit fluidum, vel ſolidum, & quot ſint coeli? IV.
Reſpondeo coelum eſſe fluidum ad inſtar aëris, aëre tamen multo
nobilius, & quod hinc ſequitur, ſtellas omnes & planetas in eo non
ſecus eſſe, ac piſces in aqua, aut aues in aëre; ita tamen vt in ſuprema *Oſtenditur cælum eſſe fluidum.*
eius parte, ſtellæ quas fixas vocant, æquabili ſemper motu, ac diſtan-
tia inter ſe moueantur, in parte vero inferiore moueantur planetæ,
ſeu errones, alij aliis altiores, ea tamen ratione, vt modo majorem
inter ſe, modo minorem habeant diſtantiam. hinc conſtat ſtellas tan-
tum per ſe moueri coelo ſecundum ſe immoto· vnde optime D. Chri- *S. Chryſoſtomus.*
ſoſtomus homilia 6. & 13. in Geneſim, *Abſit*, inquir, *vt cogitemus Deum
affixiſſe cælo aſtra, cernimus namque ea moueri, & de vno loco in alterum
transferri*, & Homilia 12. ad populum Antiochenum idem confir-
mat, aſſerens coelum eſſe fixum & immobile, Solem autem cum cæ-
teris aſtris in ipſo continuo circumuolui. idem habet Origenes lib. 5. *Origenes.*
contra Celſum, & lib. 1. periarcon cap. 7. vbi ait ſidera propriis moti-
bus agi, nec eſſe partes coeli, nec ſecus in coelo eſſe, quam ſint in ter-
ris animantes, piſces in aqua, & in aëre volucres. idem etiam
docent Euſebius Emiſſenus, & Diodorus Tarſenſis in expoſitione
illius verſus capitis primi Geneſeos, *Fecitque Deus duo luminaria ma-* *Euſebius. Emiſſenus.*
*gna, &c.* Denique, vt alios omittam, Philaſtrius Brixienſis in catalogo *Philaſtrius.*
hæreſium, tanquam hæreſim condemnat eorum ſententiam qui vo- *Brixienſis. Diodorus*
lunt coelum per ſe moueri, & vna cum eo aſtra, ſic enim fere loqui- *Tarſenſis.*
tur. *Eſt hæreſis aſſerens ſtellas eſſe cælo infixas, cum certum ſit eas de the-
ſauris, lociſque abſconditis, & à Deo diſpoſitis, in veſperum iuſſu diuino
repente procedere, ſtatiſque horis ſuo lumine & motu miniſterium à Deo
ſibi impoſitum agnoſcere & exequi*; paulò pòſt deinde damnat contra-
riam ſententiam, tanquam repugnantem fidei Catholicæ, atque eius
aſſertores, *paganæ veritatis, magis quam Chriſtianæ doctrinæ habere
conſortium.* & ſane hanc doctrinam non parum confirmat modus lo-
quendi ſcripturæ Sacræ, quæ dum mentionem facit motus ſiderum,
vt Solis & Lunæ, videtur illam indicare, vt Ioſuë 10. *Sol contra Gabaon
ne mouearis, & Luna contra vallem Ajalon*, &, *ſteteruntque Sol & Lu-
na, &c*, &, *ſtetit itaque Sol in medio cæli, & non feſtinauit occumbere,
&c.* quibus verbis vix negari poſſe exiſtimo non obſcurè inſinuari
Solem & Lunam non moueri affixa ſuis orbibus, & per accidens ad
motum illorum, eo modo quo nodus in tabula ad motum tabulæ
mouetur, aut clauus totæ affixus ad motum eiuſdem, ſed potius ipſis
coelis plane immotis per ſe moueri, eo modo, quo ſcintillæ aut aues
per aërem feruntur, aut piſces per æquora natant, diuidendo nimi-
rum medium. neque dicas Iob 37. verſu 18. legi coelos eſſe ſolidiſſi-
mos. ſic enim habetur, *Tu forſitan cum eo fabricatus es cælos, qui ſolidiſ-*

*ſimi ſunt, quaſi ære fuſi.* ergo coeli ſunt ſolidi non fluidi. ne, inquam, hoc dicas; reſpondeo enim primo, nomine coelorum ipſum aërem intelligi poſſe, cuius maxima eſt fortitudo & violentia, vt ex quæſtione de motu projectorum facile patet. hoc modo explicant hunc locum ex recentioribus Pineda, Pagninus, & Regius, qui illum probant ex antecedentibus, & multiplici aliorum verſione, præſertim Hebraïca, ex qua duo vltimi legendum dicunt, *Tu forſitan cum eo fabricatus es aerem, illum fortem ſicut ſpeculum fuſile,* non autem *ſoliđiſſimum ſicut ære fuſi.* ſeptuaginta legũt *ſicut viſio fuſilis.* reſpondeo 2. verba hæc intelligi poſſe, non de coelo planetarum, ſed de coelo empyreo, quod licet admirtatur eſſe ſolidum, nihil inde ſequitur contra nos. tertio dico, hæc verba proferri ab Eliud, qui ſtatim verſu 2. capitis ſequentis à Deo imperitiæ arguitur his verbis, *Quis eſt ille inuoluens ſententias ſermonibus imperitis.* hoc ſi verum eſt, caueant aduerſarij hoc loco vti. denique ſi diceretur locum illum per Synecdochen tantummodo de aſtris intelligi debere, nihil abſurdi diceretur, & optime ſaluarentur omnia. hæc de priori parte quæſiti. Quod ad poſteriorem attinet, tres dico eſſe in vniuerſum coelos, non plures. primum vocatum eſt à Patribus aëreum, & à ſancto Ambroſio ferreum, includitque aërem, & quicquid inter concauum Lunæ & ſuperficiem terræ intercipitur. ſic dicuntur pluuiæ cadere de coelo, volucres cæli &c. & de coelo in hac ſignificatione huc vſque non egimus. ſecundum eſt ſtellatum, de quo hoc loco agimus, & iam egimus, continetque ſtellas in ſuprema parte, quæ ab aſtrologis appellari ſolet firmamentum, & Lunam in inferiori parte, in medio autem cæteros planetas. & de coelo in hac ſignificatione ſumpto, id eſt, prout ſignificat coelum ſtellatum, & ſidereum, optime pronuntiat S. Chryſoſtomus homilia 4. in Geneſim vnicum tantum eſſe, *Quomodo,* inquit, *dicunt aliqui factos multos cælos? non ex diuina Scriptura hoc didicerunt, ſed ex ſuis opinionibus, vt ita dicam, impelluntur.* vocatur communiter à ſui parte ſuperiori firmamentum. tertium coelum eſt empyreum, ſedes beatorum ſpirituum, longe diuerſæ rationis à duobus præcedentibus, & ſecundum communem ſententiam immobile. ſed de hoc coelo non agimus hoc loco, ſed de ſecundo. porro præter hos tres coelos, nullos alios reperiri optime deducunt quidam recentiores, qui aſſerunt ex S. Paulo triplex inſinuari coelum, dum ſe ad tertium coelum raptum affirmat, coelum videlicet aëreum, quod comprehendit elementa vſque ad orbem Lunæ, coelum ſidereum, quod à Luna vſque ad empyreum excurrit, coelum empyreum denique, quod eſt ſedes beatorum, in quo Apoſtolus ineffabilia arcana æternæ foelicitatis vidit.

*Pineda. Pagninus. Regius.*

*Oſtenditur tres tãtum eſſe cælos, empyreum, nempe, ſtellatum, & aereum.*

V. Quæres an ſupra coelum, vel firmamentum, dentur veræ aquæ. Reſpondeo omnino dari. contra recentiores aliqui doctores Ca-

tholici cum Diuo Thoma. verum quod diximus longe probabilius eſt. primo, quia hoc exigit hyſtorica Moïſis narratio, quæ eſt hujuſmodi. *In principio creauit Deus cælum & terram. terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas. dixitque Deus, fiat lux, & facta eſt lux. & vidit Deus lucem quod eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris, appellauitque lucem diem, & tenebras noctem, factumque eſt veſpere, & mane dies vnus. dixit quoque Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. & fecit Deus firmamentum, diuiſitque aquas, quæ erant ſub firmamento, ab iis quæ erant ſuper firmamentum, & factum eſt ita. vocauitque Deus firmamentum, cælum, & factum eſt veſpere, & mane dies ſecundus.* Iam ex his manifeſtè habetur ſupra firmamentum, id eſt coelum, eſſe veras aquas. neque dici poteſt ibi firmamenti nomine intelligi aërem, vel aliquid hujuſmodi, vt nubes &c. nam firmamentum & Hebræum *Rakiah*, non aërem, non nubes, ſed proprie coelum ſidereum ſignificat. rurſus vox *fiat*, non ſignificat deputationem rei antea factæ, puta mediæ regionis aëris, vt exiſtimant aduerſarij, ad diſpeſcendum aquas ab aquis, ſed ſignificat realem rei, quæ fieri iubetur, productionem, vt patet ex antecedentibus, vt patet quando creauit lucem, dixit, *fiat lux*, eodem etiam modo poſt dicit, *fiant luminaria in firmamento cæli*, quando creauit coelum & terram. ergo cum eodem modo loquendi vtatur, & dicat *fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis*, vere creauit firmamentum, id eſt coelum ſidereum & ſtellatum. (coelum enim empyreum iam antea creauerat, vt patet ex primo verſu, In principio, inquit, creauit Deus coelum & terram) & non tantum deputauit, vt volunt aduerſarij aërem jam factum, vt eſſet interſtitium, inter nubes & aquas ſupra terram exiſtentes. & vero niſi Deus his verbis, *fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis*, intelligeret veram creationem coeli, ſed tantum deputationem aëris iam antea creati, non vteretur voce illa *fiat*, ſicut eadem non vtitur, dum paulò pòſt de mari & arida loquens, *congregentur*, inquit, *aquæ in vnũ locum.* non dicit, *fiant aquæ in vno loco*, quia nimirum antea iam factæ fuerant. ita cum antea aër factus fuerit, de eo non diceret, *fiat*, ſed diceret, aër qui antea erat, iam ſit interſtitium inter aquas inferiores & ſuperiores. tertiò idem probatur ex eo quod Deus in firmamento quod creauerat die quarto fecerit Solem, & Lunam, cæteraſque ſtellas. hæc autem non ſunt in aëre, ſed in coelo. ergo per firmamentum non intelligit aërem, ſed coelum. neque dicas eo loco, quo ait ſtellas fuiſſe creatas in firmamento, addere *in firmamento cæli*, vt hæc varietas diuerſam ſignificationem huius vocis ſignificaret, quando creatæ dicuntur in eo ſtellæ, & quando ſignificatur in medio aquarum poſitum fuiſſe,

*Oſtenditur reperiri veras aquas ſupra firmamentum.*

vt diuideret aquas ab aquis; ne, inquam, hoc dicas, quia quando ait Moïſes in firmamento cœli, phraſi vtitur Hebraïca, & idem eſt, ac ſi diceret in firmamento quod cœlum eſt, vel quod ab ipſo ſupra appellatum fuerat cœlum. eodem ergo modo, & in eadem ſignificatione accipitur firmamentum, quando in eo dicuntur creatæ ſtellæ, ac ſupra acceptum fuerat, cum dicitur fuiſſe creatum interſtitium inter aquas. ergo cum accipiatur vere pro cœlo ſtellato & ſidereo, quando dicuntur creatæ fuiſſe in eo ſtellæ, ita eodem modo ſupra accipi debet pro cœlo ſtellato, quando creatur interſtitium inter aquas ſuperiores & inferiores, & conſequenter ſupra cœlum ſtellatum verę ſunt aquæ. quarto, per aquas ſuperiores non poſſunt intelligi nubes. ergo falſa eſt ſententia aduerſariorum. antecedens probatur, quia nubes nullæ erant hoc ſecundo die, imo nec ſex primis diebus, ſed aër erat limpidiſſimus, vt conſtat ex verſu 5. ſecundi capitis. ergo &c. denique alibi, vt, verbi gratia, Danielis 3. verſu 60. aquæ hæ, quæ ſunt ſupra cœlum, manifeſte diſtinguuntur à nubibus, pluuia, & grandine, atque primo loco inter alia creata ſupra, nubes ſupra cœlum ponuntur. ergo per aquas ſupra cœlum; etiam hoc loco intelligi non debent nubes ſupra aërem. quod ſi quæras, quam ob cauſam poſuerit Deus ſupra cœlum veras aquas, reſpondeo Patres hac in re non conuenire, varij enim varias aſſignant cauſas. vera cauſa meo iudicio eſt illa quam ſupra explicauimus Iuſtini Martyris, in reſponſione ad quæſtionem 93. ortodoxorum, ſancti Baſilij homilia 3. in Geneſim, Bedæ libro de natura rerum, D. Ambroſij libro 2. Exameron, imo etiam Eccleſiæ Catholicæ in hymno ſupra citato, ibi poſitas eſſe illas aquas ad immenſum tot tantorumque ſiderum ardorem, ne omnia conſumant, ſua refrigeratione mitigandum, atque temperandum. quod optime explicauit S. Auguſtinus libro 11. de ciuitate Dei capite vltimo, exemplo deducto ab homine; Sicut, inquit, in microcoſmo, id eſt in homine, ſupra cor igneæ naturę locatum eſt cerebrum frigidiſſimum, ita in magno mundo, ſupra cœleſtes ignes aquæ ſunt poſitæ, &c. quod ſi aliquis difficulter concipiat, quomodo ſupra cœlum ſphæricum poſſint eſſe aquæ, ibique cōſiſtere, meminerit velim eundem Dominum, qui vndas maris rubri atque Iordanis in ſublime erectas, & murorum ſimilitudine firmatas conſiſtere fecit, hoc præſtare. Concludo cum D. Auguſtino 2. de Geneſi ad literam cap. 5. *Quomodo autem, & qualeſlibet aquæ ibi ſint, eſſe eas ibi minime dubitemus. maior eſt quippe ſcripturæ huius*, id eſt ſacræ, *auctoritas, quam omnis humani generis capacitas.*

*Iuſtinus Martyr.* *S. Baſilius.* *S. Ambroſius.* *Beda.* *S. Auguſtinus.*

# QVÆSTIO VIGESIMAQVINTA.

## *A quo moueantur Aſtra.*

ALbertus Magnus in 2. diſtinctione 14. quæſt. 6. aſſerit ſecundum veram Theologiam à ſolo Deo moueri. in quam ſententiam citat Ptolemæum, Albumazarem, Albategnum, & Geberem, Arabes; & ex Patribus D. Damaſcenum lib. 2. de fide orthodoxa cap. 6. eandemque ſententiam ex recentioribus ſequitur Leonardus Leſſius lib. 11. de Perfectionibus diuinis cap. 8. I. *Albertus. D. Damaſcenus. Geber. Leßius.*

Ariſtoteles exiſtimauit primum mobile à Deo moueri, & propterea ipſum vocatum fuiſſe primum motorem, quia nimirum circa primum mobile eſſet occupatus. S. Thomas, & alij poſt ipſum, exiſtimát tam primum mobile, quam reliquos coelos (plures enim ſtellatos admittunt ipſi) moueri immediatè ab Angelis, ſiue ab Intelligentiis. alij denique voluerunt moueri à ſua propria natura, vel ſaltem mediante aliqua facultate motiua, quam gyratiuam vocant, nō ſecus quam elementa à propria natura, adiuncta grauitate aut leuitate, mouentur. ita multi Arabes, inter alios Algazel diſp. 14. ex Theologis citantur S. Bonauentura in 2. diſt. 14 Gabriel ibidem quæſt. vnica artic. 2. Major noſtras libro 2. de coelo, Albertus de Saxonia 6. Phyſ. quæſt. vnica, aliique multi veteres, quos ex recentioribus ſequuntur Dauid Gorlæus exercitatione 16. philoſophica ſectione 3. Thomas Fienus libro de viribus imaginationis, Bartholomæus Heutteuinus in tractatu de ſphæra cap. 2. artic. 4. & vt probabilem tuentur Baranzanus parte I. vranoſcopiæ, Craſſotius, & alij. *Algazel. Albertus de Saxonia. Fienus. Heurtevinus. Baranzanus.*

II. Dico primò, non moueri Aſtra à Deo immediatè eo modo quo voluit Albertus. *Prima concluſio Authoris.*

Probatur breuiter, quia quæ commode poſſunt fieri à cauſis ſecundis, non debent dici fieri à ſolo Deo, vt inductione patet in omnibus effectibus ſublunaribus. at motus ſiderum, & ſtellarum commode fieri poteſt à cauſis ſecundis. ergo non debet dici fieri à ſolo Deo. *Eiuſdem probatio.*

III. Dico ſecundò, Aſtra non moueri ab Intelligentiis, ſiue Angelis. *2. Concluſio.*

Probatur ex Scriptura ſacra, in qua de Sole ſic ſcriptum eſt, *Exultauit vt gygas ad currendam viam, &c.* quibus verbis non obſcure ſignificatur motum Solis ab ipſo Sole, non autem à principio extrinſeco proficiſci. idem videtur colligi poſſe ex præfatione quæ in Miſſa *Prima probatio.*

habetur ante Canonem, vbi ponuntur virtutes cœlorum ab intelligentiis diſtinctæ.

*Secũda probatio.* Probatur ſecundo ratione. non debent eſſe aſtra deterioris notæ, ac reliqua corpora inferiora. at reliqua corpora ab intrinſeco mouentur, & proprio naturæ inſtinctu, ſurſum, vel deorſum &c. ergo etiam aſtra moueri debent ab intrinſeco. & plane difficile creditu eſt tam pręſtantia corpora nullum habere in ſe principium actiuum ſui motus.

*Tertia probatio.* Probatur tertiò. ſi motus aſtrorum prouenirét ab Angelis & Intelligentiis, non magis erit naturalis aſtris, quam igni. ſed motus circularis, ex Ariſtotele hoc loco, eſt pręter naturam ignis, non illi naturalis. ergo etiam motus circularis erit pręter naturam cœli, non cœlo naturalis. nam ad hoc vt motus ſit naturalis, non ſufficit, in aduerſariorum ſententia, habere principium paſſiuum, & formam motui illi non repugnantem, alioquin, vt dictum eſt, motus circularis ignis in ſua ſphæra illi naturalis eſſet, quia non repugnat formæ, quod ipſi non admittent. neque dicas motum circularem naturalem potius eſſe cœlo quam igni, eo quod cœlum habeat propenſionem quandam majorem & naturalem ad illum motum, quam ignis. contra enim eſt, quia vt ſupra notaui, ridiculum videtur aſſerere naturam tribuiſſe cœlo propenſionem ad motum circularem, & tamen denegaſſe illi potentiam ad executionem talis propenſionis requiſitam. & planè malè actum fuiſſet cum coelis, præſertim quod cuicumque corpori naturali tributa eſt propenſio ad aliquid, eidem etiam tributa fuerit à natura virtus ad illius propenſionis exercitium.

*Quarta probatio.* Probatur quarto argumento Leſſij, quomodo enim tam immenſæ vaſtitatis corpora ab Angelis, valde limitatas vires habentibus, per tot ſecula torqueri poſſunt? præſertim tam incomprehenſibili velocitate, & tam ſtupenda æquabilitate. ſane ſicut Angelus vnus, vel etiam plures, non poſſunt elementa loco mouere, & primarias orbis confundere partes, ſic etiam credibile eſt non poſſe cœlos, qui incomparabiliter ſunt maiores, tanta celeritate impellere. ergo &c. hæc ratio non multum vrget. quare melior eſt alia eiuſdem Leſſij ratio, quia nimirum, inquit, deberet Angelus aſſiduè eſſe quaſi affixus ſuo orbi, & ſumme intentus vt moueat eadem ſemper celeritate. vnde pro arbitrio non poſſet adire cœlum empyreum, aut homines in terris inuiſere, aut alterius rei adminiſtrationem ſuſcipere, ſed ſemper deberet manere affixus ſuæ rotæ, quæ ſane, inquit, non videntur conſentanea illorum fœlicitati libertimæ, & libertati fæliciſſimæ. denique, vt alia quæ idem Leſſius habet, omittam, ſi, inquit, Angeli cœleſtes orbes circumagant, in poteſtate eorum eſſet illos ſiſtere, quod conſonum non videtur verbis Domini Iob 38. *Concentum cœli quis*

*Leſſius.*

*dormire faciet?* id eſt quis ſiſtet? quaſi dicat,nemo præter me id poteſt. item in eorum poteſtate eſſet, vel celerius, vel tardius mouere, & ita totum mundum facile poſſent turbare, vnde grauiſſimo præcepto deberent eſſe obſtricti, vt ſummam curam adhibeant ne vnquam vllus ſit defectus, vlla inæquabilitas, vlla maior minorve concitatio; eſt enim res maximi momenti, vnde ſalus rerum inferiorum pendet. hæ rationes valeant quantum poſſunt.

Probatur denique euertendo fundamentum præcipuum Ariſtotelis. ſi quæ enim eſſet ratio cur cœlum moueri debeat ab Intelligentia, eſſet quia virtus finita non poſſet ſemper, & cum eadem vniformitate moueri. ſed hæc ratio nulla eſt, nam cur non poſſet Sol illuminare infinito tempore, & eodem modo? cur non poſſet etiam lapis in infinitum deſcendere, ſi à centro infinito diſtaret ſpatio? *Quinta probatio.*

V. Objicies primò cum aduerſariis. Eccleſiaſtici 10. legitur, *Luſtrans vniuerſa pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur*, quaſi diceret, Angelus perluſtrat totum vniuerſum dum mouet cœlum. præterea Iob 9. habemus, *Sub quo curuantur qui portant orbem*, id eſt, Angeli. *Aduerſariorum argumenta diluuntur.*

Reſpondeo ineptè trahi hæc loca ab aduerſariis in ſuum ſenſum. primo enim loco intelligi non poteſt illud quod dicitur de Angelo; ſi enim intelligeretur Angelus, cum probare intendat nihil eſſe nouum ſub Sole, argumentum ab Angelis ſumptum nullum plane eſſet. intelligit ergo per ſpiritum ventum vehementiorem, qui interdum recto tramite pergit, interdum vero occurſu alterius venti retorquetur, ac rotatus verticem efficit ſimilem ei quem videmus in aquis fluminum, & hic eſt flatus, ſeu ſpiritus, qui in gyrum contortus turbo ſolet appellari. ſecundo loco citato, id eſt Iob 9. loquitur de Principibus terræ, qui dicuntur portare orbem, dum eum gubernant. ſic ad Hebræos 1. Apoſtolus Paulus de Deo loquens, ait eum portare omnia verbo virtutis ſuæ, id eſt gubernare & regere. adde Hebraïcè legi, ſub quo curuantur auxiliatores potentes.

Objicies ſecundò. nulla virtus finita poteſt moueri infinito tempore. ſed forma cœli finita eſt, & eius motus infinitus à parte poſt, ſaltem in ſententia Ariſtotelis. ergo &c.

Reſpondeo ex vltima probatione ſatis conſtare principium illud Ariſtotelis falſum eſſe.

Objicies tertiò. Angeli ſunt partes vniuerſi, ergo debent cum eo coniungi. at non poſſunt coniungi, niſi ratione motus cœleſtis, quem efficiunt. ergo &c.

Reſpondeo Intelligentias non eſſe proprie partes vniuerſi, ſi vniuerſum hoc proprie ſumatur. ſi autem improprie ſumatur, poſſe alio modo coniungi, quam mouendo cælos, ratione nempe officij quod habent. nam vt egregiè argumentatur Plato, multa hominibus ſug- *Plato.*

gerunt, eorumque curam habent, cum ipſorum cuſtodiæ deputati ſint.

Obijcies quartò. cœlum aliquando quieſcet, ergo nunc ſi à ſeipſo naturaliter mouetur, tunc violenter quieſceret. ſed nullum violentum perpetuum. ergo &c.

Reſpondeo cœlum quieturum naturaliter poſt iudicij diem, quoniam aſſecutum erit tunc ſuum finem, non minus quam lapis quieſcit dum attigit centrum. mouetur autem cœlum ad efficiendas generationes, quare illis finitis, quod tunc fiet, quieſcet. nec ſequitur qualitatem gyratiuam cœli fruſtra tunc fore, quia ſufficit quod aliquando operata fuerit, ſicut non fruſtra erit facultas vegetandi in beatis, quia finem ſuum habuit, & aliquando operata eſt.

Objicies quintò. in noſtra ſententia tollitur via inueſtigandi Angelos, nam Philoſophus & antiqui in cognitionem Angelorum, ſiue Intelligentiarum, non niſi ex motu cœleſti peruenerunt. at nos negamus motum cœlorum eſſe ab Angelis. ergo, & c.

Reſpondeo primò, multos recentiores poſt Valentiam exiſtimare, & quidem veriſſimè, non poſſe efficaciter probari dari Angelos, ſiue Intelligentias, ſed fide id eſt credendum. verum quia non eſt huius loci hoc examinare,

Reſpondeo ſecundò, aliam eſſe viam præter iſtam cognoſcendi Angelorum exiſtentiam, vt quod cum quædam ſint res corporeæ omnino, aliæ partim corporeæ, partim ſpirituales, vt homines, congruum eſſe videtur dari res aliquas pure ſpirituales. adde repentinas Angelorum appaririones, ciuitatum ſubuerſiones, & alia huiuſmodi multa, quæ licet Deus facere per ſe immediatè poſſet, conſentaneum tamen fuit fieri miniſterio Angelorum, qui diuinæ iuſtitiæ miniſtri ſunt. omitto Energumenos, in quibus apparet virtus humanas plane excedens vires. de hac re plura in Metaphyſicis diſputationibus.

Objicies ſextò ex Philoſopho initio libri 7. Phyſicorum. quicquid mouetur, ab alio mouetur. ergo cum cœlum moueatur ab alio, nempe ab Angelo mouebitur.

Reſpondeo illam propoſitionem ita intelligendã eſſe, vt pars mouens diſtinguatur à parte mota; in noſtro autem caſu repetitur diſtinctio partis mouentis à parte mota. quod hic ſit ſenſus Ariſtotelis, patet manifeſtè in viuentibus.

Objicies vltimo. ſolis animatis conuenit moueri à ſeipſis, & à propria forma. ergo cœlum non poteſt moueri à ſeipſo. confirmatur, quia omne quod mouetur, ex motu percipit aliquam vtilitatem ſibi intrinſecam, ſi ab intrinſeco moueatur, non enim poſuit Deus in corporibus potentias motiuas, niſi ad ipſorum vtilitatem. ſed in cœlo nulla poteſt acquiri perfectio per motum localem. ergo, &c.

Reſpondeo

Reſpondeo falſum eſſe antecedens, vt inductione conſtat in grauibus & leuibus, quæ principaliter mouentur à propria forma, cum formam habent inſtrumentaliter à grauitate & leuitate, vnde etiam præſcindendo ab illis, poſito quod non eſſet in cœlo grauitas & leuitas, idem antecedens negari poteſt. ad confirmationem, reſpondeo plurimas vtilitates ex motu cœli, etiam cœlo intrinſecas, ipſi aduenire. aduenjunt enim illi vbi partiales, qui acquiruntur motu locali. ſecundo, ipſa actualis operatio, id eſt ipſe actualis motus localis, perfectio eſt, ſicut in homine intelligere perfectio eſt. quod autem motus localis perfectio ſit, patet, quia cauſare actu, eſt perfectio in creatis, & quidem intrinſeca, vnde Chriſtus Dominus dixit, *Beatius eſſe magis dare, quam accipere.* tertiò dici poteſt, cœlum moueri propter ſuam conſeruationem intrinſecam, ſicut multi dicunt aquam moueri propter ſuam conſeruationem ne putreſcat. addi denique poteſt cœlum non moueri propter perfectionem intrinſecam, ſed propter conſeruationem & gubernationem inferiorum. multa alia obijci ſolent, vt quod motus ſyderum ſit maxime regularis, & conſequenter prouenire debeat ab aliquo intellectuali motore; quod ſi mouerentur à ſeipſis, non eſſet maior ratio cur mouerentur aliqua ex oriente in occidentem &c. verum hæc nullius ſunt momēti. ad primum enim facile reſpondetur ſufficere formam & qualitatem gyratiuam, quæ cum ſint virtutis determinatæ, nec celeriorem motum efficiant, nec tardiorem, ſed vniformem. ad ſecundum, dico hoc referendum eſſe in aduerſam naturam ſtellarum, quæ determinatæ ſunt ad hanc potius quam ad contrariam partem motum efficiendi. imo retorqueri poteſt in aduerſarios argumentum.

# QVÆSTIO VIGESIMASEXTA.

## *Quanam ſit cauſa Æſtus Maris.*

HOc loco viſum nobis eſt hanc quæſtionem expedire, propterea quod Philoſophi communiter hoc loco eius cauſam in influentias referant, dum de influentiis diſputant. I.

Prima igitur hac de re ſententia eſt eorum, qui huius æſtus cauſam volunt eſſe Solis ac Lunæ influentias. eſt communis inter recentiores, nec deſunt pro eadem veteres. *Variæ ſententiæ proponuntur & refelluntur.*

Secunda ſententia vult cauſam eſſe Solem, quatenus calefaciens aquas maris extrahit exhalationes, quæ hunc motū reciprocū cauſant.



Digitized by Google

Tertia ſententia tribuit hunc æſtum lumini lunæ. ita multi ex illis qui negant influentias.

Quarta, eſt eorum qui volunt cauſam eſſe decliuitatem loci, vel per ſe, vel ſaltem coniunctam cum Solis ac Lunæ influentiis.

Quinta, eſt eorum qui volunt prouenire ab impetu fluminum ingredientium.

Sexta eſt, cauſam eſſe plurimos ventos, quos Sol ſuo calore excitat.

Septima eſt, fieri ab exhalationibus calidis & ſiccis.

Octaua eſt, fieri ab Angelo.

Nona eſt, cauſam eſſe virtutem motiuam mari inditam. ita Bernardinus Teleſius apud Othonem Coſmannum, in Marinarum quæſtionum tractatione Philoſophica, pagina 190. & alij.

II. Dico primo, influentias Solis ac Lunæ non poſſe eſſe cauſam adæquatam huius æſtus.

*Prima concluſio*

*Prima probatio.* Probatur. influentiæ Solis ac Lunæ cuilibet mari dominantur. ergo in quolibet mari deberent hunc æſtum efficere, & quidem eodem planè modo, quod tamen non fit, cum non omnia maria hunc fluxum habeant. certè quædam habent perexiguum, quædam inæqualiter admodum; in Luſitano enim, exempli gratia, oceano, mare per ſex horas intumeſcit & fluit, & per totidem detumeſcit & refluit; ad fauces vero Garumnæ in littore Aquitaniæ, per 7. horas fluit, & per 5. refluit; ad Erythræum Africæ promotorium per 4. horas accedit, & per 8. regreditur, &c.

Probatur ſecundo, quod æſtus, ſiue fluxus, non poſſit referri in influentiam, quia magis viget illa influentia luna exiſtente ſupra horizontem, quam infra, quod idem de Sole dixeris. ergo ſi tunc non poterat decrementum maris impedire, quomodo ſub horizonte exiſtens poterit tumefacere mare, & æſtum efficere.

III. Dico ſecundò, cauſam reciproci huius motus non eſſe Solem calefacientem aquas maris, extrahentemque exhalationes immediatè hunc motum cauſantes.

*2. Concluſio.*

*Probationes eiuſdem.* Probatur, quia illæ exhalationes aſcendunt ſurſum, nec manent in mari. ergo non poſſunt hunc motum efficere. ſecundo, ſi ita eſſet, æſtus deberet eſſe maximus in æſtate. at vero maximus eſt etiam in hyeme. ergo &c. denique ex quolibet mari poſſet Sol extrahere exhalationes, & ſic quodlibet mare haberet fluxum & refluxum, quod tamen eſt contra experientiam, qua conſtat multis in locis nullum aut certè

perexiguum æſtum eſſe, vt in mari Tyrrheno, Liguſtico, Narbonenſi, &c.

Dico tertiò, cauſam huius æſtus non eſſe lumen Lunæ. eſt contra tertiam ſententiam. IV. *Tertia concluſio.*

Probatur, quia Luna in coniunctione omni lumine caret, nec tamen fieri deſinit æſtus. ergo cauſa æſtus non eſt lumen Lunæ. deinde in quadris minor eſt æſtus, quam in coniunctione, cum tamen Luna aliquod lumen habeat. ergo lumen non poteſt eſſe cauſa. denique cum à puncto occaſus mouetur luna ad punctum mediæ noctis, in plaga orientali mare creſcit, & tamen luna tunc non poteſt diffundere lumen prohibente terra. neque dicas reflecti à cœlo; tum quia cœlum non eſt opacum ſecundum aduerſarios; tum quia illud lumen ſaltem multo minus eſt, quam dum luna à meridie vergebat ad occaſum, quo tamen tempore decreſcebat. quo argumento ſupra vſi ſumus contra influentias. *Probationes eiuſdem.*

Dico quarto, decliuitatem loci non eſſe cauſam, ſiue conſideretur ſola per ſe, ſiue etiam coniuncta cum influentiis Solis ac Lunæ. *Quarta cõcluſio.*

Probatur, quia quamuis in mari ſint loca decliuiora, tamen ſunt iam plena aquis. ergo non debet eo deſcendere alia aqua. deinde deberet, ſi vera eſſet hæc ſententia, eſſe vehementiſſimus æſtus in mari mediterraneo, cum eius littus verſus Aquilonem ſit altius, & tamen non ſit tam vehemens. tertiò, ſi eo modo fieret fluxus, ſequeretur quod ſi fit in vno littore, deberet etiam fieri in altero oppoſito littore, quod tamen eſt contra experientiam, quia in littore Hiſpanico fit fluxus, & tamen in Mexicano illi oppoſito non fit. Confirmatur, quia ad hunc modum deberet aqua decurrere ab vno littore ad aliud. denique oceanus habet fluxum & refluxum ab ortu in occaſum, & tamen decliuior eſt oceanus ab ortu in occaſum. ergo cum flueret oceanus ab occaſu in ortum, fluebat ad altiorem locum, & contra naturam aquæ. *Variæ probationes eiuſdem.*

Dico quintò, cauſam non eſſe impetum fluminum mare ingredientium. *5. Concluſio.*

Probatur facile & euidenter, quia æſtus maris ſæpe fit contra impetum fluminum. ergo non poteſt procedere ab illo impetu. *Probatio.*

Dico ſextò, ventos calore Solis excitatos non poſſe eſſe cauſam. *6. Concluſio.*

Probatur, quia mare ſæpe fluit & refluit cum nullis ventis agitatur. ergo, &c. deinde æſtus maris ſæpe defert mare contra impetum venti. ergo, &c. *Probatio.*

Dico ſeptimò, exhalationes calidas & ſiccas non eſſe cauſam. *7. Concluſio.*

Probatur, quia non poteſt explicari qua ratione exhalationibus iſtis innata ſit vis certis & ſtatis temporibus fluxum & reflexum ef- *Probatio.*

efficiendi. ergo fluxus & refluxus non prouenit ab iſtis exhalationibus.

VIII. Dico octauò, cauſam huius æſtus non eſſe Angelum.

*8. Concluſio. Probationes eiuſdem.* Probatur primò, quia ſi Angelus eſſet cauſa huius æſtus, vel Angelus ille eſſet mari præſens, eique quodammodo quaſi affixus, eo tantum tempore quo fit ille æſtus, vel etiam tempore quo non fit æſtus. neutrum autem rationabiliter dici poteſt. ergo &c. Minor quo ad primam partem patet, quia ſi Angelus eo tantum tempore eſt præſens, quo, quæſo, it æſtu deſinente? Quo ad ſecundam partem patet etiam, quia planè abſurdum videtur ponere Angelum perpetuo mari inſidentem, & expectantem horas quibus mouere debeat, & horas quibus non debeat. ſecundò, Angelus non poteſt ſe diffundere per tantum ſpatium, quantum eſt vnum mare æſtuans, neque ei vim ſuam applicare, ſed tantum alicui eius parti, exempli gratia, quantum eſt ſpatium ciuitatis huius Andegauenſis, aut multo minus. ergo ab Angelo non poteſt procedere talis æſtus. tertiò, ſi Angelus eſt cauſa huius æſtus, cur, rogo, in omni mari non cauſat illum? denique ſi Angelus eſt cauſa huius æſtus, cur ſequitur hic æſtus curſum Lunæ, & coniunctionem illius cum Sole, aut receſſum ab eodem?

IX. Dico vltimò, veram cauſam huius æſtus proximam eſſe quandam *9 Concluſio.* virtutem motiuam mari intrinſecam, remotam & radicalem eſſe formam maris, ſi formam habet, de qua re alibi, ſi vero non habet, eſſe ipſam naturam maris.

*Eiuſdem probatio.* Probatur concluſio ex refutatione aliarum ſententiarum, & præterea ex eo quod hæc noſtra ſententia ſit maximè naturalis & Philoſophica, neque magnis difficultatibus expoſita, vt ex dicendis patebit. ergo, &c.

X. Objicies primò. nihil niſi animatum poteſt moueri duobus moti- *Argumenta aduerſariorum proponuntur & ſoluuntur.* bus. mare non eſt animatum. ergo non poteſt moueri duobus motibus.

Confirmatur, quia ſi aliquid inanimatum poteſt moueri per ſe pluribus motibus, euertitur principium illud receptum, videlicet quod elementa in ſuis locis naturalibus quieſcant.

Reſpondeo hæc & ſimilia aduerſariorum argumenta in duabus ſuperioribus quæſtionibus ſoluta eſſe; diximus enim falſum eſſe illud quod aſſumitur, tam in argumento, quam in eius confirmatione; cur enim aliquid inanimatum non poteſt habere ſibi connaturales plures virtutes motiuas, æquè bene ac ſæpe habet plures virtutes actiuas? vide quæ in præcedentibus diximus.

Objicies ſecundò, in hac noſtra ſententia non poteſt explicari cur in vno potius mari, quam in altero fiat æſtus. ergo &c.

Confirmatur, quia ſi cauſa eſt intrinſeca, cur quædam maria qua-

ter, quinquies, & ſepties, vt Euripus, in die fluunt? nam huiuſmodi maria ſpecie non diſtinguntur, ac proinde eandem vim mouendi ſpecie habere debent.

Reſpondeo æſtum maris requirere aliquam diſpoſitionem neceſſariam vt fiat; multa enim ſunt quæ, vt quotidiana experientia patet, non operantur niſi præſuppoſitis certis diſpoſitionibus. vnde ſi non ſit ſufficiens aquarum copia, aut locus nimis anguſtus, aut aliqua alia circumſtantia, virtus motiua non poterit reuocare ſe ad actum.

Ad confirmationem eadem eſt reſponſio. dici enim poteſt id accidere propter varia obſtacula, vt montium, & rupium, in quas dum impingunt illæ aquæ, per communem æſtum, multoties reflectuntur.

Objicies tertiò. ſi noſtra ſententia vera eſſet, ſtagnantes aquæ deberent æſtuare. ſed non æſtuant. ergo &c.

Reſpondeo ſtagnantes aquas non æſtuare, vel quia deeſt materiæ diſpoſitio, vel ſufficiens aquarum copia, vel loci amplitudo, vel aliqua alia circumſtantia.

Objicies quarto. idem manens idem ſemper facit idem. ſed mare ſemper manet idem. ergo ſemper, vel intumeſcere debet, vel ſemper pacatum manere.

Reſpondeo manere idem in ſe, ſed non manere idem reſpectu diſpoſitionum omnium requiſitarum, cum multas, vel ſaltem aliquam ad motum neceſſariam periiſſe neceſſe eſt, dum recidit mare. & hinc eſt quod propter varietatem diſpoſitionum, æſtus minus vel plus in variis locis duret, vt ſupra diximus in impugnatione primæ ſententiæ.

Quæres, quas ob cauſas mari à natura datus ſit motus?

Reſpondeo à quibuſdam Philoſophis tres cauſas hujus motus aſſignari. prima eſt, ne mare putreſcat; motus enim putrefactionem remouet, quia putrefactio fit ab externo calore, quem alia atque alia aëris mutatio per motum inducta auertit. hæc cauſa in ſententia noſtra de incorruptibilitate elementorum locum non habet, quamuis in communi ſententia vim habeat. ſecunda eſt aquarum purgatio. tertia cauſa & finis æſtus, eſt commoda nauigatio, ad quam, vt experientia conſtat, plurimum confert quotidiana maris reciprocatio, cum naues ad ſubeundum portum acceſſu maris non parum promoueantur, eiuſdemque receſſu in altum euehantur.

Huic quæſtioni de æſtu maris, affinis eſt illa alia de ortu fluminum ac fontium. verum non eſt huius loci illam fusè examinare. vnde ſatis erit breuiter indicare, tam fontes quam flumina, iuxta veriorem ſententiam, à mari ortum trahere, quamuis non negauerim à pluuiis incrementum ſumere. *Oſtenditur flumina & fontes oriri à mari.*

Ratio eſt primo, quia ſic videtur ſentire ſacta Scriptura Eccleſiaſtes 12. dum dicitur, *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat; in locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.* ſecundo, quia niſi hoc dicatur, explicari nequit qua ratione mons vnus poſſit tantam aquæ copiam ſuppeditare, cum aliquando tres, aut quatuor, pluresque fontes producat.

# QVÆSTIO VIGESIMASEPTIMA.

## *An dentur formæ partiales in vnoquoque viuente.*

I. Senſus quæſtionis eſt, an, verbi gratia, in arbore præter formam ſubſtantialem viuentis, in homine, præter animam rationalem, in boue, præter animam bouinam, dentur formæ aliquæ partiales ſubordinatæ formæ totali viuentis, quæ eatenus dicantur partiales, quatenus ſunt in aliquibus tantum partibus viuentis; verbi gratia, in homine, an præter animam rationalem, quæ peruadit totam materiam hominis, dentur formæ partiales carnis, oſſis, nerui, cerebri, & cæterarum partium heterogeneatum. qua in re

*Prima ſententia negans, D. Thomæ, Caietani, Coronadi, Suarii, Rubii, &c.*

Prima ſententia eſt non dari tales formas partiales ſubſtantiales. eſt D. Thomæ 1. parte quæſt. 76. artic. 4. & alibi, Cajetani ad locum citatum 1. partis in 2. diſt. 15. quæſt. vnica artic. 1. & 3. Coronadi 1. de generatione quæſtione 5. art. 4. Heruæi, & aliorum Thomiſtarum; & ex recentioribus eandem ſequuntur Suarez diſp. 15. ſect. 10. Rubius, Conimb. Fonſeca & alij.

*Secunda ſententia affirmans, Scoti, Richardi, Ianduni, Auerrois, & aliorum,*

Secunda ſententia eſt eorum qui affirmant tales formas eſſe neceſſariò admittendas. eſt Scoti in 4. diſt. 11. quæſt. 3. & omnium Scotiſt. Richardi conterranei in 2. diſt. 7. in 1. principali quæſt. 1. Ianduni 1. de Anima quæſt. 8. & 2. Metaph. quæſt. 10. Pauli Veneti 7. Metaphyſ. Auerrois 6. Phyſic. commento 59. & ipſius etiam D. Thomæ, qui quamuis alibi, vt diximus, contrarium teneat, tamen in tex. 15. lib. 1. de Generatione huic ſententiæ fauet his verbis, *Generatio ſimplex eſt à materia ſecundum priuationem formæ producendæ, & generatio ſimpliciter eſt productio formæ vltimæ & completæ; nam aliæ formæ in viuente ſunt mediæ.* hactenus D. Thomas, quo non poſſumus loqui clarius in noſtra ſententia, quæ admittit duplex genus formæ in viuente; altera, quæ eſt quaſi media, & vna cum materia & ſubjecto formæ vltimæ, & huius productio non eſt generatio ſimpliciter; altera

eſt ipſamet anima, quæ eſt vltima & completa forma viuentis, & huius productio eſt generatio ſimpliciter. idem tenet, ſi Hurtado credimus, quæſt. vnica de ſpiritualibus creaturis artic. 4. ad 14. ait enim carnem meam, verbi gratia, magis conuenire ſecundum rationem ſpeciei cum carne alterius hominis, quam cum oſſe meo; quod verum non eſt, ſi non dantur formæ partiales. verba ſancti Thomæ hæc ſunt. *Ad 14. dicendum, quod caro mea cum carne tua magis conuenit ſecundum rationem ſpeciei, quam caro mea cum oſſe meo.* ſed hic locus, ſi rectè expendantur quæ habet in dicta quæſt. S. Thomas, parum vrget. imo S. Thomas hac quæſt. manifeſtè negat formas partiales. malè ergo citat hunc locum Hurtadus. ex recentioribus eandem ſententiam amplectuntur Zabarella, Murcia, Dandinus, Piccolomineus, Ægidius de ConincK, Redemptus Baranzanus, Hurtadus & alij. cum hac ſententia

Dicendnm eſt neceſſario debere admitti formas partiales in viuente. *Concluſio.*

Probatur concluſio primò ex Philoſopho 1. de Anima text. 72. vbi probat animam non eſſe corpus, quia ſic daretur corpus in corpore, & duo corpora eſſent ſimul in eodem loco. at ſi anima ipſa dat formaliter rationem corporis, vt volunt aduerſarij, non ſequitur id quod infert Ariſtoteles, ſicut quia quantitas eſt extenſa, & ſimul eſt ratio faciédi alia extenſa, non ſequitur quod duo extenſa ſint in eodem. & 2. de Anima textu 40. docet animam non eſſe corpus, quia eſt in corpore tanquam in ſubiecto. hanc eandem ſententiam docet 7. Met. text. 30 *Illorum*, inquit, *principia, & partes quæ ſunt ſub ipſis, id eſt individuis viuentibus, ſpeciei verò, nec partes, nec principia hæc, & ideo corrumpuntur; ſicut lutea ſtatua in indiuiduo diſſoluitur in lutum, & Callias in carnē & oſſa.* ſed idem eſt lutum, quod remanet poſt fractionem ſtatuæ, quod erat in ſtatua. ergo eædem ſunt carnes, & eadem ſunt oſſa quæ erant in Callia viuente, & quæ remanent poſt corruptionem eiuſdem. idem quoque ſentit. 4. Meteor. cap. vltimo & 12. Met. tex. 15. vbi docet materiam totius viuentis eſſe partes diſſimilares, & materiam diſſimilarium eſſe ſimilares. ſed materia debet eſſe actu, & à parte rei, in toto, & diſtincta à forma. ergo partes ſimilares in viuente debent conſtitui per ſuas formas ſubſtantiales, quæ ſunt actu, & diſtinctæ à parte rei ab anima, tanquam à forma totius viuentis. præterea Philoſophus 8. Phyſ. text. 28. ait animam in animali eſſe partem mouentem diſtinctam realiter à parte mota, quæ eſt corpus. anima enim eſt in corpore, ſicuti Nauta eſt in naui quæ mouetur. iá vero id quod mouetur, debet eſſe ens actu, ſiue compoſitum ſubſtátiale, vt 5. Phyſ. tex. 7. & 8. habetur. cũ ita q; corpus, prout diſtinguitur ab anima mouente, ſit id quod mouetur, neceſſario corpus eſt ens áctu, id eſt, cõ- *Prima probatio.*

poſitum aliquod ſubſtantiale. præterea lib. 3. de partibus animalium, aliiſque locis aſſerit Philoſophus primum omnium generari cor in animali. admittit ergo plures generationes, quibus diuerſæ formæ ſubſtantiales in diuerſis partibus prægignantur. ſecundo de Anima text. 8. & 9. vt oſtendat animam eſſe partem potiſſimam viuentis, & quod quid erat eſſe, vtitur duobus exemplis, quorum vnum deducitur ab arteficiatis, alterum à naturalibus. ſi enim ſecuris, exempli gratia, opus eſſet naturaliter factum, potiſſima eius quidditas eſſet figura illa, & conformatio ad ſcindendum accomodata, qua ſublata non eſſet ſecuris, niſi æquiuocè. ſimili modo, ſi oculus eſſet animal, potentia viſiua eſſet eius anima, qua deficiente non maneret oculus, niſi æquiuocè. ex quo loco ſic argumentor. ita ſe habet anima ad conſtituendum viuens, ſicut ſe habet figura ad conſtituendam ſecurim, & viſus ad conſtituendum oculum. ſed tam figura quam viſus ſupponunt lignum, quod eſt quid compoſitum, & oculum conſtitutum ex mat[e]ria & forma. ergo anima ſupponit corpus organicum compoſitum ex materia & forma ſubſtantiali. confirmatur ex ratione Ariſtotelica, quia ſi oculus eſſet animal, & careret viſu, eſſet æquiuocè oculus, id eſt animatus, de quo ibi loquitur Philoſophus, ac proinde eſſet ſicut oculus marmoreus vel depictus, id eſt cōpoſitum aliquod ſubſtantiale carens vltima forma, per quam animal conſtitueretur. confirmatur ſecundo ex 1. de anima text. 58. vbi oſtendens animam non eſſe harmoniam, ſiue proportionem reſultantem ex commixtione elementorum, dicit; ſi anima eſſet harmonia, ſequens ad mixtionem elementorum, tot eſſent animæ quot ſunt mixtiones. ſed multæ ſunt mixtiones & diuerſæ; alia enim eſt mixtio elementorum in cerebro, alia in corde. ergo eſſet multæ ac diuerſæ animæ. quod argumentum nullam vim habet, niſi ſupponatur multiplicati formas ad certam multiplicationem mixtionis ac temperamenti. potuiſſent enim antiqui Philoſopho reſpondere, ex diuerſa partiali mixtione nō oriri diuersā harmoniā, ſed ex omnibus mixtionibus ſequi vnicā tantū harmoniam, ſicut ex diuerſis temperamentis non niſi vna forma ſubſtantialis ſequi dicitur ab aduerſariis. hæc de mente Philoſophi.

*Secūda probatio.* Probatur iam ſecundo concluſio ratione Theologica, quia ſi in triduo, quo Dominus jacuit in ſepulcro, aliquis Apoſtolorum conſecraſſet, ſine dubio poſuiſſet corpus Domini ſub ſpeciebus. ex hoc autem ſic argumentor. vel per illam conſecrationem reuocaſſet illum ad vitam, vt eſſet ſub ſpeciebus cum anima (& hoc nemo dicet, quia anima per ſe non eſt terminus tranſſubſtantiationis) vel poſuiſſet ſub ſpeciebus corpus Domini mortuum. ſed niſi caro, oſſa, & nerui ſint eiuſdem ſpeciei in viuente & mortuo, hoc fieri non potuiſſet. ergo neceſſe eſt dicere, quod eſſe carnis in viuente & in mortuo ſint

eiuſdem

eiuſdem ſpeciei. minor patet, quia conſecratio ſemper eſt eiuſdem rationis, & eiuſdem efficaciæ. ergo ſemper eundem habet terminum, & conſequenter non poteſt terminari ad ens diſtinctum ſpecie à ſuo termino.

Reſpondent aliqui primo, terminum tranſſubſtantiationis per ſe eſſe materiam, cum diſpoſitionibus carnis & oſſis, vnde, quia in ſepulchro erat eadem materia quæ in viuente, futurus fuiſſet idem terminus. *Aduerſariorum reſponſio.*

Sed contra eſt 1. quod D. Thomas 3. parte quæſt. 45. artic. 4. docet conuerti totam ſubſtantiam panis in totam ſubſtantiam corporis Domini, & totam ſubſtantiam vini in totam ſubſtantiam ſanguinis. vocat autem ibi totum corpus, prout comprehendit materiam & formam. vnde in reſponſione ad tertium, negat fieri poſſe virtute agentis naturalis conuerſionem formæ in formam, & materiæ in materiam, virtute autem agentis ſupernaturalis poſſe, ideoque eſſe poſſibilem conuerſionem quæ fit in hoc Sacramento. vnde Cajetanus initio explicationis illius articuli, docet talem conuerſionem, qualem ponit B. Thomas, eſſe totius in totum ſyncategorematicè, *Vt*, inquit, *ſi aër conuertatur in ignem, ita quod etiam partes eſſentiales aëris conuerterentur in partes eſſentiales ignis*, & infrà §. *Verum ſic arguit Durandus, Totum*, inquit, *conuertitur in totum, ſic quod materia in materiam, & forma in formam conuertuntur.* vnde patet ſolutionem illam in ſchola Thomiſt. non habere locum. ſecundò, quia diſpoſitiones & accidentia non poſſunt eſſe per ſe terminus tranſſubſtantiationis, quia tranſſubſtantiatio eſt tranſitus vnius ſubſtantiæ ad aliam, vt patet ex ipſo nomine, & ex Concilio Tridentino ſeſſ. 3. cap. 4. & Cano. 2. reſtat ergo vt ſola materia ſit terminus tranſſubſtantiationis. hoc autem falſum eſſe patet, tum ex iis quæ docent Theologi de hac conuerſione, tum etiam quia verè dicitur de eo quod eſt per ſe terminus huius conuerſionis, quod ſit corpus Domini, id eſt in proprio & communi ſenſu quo ſolet accipi nomen corporis. ſed ſolam materiam nemo hominum vocat corpus alicuius compoſiti, vt, verbi gratia, materiam ignis corpus ignis, aut materiam aëris corpus aëris. ergo terminus huius conuerſionis non eſt ſola materia. *Reiicitur.* *Caietanus.*

Reſpondent alii eſſe conuerſionem ſemper in carnem, neruos, & oſſa Domini. ſed quando aderat anima, ipſam per ſeipſam conſtituiſſe carnem, & neruum, & os, in ſuo eſſe ſubſtantiali, mox vero diſcedente anima ſucceſſiſſe formas partiales, quibus conſtituerentur os, caro, neruus, &c. idque mirum videri non debere, quia forma perfectior virtute continet formas ignobiliores. *Secunda reſponſio.*

Sed contra eſt, quia hoc eſt impoſſibile. licet enim conceſſerimus *Impugnatur.*

aduerſariis præſtare animam, quicquid præſtaret forma carnis vel oſſis, &c. (quod tamen controuerſum eſt, &, vt breui dicemus, dici non poteſt) in eſſendo tamen nulla ratione præſtare poteſt; nam, vt clarum eſt, forma non aliter dat eſſe rei per formam conſtitutæ, quam præbendo ſeipſam. vel ergo anima rationalis continet in ſe formaliter formam carnis, & oſſis, vel non continet. primum dici non poteſt, eſſet enim formaliter carnea, ſicut formaliter eſt ſenſitiua, & certe ab aduerſariis non conceditur. ſecundum autem ſi dicatur, cum ipſa formaliter non ſit forma carnis vel oſſis, neque erit compoſitum caro vel os. nam caro, verbi gratia, eſt compoſitum ex materia & forma carnis. ſed ibi non eſſet forma carnis formaliter. ergo neque caro formaliter, & conſequenter non erit idem terminus tranſſubſtantiationis ante, & poſt mortem Domini. ſecundò, quando forma informat materiam, ſimul communicat illi omnes gradus quos in ſe habet, quia non alia ratione communicat, quam præbendo illi ſuam entitatem per informationem. ſed eadem plane anima rationalis eſt in neruo, carne, & oſſe, informando omnes illas materias. ergo formaliter neruus erit os & caro. & ſic de reliquis.

*3. Reſponſio.* Reſpondent alij tertiò, conuerſionem per ſe fieri in gradum corporis, qui eſt in eſſentia Domini, qui gradus quoniam vniuocè tribuitur à qualibet formà, idem erit terminus conuerſionis, ſiue conſtituatur per formam cadaueris, ſiue per formam hominis. ita Suarius & alij recentiores.

*Confutatur.* Sed contra eſt, quia conuerſio fiebat, non tantum in corpus genericè vel ſpecificè ſumptum, ſed in hoc numero corpus, quod eſſet vere corpus Domini, quodque tradendum eſſet pro nobis. ſed ſi ſucceſſiſſet alia forma, non fuiſſet amplius hoc numero corpus, quia neque fuiſſet hoc numero compoſitum naturale. ergo non potuit in illud fieri conuerſio. confirmatur à ſimili, quia combuſto ligno eſt in igne, in quem facta eſt per aduerſarios conuerſio, vere gradus corporis vniuocus cum ligno, & tamen verum non eſt dicere, hoc eſt corpus ligni, neque hoc numero corpus, & id quod erat in ligno. ergo pari ratione non valebit dicere, ſi ſucceſſiſſet illis forma conſtituens hoc numero corpus, non valebit, inquam, dicere, hoc eſt corpus Chriſti, neque hoc numero corpus eſt id quod conſtituebat eſſentiam Chriſti. ſecundò, quia ſatis expreſsè habemus in Scriptura, quid intelligatur nomine corporis Domini; ipſe enim dixit, carnem ſuam eſſe ſubſtantiam, & ſanguinem ſuum eſſe potum. & confirmatur euidenter, quia alius eſt terminus conuerſionis, qua conuertitur vinum in ſanguinem, & qua conuertitur panis in corpus. ſi autem eſſet gradus ille corporis genericus, non eſſet differentia

per ſe in rermino, niſi forte dicant terminum conuerſionis panis eſſe corpus genericè ſumptum, terminum autem côuerſionis vini eſſe ſanguinem vt ſanguis eſt, quod eſt velle potius fugere difficultatem quam reſpondere. Neceſſe eſt igitur vt remaneat eadem caro & neruus poſt mortem qui erat ante mortem, quod fieri omnino non poteſt, niſi dentur formæ partiales, & conſequenrer ponendæ ſunt plures formæ in ſubjecto. huic argumento addi poſſunt alia etiam Theologica, quibus etiamſi aduerſarii reſpondeanr, reſpondent tamen ſumma cum difficultare. primò enim ſequeretur ex illorum ſententia corpus Chriſti in ſepulchro non fuiſſe partem eſſentialem naturæ humanæ Chriſti, ſed aliam quampiam ſpeciem, non fuiſſe idem corpus Chriſti viuum & mortuum, corpus Chriſti fuiſſe corruptum. ſecundò, ſi fuiſſet alia forma corporis Chriſti in ſepulchro, vel illam aſſumpſiſſet natura diuina, vel non. ſi aſſumpſiſſer, fuiſſet facta noua vnio hypoſtatica. ſi non, quomodo illud corpus ſecundum omnia ſua ſubſtantialia erit Deus? tertiò, ſequeretur non eſſe eadem corpora Sanctorum viua, & corpora mortua, vnde diminueretur multum venerario reliquiarum. confirmatur, quia facimus diſtinctionem inter cineres relictos ex incendio, & inter ipſa oſſa marryrum, & partes corporis, quæ diſtinctio non eſſet facienda. quarto, ſequeretur in Sacramento altaris vi verborum non conuerti panem in corpus Chriſti, quia vi verborum non fit præſens anima Chriſti, vt dicunt Theologi, ſed tantum per concomirantiam. verum hoc argumentum non differt à primo. alia argumenta videri poſſunt apud Antonium Trombettam & alios Scotiſtas.

Probatur tertiò concluſio rationibus Philoſophicis. primo, ſi in carne, & oſſe non eſſent formæ partiales, ſequeretur quod plus diſtingueretur os Petri quando adhuc viuit, ab eodem oſſe Petri quando mortuus eſt, quam diſtinguatur os Petri à ſua carne, vel etiam à carne Pauli, quod ſanè abſurdiſſimum videtur. ſequela patet, quia ſi os Petri dum viuit Petrus, nô habet aliam formam oſſis, niſi animam rationalem, os Petri à carne Petri non diſtinguetur penes formam, quia eadem eſt prorſus forma rationalis in carne Petri, & oſſe. neque etiam à carne Pauli dici poterit diſtingui pluſquam numero, quia anima rationalis Pauli, quæ ſecundum aduerſarios eſt forma carnis, non diſtinguitur ſpecie ab anima rationali Petri, quæ eſt forma oſſis Petri; os vero Petri dum Petrus viuit, cum habeat animam rationalem pro forma, ab eodem oſſe dum Petrus eſt mortuus diſtinguitur eſſentialiter & formaliter, cum habeat aliam formam diſtinctam eſſétialiter ab anima rationali,

III. *Tertia probatio.*

videlicet formam cadaueris, vel formam aliam materialem. ſecundò; ſi anima dat eſſe corporis, oſſis, &c. ergo debet anima continere perfectiones ſubſtantiales iſtarum naturarum. vel ergo continet tantum eminenter, vel formaliter. non eminenter, tum quia cato viua in homine nó eſſet formaliter caro, nec os eſſet formaliter os, ſed eminéter, quod eſt abſurdū. non formaliter, quia vna & eadem anima contineret formas cordis, hepatis, &c. adde quod illi gradus formales non diſtinguerentur realiter, vel ſi diſtinguerentur, tam facilè poſſent poni formæ partiales, quam in eadem anima tot gradus realiter diſtincti. ſi non diſtinguerentur, non videtur quomodo poſſint eſſe formaliter in eadem anima, & illi identificari, quandoquidem ſunt maximè contrarij, & requirunt diuerſiſſima temperamenta. deinde ſicut anima rationalis dicitur forma vegetatiua, & ſenſitiua, ita deberet dici forma oſſis, forma carnis, idque formaliter. tertiò, ſi vna & eadem anima daret eſſe carnis, & oſſis, ſequeretur carnem eſſe os formaliter, & phyſicè, cor eſſe hepar, & ſic de cæteris. patet ſequela, quia cum eadem anima, quæ indiuiſibiliter eſt forma oſſis, forma cordis, heparis &c. communicet ſe oſſi, carni, & cordi &c. caro erit os, quia habebit formam oſſis, nempe animam rationalem, & hepar erit cor, quia habebit formā cordis, nempe animā rationalem, & quāuis habeant diuerſa accidentia, non habent tamen diuerſam formam ſubſtantialem. ſcio Thomiſtas reſpondere animam non efficere materiam carnis ſub qualibet ſui ratione, ſed quatenus eſt forma carnis. at contra eſt, quia caro eſt etiam viuens, & ſentiens. deinde phyſicè loquēdo ſufficit quod ipſa entitas animæ informat materiam, vt phyſicè loquendo poſſit dici informata forma oſſis, forma carnis. quartò, quādo moritur animal, præſertim nulla facta in membris alteratione, ſed tantum tranſuerberato corde, non remanet amplius animal, & tamen remanent oſſa, caro, nerui, & cæteræ partes heterogeneæ quoad ſuam propriam naturam. ergo dantur formæ partiales, quæ dicantur remanere abeunte anima. confirmatur primò, quia non poſſunt formæ illæ dici de nouo genitæ, nulla enim facta fuit præuia alteratio, nec vllum fuit agens quod formas illas produceret. confirmatur ſecundò, quia ex accidentibus, & proprietatibus colligimus formas. cum ergo videmus omnia accidentia propria oſſis & carnis eadem remanere in animali mortuo, quæ fuerant in viuo, colligendum eſt remanere eaſdem formas carnis, & oſſis. tertiò, quia, ex Thomiſtarum ſententia, nec remanent eadem accidentia in mortuo, quæ erant in viuo, ad quid ergo fieret illa diſpoſitio membrorum, illa diſtinctio neruorum, oſſium, & cæterarum partium? forte vt ſtatim corrumperentur? hoc ſane dici nequit, quia nihil quærit ſui interitum. ad quid ergo poſt mortem in cadauere fierent omnia illa accidentia de

nouo? ad quid fieret membrorum tanta varietas? quartò, Ariſtoteles, & communiter omnes docent, viuens componi ex anima & corpore, & per corpus non intelligunt ſolam materiam, ſed quidpiam magis completum in genere ſubſtantiæ. confirmatur ex Ariſtotele, qui aſſerit animam eſſe actum corporis organici; corpus autem organicum non poteſt eſſe ſine diſtinctione partium heterogenearum. ſecundò, partes heterogeneæ dicuntur verè componere viuens. ergo anima præſupponit illas partes heterogeneas conſtitutas in ſuo eſſe partiali. tertiò, non eodem interitu perit animal, & mixtum heterogeneum, quia animal perit per mortem, quæ eſt extinctio caloris naturalis, forma autem mixti interit per putredinem, vt videmus in carne, & oſſe. ſimiliter eſt diuerſa vtriuſque generatio, nam animalis generatio eſt per participationem caloris vitalis, mixti per mixtionem; quæ ſatis indicant eſſe diuerſas formas. denique ſi non dantur formæ partiales, nulla ratione explicari poteſt quomodo verum ſit abſcindi ab homine carnem, quando ab illo abſcinditur, verbi gratia, manus. nam vere non abſcinderetur caro, ſed de nouo generaretur, ſicut falsò quis diceret à ligno abſcindi ignem, quando pars ligni in ignem tranſmutatur ſecundum aduerſarios.

Ex his dicendum eſt in viuentibus, præter formam viuentis dari alias formas ſubſtantiales partiales, quibus partes heterogeneæ conſtituantur in ſuo eſſe partiali, & quæ ſint ſubordinatæ formæ viuentis, tanquam imperfectiores perfectiori.

Quæres, an hæ formæ partiales habeant ſe per modum materiæ in ordine ad formam vltimam, ac ingrediantur conſtitutionem eſſentialem viuentis. IV.

Reſpondeo affirmatiuè. eſt communis veterum, præſertim Scoti in 4. loco citato, contra quoſdam recentiores, opinantes ſe habere tantum per modum diſpoſitionis. patet reſponſio, quia authores qui ponunt illas ſe habere per modum diſpoſitionum, non ſaluant communem illum ſentiendi & loquendi modum, vt quod homo conſtet corpore & anima, quod anima ſit in corpore tanquam in ſubiecto, quod moueat & regat corpus, quod requirat in corpore cætera organa. & ratio eſt, quia hi authores nihil ſubſtantiale propriè & per ſe conſtitutiuum viuentis agnoſcunt, præter materiam primam & animam. ergo non magis dici poteſt viuens intrinſecè conſtare ex corpore & anima, &c. poſito quod dentur formæ partiales, quam ſi non darentur. confirmatur, quia ſi homo non eſt eſſentialiter carneus & oſſeus, ſed ſolum accidentaliter, poſſet dari homo lapideus, ſi Deus animam rationalem vniret materiæ, in qua miraculosè retineret formam lapidis, quia eſſet ſimpliciter & vniuocè homo; quod tamen admittere durum eſt. confirmatur ſecundò, quia iuxta oppoſi-

*Scotus.*

*Formæ partiales ſe habent, per modum materiæ reſpectu animæ.*

cum dicendi modum, homo inquantum eſt corpus organicum animatum, eſt aggregatum per accidens, & verè includit plura corpora completa per vltimas formas quæ non faciunt vnum per ſe, quod videtur eſſe contra communem loquendi modum. confirmatur denique, quia non ſolum eadem materia eſſet materia plurium corporum, quæ poſſent ſimpliciter dici plura, ſed etiam eadem planè numero accidentia, eſſent accidentia plurium corporum, vt eadem quãtitas eſſet compoſiti animati, oſſei, carnei, &c. & oſtenſa carne animata, vel oſſe animato, dici poſſet, hæc ſunt duo corpora, nullo modo facientia vnum, quæ tamen omnia dura ſunt, & contra communem ſenſum.

V. *Aduerſariorum argumentis reſpondetur.*

Obijcies primò, formæ partiales ſunt actus phyſicus. ergo non poſſunt ſe habere tanquam potentia & materia reſpectu animæ. confirmatur, quia forma, verbi gratia, carnis aut oſſis, eſt ita completa, vt poſſit per ſe ſola actuare materiã non minus quam alia quæcumque forma etiam inanimata, ſi quidem tam exiſtit aliquando caro, vel os, vt ſubſtantia completa, & hoc aliquid, quam exiſtat ignis, vel lignum, vel viuens &c. ergo ſi poteſt adhuc actuari ab anima, & facere per ſe vnum cum illa tanquam potentia cum actu, poterit etiam facere vnum forma ligni cum forma ignis ſuperueniente, ſuppoſito quod ignis formam habeat, & forma animæ cum aliqua alia forma perfectiori, & conſequenter non ſolum præcluditur via ad probandum quod non ſint in eodem viuente plures animæ, & quod viuens anima vegetatiua non poſſit vlterius actuari anima ſenſitiua, & hæc rurſus intellectiua, ſed etiam ad probandum quod intellectio, verbi gratia, adueniens homini non ſit forma ſubſtantialis, ſiquidem hoc quod eſt, & aduenit enti in actu completo non impedit, iuxta hanc ſententiam, quominus poſſit facere vnum ens per ſe cum illo.

Reſpondeo non eſſe difficilius dicere materiam informatam vna forma incompleta, poſſe adhuc recipere vlteriorem, & cum ea facere vnum per ſe, ſicut materia actuata propria exiſtentia facit vnum per ſe cum exiſtentia formæ, quam ſit dicere materiam informatam vna forma ſubſtantiali, eſſe adhuc capacem alterius formæ, vt ponunt illi qui dicunt formas partiales eſſe ſolummodo diſpoſitiones. poteſt igitur forma incompleta, quæ ſolum apta ſit conſtituere ens quod ſit pars alterius, ſe habere reſpectu formæ perfectioris & totalis, vt perfectibile ad perfectiuum, quamuis, vt dixi, reſpectu materiæ quam incompletè actuat habeat rationem actus. in forma igitur ad argumentum diſtinguo antecedens. formæ partiales ſunt actus completus phyſicè, nego antecedens; incompletus, concedo antecedens, & nego conſequentiam, quia poteſt actus incompletus habere rationem poten-

tiæ reſpectu actus completi. ad confirmationem, nego formam carnis, vel oſſis &c. ita actuare materiam, vt non relinquat eam vlterius actuabilem, & licet aliquando ſolæ, & ſine vlteriori forma actuent, & quaſi manu teneant materiam, hoc tamen eſt per accidens, & præter intentionem naturæ. neque enim huiuſmodi formæ fuerunt inſtitutæ à natura propter ſeipſas, vt poſſent per ſe exiſtere tanquam ſpecies entis completi, ſicut exiſtunt illa corpora, quæ aliquo modo integrant vniuerſum, ſed fuerunt inſtitutæ vt eſſent aliquid alterius, verbi gratia, viuentis & animalis, quod manifeſtè colligitur ex eo quod nunquam videamus huiuſmodi formas ſolas, & per ſe generari. quod ſi aliquando maneant ſeparata anima, id eſt per accidens, & præter intentionem naturæ. vnde oſtenſa carne, & oſſe, potius dicimus eas eſſe partes indiuidui completi, facti à natura vt exiſtat per ſe, quam eſſe indiuidua completa per ſe, & natura ſua demonſtrabilia. quod hic dicitur de formis partialibus in viuente reſpectu animæ, dicendum eſt de formis elementorum, poſito quod elementa formas habeant, vel de ipſa entitate elementi reſpectu formæ mixti; quamuis ſit diuerſa ratio, quia videmus formas elementorum, vel entitates elementorum per ſe à natura intendi, & non tantum tanquam partes alterius entis; vnde generantur extra mixtum, & ſunt corpora immediatè integrantia vniuerſum, non ſecus ac ſunt viuentia. & propterea de iis diſtinguendum eſt, quia ſi ſpectentur vt ordinantur ad formam mixti, non intenduntur per ſe à natura, ſed ſolum per accidens, & in ordine ad mixtum; ſi vero ſpectentur, vt ſunt partes integrantes vniuerſum, per ſe à natura intenduntur. ad id quod ſubjungitur non poſſe probari non poſſe in eodem viuente eſſe plures animas, falſum eſt, vt dicemus in libris de anima. ad id quod dicitur non poſſe probari intellectionem, aut aliud ſimile accidens quod adueniat animali rationali, non eſſe formam ſubſtantialem, reſpondeo falſum eſſe, quia primò conſtat animal rationale eſſe ens per ſe intentum à natura, & non factum vt pars alterius, atque ita formæ quæ illi adueniunt non poſſunt eſſe ſubſtantiales, trahentes illud ad aliquod eſſe nobilius, reſpectu cuius animal rationale ſe habeat vt pars. deinde forma adueniens, facit nouum ens ſimpliciter, nouumque tribuit nomen, nouamque definitionem, quod non facit intellectio, aut vllum accidens adueniens homini.

Objicies ſecundò, ſi ponantur in viuente plures formæ partiales, ſequitur gradum genericum corporis ſumi ab vna forma, & gradum ſpecificum animalis & hominis ſumi ab alia forma, & conſequenter ſequitur hos gradus inter ſe diſtingui, & poſſe corrumpi gradum ſpecificum, ſeparata, verbi gratia, anima, manente gradu generico; quod videtur impoſſibile. quod ſi quis dixerit formam carnis, verbi gra-

ria, non ſolum tribuere gradum genericum corporis, ſed etiam gradum ſpecificum corporis carnei, & animam tribuere non ſolum gradum genericum, ſed etiam gradum ſpecificum corporis animati; contra eſt, quia ſequitur, idem corpus per ſe eſſe bis corpus, & præterea in eodem compoſito metaphyſico eſſe plures differentias vltimas, quod eſt abſurdum. quod ſi quis dixerit gradum corporis in viuente haberi, tum à formis partialibus, tum ab anima; ſeparata anima cadauer quod remanet non erit corp us, quia non remanebit amplius totum illud quod requiritur ad rationem corporis.

Reſpódeo, vt hæc objectio ſoluatur, notandum eſſe in compoſito animato poſſe conſiderari, & eſſentias partiales oſſis, carnis, &c. & præterea eſſentiam totalem animati, & in vtraque eſſentia poteſt conſiderari ſuus gradus genericus, & ſuus gradus ſpecificus; in eſſentia quidem partiali gradus genericus incompletus, & gradus ſpecificus incompletus, quales debentur enti incompleto; & in eſſentia totali, gradus genericus completus, & gradus ſpecificus completus, quales debentur eſſentiæ completæ. in forma igitur ad argumentum, nego ſequelam, quia conceptus corporis completus qui prædicatur de homine, deſumitur à tota eſſentia, atque adeo à materia affecta formis partialibus, quomodo ſe habet vt proximum ſubiectum receptiuum animæ, & cum ipſa anima ſimul vnitus. ſeparata itaque anima à materia affecta formis partialibus, non ſolum corrumpitur gradus ſpecificus, verbi gratia, homo, ſed etiá gradus illius ſpecificus, verbi gratia, corpus animalis, neq; vtrúque remanet genus quod prædicabatur de homine ſine ſua differentia. quod ſi ſermo ſit de gradu generico & ſpecifico corporis, vt prædicantur de parte hominis, verbi gratia, carne, oſſe, &c. ſumuntur ſimiliter à tota eſſentia partiali, atque adeo à materia, & à forma carnis, oſſis, &c. neque remanet vnquam talis gradus genericus ſine ſpecifico. & omnino hac in re proportionali modo eſt philoſophandum, quo philoſophantur omnes de eſſentia materiæ primæ, quæ ſimiliter ſecundum ſe habet ſuum gradum genericum ſubſtantiæ, & ſpecificum talis ſubſtantiæ; quando autem completur per formam ſubſtátialem, & trahitur ad eſſe perfectius, ex illa eſſentia completa ex materia & forma abſtrahitur alius gradus genericus & ſpecificus talis eſſentię cópletæ, neq; genericus habetur à materia, & ſpecificus à forma, ita vt corrupta forma remaneat genus ſine ſpecie, ſed ab vtraque parte eſſentiæ, quarum tamen partium vnaquæque per ſe conſiderata retinet ſuum proprium genus & differentiam. aduertendum tamen corpus quod dicitur de carne, & oſſe, non ideo dici incompletum quod non participet naturam corporis, ſed quod ita ſit corpus, vt ſit ordinatum tanquam pars ad conſtitutionem alterius corporis, primò, & per ſe intenti. ad aliam ſequelam,

qua

qua dicebatur hominem futurum bis corpus, neganda eſt, quia vnus tantum gradus genericus corporis, ille nempe qui abſtrahitur à tota eſſentia, poteſt prædicari in recto de homine; licet in homine includatur aliquid tanquam pars illius materialis, de quo etiam prædicari poteſt gradus corporis, ſed diuerſus, quia quando dico homo eſt corpus, & caro incluſa in homine eſt corpus, non prædico idem corpus, ſed diuerſum.

Dices, ſequitur eſſe in eodem compoſito plura genera, & plures differentias vltimas.

Reſpondeo non eſſe in eodem compoſito reſpectu eiuſdem eſſentiæ, ſiue eiuſdem compoſiti metaphyſicè conſiderati, plura genera, & plures differentias vltimas. genus enim carnis vt ſic, & differentia carnis vt ſic, non ſunt genus & differentia hominis, quamuis in eſſentia hominis includarur caro, quæ ſub eſſe carnis præcisè habet ſuum genus, & ſuam differentiam, quæ differentia dici poteſt vltima, reſpectu eſſentiæ carnis præcisè. ad vltimam confirmationem reſpondendum eſt de cadauere quod remanet anima ſeparata, non poſſe prædicari corpus illud quod prædicabatur de homine; poſſe tamen prædicari corpora illa, quæ prædicabantur de carne, oſſe &c. quia hæc corpora etiam ſeparata anima manenr.

Objicies tertio. ſi anima facit vnum per ſe cum formis partialibus, debet recipi in illis, tanquam in ptimo & immediato receptiuo, quod ſimul cum materia facit receptiuum completum. ſed non poteſt immediatè recipi in illis. ergo neque cum illis poteſt facere vnum per ſe. maior conceditur. minor probatur, quia formæ partiales ſunt plures, & eſſentialiter diuerſæ, in diuerſis parribus materiæ, ita vt nullo modo inter ſe faciant vnum. ergo non poſſunt cum anima ſuperueniente facere vnum per ſe. conſequentia probatur, tum quia communiter dicitur vnius actus vnam debere eſſe potenriam, quæ cum illo faciat vnum per ſe; tum quia ſicut plures formæ partiales, licet infotment vnam materiam, non tamen faciunt ſimul omnes vnum per ſe cum illa, ita licet plures formæ informentur ab vna anima, non facient vnum per ſe cum illa, non enim apparer vlla ratio cur potius ad vnum per ſe requiratur vnitas actus, quam vnitas ſubiecti.

Reſpondeo negando minorem, & ad illius probationem nego conſequentiam. neque obſtar primò dictum illud, vnius actus vna debet eſſe potentia, quia ſenſus eſt, id quod habet rationem partis reſpectu vnius actus, debet ſe habere per modum vnius receptiui, quomodo ſe habent in noſtro caſu omnes formæ partiales reſpectu animæ. neque obſtat ſecundo, quod plures actus cum vna potentia non faciant vnum, quia cum magis proprium ſit actus determinare, & tribuere ſpeciem compoſito, quam potentiæ, fit vt ad vnitarem compo-

ſiti magis requiratur vnitas actus quam potentiæ. ſimiliter videmus ex pluribus naturis,& vnica ſubſiſtentia fieri vnum per ſe, cum tamen plures ſubſiſtentiæ ( etiam poſito quod ſubſiſtentia eſſet aliquid poſitiuum ) quamuis terminarent eandem naturam, non poſſent facere vnum per ſe.

Objicies quartò, ex noſtra ſententia hanc enuntiationem, caro eſt viuens, non eſſe eſſentialem, ſed denominatiuam, imo per accidens; quod eſt falſum. nam hoc prædicatum, viuens, ita ſe habet ad eſſe carnis, ſicut eſſe vegetatiuum ad ſenſitiuum & rationale. ſed hæ enuntiationes ſunt eſſentiales, ſenſitiuum eſſe vegetatiuum, rationale eſſe vegetatiuum. ergo etiam hæc, caro eſt viuens.

Reſpondeo hanc propoſitionem, caro eſt animata, non eſſe eſſentialem, cum prædicatum, ſcilicet eſſe animatum, poſſit ſeparari à ſubjecto, ſcilicet à carne, nullum autem prædicatum eſſentiale poſſit ſeparari à ſuo ſubjecto. quapropter hæc propoſitio eſt tantum denominatiua, ſed ſubſtantialis & per accidens in aliquo ſenſu, ſcilicet negatiuè, quia non eſt eſſentialis; & in altero ſenſu non eſt per accidens, primo, quia prædicatum non eſt per accidens, deinde quia prædicatum non conuertitur cum ſubiecto quacumque ratione, ſiue contingenter, ſed per ſe in ſecundo modo dicendi per ſe, quatenus materia & forma carnis continentur in deſcriptione animæ indirectè; dicitur enim anima eſſe actus primus corporis organici, id eſt materiæ habentis formas partiales, neque aliud exigitur ad naturam huius propoſitionis, caro eſt animata. quod affertur de ſenſitiuo, & vegetatiuo, eſt longè diuerſa ratio. nam vegetatiuum eſt de eſſentia ſenſitiui in eodem animali, quia vtrumque eſt ab eadem anima totali, & alterutrum eſt ab altero inſeparabile, vt cum communi, & certa ſententia ſuppono.

Objicies quintò. ſi anima aduenit materiæ iam exiſtenti in actu per alias formas ſubſtantiales, facit ens per accidens, ſupponit enim ſubjectum conſtitutum in eſſe ſimpliciter, & non dat eſſe ſimpliciter, quod eſt proprium formæ ſubſtantialis, & conſequenter generatio animati vt ſic, erit motus accidentalis, habebit enim ſubiectum actu, & exiſtens in loco, quod eſt proprium mutationis accidentalis.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. adueniret enti in actu vltimo, & completo, id eſt non ordinato ad vlteriorem formam, nego antecedens; adueniret enti in actu incompleto, & non vltimo, concedo antecedens, & nego conſequentiam. nomine autem entis incompleti illud intelligo, quod à natura ſolum inſtitutum eſt vt pars entis perfectioris. ad illud quod addebatur ſubiectum generationis non debere eſſe ens in actu, imo debere eſſe non ens, & non exiſtens in loco; reſpondeo primo, ſubiectum generationis viuentis, non eſſe

ens in actu vltimo, & completo. ſecundò, nomine generationis viuentis intelligi progreſſum plurium mutationum, quæ interueniunt vſque ad formam vltimam. ſubiectum autem huius totius progreſſus dici poteſt materia, quæ, in ſententia Ariſtotelis, cum ſit pars aliqua incompleta ab elementis diſtincta, neque eſt in actu ſimpliciter, nec in loco. adde ſubiectum generationis in hoc potiſſimum diſtingui à ſubiecto motus, quod ſubiectum motus ſit demonſtrabile, tanquam hoc aliquid ſub vtroque termino, ſubiectum generationis non item, caro enim & oſſa, quæ tranſeunt ad eſſe animatum, non demonſtrantur tanquam hoc aliquid idem ſub priuatione animæ, & ſub anima.

Obijcies ſextò. vnius entis vnum eſt eſſe. vnum eſſe eſt ab vna forma. ergo vnius animalis, quod eſt vnum ens, eſt tantum vna forma. ergo &c.

Reſpondeo cum Scoto, negando minorem intellectam de eſſe animalis, quod eſt eſſe magis compoſitum, quam ſit eſſe rerum inanimatarum, & proinde plures requirit formas ſubordinatas; aliter poteſt dici vnius entis vnam eſſe formam vltimam, & completam, vt dictum eſt.

Objicies ſeptimò. quæ differunt ſpecie, differunt etiam numero. ergo cum formæ partiales differant ſpecie, differunt numero, atque adeo immediatè conſtituta per illas formas, nempe caro, oſſa, &c. different numero; ex quo ſequi videtur vnum hominem eſſe plura corpora numero, quod eſt abſurdum; quî enim fieri poteſt vt plura corpora ſpecie diſtincta faciant vnum ens numero?

Reſpondeo formas partiales continuari ratione formæ ſuperioris, & quamuis differrent numero, atque adeo immediatè per illas conſtituta, quando tamen infertur, ergo homo eſt plura corpora, neganda eſt conſequentia; homo enim non eſt caro, & oſſa &c. ita vt hæc poſſint in recto prædicari de homine, ſicut non poteſt prædicari de ligno, verbi gratia, materia prima, quæ eſt illius pars potentialis. ſimiliter non ſequitur plura numero eſſe vnum numero; caro enim, & oſſa, non ſunt homo. ſequitur quidem vnum ſpecie conſtare ex pluribus ſpecie diuerſis, & vnum numero ex pluribus numero diuerſis, quemadmodum hoc lignum conſtat materia & forma, aliquo modo & ſpecie & numero diuerſis, ſed hoc nullum eſt abſurdum, ſi præſertim non ſint in ſpecie aliqua entis vltima, ſed in ſpecie imperfecta, & intenta tantum propter aliud ens perfectum.

Obijcies octauò. non poſſunt in eadem materia eſſe duæ formæ totales. ergo neque vna totalis, & vna partialis. videtur enim eadem eſſe ratio.

Reſpondeo maximam eſſe diſparitatem, quia forma totalis non

ordinatur ad totalem, vt forma partialis ad totalem. deinde duæ formæ totales conſtituerent duo diuerſa indiuidua in ſpecie vltima, ſub iiſdem accidentibus totalibus, & ita idem prorſus indiuiduum demonſtrabile eſſet ſub duplici ſpecie. hoc autem non contingit, quando in eadem materia ponitur forma totalis & partialis, nec enim idem eſt prorſus indiuiduum demonſtrabile, caro, & homo.

Objicies nonò. in viuente, verbi gratia, homine, non ſunt plures animæ, ſcilicet ſenſitiua, vegetatiua, & rationalis, ſed vna anima rationalis eminenter continet tres illos gradus. ergo ſimiliter poteſt dici in homine non eſſe plures formas partiales.

Reſpondeo negando conſequentiam. ratio diſparitatis eſt, quia anima vegetatiua & ſenſitiua non ſunt ſubiectum, &c. ſicut ſunt formæ partiales. ſecundo informant totum viuens, quia nulla ſunt argumenta valida quę faciant pro diſtinctione iſtarum animarum, ſicut pro diſtinctione formarum partialium, vt oſtendemus in libris de anima.

Objicies decimo. ſi admittantur formæ partiales, non poſſunt explicari multa dicta Ariſtotelis, vt quod generatio vnius ſit corruptio alrerius, vt habetur 1. de generatione textu 17. item ſæpe ait Ariſtoteles certum, 4. meteor. cap. vltimo, & colligitur 1. de anima textu 8. & 9. quod caro & os in homine mortuo ſunt æquiuocè caro & os. tertiò, quod formæ ſunt ſicut numeri, quod habet Ariſtoteles 8. Metaphyſ. textu 10. ac proinde conſiſtunt in indiuiſibili. quartò, quod formæ ſemper ita ſe habeant, vt ſemper inferior & imperfectior contineatur in ſuperiori, vt triangulum in quadrato, quod habet Ariſtoteles 2. de anima textu 3. vnde ſicut quadratum eſt vna tantum figura virtute continens triangulum, ita tantum erit vna forma viuentis, nempe anima, virtute continens formas partiales.

Reſpondeo negando antecedens, & ad primum locum ſolutio patet ex iis quæ ſupra diximus in quæſtione de materia prima, vbi de elementis actu in mixto. ad ſecundum, reſpondeo carnem, & os, ſeparata anima dici æquiuocè talia, non in ratione carnis, & oſſis, ſed in ratione inſtrumenti, & organi, quia ſub hac ratione non magis remanent talia, quam ſi eſſent caro, & os pictum, aut lapideum. & hinc fit quod quia magis apparet ratio organi in oculo, quam in carne, vt magis dicatur, & appareat eſſe æquiuocè oculus, oculus mortui, quam appareat æquiuocè caro, caro mortui, vt colligitur ex loco citato 4. Meteor. ad tertium reſpondeo, quando formæ dicuntur ſe habere inſtar numeri, per formam intelligitur eſſentia quæ conſiſtit in indiuiſibili, ita vt quolibet addito, vel detracto, fiat noua eſſentia, vnde carnibus, & oſſibus addita anima, fit noua eſſentia viuentis. Ad quartum, reſpondeo Ariſtotelem ibi loqui de gradibus animarum, vegetatiuo,

ſcilicet, ſenſitiuo, & rationali, qui ita ſe habent, vt priores imperfectiores que contineantur in poſterioribus & perfectioribus. ex quo ſolum concludi poteſt non eſſe in eodem viuente plures animas, quod veriſſimum eſt.

# QVÆSTIO VIGESIMAOCTAVA.

*An potentiæ animæ diſtinguantur ab anima.*

QVia hæc controuerſia ſatis celebris eſt inter recentiores, propterea placuit illam hoc loco examinare. I.

*Prima ſententia D. Thomæ, Capreoli, Caietani, Suarij, Raconiſij, &c.*

Prima ſententia exiſtimat inter potentias animæ & ipſam animam intercedere diſtinctionem realem. ita cenſet D. Thomas 1. parte qu. 77. art. 1. & in 1. diſt. 3. qu. 4. art. 2. quæſt. de anima art. 2. de ſpiritualibus creaturis art. 11. Capreolus in 1. diſt. 3. quæſt. 3. Caietanus, Iauellus, & alij Thomiſtæ, quos ex recentioribus ſequuntur Zarabella lib. de facultatibus animæ cap. 4. Suarius 2. de anima cap. 2. de Raconis hoc loco, & alij.

*Secunda ſententia OcKami, Gabrielis, Hurtadi, Pererij, &c.*

Secunda ſententia admittit tantum diſtinctionem rationis inter animam & potentias. ita Occam in 2. quæſt. 22. Gabriel ibidem diſt. 16. quæſt. vnica art. 2. & reliqui Nominales, quos ex recentioribus ſequuntur Hurtadus diſput. 4. de anima ſectione 4. Pererius in Geneſim, & alij.

*Tertia ſententia, Scoti. Radæ, Fabri, Gregorii, Reiſch, Picolominei, Mercenarii, Buccaferrei, &c.*

Tertia ſententia, media inter duas prædictas, eſt, non intercedere diſtinctionem realem, nec etiam diſtinctionem tantum rationis, ſed formalem. ita docet Doctor Subtilis in 2. diſt. 16. quæſt. vnica, & in 4. diſt. 44. quæſt. 2. Rada 2. tomo controuerſiarum, controuerſia 13. art. 2. Faber in Philoſophia naturali theor. 74. Gregorius Reiſch in Margarita philoſophica lib. 11. cap. 14. & reliqui Scotiſtæ communiter; quos ex recentioribus ſequuntur Piccolomineus lib. 1. de materia cap. 10. Archangelus Mercenarius in ſuis dilucidationibus, Ludouicus Buccaferreus apud Fabrum in fine ſecundi cap. citati Theorematis. ad intelligentiam huius ſententiæ, quam veram exiſtimo, II.

*Variæ diuiſiones diſtinctionis explicantur.*

Præmitto breuiter triplicem diſtinctionem aſſignari debere, realem nempe, formalem, & rationis. diſtinctio realis illa propriè dicitur, quæ eſt inter rem, & rem actu, & quæ potius reſpicit exiſtentias, quam eſſentias, vel formales rationes rerum; vnde diſtinctio realis propriè eſt illa qua diſtinguntur, vel quorum vnum poteſt exiſtere non exiſtente altero, vel quæ exiſtunt ſeparata à ſe inuicem, tametſi neutrum poſſit exiſtere abſque alio, vel quæ ſunt ſeparabilia, vel quæ ſe habent

ad modum ſeparabilium, vel denique quorum vnum verè & propriè eſt producens, aliud productum. ſubdiuidi ſolet diſtinctio realis in mutuam & non mutuam. mutua eſt illa qua diſtinguuntur ea quæ poſſunt eſſe mutuo ſine ſe inuicem; & hæc appellari ſolet diſtinctio maior. non mutua eſt illa qua diſtinguuntur ſic aliqua, quod vnum poſſit exiſtere ſine altero, non tamen alterum ſine illo. diſtinctio formalis (quæ etiam media appellari ſolet, & ex natura rei) illa eſt, quæ reperitur inter diuerſas formalitates, ſeu varias rationes conceptibiles, & definibiles, vnde reſpicit eſſentias, conceptus obiectiuos, & formalitates rerum, & non exiſtentias earum. colligitur hæc diſtinctio ex Ariſtotele 7. metaph. textu 33. vbi ait, *Sicut ſe habet tota definitio ad totum definitum, ita partes definitionis ad partes definiti*; definitum autem nequit habere partes, niſi ponatur hæc diſtinctio formalis, per quam illæ partes, genus nimirum & differentia, diſtinguantur. præterea idem Ariſtoteles 3. metaph. textu 10. ait genus eſſe extra rationem differentiarum, quas neque ipſum participat, neque ab eis participatur. ex quo ſequitur differentias eſſe à genere formaliter diſtinctas, alioquin participarent genus. contra hanc diſtinctionem objiciunt recentiores male appellari mediam, cum inter diſtinctionem realem, & rationis, nulla mediet. verum facile reſpondetur, nullam quidem dari diſtinctionem mediam inter realem & rationis, ſi realis ſumatur, prout ſignificat illam diſtinctionem quæ eſt nemine cogitãte, rationis autem, prout ſignificat illam quæ eſt intellectu cogitante; hoc enim modo diſtinctio formalis eſt realis, quia eſt nemine cogitante. verum hoc modo non ſumitur à nobis diſtinctio realis, ſed in alio longe ſenſu, vt conſtat ex dictis. diſtinctio rationis, prout hic illam ſumimus (aliquando enim vſurpari ſolet pro diſtinctione formali) eſt diſtinctio formata ab intellectu; vnde propriè loquendo reperitur tantum hæc diſtinctio inter illa quæ nec realiter, nec ex natura rei diſtinguntur. poteſt enim intellectus inter illa quæ taliter non diſtinguuntur ſtatuere diſcrimen aliquod; verbi gratia, comparando hominem ad ſeipſum, & formando propoſitionem identicam, in qua idem homo ſit prædicatum & ſubjectum; tunc enim ſubjectum diſtinguitur à ſeipſo vt eſt prædicatum. vnde radix & origo hujus diſtinctionis eſt intellectus, non ipſum eſſe aut entitas rei. ſolet hæc diſtinctio rationis à multis ſubdiuidi in diſtinctionem rationis ratiocinantis, & diſtinctionem rationis ratiocinatæ, vel vt alij loquuntur, in diſtinctionem rationis ſine fundamento in re, & diſtinctionem rationis cum fundamento in re. verum hucuſque probare non potui huiuſmodi diuiſionem. ratio breuiter eſt, quia omnis diſtinctio, vel eſt intellectu tantum fingente, vel non. ſi ſecundum, non eſt diſtinctio rationis, ſed realis, vel formalis. ſi primum, erit diſtinctio rationis

*Oſtenditur dari diſtinctionem formalem, ſeu mediam.*

*Nulla datur diſtinctio rationis ratiocinata.*

ratiocinantis, eſt enim ab intellectu fingente; & conſequenter, nulla datur diſtinctio rationis ratiocinatæ à formali diuerſa. III.

Dico primò, potentias animæ, nec inter ſe, nec ab anima differre realiter. *Prima Authoris aſſertio.*

Probatur primo authoritate Ariſtotelis, & primo quidem ſecundo de anima tex. 9. vbi ait quod ſi oculus eſſet animal, potẽtia viſiua eſſet forma eius. ergo ex Ariſtot. anima realiter identificatur cum potentia; quomodo enim, niſi hoc ſequitur, infert Ariſtot. potentiã fore eius formã? ſecundo, eodem 2. de anima textu 13. diuidit gradus vitæ in 4. ſpecies, nempe in vegetare, intelligere, ſentire, & moueri ſecundum locum, deinde textu 19. duplicem mouet quæſtionem; prima, an vnuſquiſque horum graduum ſit anima, vel pars animæ; ſecũda, ſi ſit pars, vtrum ſit ſeparabilis ab alio loco & ſubiecto, an tantum ratione. deinde ſoluens hanc ſecundam quæſtionem, ait quod de quibuſdam eſt certum quod non ſunt ſeparabiles niſi ratione ab inuicem, vt patet in Entomis deciſis, in quorum partibus deciſis eſt ſenſus, phantaſia, deſiderium, vegetatiuum, appetitus, & motus ſecundum locum. verum de intellectu ait dubium eſſe, quia quibuſdam videtur quod ſit ſeparabilis ab aliis, vt æternum à corruptibili. ex quibus ſic licet argumentari. potentiæ animæ, quæ ſunt vegetatiua, ſenſitiua, motiua ſecundum locum, &c. (hos enim gradus vitæ vocat Ariſtoteles potentias textu 27. eiuſdem ſecundi de anima) ſunt partes animæ. ſed cuius totum eſt ſubſtantia, partes pariter ſunt ſubſtantiæ. ergo cum anima quæ eſt totum ſit ſubſtantia, potentiæ, vtpote ex Ariſtotele eius partes, erunt ſubſtantiæ. ergo non ſunt accidentia realiter diſtincta ab anima. deinde quando Ariſtoteles de intellectu ait dubium eſſe an ſit ſeparabilis, certum eſt non intelligere illum accidens, ſed animam intellectiuam; nam de hac lis erat apud antiquos, non de accidente aliquo. hic locus non parum vrget Thomiſtas, qui ex eo colligunt Ariſtotelem exiſtimaſſe animam rationalem eſſe immortalem. *Prima aſſertionis probatio.*

Probatur ſecundò authoritate SS. Patrum, & primo ſancti Auguſtini lib. 10. de Trinitate cap. 11. quem locum adducit & approbat Magiſter ſententiarum in 1. diſt. 3. cap. 8. verba ſancti Auguſtini hæc ſunt. *Hæc tria igitur, memoria, intelligentia, & voluntas, quoniam non ſunt tres vitæ, ſed vna vita, nec tres mentes, ſed vna mens, conſequenter vtique nec tres ſubſtantiæ ſunt, ſed vna ſubſtantia.* & paulo poſt, *Quocirca hæc tria eo ſunt vnum, quo vna vita, vna mens, vna eſſentia, eo vero tria, quo ad ſe inuicem referuntur.* & in fine, *Æqualia ſunt tota ſingula totis ſingulis, & tota ſingula ſimul omnibus totis, & hæc tria vnum; vna vita, vna mens, vna eſſentia.* Hæc Auguſtinus, quæ, vt benè notauit Gregorius Reiſch loco citato, ſi vna cum iis quæ in aliis libris, præſertim 9. 11. & 15. diſſeruit, conjungantur, ac ad intentionem *Secũda probatio.* *S. Auguſtinus.* *Gregorius Reiſch.*

Digitized by Google

Diui Auguſtini referantur, gloſſulas eorum qui in oppoſita ſunt ſententia non admittunt. Ab hac Diui Auguſtini ſententia non diſcrepat D. Bernardus ſermone 11. ſuper Cantica, vbi ſic loquitur, *Quædam in anima intueor; memoriam, intelligentiam, & voluntatem, & hæc tria ipſam animam eſſe.* ſubſcribit S. Iſidorus lib. 11. etymologiæ capite primo, vbi loquens de animæ potentiis hæc habet, *Ita autem hæc omnia adiuncta ſunt animæ, vt vna res ſit. pro efficientiis enim cauſarum diuerſa nomina ſortita eſt anima; nam & memoria mens eſt, vnde & immemores amentes. dum ergo viuificat corpus, anima eſt, dum vult animus eſt, dum ſcit mens eſt, dum recolit memoria eſt, dum rectum iudicat ratio eſt, dum ſpirat ſpiritus eſt, dum aliquid ſentit ſenſus eſt.* denique, vt alios omittam, conſentit Hugo de S. Victore in eo quem de ſpiritu & anima conſcripſit libro (quem & nonnulli Auguſtini eſſe voluerunt) dicens, *Anima ſecundum ſua opera variis nominibus nuncupatur, dicitur namque anima dum vegetat, ſenſus dum ſentit, animus dum ſapit, mens dum intelligit, &c. iſta vero non differunt in ſubſtantia quemadmodum & in nominibus, quoniam omnia vna eſſentia, proprietates quidem diuerſæ, ſed eſſentia vna rationalis & vna anima, in eſſentia ſimplex, in officiis multiplex,* &c. hæc ille.

*S. Bernardus.* *S. Iſidorus.* *Hugo de S. Victore.*

*Tertia probatio.* Probatur tertiò ratione Scoti, qua poſt ipſum vtuntur Reiſch, Faber, & Rada locis citatis. illud ponendum eſt in natura, quod melius eſt ipſi, ſi ſit poſſibile, ex Ariſt. 2. de gener. textu 59. & 8. Phyſ. text. 35. & deinceps; & ratio clara eſt, quia natura ſemper intendit quod melius eſt. ſed paucitas eſt melior multitudine in præſenti negotio, cum non ſint multiplicanda entia ſine neceſſitate 1. Phyſ. & ex alia parte eſt poſſibilis. ergo &c. quod hæc paucitas ſit poſſibilis probatur. non implicat ab vna ſimplici re, realiter & formaliter tantum multiplici, procedere plures & diuerſos actus; quid enim impedit ſtante vnitate reali in cauſa ab eadem realiter, oriri diuerſos effectus? ergo hæc paucitas eſt poſſibilis. ergo in anima ponenda eſt.

*Quarta probatio.* Probatur quartò. ſi potentiæ animæ diſtinguuntur ab anima realiter, ſequitur animam non eſſe beatam niſi per accidens. hoc autem eſt abſurdum. ergo &c. ſequela maioris probatur, quia ſi potentiæ diſtinguuntur realiter ab anima, beatitudo non eſſet perfectio propria animæ. ergo ſi potentiæ diſtinguerentur realiter ab anima, anima non eſſet beata niſi per accidens. conſequentia hæc vltima probatur, quia illud eſt per accidens tale, quod eſt tale per perfectionem alienam, non propriam. antecedens probatur. illa non eſt perfectio propria alicuius, quæ non recipitur in eo, niſi prius recipiatur in alio realiter diſtincto ab illo, in quo etiam reciperetur ſi per impoſſibile eſſet ſeparatum ab illo. ſed huiuſmodi eſſet beatitudo, ſi potentiæ diſtinguerétur realirer ab anima. ergo &c. major probatur exemplo. ideo ſubſtantia eſt

colorata

colorata per accidens, & color non eſt propria perfectio ſubſtantiæ corporeæ, quia non recipitur in illa, niſi mediante ſuperficie, quæ ab illa realiter diſtinguitur, & reciperetur in ſuperficie, etiamſi ſuperficies ſepararetur à ſubſtantia, & ſeparata maneret. ſed viſio Dei, vel amor Dei non recipiuntur in anima, niſi quia recipiuntur in intellectu, & voluntate, quæ ſunt potentiæ ab ea realiter diſtinctæ, & reciperentur in ipſis, etiamſi eſſent ab anima ſeparatæ; nulla enim eſt in hac re implicantia. ergo viſio Dei, & amor Dei, ſi potentiæ realiter diſtinguerentur ab anima, non eſſent propria perfectio animæ, ſed intellectus, & voluntatis, & conſequenter beatitudo non eſſet propria animæ perfectio, & quod hinc ſequitur anima erit tantum per accidens beata; quod quam ſit abſurdum viderint aduerſarij.

Confirmatur. anima immediatè ordinatur ad Deum tanquam ad finem ſuum vltimum. ergo immediatè debet attingere ipſum Deum tanquam finem vltimum, & non mediante aliquo accidente à ſe realiter diſtincto.

Probatur quintò. idem principium reale debet velle, & cognoſcere. ſed ſi potentiæ diſtinguuntur realiter ab anima, hoc falſum eſt. ergo &c. maior probatur ex Ariſtotele, definiente ſpontaneum & voluntarium eſſe id quod fit à principio interno cognoſcente ſingula. *Alia probatione.*

Probatur ſextò. in contraria ſententia neceſſario dici debet animam concurrere cum potentiis ad earum operationes, ex quo vlterius ſequitur animam non indigere potentiis realiter diſtinctis ad operandum. ergo potentiæ non ſunt realiter diſtinctæ. quod autem ſequatur animam ſimul concurrere cum potentiis patet, quia alias non poſſent homini peccata imputari, ſed tantum facultatibus hominis, quas non determinarent, ſed agere ſinerent in virtute ſua, nullaque eſſet animæ libertas, à qua penderet vt vnum potius fieret quam aliud, niſi remotè, quatenus hæc determinatio tota orir etur ab inſtrumentis animæ, immeritoque animæ aſcriberetur, niſi tanquam principio remoto, & non libero per ſe, eo modo quo aſcribuntur effectus in ſententia aduerſariorum cauſis abſentibus, cum earum virtute earundem inſtrumenta præſentia agunt. imò niſi anima concurrat, nullus actus voluntatis poteſt intelligi in homine, quia voluntas diſtincta ab intellectu & anima ferretur in rem ſibi & animę incognitam, & cognitam ſoli intellectui. neque ſufficit tam intellectum, quam voluntatem eſſe in eodem ſubiecto, videlicet anima; quia hoc non oſtendit quomodo voluntas feratur in cognitum, cognitione actui voluntatis neceſſaria, & proponente obiectum quod moueat voluntatem. denique niſi anima dicatur concurrere cum potentiis, ſequetur potentias ſine anima operari poſſe vitaliter, eo modo quo dicunt inſtru-

mentum agentis naturalis, puta ſemen, cuius ſecundum illos ſolius proximus concurſus exigitur, agere poteſt abſente cauſa primaria. quod rurſus hinc ſequatur facultates realiter diſtinctas nō eſſe neceſſarias, ſed ſuperfluas, probatur, quia ſi anima concurrit ſpeciali concurſu & proximo in operatione vitæ, quo concurſu adiuuetur concurſus facultatis, non video cur facultas hæc ſit neceſſaria & diſtincta ab anima. ſi enim facultas intelligi poteſt non diſtincta realiter, cur diſtinguetur illa? & ſi facultas non diſtincta realiter ab anima, animæ neceſſaria eſt, cur alia cogitabitur diſtincta & nullo fundamento? ſecundò, in anima duo intellectus admittentur, alter diſtinctus realiter ab anima, alter formaliter tantum, quo poſſit anima concurrere cum priore, & priorem adiuuare; quod ſanè abſurdum videtur. concludo ergo potentias ab anima non niſi formaliter differre. alia argumenta prætereo.

IV. *Argumentis aduerſariorum ſit ſatis.* Objicies primo ex Angelico Doctore prima parte quæſt. 77. art. 1. actus & potentia ſunt eiuſdem generis. ſed actus intelligendi & volendi ſunt accidentia. ergo potentiæ etiam ſunt accidentia.

Reſpondeo primò, hoc argumentum retorqueri poſſe in Thomiſtas. exiſtimant enim ipſi accidentia, vt alias diximus, producere ſubſtantiam, & tamen accidentia non ſunt eiuſdem generis cum ſubſtantia. reſpondeo ſecundò cum Scoto & Sectatoribus argumentum laborare manifeſta æquiuocatione, nam potentiæ nomen æquiuocum eſt, & diuerſa ſignificat; primo enim potentia ſumitur pro principio operante, qua ratione diuiditur in actiuam & paſſiuam ab Ariſtotele 5. & 9. metaph. & potentia hoc modo ſumpta eſt principium tranſmutandi aliud vt aliud, vel ab alio, vt ab alio, neque eſt eiuſdem generis cum actu, quia, etiam in ſententia ſancti Thomæ eiuſque diſcipulorum, accidens recipitur in ſubſtantia ab eaque efficitur; potentiæ enim ſecundum illos, quæ ſunt accidentia realiter ab anima diſtincta, in eadem recipiuntur, ab eaque emanant. ſecundo modo accipitur potentia prout opponitur actui, & hac ratione potentia & actus non tantum ſunt eiuſdem generis, ſed ſunt planè idem etiam numero, vt habet Ariſtoteles 9. metaph. text. 13. quia quod iam eſt in potentia, prius fuit in potentia.

*Obiectio D. Thomæ.* Objicies ſecundò, cum eodem Diuo Thoma. ſi anima ageret immediatè, ergo homo ſemper intelligeret, ſicut ſemper viuit quamdiu habet animam. conſequens eſt abſurdum. ergo &c.

*Eiuſdem ſolutio.* Reſpondeo cum Scoto, negando ſequelam majoris. & ratio clara negationis eſt, quia cauſa efficiens poteſt carere ſuo actu, quamuis formalis applicata non poſſit, vt accidit in anima informante corpus. ſane ſi argumentum vim aliquam haberet, probaret contra Diuum Thomam intellectum realiter in eius ſententia ab anima diſtinctum

ſemper eſſe in operatione; quod tamen falſum eſt, & penitus abſurdum.

Objicies tertiò cum Suario. habitus perficientes animam ſunt inter ſe realiter diſtincti. ergo & eorum ſubiecta ſunt etiam inter ſe diſtincta. & confirmatur, quia actus intellectus & voluntatis, exempli gratia, fidei & charitatis, earumque habitus ſunt diſtincti. ergo etiam eorum ſubiecta ſunt diſtincta. *Obiectio Suarii.*

Reſpondeo negando conſequentiam, quæ ſi valeret, eodem modo probarem contra Suarium potentias ipſas, quas ipſe vult eſſe accidentia realiter diſtincta, debere habere ſubiecta realiter diſtincta, & conſequenter non poſſe recipi in eadem anima. idem dico de confirmatione, quæ ſi valida eſſet, facile eodem argumento probaretur ſpem & charitatem eſſe in diuerſis realiter voluntatibus tanquam ſubiectis; & eadem ratione lumen gloriæ, fidem, ſcientiam, & opinionem eſſe tanquam in ſubiectis in 4. intellectibus. *Eius ſolutio.*

Dices, hæc conſequentia bona videtur; habitus diſtinguuntur à potentiis, ergo potentia ab anima; & ratio eſt, quia ſi opus ſit accidente diſtincto ad determinandam animam vt facilius operetur, & vt magis inclinetur ad ſuam operationem, videtur etiam opus eſſe accidente, vt determinetur ad ſimpliciter operandum. cur ergo negatur hæc conſequentia?

Reſpondeo optimè negari, neque rationem allatam vrgere. primo enim retorqueo illam in aduerſarios, qui dicunt animam eſſe cauſam ſuarum potentiarum. ſic enim argumentor. anima vt faciliter operetur indiget habitu ſuperaddito, quo determinetur ad facile operandum. ergo ad producendas ſuas potentias indigebit habitu ſuperaddito. quid hic dicent aduerſarij? reſpondeo ergo directè negando paritatem; cuius ratio eſt, quia anima ex ſe, poſita ſpecie impreſſa, potens eſt ſeipſam determinare ad operandum; non eſt autem ex ſe determinata ad facilè operandum, vt experientia conſtat, & iiſdem argumentis probatur, quibus probantur habitus.

Objicies quartò cum eodem. Lucæ 10. legimus, ***Diliges Deum tuum ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis***, vbi per vires intelliguntur potentiæ. ergo potentiæ diſtinguuntur ab anima. præterea Pſal. 102. ſic loquitur Propheta, ***Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt***, vbi per omnia quæ intra me ſunt intelliguntur potentiæ. ergo potentiæ diſtinguuntur realiter ab anima. *Alia obiectio Suarii.*

Reſpondeo mirari me ſatis non poſſe Suarium, cum hoc argumentum directè pugnet contra ipſum, negantem animam, vt diſtinctam à potentiis, diligere poſſe Deum, quod tamen hic ſcriptura aſſerit. reſpondeo ergo directè, primò loco citato doceri tantum Deum Opt. Max. diligendum eſſe ſuper omnia, quod per diuerſas vires fieri *Eius ſolutio.*


Digitized by Google

non poteſt, ſed per vnam eandemque. imperatur autem nobis vt totis viribus Deum diligamus, vt nobis oſtendatur Deum ſuper omnia appretiatiuè diligendum eſſe. vide Scotum in 3. diſt. 27. & D. Thomam 2. 2. quæſt. 25. art. 4. & 4. Secundo autem loco Lyranus explicans Deuteron. 6. per cor intelligit voluntatem, per animam intellectum, per fortitudinem externa opera, quæ explicatio vt optima eſt, ita nobis non aduerſatur. Gloſſa ordinaria ait hoc loco prohiberi *amoris ſciſſionem vel diuiſionem.* hoc etiam nec nobis aduerſatur.

*D. Thomas.*
*Lyranus.*

Objicies quintò. potentiæ ponuntur ab Ariſtotele in ſecunda ſpecie qualitatis. ergo diſtinguntur ab animæ ſubſtantia.

Reſpondeo primo argumentum, etiam in ſententia aduerſariorum, nihil concludere, qui volunt inter prædicamenta neceſſario non intercedere diſtinctionem realem.

Reſpondeo ſecundo cum Scoto in 2. diſt. 16. Ariſtotelem cap. de qualitate non aſſerere omnem potentiam naturalem eſſe qualitatem, ſed potentiam facile faciendi vel patiendi, quæ procul dubio eſt qualitas. aduerte ergo potentiam dupliciter ſumi poſſe; primo pro ipſo principio à quo aptitudo agendi & patiendi emanat; ſecundo pro ipſamet aptitudine agendi & patiendi. ſi primo modo accipiatur nomen potentiæ, eſt ſubſtantia; ſi ſecundo modo, eſt accidens & qualitas. vide Scotum loco citato, qui hanc explicationem textus Ariſtotelici ex ipſomet Ariſtotele clariſſimè deducit.

*Scotus.*

Objicies ſextò. ſubſtantia creata non eſt immediatè actiua, ſed mediis tantum accidentalibus potentiis, vt patet diſcurrenti per 4. elementa, quæ tantum agunt mediis qualitatibus actiuis, ſiccitate nempe, calore &c. per corpora etiam grauia & leuia, quæ mouentur mediante grauitate & leuitate. ergo anima non operatur immediatè, ſed mediis accidentibus, nimirum voluntate & intellectu, realiter diſtinctis. hanc inductionem præclaram cenſet Suarius.

Reſpondeo retorquendo argumentum in aduerſarios. anima immediatè in ſententia ipſorum producit potentias. ergo ſubſtantia eſt immediatè actiua. vide quæſtionem Phyſicam noſtram, Vtrum ſubſtantia immediatè agat, vbi fusè hanc veritatem demonſtrauimus. quod decipit aduerſarios noſtros in inſtantia quam afferunt de elementis, eſt, quod non diſtinguant actionem inſtantaneam, ſiue introductionem formæ ſubſtantialis (ſi illas habent) quæ ſequitur ad alterationem præuiam, eſtque à ſubſtantia, ab ipſa alteratione quæ eſt ab accidentibus. vide quæſtionem citatam. multa alia argumenta congerunt Zarabella, Heruæus, & alij; ſed ex dictis facile ſoluuntur. vide Fabrum loco citato, qui eruditè ea ſoluit.

V.
*ſecunda cõcluſio*

Dico ſecundò, potentias diſtingui ab anima formaliter, & non tantum ratione.

Digitized by Google

Probatur primo ex Ariſtotele 2. de anima textu 4. vbi definit animam eſſe actum corporis organici; & cap.2. eiuſdem libri pluribus docet intellectum non eſſe actum corporis. ergo anima & intellectus ſunt duæ formalitates diſtinctæ.

Probatur ſecundò, quia niſi ponatur diſtinctio formalis, difficulter reſponderi poterit ad quædam loca SS. Patrum, exempli gratia, ad ſanctum Auguſtinum 6. de Trinitate cap.6. aſſerentem animam propter multitudinem operationum & virtutum à ſimplicitate diuina deficere; ſanctum Anſelmum citatum à Scoto lib. de concord. gratiæ & liberi arbitrij cap.19. dicentem potentias eſſe in anima ſicut membra in corpore, & lib. de caſu diaboli, affirmantem potentias, et ſi non ſint ſubſtantiæ, non tamen eſſe nihil.

Probatur tertiò ratione, quia intellectus vt ſic ante omnem actum proprium, & ante omnem actum voluntatis, eſt proprium & formale principium intellectionis, & non volitionis; & ſimiliter voluntas ex propria ratione formali, eſt principium volitionis, & non intellectionis. ergo formaliter, & ex natura rei, & non tantum per intellectum diſtinguuntur. alij hoc modo formant hoc argumentum. anima per intellectum eſt principium intellectionis, & non volitionis; & per voluntatem eſt principium volitionis, & non intellectionis, idque nemine cogitante. ergo nemine cogitante intellectus & voluntas ſunt in ea diſtincta principia formaliter. confirmatur, quia potentiæ dicuntur aliqua ratione fluere ab anima. ergo formaliter ab anima diſtinguuntur, & non tantum ratione. plura hac de re videri poſſunt apud Scotiſtas citatos.

# QVÆSTIO VIGESIMANONA.

*Vtrum in rarefactione acquiratur noua quantitas.*

Difficultas non eſt quando aliquid magis extenditur per additionem nouæ ſubſtantiæ quantæ; ſed quando virtute caloris, vel alia ratione partes eiuſdem ſubiecti ſine additione nouæ ſubſtantiæ accipiunt nouam extenſionem, ſicut accidit cum aqua, verbi gratia, in communiori ſententia rarefit, & vertitur in aërem, vel lignum vertitur in ignem & fumum. item difficultas non eſt quando aliquid extenditur magis verſus vnam partem, ſed tantundem minuitur verſus aliam, vt, verbi cauſa, cum pellis vndique trahitur in longitudinem & latitudinem, fit major, ſed minuitur ſecundum ſe- 1.

**cundum profunditatem; tum enim fit aliqua partium mutatio in re** quanta, ſed non augetur vera eius quantitas.

*Prima ſententia Martinez, Coronadi, Suarii, Rubii, Hurtadi, Conimbricenſiũ, Baranzani, &c.*

Prima in propoſita controuerſia ſententia eſt communis recentiorum, Baranzani, de Raconis, Coronadi, Martinez, Bannes, Complutenſium, Conimbricenſium, Rubij, Hurtadi, & aliorum, qui volunt rarefactione acquiri tantum nouum modum quantitatis, non nouam quantitatem. dicunt enim de ratione quantitatis eſſe, vt tantum habeat partes & extenſionem, ſed non certam & determinatam, hoc eſt tantam, vel tantam extenſionem, ſed hanc haberi à modo ſuperaddito; non quia quantitas aliqua poſſit eſſe ſine certa extenſione, ſed quia hanc ex ſe non includit.

*Secunda ſentẽtia Scoti. Fabri. Caietani. Ferrarienſis, Heruæi, Soti, S.Thomæ, Gottofredi, Marſilii, Buridana, & aliorum,*

Secunda ſententia huic penitus contraria eſt, communis fere veterum, in rarefactione nempe acquiri nouam quantitatem. ita ex veteribus Theologis Scotus in 4.diſt.12.quæſt.4.& primo phyſ.quæſt.3. vbi vt probet quantitatem diſtingui à re quanta ita argumentatur. *Secundò, quia illud quod rareſit mutatur mutatione, præter hoc quod mutatur localiter. tunc igitur, vel illa mutatio eſt acquiſitiua, vel deperditiua; & quodcunque detur, non eſt niſi quantitas. igitur quantitas eſt res diſtincta, quia in rarefactione non eſt neceſſe quod acquiratur vel deperdatur ſubſtantia vel qualitas.* & eadem quæſtione in reſpõſione ad ſextam rationem aduerſariorum, ita reſpondet. *Ad ſextam dico quod non eſt inconueniens, quod ſi aliquid ſecundum ſe totum rareſit, quod continuè ſit alia, & alia quantitas; nec eſt inconueniens quod res aliquæ permanentes durent ſolum per inſtans.* eandem denique tenet 4.Phyſ. quæſt.14. concluſione 3. & alibi ſæpe; quem ſequuntur omnes eius diſcipuli, vt videre eſt apud Philippum Fabrum, Theoremate 44. Philoſophiæ naturalis Scoti, & in 4.diſt.12. diſput. 50. capite ſecundo, vno excepto Franciſco de Pitigianis tomo 1. in 4. ſententiarum diſtinctione 12. quæſt.4. art.4. vbi in rarefactione contendit acquiri tantum nouam relationem. videtur etiam ſententia ſancti Thomæ 1.de generatione in textum 33. & alibi ſæpe, quem ex Thomiſtis ſequuntur Sotus 4.Phyſ.quæſt.2.ad 1. Ferrarienſis 4.contra gentes cap.65. Caietanus 3.parte quæſt.77.art.5. Heruæus quodlibeto 2.q.13.art.2.& alij ex aliis eãdem ſequuntur Marſilius in 4.diſt.9. quæſt.2.& 1.de generatione quæſt.15. Gotifredus quodlibeto 11.qu.3. Buridana 4.Phyſ.in tex.84.apud Pomponatium 2.de augmentatione cap.9.qui & eandem amplectitur cap.10. Cardinalis Toletus 4.Phyſ. quæſt.11.ad textum 84.& alij.

II.

*Authoris ſententia.*

Dico primò, in rarefactione non acquiri tantum modum quantitatis, prout volunt Authores primæ ſententiæ.

*Prima aſſertionis probatio.*

Probatur primo efficaciter argumento, cui meo iudicio nunquam ſatisfacere poterunt aduerſarij. vel ille modus, per quem fit maior &

minor extenſio quantitatis eſt per ſe extenſus, vel ratione quantitatis. ſi primum, erit ipſa quantitas, cui conuenit tanquam formalis ratio eſſe per ſe extenſam, modo explicato in quæſtione de ratione formali quantitatis. deinde contra iſtum modum valebunt omnia argumenta quæ fiunt contra ipſam quantitatem, nam quando adderetur iſte modus, vel produceretur in ijſdem partibus quantitatis, in quibus antea erat alius modus, vel in aliis. ſi in aliis, dabitur pars quantitatis, in qua nihil ſit de iſto modo, ac proinde quæ non ſit tanta, vel tanta. ſi in iiſdem, primo dabitur penetratio, quæ naturaliter impoſſibilis eſt, eſſent enim plures partes extenſionis in eadem parte quantitatis, & conſequenter materiæ. ſecundo eodem modo ſicut in quantitate ſequitur alteram partem modi eſſe ſuperfluam. tertiò ſequitur extenſionem intendi & remitti, quod repugnat rationi extenſionis; intendi enim & remitti, dicit habere partes omnes intimè præſentes & vnitas; extendi vero habere partes extra partes. ſi vero dicatur modum illum eſſe ratione quantitatis extenſum, ſequitur non tribuere majorem extenſionem quantitati; quod enim extenſum non eſt, quomodo poteſt formaliter magis extendere alterum? idque manifeſtè oſtendo non poſſe. primo, quia hic modus non conſiſtit in indiuiſibili; facit enim maiorem vel minorem extenſionem quantitatis, & cum non ſit extenſus per ſe, neceſſe eſt intendi & remitti, & in tantum majorem extenſionem, vel minorem tribuere quantitati, in quantum magis, vel minus intenſus inexiſtit partibus quantitatis; at hoc eſt impoſſibile, impoſſibile enim eſt intenſionem formaliter tribuere extenſionem. neque ſatisfaciunt, cum dicunt albedinem non eſſe album, & tamen eſſe rationem formalem albi; nam licet forma non ſit ipſum concretum, effectus tamen formalis illius, non eſt niſi forma ipſa in ſubiecto; neque poteſt forma habere oppoſitas conditiones ipſi effectui formæ. at iſte modus habet conditiones oppoſitas; maior enim extenſio dicit ſaltem habere magis partes extra partes, iſte autem modus, qui majoris extenſionis eſt cauſa formalis, habet omnes partes intra partes, quæ eſt oppoſita prorſus conditio extenſioni, ita vt non minus videatur repugnare extenſionem majorem eſſe ab intenſione iſtiuſmodi, quam nigrum eſſe ab albedine. Secundo, quia idem tribueret effectum formalem ſibi ipſi; nam iſte modus in quantitate debet eſſe extenſus, ſicut reliqua accidentia quæ ſunt in illa. deinde vero cũ quantitas magis extẽditur & plus loci occupat, etiã iſte modus magis extendetur, & plus occupabit loci vna cũ quantitate. vel ergo ratio formalis maioris extẽſionis huic modo erit quantitas, & ſi ita eſt, perinde eſſe poterit ratio formalis majoris extenſionis ſubiecto ſine iſto modo. deniq; aduerſarij nolunt habere quantitatem vt per ſe formaliter det maiorẽ extenſionem. ergo erit ipſe modus, & ita ipſe modus

tribuet effectum formalem ſibi ipſi, ſicut ſi albedo formaliter ſe faceret albam. imo cum prius res ſit in ſe quam det eſſe alteri, prius modus erit in ſe magis extenſus, quam det maiorem extenſionem quantitati, & ita redibunt argumenta quæ fiunt, ſi per ſe ponatur extenſus.

*Secũda probatio.* Probatur ſecundò, quia ſi à qualitate aliqua, & ab intẽſione poteſt quantitas habere maiorem extẽſionem, & occupare majorẽ locũ, non eſt ratio cur ponatur in materia quantitas quæ ſit per ſe extenſa; ſatis enim erit ponere iſtam qualitatem, vel ſimilem, quæ id præſtet per ſuam intenſionem; & hoc melius erit, quia magis conuenienter philoſophabimur, quam ſi ponamus extenſionem materiæ primo eſſe ab accidente quod per ſe extenſum ſit, & deinde maiorem extenſionem eſſe ab alio, quod non ſit extenſum, ſed formaliter habeat omnes partes ſimul.

*Tertia probatio.* Probatur tertiò, quia extenſio, & tanta extenſio, quantitas, & tanta quantitas, non differunt eſſentialiter & genere, ſed ſolum ſicut homo & hic homo, aut ad ſummum ſicut calor, & calor, vt vnum, vel vt octo. ergo non habetur extenſio à quantitate, & tanta extenſio à qualitate, vel modo eſſentialiter diſtincto, vt volunt aduerſarij. confirmatur, quia ſi credimus ſenſibus, à quibus ſine graui ratione recedendum non eſt, quoniam ijdem effectus & proprietates cernuntur ab extenſione & à maiori extenſione, vt occupare locum, eſſe diuiſibilem, &c. ab eadem eſſentia & natura manare debet, confirmatur ſecundo, quia à quo res habet eſſe, ab eodem habet magis & minus, 2. topicorum capite vltimo. ſed eſſe quantam res habet à quantitate, non à modo diſtincto. ergo ab eadem habet eſſe magis & minus quantam.

*Quarta probatio.* Probatur quartò. tantitas in quantitate non dicit niſi multiplicationem materialem quantitatis. ergo non eſt modus diſtinctus. antecedens probatur, quia quantitas includit eſſentialiter partes, vnde & de ea prædicantur in recto & formaliter. ergo vel eſſentialiter, vel materialiter includit tot partes. probo hanc conſequentiam. nihil includit aliquid eſſentialiter & in recto, niſi vel eſſentialiter, vel materialiter includat aliquod particulare illius; quod patet, quia quando vnum prædicatur de altero in recto & formaliter, debent illa duo eſſe idem; prædicatio enim formalis ſignificat identitatem, quare particularia prædicati debent eſſe vel ipſum ſubiectum, vel particulare ſubiecti, ac propterea vel ſubiectum illa particularia includit eſſentialiter (ſi videlicet ipſum ſubiectum eſt ea particularia) vel ſi illa particularia ſunt particularia ſubiecti, includet materialiter. item, quia prædicatio formalis, & eſſentialis non eſt niſi cum prædicatur definitio de definito, vel ſuperius de inferiori. ſi ergo prædicatũ eſt definitio, quia definitio & definitum habent eadem particularia, & ſunt idem materialiter

terialiter cum ſuis particularibus, vt animal rationale & homo cum hoc & illo homine, neceſſe eſt vt ſubjectum materialiter includat particularia prædicata. ſi verò prædicatum ſit aliquod ſuperius, tunc ipſum ſubjectum eſt aliquod particulare prædicatum; quare eſſentialiter ſubjectum includet illud particulare prædicatum, nihil enim magis eſt de eſſentia, quam idem ſibi ipſi, & hoc patet inductione. quare verum eſt quod dicebamus, nihil includere aliquid eſſentialiter vel in recto, quin eſſentialiter vel materialiter includat particularia prædicata. ſed hujuſmodi eſt quantitas reſpectu partium extenſarum. ergo quantitas includit, vel eſſentialiter, vel materialiter, tot vel tot partes, quæ ſunt particularia prædicata.

Dices tot vel tot partes non eſſe particularia partium, ſed modum ipſarum.

Sed contra, quia tot & tot partes, non dicunt niſi plures vel pauciores partes, quæ ſunt indiuidua partium. item, quia quod habet latitudinem in entitate, ratione ſuæ indiuiduationis abſtrahendo à quocunque alio, debet dicere tantam, vel tantam entitatem. idque videtur verum eſſe in omnibus inductione, quæ homogeneitate faciunt vnum, vt in ſubſtantia materiali, in qualitatibus, quæ ſuſcipiunt magis & minus, &c. neque obeſt quod plura ſint indiuidua, quæ habeant eandem entitatem partium, id enim vel habent ex ſubjecto, vt cum in diuerſis materijs ſunt duæ quantitates ejuſdem magnitudinis, vel ex tempore, vt cum ſucceſſiuè in eodem ſubjecto ſunt duæ quantitates ejuſdem magnitudinis. determinatio tamen entitatis præcisè, in ratione entitatis, videtur eſſe tot, vel tot partes.

Probatur quintò. tantitas in quantitate non eſt niſi multiplicatio partium materialium & entitatiuarum, & conſequenter quantitatis. at multiplicatio iſta conuenit quantitati, quatenus indiuidua eſt ſine vllo alio modo, fit enim multiplicatio per principia indiuiduantia rei. ergo tanta, vel tanta quantitas præcisè fit ab indiuiduatione quantitatis ſine alio modo. major illa probatur exemplo qualitatis, & ſubſtantiæ corporeæ. & confirmari poteſt, quia ſicut ſe habet major intenſio in qualitate, ita major extenſio in quantitate. ſed major intenſio oritur, vt alias dixi, ex multiplicatione partium materialium. ergo & extenſio. hæc duo argumenta ſunt efficaciſſima in principijs aduerſariorum. *Quinta probatio.*

Probatur denique ex Ariſtotele 7. Metaph. text. 42. quod ėſt quoddam tale quale eſt alterum, eſt differentia aliqua illius, vel eſſentialis, vel indiuiduans. at tantitas eſt quoddam tale, quale eſt extenſio. ergo eſt differentia aliqua extenſionis vel eſſentialis, vel indiuiduans, non autem modus extrinſecus illius. minor probatur, quia verum eſt dicere, pedalitas, quæ eſt vna aliqua tantitas, eſt quædam extenſio, & bi- *Sexta probatio.*

PP

pedalitas quædam, & ſic de cæteris. at hoc eſt eſſe quoddam tale, quale eſt eſſe alterum, videlicet poſſe prædicari vnum de altero in abſtracto cum ſigno particularitatis, ſicut cum dicitur, humanitas eſt quędam animalitas, &c. ergo &c.

III. Dico ſecundò, in rarefactione acquiri nouam quantitatem, quæ cum præcedente remanet.

*2. Aſſertio authoris.*

*Probatio prima.* Probatur concluſio, primò ex Ariſtotele 4. Phyſ. textu 84. vbi eodem modo docet acquiri magnitudinem quo intenſionem, non quod addatur noua pars materiæ, quæ de nouo fiat quanta, qua ratione fieret additio ſecundum ſubjectum, ſed quia in eadem materia quanta addatur noua magnitudo, & ſic fiat additio ſecundum formam.

*2. Probatio.* Probatur ſecundò. quando augetur effectus formalis in ſubjecto neceſſario ſecundum partes materiales, debet eſſe aucta forma. ſed ad ſenſum patet effectum formalem quãtitatis, partes videlicet & extenſionem, augeri in rarefactione. ergo dicendum eſt augeri ipſam quantitatem ſecundum partes materiales.

Confirmatur, quia proprietas quarto modo quantitatem conſequens, eſt, quod vna quantitas alteri comparata ſit illi æqualis vel inæqualis. ſed tranſacta rarefactione repetiuntur nouæ æqualitates & inæqualitates. ergo repetiri etiam debent nouæ quantitates; proprietas namque noua ſine nouo ſubjecto repetiri non poteſt.

*3. Probatio.* Probatur denique, quia de quantitate proportionaliter philoſophandum eſt ac de reliquis formis. at in qualitate, exempli gratia, augmentum fit ex additione nouæ entitatis ipſius qualitatis, & non tantum noui modi. ergo idem dici debet in augmento quantitatis fieri. atque hæc eadem ſimili ratione intelligenda ſunt de condenſatione. Sed

IV. Objicies primo cum Rubio. ſi in rarefactione acquiritur noua quantitas, in Euchariſtia raritate acquiretur noua quantitas. ſed hoc eſt falſum. ergo &c. minor probatur, quia tunc ſequeretur fore in Euchariſtia quantitatem ſub qua non eſſet corpus Chriſti, quia corpus Chriſti eſt tantum ſub accidentibus panis.

*Aduerſariorum argumentu ſit ſatis.*

Reſpondeo concedendo id quod à Rubio infertur, in Euchariſtia nimirum acquiri poſſe nouam quantitatem. neque hinc ſequitur quod infert Rubius, nempe corpus Chriſti ibi non fore. nam procul dubio poteſt corpus Chriſti eſſe ſub multis accidentibus, ſub quibus non fuit ſubſtantia panis ante conſecrationem; exempli gratia ſub nouo calore, ſub nouo frigore &c. quæ aberant tempore conſecrationis, quia per ſe primo ſubeſt accidentibus demonſtrantibus natura ſua panem & vinum; vnde cum hæc non corrumpuntur, licet cum illis alia noua adſint, non diſcedit corpus Chriſti. & certe minor Ru-

bium hoc argumento vti voluiſſe, cum contra ipſum æquè ac contra nos concludat; cum ipſe ponat raritatem terminatam ad noua accidentia.

Sed inquies. in Euchariſtia quantitas tenet locum ſubjecti, tam reſpectu accidentium in fieri, quam in facto eſſe. ſed non poteſt tenere in rarefactione locum ſubjecti, ſi acquiritur per rarefactionem noua quantitas. ergo &c.

Reſpondeo majorem eſſe falſam, & negandam. & ratio eſt, quia alia accidentia non magis egent ſubjecto, quam egeat quantitas. inſtabis. ſaltem quantitas, quæ in Euchariſtia de nouo ab agente naturali producetur, creabitur. conſequens eſt impoſſibile. ergo &c. ſequela majoris patet, quia agens naturale illam ex nullo ſubjecto educeret.

Reſpondeo negando agens naturale creare, quia, vt bene ex Scoto notauit Faber in 4. diſt. 12. diſput. 50. cap. 2. quantitas quæ in rarefactione in Euchariſtia producitur, producitur immediatè à ſolo Deo, non tamen nouo miraculo, ſed antiquo; quia ex voluntate qua voluit & diſpoſuit Euchariſtiam eſſe in Eccleſia, diſpoſuit quoque præſente actiuo naturali circa illas ſpecies cauſare talem mutationem, qualem in ſubſtantijs conuerſis ſi adeſſent cauſaret agens naturale, & hoc ne meritum fidei euacuaretur, quod fieret, ſi videremus ſpecies immutabiles; judicaremus enim facile ibi non eſſe ſubſtantiam panis, ſed aliquid diuinum. ſi hæc ſolutio non arrideat, dici poterit illam mutationem fieri ab agente naturali, Deo ſupplente vicem ſubjecti in genere cauſæ efficientis. *Scotus. Faber.*

Objicies ſecundò. ſequitur ex hac noſtra ſententia penetratio; quod ſic probatur. nulla eſt materiæ pars, quæ, prius quam adueniat noua quantitas, non afficiatur quantitate præcedente, & nulla eſt quę non afficiatur etiam noua. ergo quantitas præcedens & aduenien ſe penetrant. penetratio autem naturaliter eſt impoſſibilis. ergo &c.

Reſpondeo, conceſſo antecedente, negandam eſſe conſequentiam. & ratio eſt, quia penetratio dimenſionum eſt exiſtentia duarum quantitatum trinè dimenſarum in eodem loco, qui ſingulis illarum repleri poſſit, quod in noſtro caſu non euenit.

Sed inquies. ſaltem dabitur penetratio dimenſionum in eodem ſubjecto. hoc autem etiam eſt abſurdum. ergo &c.

Reſpondeo, neque etiam ſequi hoc quod infertur. ratio eſt, quia non dicuntur dimenſiones in ſubjecto penetrari, niſi illi intimè præſens ſit plus quantitatis, quam ſecundum ſuam capacitatem admittere ac recipere poſſit. quamdiu ergo ſubjecti capacitas expleta non eſt, nulla dabitur penetratio in ordine ad ſubjectum. addo penetrationem non dici de duabus quantitatibus comparatis ad ſubjectum, ſed

ad locum. denique dico præcedentem quantitatem, & aduenientem, in vnam quantitatem coaleſcere, efficereque vnam formam ſubjecti capacitati adæquatam, quæ ſubjectum ad majorem locum extendat. hinc colligitur quid reſpondendum ſit ad quæſitum quorundam. quærunt enim, vtrum tota materia ſit ſub vtraque quantitate collectiuè ſumptis, vel non? reſpondendum enim eſt, totam materiam non eſſe ſub noua quantitate præcisè, nec totam ſub veteri præcisè, ſed totam eſſe ſub præcedente quantitate, & totam ſub noua, collectiuè ſumptis. quemadmodum enim materia eſt vna ſimplex entitas, nullam habens niſi potentia partium diſtinctionem, ita quantitas præcedens & adueniens ſunt vna ſimplex entitas, nullam habens partium præterquam virtualem diuiſionem; & quemadmodum ante aduentum nouæ, nulla pars erat materiæ quæ præcedente & veteri quantitate non extenderetur, ita nulla jam eſt quę veteri & noua ſimul non extẽdatur. & patet, quia nulla eſt quæ non ſit apta occupare majorem locum; hoc autem fieri non poteſt, nec per ſolam præcedentem quantitatem, nec per ſolam nouam, ſed per omnimodam actualem identificationem. explicant hoc aliqui familiari exemplo farinæ & aquæ cum ſimul commiſcentur.

Sed inquies, qua ratione concipi poteſt partes corporis in rarefactione à ſe inuicem magis diſtare quam antea, niſi vna extra aliam extrahatur? qua etiam ratione fieri poteſt vt in condenſatione partes corporis minus à ſe inuicem diſtent, niſi vna in aliam ingrediatur? ſed ſi vna extra aliam extrahatur, ſequitur vacuum; & ſi vna in aliam ingreditur, ſequitur penetratio, ergo &c.

Reſpondeo optimè, & concipi, & fieri poſſe illud, abſque eo quod vna in aliam ingrediatur, vel vna extra aliam trahatur, per hoc tantum, quod in condenſatione partes fiant propinquiores, quia fiunt minores, & in rarefactione fiant remotiores, quia fiunt majores.

Vrgebis. in rarefactione omnes partes corporis æquè à ſe inuicem diſtant ac antea, & per rarefactionem non acquiſierunt majorem diſtantiam. ergo &c. antecedens clarum eſt, inquiunt aduerſarij. nam quocumque puncto ſignato, dici poteſt eaſdem partes quæ antea conjungebantur immediatè illi conjungi. ergo non magis quam antea diſtant.

Reſpondeo aliquos diſtinguere antecedens. in rarefactione omnes partes immediatè ſunt æquè diſtantes, concedunt antecedens; ſunt æquè diſtantes mediatè, negant antecedens. negant etiam id quod infertur. neque dicas non poſſe partes mediatas magis diſtare, niſi magis diſtent immediatæ. ergo &c. reſpondent enim negando antecedens. hæc reſponſio, vt ingenuè fatear, difficilis eſt; quapropter, juxta alibi dicta de quantitate, ad argumentum reſpondeo negando an-

tecedens. ad ejus probationem, dico falſum eſſe eaſdem partes immediatè conjungi, & ad eadem puncta quæ prius fuerant. & ratio eſt, quia cum in continuo nulla ſint puncta niſi virtualia, vt alibi diximus, virtualia autem puncta ſint ipſa entitas quantitatis, mutata quantitate, puncta etiam mutantur; vnde quodlibet punctum nec eſſatio terminat aliam partem quam prius, & ipſummet, aliud eſt quam prius. videri poteſt quæſtio, *an partes ſint actu in continuo*. addo dici etiam poſſe in quantitate nullas dari partes immediatas, cum aſſignari non poſſint duæ partes immediatæ, inter quas nihil mediet, cum, vt ex alibi dictis de quantitate, conſtet, ſecundum nihil ſui adæquatè ſumptum immediatè conjungi poſſint.

Objicies tertiò. ſi poteſt in eadem materia quantitas modo eſſe major, modo minor, ergo quantitas ſuſcipit magis & minus; quo nihil abſurdius cogitari poteſt.

Reſpondeo negando ſequelam. ratio negationis eſt, quia illa ſolum forma dicitur ſuſcipere magis & minus, quæ plures, & plures ſui partes habet in eadem parte materiæ; quod in quantitate non fit, quia eadem proportione qua augetur quantitas, augentur etiam partes materiæ.

Objicies quartò. Philoſophus 4. Phyſic. textu 84. ſic loquitur, *Magnitudo & paruitas ſenſibilis molis, non inſuper accipiente aliquid materia extenditur, ſed quia materia eſt potentia vtriuſque*. ſed ſi acquirit nouam quantitatem hoc eſt falſum, quia tunc recipit aliquid. ergo &c.

Reſpondeo nihil aliud velle Philoſophum, quam materiam extendi, non recipiendo aliquid per appoſitionem nouæ materiæ; non vero velle negare materiam per eductionem accipete aliquid. hæc explicatio apertiſſimè colligitur ex ipſo textu. & vero hic locus æquè probat contra modum ſuperadditum aduerſariorum, ac contra nos.

FINIS.

## *Errata ſic corriges.*

*Pagina* 58. contractus virtutis, *lege* contactus virtutis. *pagina* 135. Cajetanum, Thienenſem, *lege* Cajetanum Thienenſem. *pagina* 151. Souinus, *lege* Soncinas. *pagina* 191. citato. ad primum ait, *lege* citato ad primum, vbi ait. *pagina* 197. Subſtantiam in inſtanti, *lege* Subſtantia in inſtanti. *pagina* 198. ad quæſt. 1. 6. Phyſ. Scoti, *lege* ad quæſt. 16. Phyſ. Scoti. *pagina* 230. noſtram ſentiam, *lege* noſtram ſententiam. *pagina* 252. quomodo noſtro, *lege* commodo noſtro. *pagina* 262. humani generis capacitas, *lege* humani ingenij capacitas.

Google

Digitized by Google

# GVLIELMI
# CAMERARII
## SCOTI,

Congregationis Oratorij Domini IESV Presbyteri,

SELECTÆ

## DISPVTATIONES PHILOSOPHICÆ,

IN TRES PARTES DISTRIBVTÆ.

## PARS TERTIA,

*Præcipuas diſputationes Metaphyſicæ complectens.*




PARISIIS,

Apud Carolvm Chappellain, via Lignaria, propè Scholas Medicas,ad inſigne D. Barbaræ.

M. DC. XXX.

*CVM PRIVILEGIO REGIS.*

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO DOMINO

# D. MICHAELI
## DE MARILLAC,

Chriſtianiſsimi Francorum Regni ſupremo prudentiſsimoque Nomophylaci,

*Gulielmus Camerarius, Congregationis Oratorij Domini JESV Preſbyter, obſequium.*

MALO dignitati tuæ, Illuſtriſſime Domine, quam neceſſitati datum exiſtimes, quod Philoſophicũ iſtud opus, nomini tuo conſecraui. Quamuis enim ij ſint hujus tẽporis mores, vt non liceat liberè & ingenuè Philoſophari, raroque in publicum prodeat liber, quin continuò, niſi magni alicujus viri quaſi armatus ſit patrocinio, laceretur; Tamen plus virtuti tuæ, plus etiam crebris & ſingularibus officijs, quibus cum omnes tum ſin-

† ij

gulos noſtræ Congregationis homines demeruiſti, quam doctrinæ meæ ſecuritati debere me cenſui. Itaque quod fama nuntiante didiceram dubitare omnes, an religioſius æquitatem coleres, an benignius & amantius foueres ſcientias, decreui apud me, nemini conuenientius primam hanc Philoſophiam offerri poſſe, quam tibi, qui primus in tuenda & procuranda æqualitate, primus etiam in fouendis bonis artibus, & ſcires quantum ipſi præ cæteris Philoſophiæ partibus deberetur, ac eam pro tua conſuetudine, hoc eſt omnium humaniſsime, ſuſciperes. Non falles, vt ſpero, expectationem meam, nec quicquam de ea opinione, quam ex publicis ſermonibus hauſi, diminues. Imo, ſi rectè Philoſophari libet, plus inuenturum me arbitror, quam quod vndequaque in ore omnium ſonat. Inuidet ſiquidem fama virtuti; & ſicut vitij, dum multorum ſermonibus ſeminatur, in immenſum creſcit opinio, ita virtutis gloria, dum per vulgi ora ſpargitur, fit minor, vireſque amittit eundo. His rationibus adductus, auſus ſum intentam illam dies noctesque in publicam vtilitatem vigilantiam tuam ad tantillum otij in-

uitare ; quantum ſcilicet ad excipiendum Philoſophiæ noſtræ munus ſufficiat. Nec mihi ſuccenſebunt, qui nouerint ( at quotus quiſq; qui neſciat ? ) eam eſſe ingenij tui vim & facultatem, vt cum totus ſis omnium, totus etiam ſingulorum eſſe poſsis. Vale.



Digitized by Google

# INDEX QVAESTIONVM HVIVS TERTIÆ PARTIS.

## QVÆSTIO PRIMA,

An dentur analoga diſtincta ab vniuocis & æquiuocis.

*IN ea primò oſtenditur Metaphyſicam eſſe propriè dictam ſcientiam. Secundò, objectum ejus eſſe ens reale inquantum ens reale. Tertiò, Metaphyſicam non conſiderare quidditates rerum omnium in particulari. Quartò, nulla dari analoga media ſiue diſtincta ab vniuocis & æquiuocis. Quinto, aduerſariorum objectionibus ſit ſatis. Denique, explicantur analoga quæ dicuntur inæqualitatis, proportionis, & attributionis.*

## QVÆSTIO SECVNDA,

Vtrum ens ſit vniuocum Deo & creaturæ, ſubſtantiæ & accidenti.

*In illa primo probatur conceptum formalem entis eſſe perfectè vnum. Secundo, conceptum objectiuum entis eſſe etiam perfectè vnum, & præciſum, non tantum ratione, ſed & ex natura rei. Tertio, explicatis variis generibus vniuocorum, variiſque gradibus vniuocationis, ſtatuitur ens eſſe vniuocum Deo & creaturæ, ſubſtantiæ & accidenti. Quarto, objectiones in contrarium diluuntur. Denique, concluditur paſſiones, modos, vltimaſque differentias entis, non eſſe entia quidditatiuè, ſed qualitatiuè.*

## QVÆSTIO TERTIA,

De proprietatibus entis, vno, vero, bono.

*In illa primo ſtatuitur dictas proprietates eſſe vera propriaque attributa entis. Secundo, ſuperaddere enti aliquid poſitiuum ab eo formaliter diſtinctum. Tertio, aduerſariorum argumenta diſſoluuntur.*

## QVÆSTIO QVARTA,

An eſſentia diſtinguatur ab exiſtentia, Et an eſſentiæ ab æterno habuerint verum, & reale eſſe.

*In ea vt longè probabilior præfertur illorum ſententia, qui cenſent eſ-*

Digitized by Google

*ſentiam nemine cogitante diſtingui ab exiſtentia. Secundo, contrariis argumentis occurritur. Tertio, ſtatuitur eſſentias rerum habere verum aliquod eſſe ab æterno, ſed dependenter à Deo in genere cauſæ exemplaris. Denique rationes in oppoſitum adducuntur, & diſſoluuntur.*

## QVÆSTIO QVINTA,

Quodnam ſit principium indiuiduationis.

*In ea primo confutantur Suarius, Vaſquez, aliique recentiores, volentes principium indiuiduationis eſſe cujuſque rei entitatem. Secundo, redarguitur Henricus, aſſerens negationem eſſe ejuſmodi principium. Tertio, Gothofredus aſſerens quantitatem. Quarto, S. Thomas aſſerens materiam ſignatam. Denique, concluditur exiſtentiam eſſe principium, & objectionibus itur obuiam.*

## QVÆSTIO SEXTA,

Quid ſuppoſitum vel perſona ſupra naturam ſingularem addat.

*In illa, fuſiſſimè & validiſſimè impugnata recentiorum ſententia, quæ aſſerit ſubſiſtentiam naturæ exiſtenti ſuperaddere modum aliquem realem poſitiuum, demonſtratur illam nihil aliud eſſe quam ipſam naturæ exiſtentiam, connotantem negationes actualis & aptitudinalis inhærentiæ; idque verum eſſe ex Scriptura ſacra, Conciliis, Patribus, Theologia, Philoſophia, & Ariſtotele pluribus probatur.*

## QVÆSTIO SEPTIMA,

An inhærentia aptitudinalis ſit de eſſentia accidentis.

*In illa contra recentiores hæreticos ſtatuitur actualem inhærentiam non eſſe de accidentis eſſentia. Secundo, contra quoſdam Theologos & Philoſophos, nec aptitudinalem eſſe. Denique, illius axiomatis,* accidentis eſſe eſt ineſſe, *ſenſus explicatur.*

## QVÆSTIO OCTAVA,

An accidens ſit verum ens, & vtrum vniuocum.

*In illa primo probatur accidens eſſe verum. Secundo, eſſe vniuocum ad nouem prædicamenta accidentium. Tertio, prædicamentorum nume-*

*rius oſtenditur arbitrarius. Denique, contraria argumenta diluuntur.*

## QVÆSTIO NONA,

An efficaciter oſtendi poſſit Deum eſſe; vbi etiam diſputatur an ex terminis notum ſit Deum eſſe.

*In ea primo contra Franciſcum Suarium ex Patrum & Ariſtotelis doctrina oſtenditur Dei exiſtentiam à priori demoſtrari non poſſe. Secundo, contrà quoſdam Theologos poſſe à poſteriori. Tertio, ex terminis non eſſe notum Deum eſſe. Denique, non bene loqui illos qui aſſerunt eſſe notum per ſe, ſecundum ſe, Deum eſſe, non vero ſecundum nos.*

## QVÆSTIO DECIMA,

An Deus ſit liber; vbi etiam oſtenditur nullam fore in cauſis ſecundis contingentiam Deo neceſſariò agente, & multa diſputantur de actu libero Dei.

*In ea primo fide certum eſſe ſtatuitur Deum eſſe liberum. Secundo, in ſententia Ariſtotelis non eſſe. Tertio, ſecundum rationem naturalem eſſe. Quarto, nullam fore in cauſis ſecundis contingentiam Deo neceſſario agente. Quinto, impugnatis varijs ſententijs recentiorum de actu libero Dei, concluditur ipſum eſſe actum Dei neceſſarium, qui propter illimitationem ſuam, & infinitatem, ſine vlla potentialitate, prout verſatur circa Deum, eſt neceſſarius, prout reſpicit creaturas, liber.*

## QVÆSTIO VNDECIMA,

An poſſit efficaciter probari dari Angelos.

*In ea, explicato Angeli nomine, ſtatuitur actualem Angelorum exiſtentiam demonſtrari minimè poſſe, & argumentis in contrarium itur obuiam.*

## QVÆSTIO DVODECIMA,

Vtrum omnes Angeli differant ſpecie.

*In ea primo pluribus probatur non repugnare plures eſſe Angelos ſub eadem ſpecie. Secundo, de facto plures eſſe ejuſdem ſpeciei. Denique, omnes eſſe. contrariaque argumenta diſſoluuntur.*

QVÆSTIO

## QVÆSTIO DECIMATERTIA,

An detur ens rationis.

*In ea fuſè dari ens rationis oſtenditur , & rationes in oppoſitum diluuntur.*

## QVÆSTIO VIGESIMAQVARTA,

Quoruplex ſit ens ratioinis.

*In ea, impugnata diuiſione entis rationis in quod habet fundamentum in re , & id quod non habet, impugnata etiam ejuſdem diuiſione, in fictum, priuationem , negationem, & relationem rationis, probatur prima & adæquata maximeque per ſe deuiſione diſtribui in poſitiuum & negatiuum; deinde poſitiuum in tot genera, in quot diſtribuitur ens reale poſitiuum.*

## QVÆSTIO DECIMAQVINTA,

Vtrum ens rationis fictirium fiat à ſolo intellectu vel etiam ab imaginatione.

*In illa, confutatis recentiorum opinionibus, oſtenditur fieri à quacunque potentia imaginatiua , etiam brutorum.*

## QVÆSTIO DECIMASEXTA,

Quomodo deſcribatur ens rationis, vbi etiam diſputatur an Deus faciat ens rationis.

*In ea, allatis varíis definitionibus entis rationis , tum in genere , tum in ſpecie , probatur Deum non facere entia rationis quæ fictitia vocantur, quamvis facere poßit quæ Logica dicuntur.*

Digitized by Google

Digitized by Google

SELECTARVM

# DISPVTATIONVM

## PHILOSOPHICARVM

### PARS TERTIA.

# QVÆSTIO PRIMA.

*An dentur analoga diſtincta ab vniuocis & æquiuocis.*

MVLTA ſolent initio hujus facultatis diſputari; nimirum vtrum ipſas ſit ſcientia; quodnam ſit ejus objectum; denique an conſideret quidditates rerum omnium in particulari. Sed hæc facilia ſunt, & leuiora, quam vt in illis immorari debeamus. Ad primum enim reſpondeo cum communi veraque ſententia, Metaphyſicam eſſe propriè ſcientiam; continet enim veras demonſtrationes & cognitiones rerum per cauſas, habetque vnum objectum formale, vnum modum procedendi, & propria principia diſtincta, tam complexa, quam incomplexa. Neque dicas Metaphyſicam eſſe ſapientiam, vt habet Ariſtoteles 1. Metaphyſ. cap. 1. & alibi; ſapientiam autem contradiſtingui à ſcientia 6. Ethic. cap. 3. & conſequenter Metaphyſicam non eſſe ſcientiam. Ne, inquam, hoc dicas; dico enim, vt, breuitatis gratia, alia omittam, non diſtingui ſapientiam & ſcientiam totaliter & omnino, quemadmodum diſtinguntur habitus diſparati, ita vt vnus non contineatur ſub altero, nam, vt alibi indicaſſe me memini, ars & prudentia, quatenus ſunt cognitiones ſcientificæ, continentur ſub ſcientia tanquam ſpecies ſub genere. Vnde idem dici poteſt de ſapientia; eſt enim ſcientia, non quæcunque, ſed habens caput, ideſt, continens prima & vniuerſaliſſima principia, & primas rerum cauſas. Dicitur autem Metaphyſica ſapientia ab Ariſtotele, quia proximè accedit ad ſapien- I.

*Oſtenditur Metaphyſicam eſſe propriè ſciẽtiam.*

agnouiſſet, ejus meminiſſet, aliter enim mancus & diminutus fuiſſet.

Confirmatur, quia eadem ratio quæ mouit Ariſtotelem vt ageret de æquiuocis, mouere etiam debuiſſet vt ageret de analogis, ergo cum Ariſtoteles egerit de æquiuocis & non de analogis, in Ariſtotelis ſententia nulla dantur analoga media. *Pluribus oſtenditur prædicta veritas.*

III. *Aduerſariorum euaſio cõfutatur.*

Dices cum recentioribus Ariſtotelem ſub æquiuocis compræhendiſſe analoga.

Sed contra, quia ſi Ariſtoteles ſub definitione æquiuocorum compræhendit analoga, ergo non ſunt quid medium inter æquiuoca & vniuoca, vt ipſi volunt; neque ſunt ab æquiuocis diuerſa, non enim compræhendit ſub æquiuocis, niſi illa quibus æquiuocorum definitio conuenit. non conuenire autem analogis medijs manifeſtum eſt, quia dicunt ipſi analoga media habere rationem ſubſtantiæ, partim eandem, partim diuerſam, non vero ſimpliciter diuerſam, vt æquiuoca.

Probatur ſecundo ratione. inter vnum & multa nullum medium reperiri poteſt. ergo neque inter vniuoca & æquiuoca. antecedens apertum eſt. conſequentia conſtat, quia vniuocum & æquiuocum opponuntur per vnum & multa, id eſt, per rationem penitus eandem, & per rationes penitus diuerſas.

Confirmatur, quia omnia analoga ſecundum aduerſarios, vel ſunt analoga inæqualitatis, vel attributionis, vel denique proportionis; (aliud enim analogum præter hæc ex nullo veterum colligi poteſt) ſed analoga inæqualitatis, etiam in ſententia aduerſariorum, ſunt uniuoca, vnde, inquiunt, Ariſtoteles ſeptimo Phyſicorum in genere ait latere æquiuocationes. analoga autem attributionis & proportionis ſunt etiam vniuoca vel æquiuoca. ergo omnia analoga ſunt vel æquiuoca vel vniuoca. ergo inter æquiuoca & vniuoca nullum datur medium. minor, in qua tota eſt difficultas, probatur ſimul & explicatur. analogum proportionis eſt illud quod eſt vnum proportione, ſiue ſimilitudine cum alio; vt membrum quod eſt principium vitæ in animali, eſt vnum vnitate proportionis in omnibus animalibus; non enim in omnibus eſt cor, ſed tantum in ſanguineis, in ſanguine vero carentibus eſt aliquid cordi proportione & ſimilitudine quadam reſpondens. hujuſmodi autem analogum proportionis eſſe vniuocum inde probatur, quia proportio, identitas, ſiue ſimitudo realis, eſt relatio quæ fundatur ſuper vnitate, ex Ariſtotele 5. Metaphyſicę cap. de relatione, vbi ait Ariſtoteles hæc tria, æquale, idem, & ſimile, fundari ſuper vnum. ergo hujuſmodi analoga habent inter ſe veram & realem vnitatem. hæc autem ſufficiens eſt ad vniuocationem. ergo hujuſmodi analoga ſunt verè vniuoca. dixi notanter hujuſmodi analoga proportionis eſſe vniuoca, quia aliquando proportio eſt inter duo eſt æquiuoca, quando nimirum fundatur ſuper nomine tantum, *Quid ſit analogũ proportionis.* *Proportio duplex*

& non ſuper re, cujuſmodi eſt proportio inter hominem viuum & hominem pictum, inter riſum in prato & riſum in homine, non enim ſunt hæc ſimilia in re vllo modo, ſed ſolum impoſitione nominis. de analogis attributionis idem probatur, nam analoga attributionis ſunt illa quæ attribuuntur & referuntur ad aliquod tertium, vt ambulatio, & dieta quatenus ſana ad animal ſanum; vel quorũ vnum attribuitur & refertur ad aliud, vt potio ſana ad animal ſanũ. priora dicuntur analoga ad vnum, poſteriora vnius ad alterum. iterum analogorum attributionis quædam ſunt, in quibus forma denominans ipſa eſt illis intrinſeca, vt Deus & creatura, quibus ratio entis eſt intrinſeca; alia in quorum vno eſt intrinſeca, & in alio extrinſeca, vt animal ſanum, & deambulatio ſana, in quorum primo ſanitas eſt intrinſeca, in ſecundo extrinſeca. inter hæc eſt multiplex differentia, nam in quibus vtrobique forma denominans eſt intrinſeca, non datur tantum nomen, ſed etiam vnus conceptus communis omnibus analogatis. in quibus autem vtrobique ratio denominans non eſt intrinſeca, datur tantum nomen commune, & ratio eſt multiplex, vnde verè non ſunt analoga, ſed æquiuoca. ex hac differentia ſequitur alia, nimirum analogorum in quibus eſt ratio vtrobique intrinſeca, analogum analogans poſſe eſſe medium in demonſtratione, quia dicit vnum conceptum communem pluribus; aliorum autem non item, quia nomen quod eſt eis commune ſubeſt diuerſis rationibus, & pluribus conceptibus. hoc poſito, facile probatur quod diximus, quia, vt dictum eſt, illa in quibus forma vtrobique eſt intrinſeca, ſunt verè vniuoca, habent enim idem nomen, & eundem cõceptum communem pluribus; illa vero in quibus vtrobique non inuenitur forma denominans intrinſeca, ſunt æquiuoca, quia nomen quod eſt eis commune ſubeſt diuerſis rationibus & pluribus conceptibus. ex quo patet omnia analoga eſſe, vel æquiuoca, vel vniuoca.

*Quid ſint analoga attributionis.*

*Analoga attributionis duplicia.*

IV. Sed inquies, ſi non datur aliquid medium inter vniuoca & æquiuoca, ſequitur ſuperflue egiſſe Ariſtotelem in anteprædicamentis de denominatiuis. hoc autem abſurdum videtur. ergo &c.

*Aduerſariorum obiectio.*

Reſpondeo negando ſequelam, quia conſiderauit modum prædicandi de ſubjecto ſecundum habitudinem prædicati ad illud, ſiue iſta ſit vniuoca, ſiue æquiuoca; vnde hæc prædicatio eſt vniuoca denominatiua, homo eſt ſanus; hæc denominatiua æquiuoca, medicina eſt ſana. ſi tamen per denominatiuum intelligas prædicatum quod non eſt de eſſentia ſubjecti, hac ratione admitti poteſt eſſe medium inter vniuocum & æquiuocum. ſed hoc nihil contra nos, quia tunc nimis reſtringitur vniuocum, contra communem modum illud accipiendi.

*Eiuſdem ſolutio.*

QVÆSTIO

# QVÆSTIO SECVNDA.

## *Vtrum ens ſit vniuocum Deo & creaturæ, ſubſtantiæ & accidenti.*

AD propoſitæ controuerſiæ explicationem explicandum nobis eſt primo, vtrum ens reale (de eo enim agimus) habeat vnum conceptum formalem & obiectiuum perfectè, an tantum imperfectè. quid ſit conceptus obiectiuus, & quid formalis, conſtat ex alibi dictis. hac in re exiſtimo primo, conceptum formalem entis eſſe perfectè vnum. intelligo non ſolum actum illum eſſe vnum numero actum intellectus, ſed etiam actum illum non terminari ſimul ad plura, ſed ad vnum; vel non repræſentare ſimul plura, ſed vnum, ſiue (vt alij loquuntur) non ſolum eſſe vnum in ratione rei, ſed etiam in ratione imaginis. probatur, quia hæc vox ens habet ex prima ſui impoſitione vnam ſignificationem, ac proinde & conceptus illi reſpondens vnam repræſentationem. Secundò, quia niſi detur vnus conceptus formalis ſe extendens ad omne ens, nihil, ſiue non ens, & ens, non erunt contradictoria. ſed hoc eſt abſurdum. ergo &c. ſequela probatur, quia inter contradictoria negatio non plus tollit, quam ponat ipſi contradictoriè oppoſita affirmatio. ſed tunc contrarium fieret. ergo &c. minor probatur, quia negatio, ſeu non ens, tollit omne ens, affirmatio vero, ſeu ens, non poneret omne ens. Tertiò, hæc propoſitio in mente formata, ens eſt prædicabile de ſubſtantia & accidente, de Deo & creatura, eſt vera. iam quæro de ſubiecto huius propoſitionis mentalis, quodnam ſit; aut enim eſt conceptus vnus communis ſubſtantiæ & accidenti, Deo & creaturæ, aut conceptus proprius alicui iſtorum, aut eſt conceptus multiplex. ſecundum & tertium dici non poſſunt, quia tunc iſta propoſitio eſſet falſa, vt patet; ergo primũ. ergo datur vnus conceptus communis entis, modo explicato. denique confirmatur ex Aureolo, quia ſi vox hæc, *ens*, ſignificaret plura, eadem ratione qua illa plura ſignificaret, ſignificaret & omnia, quia non eſt ratio cur potius aliqua tantum quam omnia ſignificaret, cum non tantum aliqua, ſed omnia quæ ſunt entia ſignificet. iam vero ſi immediatè ſignificat omnia, nullus intellectus creatus poterit formare formalem cõceptum entis, alioquin intellectus ille intelligeret ſimul infinita, imo & ipſam rationem deitatis. exiſtimo ſecundo conceptum obiectiuum entis eſſe vnum. eſt contra plures Thomiſtas, ſed probatur; quia ſi non daretur vnus conceptus obiectiuus entis reſpondens I.

*Ens habet conceptum formalem perfectè vnum.*

*Probatur ſuperius dictum.*

*Oſtenditur conceptum obiectiuum entis eſſe vnum.*

formali, & qui non includeret, neque ſubſtantiam, neque accidens, neque Deum, neque creaturas ſecundum proprias rationes, & vt diſtincta ſunt, conceptus ille eſſet vnus tantum aggregatione, & conceptus vnus aggregatus ex variis naturis entium ſecundum proprias & determinatas earum rationes. ſed hoc eſt falſum. ergo &c. minor patet, quia ſi conceptus obiectiuus entis, ſiue, ſi obiectum conceptus formalis entis eſt aggregatum ex pluribus naturis entium, quæro in primis quæ ſint illæ naturæ? quæro quomodo in illo conceptu aggregentur? nullo enim modo id poteſt intelligi. nam vel ille conceptus obiectiuus eſt ſubſtantia & accidens copulatiuè, vel diſiunctiuè, vel denique ſimpliciter abſque vlla coniunctione vel diſiunctione hoc modo, ſubſtantia accidens. ſed nihil horum dici poteſt. ergo &c. nõ primum, quia alias falſæ eſſent hę propoſitiones, ſubſtantia eſt ens, qualitas eſt ens; quia nec ſubſtantia, nec qualitas, eſt ſubſtantia & accidens ſimul. non ſecundum, quia hoc repugnat experientiæ; tum quia hoc inducit vniuocationem entis, quam tamen vitare contendunt qui hoc aſſerunt. probatur aſſumptum, quia illud diſiunctum, ſubſtantia vel accidens, tam verè, ſimpliciter, & æquè ptimo conuenit ſubſtantiæ quam accidenti, cum æquè primò vna pars diſiuncti, nempe accidens, conueniat accidenti, quam altera ſubſtantiæ, quod ſatis eſt vt illud diſiunctum prædicetur æquè primò de illis. Tertium etiam dici non poteſt, quia hoc repugnat experientiæ; nemo enim experitur ſe audito nomine entis, mente petcipere ſubſtantiam & accidens ſub protiis rationibus. ergo non ſic repræſentat, alioqui mens id perciperet, cum id quod concipitur mente percipiatur. deinde non poteſt vnus conceptus formalis, ſimplex, ac limitatus, & re ipſa præciſus à conceptibus propriis formalibus ſubſtantiæ & accidentis vt talia ſunt, eſſe conceptus ſubſtantiæ & accidentis, quo ipſa propriè & diſtinctè repræſententur. ſed conceptus formalis entis talis eſt. ergo non repræſentat propriè ſubſtantiam & accidens. probatur ſecundò. ens natura ſua dicit aliquid commune nondum cõtractum, quatenus eſt ens ſimpliciter, ſed incõtractum ex ſe & indiuiſum. ſed vt ſic poteſt obijci intellectui vt concipiatur. quatenus autem objicitur intellectui, vt concipiatur, eſt conceptus obiectiuus. ergo conceptus entis objectiuus de ſe non eſt contractus, ſed incontractus & indiuiſus. hoc autem eſt eſſe vnum ea vnitate quam hic inquirimus. ergo conceptus entis obiectiuus eſt vnus. maior probatur, ens dicit natura ſua ſimpliciter id quod eſt, ſiue id quod exiſtit vel poteſt exiſtere. ſed id quod eſt vel poteſt exiſtere eſt quid incontractum & indiuiſum, commune tamen & indifferens natura ſua ad multa. ergo ens natura ſua dicit aliquid indiuiſum & non contractum, ira vt natura ſua nihil dicat eorum ad quæ eſt indifferens, & determinari poteſt.

Sed quæſtio eſt ſuppoſita præciſione entis, vtrum conceptus obiectiuus perfectè præciſus, ſit præciſus ratione tantum, an etiam nemine cogitante. ad quam quæſtionem, reſpondeo eſſe diſtinctum & præciſum ex natura rei à conceptibus obiectiuis inferiorum. hæc doctrina fundamentum habet in diſtinctione graduum ſuperiorum ab inferioribus, quam hoc loco ſuppono ex alibi dictis. interim iam probatur. primo, conceptus ille qui natura ſua pauciora dicit quam alius, eſt natura ſua præciſus & diſtinctus ab alio. ſed conceptus entis natura ſua pauciora dicit quam conceptus inferiorum. ergo eſt natura ſua præciſus & diſtinctus à conceptibus inferiorum. maior clara eſt. minor probatur. conceptus entis dicit ſolum gradum eſſendi; conceptus inferiorum dicunt ſupra iſtum gradum, vel gradum ſubſiſtendi, vel gradum viuendi, vel gradum ſentiendi, vel gradum inhærendi, vel alium. ergo conceptus entis pauciora dicit natura ſua quam conceptus inferiorum. neque dicas ens natura ſua non dicere pauciora quam conceptus inferiorum, ſed id ſolum habere ab intellectu inadæquatè concipiente naturam aliquam, in qua ſeparat & diſtinguit gradus prædictos ab inuicem, qui tamen realiter, & ex natura rei ſunt indiſtincti. ne, inquam, hoc dicas, quia, vt egregiè argumentatur Meuriſſius, ſi gradus ſuperiores ab inferioribus tantum per intellectum diſtinguntur, verbi gratia, ſi animalitas, & rationalitas in Petro tantum per rationem diſtinguntur, & non ex natura rei, ſicut verum eſt nemine cogitante rationalitatem Petri eſſe actum primum ratiocinandi, ita verum erit animalitatem eiuſdem eſſe actum primum ratiocinandi: hoc autem eſt abſurdum. ergo & id vnde ſequitur. neque dicas illam ſimplicem entitatem prout eſt rationalis eſſe actum primum ratiocinandi, non autem prout eſt animal. contra enim eſt, quia ſimplicem illam entitatem eſſe actum primum ratiocinandi, vt eſt rationalis, & non vt eſt animal, vel eſt entitatem illam eſſe actum primum rationandi prout concipitur tantum rationalis, & non concipitur animal, vel vt à parte rei & nemine cogitante eſt rationalis, & non animal. ſi dicatur poſterius, habetur intentum; nam aliquid poſſe ratiocinari, qua rationale nemine cogitante, & non qua animal, eſt rationale & animal non eſſe idem à parte rei. ſi primum, contra eſt, nam ſi per poſſibile vel impoſſibile Petrus non eſſet animal, & eſſet ſubſtantia rationalis, haberet actum primum ratiocinandi, non tantum vt conciperetur rationalis, & non conciperetur animal, ſed vt re vera eſſet rationalis, & non eſſet animal. ergo nunc habet actum primum ratiocinandi, non tantum qua concipitur rationalis, & non concipitur animal, ſed vt à parte rei eſt rationalis, & non animal. conſequentia probatur, quia rectè ſequitur, hoc natura ſua non eſſe illud, quando circumſcripto illo remanet hoc. ſed circumſcripto animali

*Oſtenditur conceptum obiectiuum entis eſſe, perfectè præciſum ex natura rei, & nõ tantum ratione.*

*Meuriſſius.*

remaneret adhuc rationale. ergo natura ſua animal non eſt rationale? ſed inquies, tunc Petrus foret Petrus per aliam entitatem. infero, ergo foret alia entitas per ſubtractionem alicuius, ex cuius ablatione ſequeretur alia entitas; non autem per ablationem rationalis. ergo foret alia entitas per ablationem alicuius quod non eſſet rationale. ergo rationale, & illud quod per poſſibile vel impoſſibile eſſet ablatum, non ſunt idem. hinc patet conceptum formalem entis, etiam in ratione imaginis, eſſe præciſum & diſtinctum nemine cogitante à conceptibus inferiorum. probatur ſecundò ratione Scoti. omnis intellectus certus de aliquo, & dubius de diuerſis, habet conceptum, tum formalem, tum obiectiuum de eo de quo eſt certus, alium à conceptibus, tum formalibus, tum obiectiuis eorum de quibus eſt dubius. ſed intellectus poteſt eſſe certus de aliquo quod ſit ens, dubitando an ſit ens vel finitum vel infinitum, creatum vel increatum, ſubſtantia vel accidens. ergo conceptus entis de aliquo, eſt alius à conceptibus entis finiti & infiniti, &c. quod ſi ſit alius, ergo præciſus & diſtinctus, & hoc quidem ex natura rei; quia illud de quo intellectus eſt certus, natum eſt ex natura ſua talem parere certitudinem, quemadmodum illa de quibus eſt dubius, parere nata ſunt dubitationem. maior nota eſt, quippe cuius ſubiectum inuoluit prædicatum, nam vnus & idem conceptus non poteſt eſſe ſimul certus & dubius. minor probatur, quia Philoſophi qui contendebant de primo rerum omnium principio, certi erant illud eſſe ens, & tamen dubitabant quale ens illud eſſet, vtrum aër, vel ignis, vel aqua, vel aliquid aliud, aut finitum aut infinitum. ergo intellectus poteſt eſſe certus de aliquo quod ſit ens, & tamen dubitare quale ſit ens. denique probatur, quia impoſſibile eſt aliqua plura, vno & eodem conceptu ſimul conuenire & differre; ſed Deus & creatura conueniunt in ente vel conceptu entis, quia vtrumque vere eſt ens, differunt autem propriis conceptibus, vt patet, quia non eſt idem conceptus Dei & creaturæ. his præſuppoſitis

*Scotus.*

III. Prima ſententia circa propoſitam controuerſiam eſt, ens eſſe analogum, & analogicè de ſuis inferioribus prædicari. ita Caietanus opuſculo de conceptu entis, & alibi ſæpe, Ferrarienſis I. contra gentes cap. 34. Heruæus quodlib. 2. quæſt. 4. Iauellus, Sotus, Sancez, Petronius, & alij Thomiſtæ poſt D. Thomam I. parte quæſt. 13. art. 5. & quæſt. 7. de potentia art. 7. & quæſt. 1. de veritate art. 1. ſequuntur ex recentioribus eandem ſententiam Suarius diſp. 2. metaph. Fonſeca 4. mataph. cap. 2. quæſt. ſect. 4. Pererius libro 2. Phyſicæ cap. 2. Vaſquez, Rubius, & alij.

*Prima ſentētia, ens eſſe analogum, quæ eſt Caietani, Ferrarienſis, Heruæi, Iauelli, Soti, Sancez, Petronii, Vaſqueſii, Suarii, &c.*

Secunda ſententia præcedenti contraria eſt, rationem entis conuenire vniuoce ſuis inferioribus. ita Scotus gentilis noſter in 1. diſt. 3. quæſt. 1. & 3. & diſt. 8. quæſt. 2. & alibi ſæpe, Antonius Andreas 4.

*Secūda ſentētia, eſſe vniuocum, & eſt Scoti, Antonii Andreæ,*

metaph.quæſt.1. Antonius Trumbetta ibidem quæſt.2. Ioãnes Canonicus 1.phyſ. quæſt.3. Mayronius conterraneus opuſculo de hac re, Bonnettus 1.metaph.cap.6. Pendaſius 1.metaph.cap.1. Rada 1. tomo controuerſiarum controuerſia 21. Faber Theoremate 95. Philoſophiæ naturalis, Meuriſſius lib.1. rerum metaphyſicarum quæſt.8. Ioannes de Colonia in quæſtionibus in Scotum quæſt.157. Scribonius in pantalithia parte prima, ſiue in gnoſithea diſp.11. quæſt.4. & cæteri Scotiſtæ omnes. ex recentioribus Raconiſius tract.2. ſuæ Logicæ queſt.2. art.2. Quitardus apud Meuriſſium loco citato, concluſione 3. & alij. nec multum ab hac ſententia diſſentit Suarius, vt conſtat ex diſp.28. ſect.3. numero 13. vbi fatetur vix ſe differre ab authoribus huius ſententiæ. ad huius ſententiæ, quæ veriſſima eſt, explicationem

*Trumbetta, Ioan. Canonici. Mayronii, Bonnetti, Pendaſii, Radæ, Scribonii, Ioannis de Colonia, Fabri, Raconiſii, Meuriſſii, &c.*

Præmitto primo ex Tartareto in commentatiis primi ſententiarum diſt.3. quæſt.3. Rada tomo 1. cõtrouerſiarum loco citato, & aliis Scotiſtis, triplicem eſſe vniuocationem, Logicam nempe, Phyſicam, & Metaphyſicam. vniuocatio Phyſica, eſt vnitas naturæ formalis perfectiſſima, ex natura rei circumſcripto omni opere intellectus, cum vno nomine importante iſtam rationem pluribus communem. & hæc vniuocatio reperitur duntaxat in ſpecie ſpecialiſſima, in qua & non in genere fieri proprie comparationem docet Philoſophus 7. phyſ. quia ſpecies ſpecialiſſima dicit vnam naturam & vniuocam, in qua non latent æquiuocationes quemadmodum in genere, quod propterea dicitur æquiuocum, æquiuocatione oppoſita huiuſmodi vniuocationi phyſicæ, eo quod natura generica non eſt tanta vnitate vna, quanta vnitate vna eſt natura ſpecifica, & hoc ratione inæqualis perfectionis differentiarum contrahentium genus, & æqualis perfectionis differentiarum contrahentium ſpeciem ſpecialiſſimam. vniuocatio Logica, eſt vnitas alicuius realitatis vel intentionis primæ ſub aliqua intentione Logica, puta vel generis, vel differentiæ, vel alicuius alterius conceptæ, qua vniuocatione non modo genera & ſpecies, ſed etiam tranſcendentia dici poſſunt vniuoca, quippe quæ ſubeſſe poſſunt ſecundæ cuidam intentioni. & quidem vniuocum hac vniuocatione ſtare poteſt cum æquiuoco æquiuocatione Phyſica, quia genus, verbi gratia, quod eſt æquiuocum æquiuocatione phyſica, eſt etiã vniuocum vniuocatione Logica. vniuocatio Metaphyſica eſt vnitas alicuius primæ intentionis conceptibilis & abſtrahibilis à pluribus inferioribus, ex natura rei non affecta vlla intentione ſecunda. & hac vniuocatione cenſentur vniuoca, quæcunque non ſunt vniuoca vniuocatione phyſica. IV.

*Tartaretus Rada.*

*Vniuocũ triplex, Logicum, Phyſicum, & Metaphyſicum.*

Præmitto ſecundo ex Franciſco de Marchia apud Tartaretum diſtinctione citata, quadruplicem eſſe gradum vniuocationis. primus & omnium perfectiſſimus eſt, cuius ratio vniuoca eſt æqualis omnino V.

*Franciſcus de Marchia.*

*Quadruplex gradus vniuocationis.*

perfectionis,& eodem ordine eſſentiali, ac eodem modo eſſendi reperitur in ſuis inferioribus; & in hoc gradu occurrit ſola ſpecies ſpecialiſſima, cuius ratio vniuoca & communis ſuis indiuiduis, eſt æqualis omnino perfectionis, etiam adiunctis differentiis indiuiduantibus, quippe quarum vna non eſt perfectior alia. item eodem eſſendi modo,& eodem ordine eſſentiali deſcendit in ipſa indiuidua, & non ſecundum prius & poſterius eſſentialiter; quia indiuidua eiuſdem ſpeciei ſic ſe habent, vt vnum eſſentialiter non ſit prius altero. Secundus vniuocationis gradus eſt, cuius vniuoca ratio eodem eſſendi modo,& eodem ordine eſſentiali, non tamen cum æquali perfectionis gradu reperitur in ſuis inferioribus; cuius conditionis eſt vniuocatio generum,quæ ratione differentiarum adiunctarum perfectius ſunt in vna, quam in alia ſpecie, vt animal, verbi gratia, quod perfectius eſt extrinſecè, ratione videlicet perfectioris differentiæ, quæ eſt in homine quam in bruto. Tertius gradus vniuocationis, eſt cuius vniuoca ratio eodem quidem eſſendi modo, ſcilicet eſſentialiter, & realiter, & ſine vlla dependentia vnius inferioris ab alio, non tamen eodem ordine eſsētiali inuenitur in ſuis inferioribus; & ad hūc ordinē ſpectat numerus, qui per vnum prius deſcendit ad binarium quam ad ternarium. Quartus gradus vniuocationis,eſt cuius ſola ratio vniuoca,ſecluſis eodem modo eſſendi, eodem ordine eſſentiali, & æqualis perfectionis gradu, repetitur in ſuis inferioribus; & hoc gradu vniuocationis ens eſt vniuocū reſpectu Dei & creaturæ,ſubſtantiæ & accidentis· nā dicit vnitatem rationis communis Deo & creaturæ, ſubſtantiæ & accidēti, verum non habet eundem eſſendi modum in Deo & creatura, ſubſtantia & accidente, quia in Deo eſt independens,in creatura dependens; non habet etiam vnitatem ordinis eſſentialis, quia ratio entis prius eſt intrinſecè in Deo quam in creatura; denique non habet vnitatem gradus perfectionis,quia in Deo ratio entis eſt perfectiſſima,in creatura non ſic.

VI. *Guilielmus de Rubeone.* Præmitto denique ex Guillielmo de Rubeone in 1.diſt.3. quæſt.3.§. *& ideo quantum ad iſtum articulum*, vniuocum opponi ſoli æquiuoco, non vero analogo & denominatiuo, quia vniuocum ſe habet ad æquiuocum ſicut vnum ad multa; vnum autem proprie ſolum multis opponitur, ſe habet autem ad analogum & denominatiuum, tanquam ſuperius ad ſua inferiora. his prænotatis

VII. *Prima Authoris concluſio.* Dico primò,ens poſſe dici analogum ad Deum & creaturas,ad ſubſtantiam & accidens.

*Prima eiuſdem probatio.* Probatur concluſio ex Ariſtotele 7. metaph. cap.2. vbi habet *ens multis quidem modis dici.*

*Secūda probatio.* Probatur etiam ex eo quod cum analogia ſtet vniuocatio. neque hac de re eſt controuerſia inter authores.

Dico ſecundò, ens eſſe proprie vniuocum Deo & creaturæ, ſubſtantiæ & accidenti. *2. Authoris aſſertio.*

Probatur concluſio, primò ex Ariſtotele 2. metaph. cap. 2. circa finem, quem locum citat & examinat Scotus in 1. diſt. 8. quæſt. 2. *Principia ſempiternorum ſunt veriſſima*, inquit Ariſtoteles, *quia vnumquodque illud præ cæteris maxime tale eſt, ſecundum quod aliis vniuocatio ineſt.* quibus verbis ſic argumentatur Philoſophus; vnumquodque illud præ aliis tale eſt, ſecundum quod aliis ineſt vniuocatio veritatis, ſeu veritas dicitur de aliis vniuocè. ergo maxime ipſa principia erunt vera. ex iſta autem argumentatione Philoſophi poteſt & hoc ſubſumi; ſed Deus eſt aliis entitatis vniuocatio. ergo Deus maxime eſt ens. nam vt ratio Ariſtotelica concludat, oportet id quod eſt cauſa, & ea quibus eſt cauſa, conuenire vniuocè in eo ratione cuius illud dicitur aliis cauſa; alias ſi conueniunt tantum æquiuocè vel analogicè excludendo vniuocationem, argumentum Ariſtotelis habebit quatuor terminos, & nihil concludet. adde expreſsè habere Philoſophum *per quod aliis ineſt vniuocatio*; tum quia affert exemplum de igne, quia ex eo eſt maximè calidus, quia aliis cauſa caloris exiſtit, certum eſt autem ignem eſſe cauſam vniuocā caloris in aliis; tū denique, quia totum hoc confirmat Auerroës. & hoc ſi diligentius examinaſſet Caietanus tract. de ente & eſſentia, non reſpondiſſet huic argumento, ens vocari ab Ariſtotele vniuocum per comparationem ad æquiuocum, in eo ſolum quod cum ſit analogum, ac proinde medium inter vniuocum & æquiuocum, per comparationem ad vnum extremorum induat, inquit Caietanus, rationem alterius. hæc enim ſolutio non ſoluit difficultatem; nihil enim concluderet ratio Philoſophi, & in ea eſſent quatuor termini, vt dictum eſt, quia in maiori loquitur Philoſophus de vera vniuocatione, & in minori loqueretur de analogia, & conſequenter eſſent quatuor termini. *Prima eius probatio. Scotus.* *Auerroës. Refellitur Caietanus.*

Probatur ſecundò ratione ex dictis, quia ad veram vniuocationem nihil requiritur niſi primò, vt vniuoca habeant idem nomen. ſecundò, vt ſit eadem definitio. tertiò, vt illa definitio ſit eadem in ordine ad illud nomen quod eſt illis commune. ſed hæc omnia reperiuntur in ſubſtantia & accidente, Deo & creatura reſpectu entis. ergo hæc ſunt vniuoca in ratione entis. maior probatur ex definitione vniuocorum. minor patet, oſtendimus enim ſuperius conceptum formalem & obiectiuum entis eſſe perfectè vnum in ratione entis. *Secūda probatio.*

Confirmatur; nam concipere non poſſumus duo entia inter ſe diſtingui per rationem entis præciſè conceptam. ergo illa ratio vt ſic nullam inuoluit ſecum diſſimilitudinem aut differentiam, alioquin poſſemus per ipſam vnum ens ab alio diſtinguere.

Confirmatur ſecundò, quia illud eſt vnum, & æqualiter in omni-

bus inferioribus, quod nihil habet magis in vno quam in alio. ſed huiuſmodi eſt ens. ergo ratio entis eſt vna, & ęqualiter in omnibus ſuis inferioribus. major eſt euidens. minor probatur. illud quod dicit vnū gradum indiuiſibilem, & non ex multis gradibus compoſitum, nihil magis habet in vno eorum in quibus eſt, quam in alio. ſed ens dicit vnum gradum indiuiſibilem, alias deberet aſſignari gradus alius ſuperior ente, quo ſimul cum alio inferiori componeretur. ergo &c.

*Tertia probatio.* Probatur tertiò argumento quod fundamentum habet in Scoto, quodque deſumitur, tam ex parte intellectus noſtri, quam ex parte rerum; ſic autem ſe habet. res omnes tam creatæ quam increatæ conueniunt in hoc quod ſint entia, differunt autem quia ſunt talia vel talia entia. ſed per rationem qua aliquid eſt vnum, non eſt non vnum. ergo per id quo aliquid conuenit non differt. ergo vlterius, alia eſt ratio qua entia conueniunt, & alia qua differunt. ergo ratio entis non eſt eadem cum ratione talitatum entis. ergo eſt perfectè diuerſa & vna, & conſequenter ex parte rerum vniuoca. ex parte autem intellectus idem dicendum eſt, quia quando vna ratio concipitur non concepta alia, illæ rationes diſtinguntur. ſed hoc euenit in caſu noſtro. ergo ratio entis, & ratio talitatis diſtinguntur. minor probatur, quia quando intellectus poteſt affirmare vnum de altero, & non aliud, concipit illa vt diſtinctas rationes; nam ſi conciperet vt eandem rationem, non poſſet affirmare vnum, non affirmando alterum. ſed poteſt intellectus affirmare de aliquo ens, non affirmando de illo modum aut differentiam vllam ex his quæ immediatè diuidunt ipſum ens. ergo rationem entis, & rationem talitatis, intellectus vt duas rationes concipit. minor probatur, poteſt enim intellectus eſſe certus de aliquo quod ſit ens, & dubitare ſitne accidens aut ſubſtātia, quemadmodum Empedocles, verbi gratia, cenſuit lumen eſſe corpus, alij verò negarunt. ſi quis igitur audiuiſſet rationes tam Empedoclis quam aliorum, habuiſſentque apud ipſum probabilitatem, fuiſſet dubius vtrum lumen eſſet accidens vel ſubſtantia, & tamen certus fuiſſet cum iiſdem Philoſophis quod eſſet ens. ſimiliter quidam Philoſorum quantitatem & primas qualitates putarunt eſſe ſubſtantias, nemo tamen putauit non eſſe ens, & conſequenter vere affirmarunt quod eſſēt ens, falsò autem negarunt quod eſſent accidentia. ergo duo fuerunt diſtincti conceptus in mente eorum, nimirum, entis, & inalietatis. neceſſe eſt igitur ens dicere præciſam quandam rationem à ſuis differentiis. hoc autem poſito, benè probamus reliqua contra aduerſarios, quia ſi ratio conueniendi non includit rationes differendi, eſt perfectè & abſolutè vna. ergo eſt vniuoca, & conſequenter ratio entis erit ratio quædam vniuoca, quod erat probandum. rurſus autem, ſi rationes inferiores non inuoluātur in ratione ſuperiori; ergo rationi

ſuperiori

ſuperiori ſuperaddunt aliquid; ergo ipſæ rationes inferiores, prout dicunt ſuperadditum enti, non ſunt rationes in quibus inuoluatur ens; ergo modi qui primo diuidunt ens non ſunt formaliter entia. conſequentiam & probationem hanc quidam negant, cum tamen concedant antecedens, quia, inquiunt, iſtæ rationes ſe habent ſicut includens & incluſum, ens enim eſt ratio incluſa in omnibus, non tamen eſt ratio includens omnia formaliter. ſed profectò Scoti conſequentia optima eſt, & reſponſio hæc nullius momenti. *Scotus.* ſic enim argumentor. ens inuoluit omne includens rationem entis. ſed nihil eſt in modis quod non includat rationem entis formaliter per aduerſarios. ergo nihil eſt in modis quod non includatur in conceptu entis formaliter. rurſus, in tantum non inuoluitur aliquid in conceptu ſuperiori, in quantum ipſa ratio inferior non eſt conceptus ſuperior. ſed modi per aduerſarios non inuoluuntur ſecundum proprias rationes in conceptu entis. ergo ſecundum proprias rationes non ſunt entia. benè igitur & conſequentiſſimè Scotus poſita præciſione entis, negauit in modis & rationibus inferioribus illud inuolui. quare hac in re nunquam probare potui ſententiam Suarij loco citato, qui cum concedat *Reiicitur. Suareſius.* præciſionem entis ab inferioribus, vult tamen inferiora ab ente nulla ratione præſcindere, & conſequenter ens reſpectu eorum non eſſe vniuocum; nunquam, inquam, probare potui, quia manifeſtè implicat in terminis ens perfectè præſcindere à ſuis modis, & tamen modos inuoluere ens, vt patet ex iam dictis.

Dices prædictum argumentum probare quidem alietatem conceptus entis à conceptu ſuorum inferiorum, ſed non concludere vniuocationem. *Reſponſio Caietani & Piccolominei.* ita reſpondet Caietanus de ente & eſſentia cap. 2. & poſt ipſum Piccolomineus, & alij.

Sed contra eſt, quia, vt bene aduertit Rada, hæc ſolutio implicat contradictionem, quia ille conceptus obiectiuus eſt vniuocus, qui eſt perfectè vnicus præſcindens à conceptu ſuorum inferiorum. *Refutatur dicta reſponſio. Rada.* ſed per Caietanum conceptus entis eſt huiuſmodi. ergo conceptus entis eſt vniuocus; ergo argumentum probat etiam vniuocationem entis.

Dices. poteſt intellectus eſſe certus de vno conceptu & dubius de diuerſis, & tamen non habere conceptum de quo eſt certus alium à conceptibus de quibus eſt dubius. ergo nihil probat argumentum allatum. antecedens probatur tripliciter. primò, quia ſint tres in vno cubiculo quorum nomen ſit Petrus, & vnus ex illis percutiat quartum aliquem exiſtentem in eodem cubiculo, certus erit percuſſus ſe percuſſum à Petro, & tamen dubitabit à quonam Petro, & tamen Petrus non importat vnum conceptum communem pluribus. Secundo, ponantur in vno ſacco canis marinus & terreſtris, moueatur dein-

de illorum vnus, certus ero quod ille qui mouetur ſit canis, dubius tamen ero ſit ne terreſtris vel marinus, & tamen canis non dicit rationem vel conceptum aliquem communem. ergo neque valet in noſtro caſu argumentari prædicto modo de ente. Tertio controuertitur inter D. Thomam & Scotum, eorumque diſcipulos, an detur vniuerſale à parte rei. iam vterque certus eſt vniuerſale eſſe, dubitat tamen ſit ne reale, vel rationis; & tamen nihil eſt quod habeat conceptum vnum & neutrum à conceptu entis realis & rationis.

Reſpondeo allatum argumentum clariſſimum eſſe & veriſſimum, neque negari poſſe propoſitionem allatam, nam ſubiectum includit prædicatum. patet, quia nullus idem conceptus eſt dubius & certus eidem intellectui; aperrè enim repugnat intellectum meum, exempli gratia, de eodem conceptu rei ſimul eſſe certum & dubium. ad hoc autem vt capiatur ſolutio allatarum inſtantiarum in contrarium, aduerte diligenter ſenſum propoſitionis Scoti hunc eſſe; intellectus certus de vno conceptu alicuius rei, & dubius de aliis illius rei, habet conceptum de quo eſt certus alium à conceptibus de quibus eſt dubius; in inſtantiis autem allatis non affertur aliquis conceptus vnicus rei, de quo intellectus ſit certus, & aliqui de quibus ſit dubius, ſed tantum affertur effectus qui ab vna illarum cauſarum procedit, & à quanam ignoratur. patet hoc inductione; in prima enim, certus eſt aliquis ſe percuſſum à Petro. percuſſio hæc eſt effectus illi notus; ignorat autem quis Petrus fuerit, id eſt ignorat quæ fuerit determinata cauſa percuſſionis. idem eſt in ſecunda inſtantia, notus enim eſt mihi effectus, nempe motus, cauſa tamen determinata non eſt mihi nota. in his ergo duabus primis inſtantiis, non datur vnus conceptus notus, & alter ignotus, ſed effectus notus, & ignoratio determinatæ cauſæ illius effectus. in tertia autem inſtantia, reſpondeo non dari aliquem conceptum, de quo tam S. Thomas quam Scotus ſint certi, quamuis dentur conceptus de quibus ſint dubij, ſed diſputare inter ſe de primo conceptu vniuerſalis, ſit ne ens reale vel rationis. non ergo faciunt ad rem hæ inſtantiæ. aduerte tamen hic, hanc propoſitionem Scoti de qua diſputamus, ſupponere conceptum communem pluribus, quod omnes concedunt; & ſtante hac ſuppoſitione, concludit Scotus talem conceptum communem eſſe illum de quo intellectus in illa re eſt certus; tunc enim ille conceptus eſt neceſſario alius, & neuter ab aliis conceptibus de quibus eſt dubius. legi poteſt Antonius Trombetta in quæſtione de vniuocatione entis.

*Scotus.*

*Scotus.*

IX. Objicies primò cum Suario. ſi conceptus entis eſſet vniuocus, & præſcinderet ex natura rei, ergo etiam præſcinderet à Deo. ſed in Deo non diſtinguitur ex natura rei conceptus entis vt ſic à conceptu talis entis, ſcilicet increati vel infiniti. ergo neque in cæteris entibus. major

*Aduerſariorum fundamenta proponuntur & explicantur.*

conceditur. minor probatur, tum ex ſumma Dei ſimplicitate, nam ſi in eo eſſet aliqua diſtinctio ex natura rei, non eſſet ſumme ſimplex; tum etiam quia alias daretur in rebus aliqua ratio realis ex natura rei diſtincta ab omnibus aliis, ex ſe & natura ſua prior Deo vt Deus eſt, ſcilicet illa ratio entis, quæ in Deo eſt diſtincta à ratione Dei. hoc autem eſt impoſſibile, quia Deus vt Deus eſſentialiter eſt primum ens duratione, perfectione & natura. denique illamet ratio entis quæ in Deo eſt eſſentialiter, habet diuinas proprietates, vt independentem & increatam; vnde etiam ſecundum illam rationem entis prout eſt in re, infinitè Deus diſtat à creaturis. ergo in Deo non diſtinguitur ex natura rei conceptus entis vt ſic à conceptu talis entis, ſcilicet increati vel infiniti.

*Refellitur obiectio Suarezii.*

Reſpondeo conceſſa maiore negando minorem. ad primam probationem petitam à Dei ſimplicitate, dico nullam ſequi in Deo compoſitionem, quia ens ad Deum contrahitur per modos intrinſecos, ſeu gradus intrinſecos, non per differentias; ens enim cum contrahitur à ſuo modo & gradu intrinſeco, in Deo non eſt potentiale, ſed indifferens, neque contrahitur ab aliquo proprie perfectibili, ſed ſolum diuiditur in ſuos gradus & modos intrinſecos, ſicut albedo per hanc vel illam albedinem contrahitur tanquam per gradus intrinſecos ſine vlla compoſitione, quæ proprie non reperitur niſi inter proprie perfectiuum & perfectibile. in caſu autem noſtro non reperitur perfectiuum & perfectibile, quamuis reperiatur indifferens & illud quod contrahit. non reperitur ergo compoſitio, quia non reperiuntur ad compoſitionem requiſita, nimirum ratio perfectiui & perfectibilis. quamuis enim in Deo eſſe infinitum, eſſe independens, &c. contrahant rationem entis tanquam aliquid indifferens, non tamen contrahunt vt differentiæ contrahunt genus, ſiue vt perfectiuum perfectibile. ex quo colligitur diſcrimen quod intercedit inter modum intrinſecum & differentiam; diſcrimen enim in hoc conſiſtit, quod differentia habeat rationem extrinſeci actus, & perfectiui, ſicut conceptus generis, qui contrahitur per differentias, habet rationem potentialis, ita quod differentia videtur eſſe quid externum ipſi generi. vnde in quocumque gradu intelligatur animalitas, inquit Faber theoremate 96. cap. 2. nunquam reperitur in ea rationalitas, vel irrationalitas, quia rationale eſt quid extrinſecum animali; vnde adueniens illi facit cum eo compoſitionem. verum gradus intrinſecus realitatis, & gradus quartus albedinis, verbi gratia, adueniens albedini, non facit compoſitionem cum illa, quia non eſt quid extrinſecum illi, ſed intrinſecum, eamque perfectiorem reddit. ſed, inquies, ſaltem ex hac noſtra doctrina ſequitur dari inter attributa Dei diſtinctionem formalem; quod eſt inconueniens. reſpondeo non eſſe inconueniens,

*Faber.*

ſed neceſſarium, vt ex vera Theologia ſuppono; de qua re videri poſſunt ex recentioribus Theologis Faber in 1. diſt. 2. diſp. 20. Rada, Ægidius de Præſentatione, & alij. ad ſecundam probationem minoris argumẽti, dico impoſſibile eſſe dari realitatem aliquam priorem Deo, non autem conceptum; vel quod idem eſt, impoſſibile eſſe dari rationem aliquam ſubiectiuam priorem Deo, non autem rationem aliquam obiectiuam; ſeu impoſſibile eſſe dari aliquid prius Deo prioritate exiſtentiæ, non autem dari aliquid prius tantum prioritate generalitatis & prædicationis. aliquid autem eſſe primum ens duratione, perfectione, & natura, competit tantum naturæ, ſeu realitati ſubiectiuè, quæ primo & per ſe poteſt exiſtere, non autem conceptui alicui generaliſſimo, qui non prius durat, nec prius exiſtit, quam eius inferiora, in quibus, & virtute quorum ſolum exiſtit. ad tertiam minoris probationem, nego rationem illam entis quæ eſt in Deo, habere præcisè & formaliter, vt eſt ſimplex ratio entis, diuinas proprietates. nam præcisè vt eſt ratio entis, nihil habet niſi rationem entis, tamen vt illa ratio eſt iam non ratio entis ſimpliciter, ſed talis entis, tunc habet diuinas proprietates. vno verbo, ratio entis eſſentialiter & realiter habet diuinas proprietates, formaliter autem non habet.

*Rada, Ægidius de Præſentatione.*

*Aureolus.*

Obiicies ſecundo cum Aureolo. quandocunque differentiæ diuidentes conceptum aliquem ſic ſe habent, vt impoſſibile ſit dari medium per abnegationem & indifferentiam vtriuſque conceptus qui per tales differentias diuiditur, eſt denudatus ab omni vna ratione. ſed ens diuiditur per abſolutum & reſpectiuum, & non eſt aliqua ratio quæ ab abſoluto & reſpectiuo abſtrahere poſſit. ergo conceptus entis diuiſus per reſpectiuum & abſolutum eſt denudatus ab omni vnitate communi; ergo ille conceptus non eſt vniuocus.

Reſpondeo ad hoc argumentum variè ab authoribus reſponderi. quidam enim negant maiorem, quoad illam partem qua dicitur, impoſſibile eſſe dari aliquam vnam rationem abſtractam & indifferentem ad abſolutum & reſpectiuum. & ad probationem reſpondent, & dicunt fieri optime poſſe, vt ratio ſubiectiua entis concipiatur vt abſtrahit à termino cointellecto, & à termino non cointellecto. alij reſpondent abſolutum & reſpectiuum non eſſe contradictoria, ſed diſparata, & conſequenter nihil impedire quin detur aliquis conceptus obiectiuus communis. denique alij dicunt, quod etiamſi eſſent contradictoria abſolutum & reſpectiuum, poſſet tamen iis eſſe commune aliquid vniuocum; de qua re in ſolutione quartæ obiectionis dicendum erit.

Objicies tertiò. illud omne quod eſt vniuocum aliter definitur definitione rei, quam definitione nominis. ſed definitio rei & definitio nominis eiuſdem ſunt vna & eadem. ſi enim quæras quid ens ſi-

gnificet, reſpondebitur ſignificare id quod eſt in rerum natura. ſi quæras quid rei, illud idem reſpondebitur. ergo ens non eſt vniuocum.

Reſpondeo negando maiorem; contingit enim aliqua definiri eodem modo definitione quid rei, & definitione quid nominis, propter eorum maximam communitatem & ſimplicem rationem; tunc enim ſufficit nomen ad exprimendam illam rationem maxime generalem & ſimplicem. quod quidem non in ente modo, ſed & in generibus generaliſſimis fieri cernimus; nam & definitione quid rei, & definitione quid nominis, definitur ſubſtantia, verbi gratia, id quod ſubſiſtit, & quantitas ſecundum quam aliquid dicitur quantum.

Objicies quartò. illa quæ ſunt totaliter & immediatè ſub extremis contradictionis, nihil habent commune vniuocum, ſed Deus & creatura ſunt immediatè ſub extremis contradictionis, ſcilicet, ſub dependere & non dependere, quia Deus non dependet, creatura dependet. ergo nihil poſſunt habere commune vniuocum.

Reſpondeo cum Scoto, quod vel minor intelligit Deum & creaturas eſſe ipſamet extrema contradictionis, & tum falſiſſima eſt, quia Deus non eſt ſola negatio dependentiæ, aut creatura ſola negatio neceſſe eſſe; vel intelligit Deum & creaturas eſſe entia quibus competit iſta contradictio, & tunc conceſſa minori, dico maiorem eſſe falſam. nam id eſt commune omnibus membris diuidentibus aliquod ſuperius, quod illis ſemper conueniant extrema contradictionis, vt rationale, vel irrationale, & tamen non deſinit propterea eſſe illis communis aliqua ratio vniuoca. *Doctor ſubtilis.*

Dices. creatura pendet à Deo eſſentialiter, ſecundum omnem gradum quem includit. ergo etiam ſecundum gradum entis.

Reſpondeo negando antecedens. ratio negationis patet ex dictis, alias enim ſequeretur, quod quicquid participat eſſentialiter gradum entis ſit eſſentialiter dependens, cum omne illud ſit eſſentialiter dependens, quod eſſentialiter participat id quod eſſentialiter dependet, cuiuſmodi eſſet gradus entis. vnde quamuis nihil ſit in creatura quod realiter non pendeat à Deo, falſum tamen eſt quod quicquid eſt in illa pendeat à Deo, etiam ſub quauis ratione formali; ſicut dici poteſt, quod quicquid eſt in actu natum eſt pendere à potentia, licet illud non dicat ſub omni ratione formali, verbi gratia, in quantum eſt qualitas.

Objicies quintò cum Caietano. ſi ens eſt vniuocum ſubſtantiæ & accidenti, poterit poni in eorum definitionibus. hoc autem eſt contra Ariſtotelem 8. metaphyſices. ergo &c. *Obiectio Caietani.*

Reſpondeo ridiculum eſſe argumentum, valet enim in ſubſtantia, & quocunque ſuperiori vniuoco, & ſic in definitione ſpeciei ſpecialiſ- *Eius refutatio.*

ſimæ deberent poni omnia genera ſuperiora. dico ergo, non debere poni in definitione ſubſtantiæ aut accidentis, cum nec ſit genus, nec differentia.

Objicies ſextò. quando effectus non adæquat virtutem cauſæ, nomen vtrique commune non dicitur vniuoce de illis. ſed creaturæ quæ ſunt effectus Dei non adæquant virtutem eius. ergo non ſunt vniuocè entia cum Deo. major patet, nam quando effectus non adæquat virtutem cauſæ, non recipit ſimilitudinem eius ſecundum eandem rationem. ergo nec poteſt habere nomen vniuocum, cum nomen vniuocum dicatur ſecundum eandem rationem.

Reſpondeo maiorem veram eſſe, quando in nulla planè ratione adæquat effectus virtutem cauſæ; falſam autem eſſe, ſi in aliqua quāuis communiſſima ratione eam adæquet, maxime vero ſi ſecundum eam rationem communiſſimam vniuocari dicantur. in noſtro autem caſu creatura, quamuis ſecundum peculiarem rationem adæquet ſuæ cauſæ rationem, adæquat tamen ſecundum rationem communem entis, quia nihil entis vt ſic plus eſt in Deo quam in creatura, cum ex ſe ſit gradus indiuiſibilis, vt ſupra probatum eſt.

Objicies ſeptimò ens non eſt genus; ergo non eſt vniuocum. antecedens ex eo probatur ab Ariſtotele 3. metaph. text. 10. quia ſi ens eſſet genus, differentia non eſſet ens; nullum enim genus prædicatur de ſuis differentiis, atque adeò falſum eſſet dicere differentias entis eſſe entia. conſequentia probatur. ſi ens eſſet vniuocum, non poſſet eſſe aliud vniuerſale aut prædicabile quam genus, non enim eſt ſpecies, nec differentia, &c. ergo ſi non eſt genus, nec eſt vniuocum.

Reſpondeo primò Ariſtotelem eo loco in vtramque partem diſputare, nec aliquid definire. vide Auerroëm. reſpondeo ſecundò, concesso antecedente, negando conſequentiam, nam Ariſtoteles ex probatione qua probat ens non eſſe genus, potius cōfirmat quam infirmet noſtram concluſionem; non enim negat ens eſſe genus, propterea quod non ſit vniuocum, ſed propterea quod prædicetur propter ſuam communitatem de quibuſdam ſuis differentiis, nullum autem genus dicatur de ſuis differentiis. quomodo autem ens dicatur de ſuis differentiis, & de quibus dicatur, & de quibus non, ſtatim dicemus. neque dicas ens prædicari de pluribus differentibus ſpecie in quid, ac proinde eſſe genus. reſpondeo enim non prædicari in quid, quia non prædicatur vt aliquid determinatum, ſed vt aliquid tranſcendens; vnde petenti, quid eſt homo, non bene reſpondetur, eſt ens, quia quærit determinatè eſſentiam hominis.

*Porphyrius.* Objicies autoritatem Porphyrij, qui capite de ſpecie affirmat ens dici æquiuocè; *Si quis,* inquit, *omnia entia vocet, æquiuocè nuncupabit.* in qua etiam ſententia videtur eſſe Ariſtoteles plurimis locis, in quibus vide-

tur dicere ens non eſſe vniuocum ſubſtantiæ & accidenti; primo enim 7. metaphyſ. ait accidentia eſſe entia, ſicut Logici dicunt non ens eſſe ens, & non ſcibile eſſe ſcibile. ergo non conueniunt vniuoce in ratione entis cum ſubſtantia, in ſententia Ariſtotelis. Secundò phyſ. 1. text. 13. contra Parmenidem & Meliſſum, qui dicebant omnia eſſe vnum ens, ponit hoc principium, *ens multipliciter dicitur*, ex quo ſic arguit contra ipſos. ens multipliciter dicitur, ita vt entis aliud ſit aër, aliud aqua, aliud ignis, &c. ergo ſi omnia ſint vnum ens, aut erunt hoc vnum ens, aut illud, ſcilicet aut aër, aut aqua, aut aliud. ſed iſta conſequentia Ariſtotelica non valeret, ſi ens eſſet vniuocum; ſicut quia homo eſt vniuocus, hæc conſequentia non valet, omnis homo eſt vnus homo: ergo vel iſte vnus homo, vel ille vnus homo, &c. ergo ens non eſt vniuocum.

Reſpondeo intelligendum eſſe Porphyrium de æquiuocatione phyſica ſupra explicata, qua omnia entia præter ſpecies atomas ſunt æquiuoca. ad primum locum Ariſtotelis, dico iſta exempla non eſſe in eo rigore ſumenda, ſed in eo tantum fieri comparationem, quod quemadmodum intentiones Logicæ non ſunt primò ſcibiles, ſed ſecundò, quia prius cognoſcuntur primæ intentiones, ita Philoſophus agens hoc loco de ordine quo res definiuntur, dicit ſubſtantiam per ſe primo definiri, per ſe quidem, quia eſt vnum per ſe, primo vero, quia ſubſtantia præcedit omnia alia entia tempore, & cognitione; accidentia vero definiri quidem etiam per ſe, ſed non primo; per ſe quidem, quia accidens eſt vnum per ſe, cum ſit ens per ſe; eſſe autem ens per ſe, probat illa diuiſio, qua Ariſtoteles diuidit ens per ſe in decem ſumma genera; non primo vero, quia prius definitur ſubſtantia quam accidens. ita expreſsè Ariſtoteles his verbis. *Quod quid erat eſſe ſubſtantiarum eſt, & non ſolum, ſed aliorum ſimpliciter, non tamen primo. ens igitur*, addit Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 3. *vel quid, vel definitionem, habere, quodcumque iſtorum ſimpliciter dicitur de accidente, ſed non æquè primo, & non obſtante tali ordine poteſt bene eſſe vniuocatio.*

Objicies nono cum quibuſdam recentioribus poſt Aureolum in 1. diſt. 2. ille conceptus qui incidit in identitatem omnimodam, nullo penitus addito cum omni ratione, non habet aliquam vnam rationem vniuocam. ſed conceptus entis in idem coincidit cum omni ratione, nullo penitus addito ſibi; aut enim coincidit aliquo ſibi addito, aut nullo; hæc enim ſunt contradictoria. ſi aliquo, ergo ente addito; cum ens & aliquid idem ſint. ens autem addi non poteſt. ergo &c.

Reſpondeo quicquid ſit de majori, negando minorem; nam conceptus entis non coincidit cum omni plane ratione, nullo penitus addito, ſed aliquo. & cum infertur; ergo ente addito, quia ens & aliquid conuertuntur, diſtingo; addito ente quidditatiuo, nego; qualitatiuo,

nego; qualitatiuo, concedo. vel quod idem eſt, addito aliquo, quod ſit potius quid entis, quá ens. pro huius rei vlteriori intelligétia, aduerte duplicem eſſe prædicationé, vt ex Logicis conſtat, videlicet in quid, & in quale. genus & ſpecies prædicantur in quid, differentia vero, proprium, & accidens in quale; differentia in quale eſſentiale, proprium & accidens in quale accidentale. propriè itaque genera & ſpecies tantum ſunt prædicata quidditatiua, reliqua qualificatiua. ex quo infertur quod illa quæ proprie prædicantur in quid, habent rationem totius determinabilis & communicabilis inferioribus; alia vero prædicantur vt determinatiua tantum & qualificatiua, quia videlicet determinant illud totum determinabile. hinc colligitur ens, quámuis

*Paſſiones entis, modi, & vltimæ differentiæ non ſunt entia quidditatiuè.*

prædicetur vniuocè de omnibus, non tamen prædicari in quid de ſuis paſſionibus, neque de vltimis differentiis; alioquin non eſſent vltimę, ſed includerent alias differentias, quia includerent conceptum quidditatiuum & qualitatiuum. vnde non eſt hæc prædicatio in quid, vltima differentia eſt ens, ſed quaſi per accidens; quia, vt optimè docet

*Scotus.*

Scotus, eſt in quale. vnde paſſiones & vltimæ differentiæ ſunt conceptus ſimpliciter ſimplices, id eſt, non reſolubiles in plures conceptus; quia ſunt vltimi termini entis, non vlterius determinabiles, alias procederetur in infinitum contra Ariſtotelem 2. metaph. text. 10. & 11. ſi quæras, cur ens non prædicetur in quid de ſuis paſſionibus, nempe de vero, bono, &c. reſpondeo primò, quia eſt horum ſubiectum, & cadens in ipſorum definitione vt additum. ſecundò, quia paſſiones prędicantur de ente ſecundo modo, primo poſter. text. 3. ergo ens non prædicatur de iis primo modo, quia prædicationes per ſe non conuertuntur, primo poſteriorum. aduerte præterea prædicata ſumpta à differentiis vltimis, & ipſas vltimas, quandoque dici quidditatiua, quia pertinent ad rei quidditatem; verum non prædicantur propriè loquendo *in quid*, quia, vt diximus, hoc competit tantum generi & ſpeciei, ſed in quale, & quidem eſſentiale, ſi ſit differentia eſſentialis, vel accidentale, ſi proprium vel accidens. hoc poſito; non negamus ens prædicari de differentiis vltimis, ſed prædicari de iis in quid, ita vt componantur ex contracto, & contractiuo. quæ eſt ipſiſſima doctrina Ariſtotelis 10. metaphyſ. text. 12. vbi docet diſtingui diuerſum & differens, quia quæ differunt habent in quo conueniunt, & in quo differunt, & exemplificat de genere & ſpecie, in quibus ſunt conceptus determinabilis & determinatiuus; at diuerſa non habent tales conceptus, non enim habent in quo conueniant, & in quo differant (intellige neceſſario) ſed ſi habent, per accidens eſt, vt optime explicat eo

*Doctor ſubtilis.*

loco Scotus. huiuſmodi autem ſunt differétiæ vltimę ſpecificæ & indiuiduales. ens ergo non prædicatur in quid, ſeu vt totum, vel determinabile de paſſionibus, ſiue modis, & vltimis differentiis, quamuis, vt

ſtatim

ſtatim dicam, reſpectu illorum ſit prædicatum vniuocum. & hoc bene probant rationes quas affert Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 3. numero 6. quarum prima eſt, quia alioquin in differentiis daretur proceſſus in infinitum, quod, vt ſupra dixi, eſt conrra Ariſtotelem. Secunda, quia in phyſica compoſitione fit reſolutio in actum vltimum, & potentiam vltimam, ita vt actus nihil habeat potentiæ, nec è contra. ergo ſimiliter in cōpoſito ex conceptu determinabilis & determinatiui, fiet reſolutio in cōceptum determinabilem tantum, & determinatiuum tantum, qui eſt conceptus vltimæ differentiæ. vnde potius debent vocari entalia quam entis, nam aliquid eſſe ens proprie, non eſt tantum non eſſe nihil, vt ſtatim dicemus. hinc colligitur ſolutio multorum, quæ à Suario & aliis de vltimis differentiis contra hanc noſtram doctrinam de modis, differentiis vltimis, & paſſionibus entis objiciuntur.

*Occurrit author a gimentis Suariſicu.*

Objiciunt enim primò, quandocunque intellectus eſt certus & dubius de aliqua re, illa res non eſt ſimpliciter ſimplex, ſed compoſita ex multis realitatibus, de quarum vna eſt certitudo, & de altera dubitatio. ſed contingit intellectum eſſe ſimul certum & dubium de differentia vltima; certum quidem quod ſit ens, dubium autem quod ſit tale ens, puta qualitatiuum. ergo differentia vltima non erit ſimplex. ponendo autem illam eſſe compoſitam ex ente, & talitate entis, ratio entis de quo habetur certitudo prædicabitur de ea quidditatiuè; & cum prius certum ſit ipſam eſſe ens, quam eſſe tale ens, prius ens dicetur de ea, quam dicatur eſſe tale ens. tunc autem dicitur tantum ens de ea qualitatiuè, cum dicitur eſſe tale ens. ergo cum ens dicitur de ea, dicitur quidditatiuè; ergo dicitur quidditatiuè de vltima differentia. objiciunt ſecundò, ad quæſtionem quid eſt differentia vltima, bene reſpondetur vel eſſe nihil, vel eſſe aliquid. non eſſe nihil. ergo eſſe ens, quia ens & aliquid conuertuntur. tertiò ſic argumentantur. ex non ſubſtantiis non fit ſubſtantia 1. phyſicorum. ſed ex differentiis vltimis fiunt ſubſtantiæ primæ. ergo vltimæ differentiæ ſunt ſubſtantiæ. ergo ſunt entia quidditatiua, quia omnis ſubſtantia eſt ens quidditatiuum. quartò ſic argumentantur. plus conueniunt inter ſe differentiæ vltimæ, & proprietates entis, quam conueniant illæmet & nihil. ſed non poteſt excogitari aliud communius in quo conueniant, quam ens. ergo conueniunt in ente. quintò, quælibet creatura plus diſtinguitur à Deo, quam vltima differentia à quacumque realitate creata. at non obſtante diſtinctione creaturæ à Deo, datur aliquid commune vniuocum Deo & creaturæ. ergo vltimæ differentiæ, & cuicumque realitati creatæ, dabitur aliquid commune vniuocum quidditatiuum. ergo aliquid prædicabitur in quid de vltima differentia. illud autem maximè debet eſſe ens. ergo ens prædicabitur in quid de vltima differentia. denique modi entis ſimul cum ente conſtituunt varias rerum eſſentias,



Digitized by Google

verbi gratia, infinitum cum ente, Deum; finitum cum ente, creaturam: ergo ſunt reales & poſitiui. ſi autem huiuſmodi ſunt, quomodo mente concipi poteſt? eos non includere eſſentialiter & intrinſecè ens.

Reſpondeo tamen hæc & ſimilia argumenta friuola eſſe. ad primum enim conceſſa maiore, nego minorem; quia conceptus vltimæ differentiæ eſt ſimpliciter ſimplex, vnde cum ſcitur & attingitur, totaliter ſcitur & attingitur, & cum ignoratur totaliter ignoratur; vnde circa ipſum nequit eſſe ſimul certitudo & dubitatio, quia non poteſt ſecundum aliquid concipi, & ſecundum aliquid ignorari, vt ſupra diximus ex Philoſopho 4. metaphyſ. de conceptibus ſimpliciter ſimplicibus. eo igitur actu quo concipio vltimam differentiam, eodem concipio eam eſſe ens qualitatiuum, ſeu eſſe aliquid entale, quemadmodum eo actu quo concipio aliquid eſſe ens, concipio illud eſſe vltimo determinabile, & propterea quemadmodum ratio entis, vt ſic, eſt ſimpliciter ſimplex, circa quam non contingit certitudo & dubitatio, ita conceptus huiuſmodi entalis, vt ſic, eſt ſimpliciter ſimplex, circa quem non contingit certitudo & dubitatio ſimul. ad ſecundum reſpondeo neutrum propriè reſponderi, ſicut ſecundum Scotum in 2. diſt. 8. quæſt. 4. & alios Theologos non eſt bona conſequentia, nec bene infertur, pater in diuinis non eſt formaliter ſapientia, ergo abſolutè eſt non ſapientia, quia eſt realiter & identice ſapientia. eodem modo dici poteſt non ſequi, vltimæ differentiæ entis non ſunt ens formaliter, ergo ſunt non ens, ſunt enim entia identicè. dico ergo ad argumentum, vltimam differentiam, nec eſſe proprie nihil, nec propriè aliquid; non enim eſt nihil primò, nec etiam aliquid propriè, ſed potius aliquiddificans, ac per conſequens entale, non ens. ad tertium reſpondeo, ex non ſubſtantiis ſaltem partialibus non fieri ſubſtantias phyſicas, de quibus loquitur Philoſophus, fieri tamen ex non ſubſtantiis proprie ſubſtantias metaphyſicas, quales ſunt ſubſtantiæ primæ; ſufficit enim ad earum conſtitutionem aliquas eſſe ſubſtantias, & alia eſſe ſubſtantialia, aliqua eſſe entia, aliqua eſſe entalia; differentiæ vltimæ non ſunt ſubſtantiæ, ſed ſunt ſubſtantialia; non ſunt entia, ſed entalia, & conſequenter ens de eis non dicitur quidditatiue. ens enim quidditatiuum eſt conceptus entis determinabilis, ſiue, vt alij volunt, eſt illud non tantum quod non eſt nihil, ſed quod eſt, vel eſſe poteſt in rerum natura, ita vt vere dici poſſit, idquod exiſtit, vel exiſtere poteſt. ad quartum, conceſſa maiore, diſtingo minorem, quia duobus modis poſſunt in illo communi conuenire, vniuoce videlicet & quidditatiue, & ſic proprietates entis, & differentiæ vltimæ non plus conueniunt in ente, quam illæmet & nihil, ſicut nec vltimæ differentiæ ſubſtantiales plus conueniunt quidditatiuè in ſubſtantia, quam con-

*Scotus.*

ueniat vna earum & nihil. ſecundo ſic, vt differentiæ illæ eatenus dicantur in illo communi conuenire, quia ſunt vltimi termini, & extremitates illius communis vltimo determinantes ipſum, & ſic vltimæ differentiæ plus conueniunt, quam conueniant vna illarum, & nihil; quia quælibet vltima differentia eſt determinatiua entis, nihil autem non eſt determinatiuum entis. ſed hoc modo differentias vltimas conuenire in ente, non eſt conuenire in ipſo vniuocè, & quidditatiuè. ad quintum, reſpondeo nihil concludere. cuius ratio eſt, quia defectus prædicationis in quid de vltimis differentiis non prouenit ex maiori vel minori diſtantia entitatis extremorum, ſed ex oppoſitione formali rationis eorumdem extremorum. diſtantia autem Dei ad creaturas, eſt diſtantia entitatis non vt oppoſitæ entitati creaturarum, ſed vt ſuperantis in infinitum entitates creatas; quo fit, vt nonobſtante diſtantia illa, poſſit vtrique extremo eſſe aliquid commune vniuocum quidditatiuum. verum vbi eſt diſtantia oppoſitionis extremorum, vt in caſu noſtro, videndum eſt prius in quo gradu ſit iſta oppoſitio, & ſi tanta ſit, vt tollat omnem conuenientiam quidditatiuam, vel adhuc aliquam patiatur. in propoſito vero, oppoſitio cuiuſcumque entitatis determinabilis, & purè determinatiuæ, tanta eſt, vt nullam planè patiatur conuenientiam quidditatiuam, vt ſupra probauimus. ergo, &c. ad vltimum dato, & non conceſſo antecedente, dico modos entis eſſe reales, & poſitiuos modo explicato, & eſſe entia aliqua ratione, non tamen quidditatiuè & eſſentialiter. & certe cum eſſe modos entis, ſit potius entia eſſe talia, quam eſſe entia ſimpliciter, miror qua ratione Suarius (cuius hoc eſt argumentũ) concipere non poſſit ipſos eſſe verius qualitatiuè quam quidditatiuè entia, ſeu eſſe potius entalia, ſiue entis talitates, quam entia. concludo modos entis qualificare ens, eſſéque entalia, potius quam entia. *Reiicitur Suarius.*

Quæres, an ens ſit vniuocum ad omnia planè entia, tam quidditatiua, quam qualitatiua.

Reſpondeo eſſe. nec valet ſi dicas rationes entis quidditatiui & qualitatiui eſſe diuerſas, & rationem entis qualitatiui habere analogiam ad ens quidditatiuum; illa ſiquidem diuerſitas & analogia non tollit vniuocationem, quippe quæ ſecum patitur vnitatem conceptus entis, qui conſiſtit in hoc præciſè, quod non ſit nihil, aut aliquid fictum, ſed ſit aliquid reale. at verò, tam ens qualitatiuum, quam ens quidditatiuum eſt aliquid reale, & non nihil. ergo ens eſt vniuocum ad omnia planè entia, tam qualitatiua, quam quidditatiua.

# QVÆSTIO TERTIA:

## *De proprietatibus entis, vno, vero, bono.*

I. DE proprietatibus incomplexis entis, id eſt de vno, vero, & bono, duo præcipuè quæri ſolent. primum eſt, an ſint veræ proprietates entis. ſecundum, an ſint aliquid poſitiuum enti formaliter ſuperadditum, necne; & in vtroque diſſentiunt authores. dicam breuiter quid de vtroque ſentiam, vt perfectius natura entis intelligatur.

II. Dico itaque primò, vnum, verum, bonum, eſſe veras proprieta-
*Prima concluſio Autheris.* tes entis. hæc concluſio eſt contra Suarium diſput. 3. metaph. ſectione
prima, & recentiores communiter. eſt tamen Ariſtotelis loco citan-
*Scotus.* do, Doctoris ſubtilis in 2. diſt. 16. quæſt. vnica §. *ſed quia.* & om-
nium fere antiquorum, quorum doctrinam hac in parte amplectun-
*Meuriſſius.* tur ex recentioribus Meuriſſius libro 2. rerum Metaphyſ. cap. 2. quæſt.
*Fonſeca.* prima concluſione vnica, Fonſeca 4. Metaphyſ. cap. 2. quæſt. 3. & q. 5. ſect. 2. & alij.

*Prima aſſertionis probatio.* Probatur concluſio primo ex Ariſtotele 4. metaphyſ. cap. 2. vbi docet quod ſicut numeri, prout numerus eſt, propriæ paſſiones ſunt, vt paritas, imparitas, &c. & ſicut ſolidi, mobilis, immobilis, grauis, leuis, &c. veræ paſſiones ſunt; ita entis, vt ens, aliqua propria ſunt. ergo ens, vt ens, habet veras & proprias proprietates. videri poſſunt in hunc lo-
*Scotus, Alenſis.* cum citatus Doctor Subtilis, & Doctor Irrefragabilis.

*Secunda probatio.* Probatur ſecundò concluſio euertendo fundamentum recentiorum contrariæ ſententiæ. dicunt enim propterea ens non habere veras ac proprias paſſiones poſitiuas, quia nullum ſubiectum debet eſſe de intrinſeca ratione, definitione, & eſſentia ſuæ proprietatis ex Ariſtotele 7. metaphyſices cap. 5. textu 18. & primo poſter. textu 35. nulla autem reperiri poteſt entis proprietas, de cuius intrinſeca ratione ac definitione non ſit ens, alioqui eſſet nihil, quod implicat. ergo &c. hæc autem ratio nullius eſt momenti. ergo ens habet veras proprietates. quod hæc ratio nullius ſit momenti patet; nam vt ex dictis ſupra de vniuocatione entis conſtat, nulla proprietas entis eſt ens quidditatiuè, ſed tantum qualitatiuè. quapropter proprietates entis non dicunt gradum ipſum entis, ſed tantum rationes aliquas quæ circa ipſum ſunt, quas Scotiſtæ vltimas extremitates entis appellant, & Ale-
*Alenſis.* xander Alenſis prima parte quæſt. 13. membris primo & ſecundo primas determinationes entis vocat. vnde quemadmodum homo præ-

dicatur quidditatiuè de Petro & Paulo; non autem de riſibili; ſic ens
prædicatur quidditatiuè de Deo & creatura, non autem de ſuis pro-
prietatibus. ratio ergo aduerſariorum nihil concludit. hinc

Dico ſecundo, vnum, verum, bonum, ſuperaddere enti aliquid III.
poſitiuum ab eo formaliter diſtinctum. ita Doctor Subtilis in 2. diſt. *2. aſſertio.*
3. quæſt. 2. §. *Concedo igitur*, & 4. metaphyſ. quæſt. 2. Antonius Andreas *Scotus. Ant. Andreas,*
ibidem quæſtione 3. Irenæus Braſauolus in vniuerſalia Scoti quæſtio- *Irenæus Braſauolus,*
ne 22. & reliqui Scotiſtæ, Richardus de Media Villa conterraneus *Richardus,*
in 2. diſt. 24. art. 1. quæſt. 2. Alenſis, D. Bonauentura, & alij veteres, con- *S. Bonauentura.*
tra Suarium diſput. 4. metaphyſ. ſectione prima, Fonſecam 4. meta-
phyſices cap. 2. quæſt. 5. & alios.

Probatur concluſio per partes. prior pars de vno ſic probatur. *Probatio aſſertionis.*
quamuis ambæ hæ rationes, eſſe diuiſum & eſſe indiuiſum, videantur
negatiuæ formaliter, quia quælibet illarum negationem alterius vide-
tur ſignificare, & ita explicare ſoleamus; tamen certum eſt alteram
earum formaliter eſſe poſitiuam, quia inter ſe opponuntur, vt imme-
diatè vna ab altera deſtruatur. non autem immediatè vna negatio ab
altera deſtruitur, ſed negatio ab affirmatione immediatè deſtruitur, &
hæc ab illa. vna ergo illarum eſt poſitiua. ſed hæc non eſt niſi indiui-
ſum, ſeu vnum. ergo eſſe indiuiſum, ſeu eſſe vnum, eſt aliquid poſiti-
uum. minor probatur. diuiſio eſt negatio. ergo indiuiſio, quæ imme-
diatè diuiſionem deſtruit, eſt quid poſitiuum, quia etiam negatio ſu-
per negationem cadens affirmat. antecedens probatur, quia rem eſſe
diuiſam ab alia, non eſt niſi non eſſe aliam, vt docet D. Thomas prima *S. Thomas.*
parte quæſt. 11. art. 2. ad 4. & de potentia quæſt. 9. art. 7. & poſt ipſum
Soncinas 10. metaph. quæſt. 4. & alij. probatur ſecundò. eadem pars *Soncinas.*
de vno, niſi vnum eſſet aliquid poſitiuum, non eſſet prima paſſio en-
tis. ſed eſt prima paſſio entis. ergo &c. maior patet, quia ratio realis
& poſitiua debet habere proprietates reales & poſitiuas. confirmatur,
quia niſi vnum diceret rationem aliquam poſitiuam, neque poſſet di-
cere priuationem, quod aduerſarij non concedent. ſequela probatur,
quia priuatio eſt carentia in ſubiecto apto nato. vnũ autem non ſigni-
ficaret in ente carentiam alicuius poſitiui, quod aptum ſit ens habere;
maximè enim ſignificaret carentiam diuiſionis. plura autem ſunt en-
tia quæ non ſunt apta diuidi, vt Deus, & aliæ res ſimplices, quæ tamen
habent vnitatem. vnde indiuiſio in communi ſumpta eſſet mera ne-
negatio. omnis autem negatio quæ intrinſecè rem concomitatur, per
aduerſarios, fundatur in aliqua affirmatione. ergo &c. denique pro-
batur hæc veritas Theologicè. in Deo omnia attributa ſunt perfectio-
nes reales & poſitiuæ, attributum autem eius eſt vnum, quod conſiſtit
in aliquo poſitiuo, & in vnitate omnimoda illius eſſentiæ, & proue-
nit ex infinita perfectione. reſpondet Caietanus 1. parte quæſt. 11. ar-

*Reſponſio Caietani & D. Thomæ.* ticulo primo, vnitatem non ſignificare perfectionem. quod probat, quia alioqui multitudo perſonarum in diuinis eſſet imperfectio. idem *Impugnatur prædicta reſponſio.* indicat D. Thomas 1. parte quæſt. 6. art. 3. ad 1. ſed cõtra reſponſionem facit, quia cum vnitas & multitudo opponantur, vnitas quæ deſtruit imperfectam multitudinem dicet perfectionem; multitudo vero quæ non vnitatem neceſſariam ad perfectionem tollit, non dicet imperfectionem, neque vnitas ei oppoſita perfectionem dicet. & ita eſt in argumento; vnitas enim Dei ſine dubio eſt magna perfectio, pluralitas tamen perſonarum quæ tali vnitati non repugnat, non eſt imperfectio, ſed maxima perfectio; quod nobis ſatis eſt, vt oſtendamus vnitatem non eſſe negationẽ, quia ſæpe dicit perfectionem. confirmatur, quia vnitas in ratione completa, perfecta, & vltima ſemper eſt perfectio, imo perfectio ſimpliciter ſimplex, vt in Deo eſſe vnum perfectio eſt, & in perſonis eſſe vnum Patrem, vnum Filium, vnum Spiritum ſanctum, & pluralitas his eſſet maxima imperfectio. vnitas vero perſonæ non pertineret ad perfectionem, quia ratio perſonæ non eſt completa & vltima, ſed velut omnia. hic aduerte aliud eſſe dicere vnum, aliud ſolum, quia in qualibet re eſſe vnam eſt à perfectione, eſſe non ſolam non eſt illi perfectio abſolutè loquendo. vnde Petro, verbi gratia, perfectio eſt eſſe vnum, tamen non eſſe hominem præter eum ei perfectio non eſſet; Deo vero perfectio eſt non poſſe eſſe alium Deum, quia oritur ex eius infinitate; vni autem perſonæ diuinæ non eſſet perfectio non eſſe aliam, quia perſonarum pluralitas non tollit infinitatem cuiuſuis perſonæ. & hinc probatum ſufficienter manet vnum dicere aliquid poſitiuum. iam vero quod diſtinguatur formaliter ab ente, patet; quia, vt benè argumentatur Anto- *Antonius Andreas.* nius Andreas quarto metaph. quæſt. 4. ſi ens & vnum dicerent vnam naturam quidditatiuè & formaliter, eſſet nugatio, ſi quis diceret, ens eſt vnum. confirmatur, quia ſi formaliter eſſent vnum, prædicarentur de ſe mutuo in abſtracto, veraque eſſet hæc prædicatio, entitas eſt vnitas. hoc autem eſt abſurdum. ergo &c. confirmatur ſecundò, quia hæc eſt doctrina Ariſtotelis 4. metaph. cap. 2. vbi docet ens & vnum ſignificare vnam naturam, & realiter idem eſſe, ſed ratione, (quod Ariſtoteles ſæpiſſime vſurpat pro formaliter) differre, nec eſſe *Scotus.* ſynonima; in quem locum videri poteſt Subtilis Doctor.

Probatur iam eadem veritas concluſionis de vero & bono facile. & primo quidem quod ſint aliquid poſitiuum, nulla eſt inter authores controuerſia; quis enim vnquam probabiliter aſſerere potuit conceptum obiectiuum boni & veri non eſſe poſitiuum, ſed negatiuum? quod vero verum & bonum formaliter diſtinguantur ab ente probatur breuiter, quia eadem eſt ratio veri & boni ac vnius. ſed vnitas, vt iam probatum eſt, eſt aliquid formaliter enti ſuperadditum. ergo

etiam verum & bonum. confirmat hoc totum Alenſis loco citato membro 2. ad 2. ex eo quod niſi prohiberet ratio intelligendi, qua intelligi non poteſt niſi verum, intellectus etiam à parte rei intelligeret ens non cointellecto vero, ſicut intelligit ens non cointellecto bono. ergo falſum eſt ens, in quantum ens, ex eo præciſè quod tale eſt, abſque vllo formaliter illi addito, habere rationem veri & boni. quæres an verum & bonum ſint formaliter aliquid abſolutum vel relatiuum. reſpondeo controuerti hoc inter authores, & vtrumque ſuſtineri poſſe iuxta doctrinam Scoti, qui nihil hac de re ſtatuit. ego facilius arbitror dicere eſſe aliquid abſolutum, quamuis fundent deinde relationes.

Objicies primò, dictum eſt vnum addere aliquid poſitiuum ſupra ens. ergo neceſſariò addit ens ſupra ens, quia idem eſt, ens eſſe, & eſſe aliquid. hoc autem planè abſurdum videtur, quia enti vniuerſaliter ſumpto, & ſecundum omnem ſuam latitudinem, nihil poteſt addi. IV. *Aduerſariorum argumenta ſoluuntur.*

Reſpondeo hoc argumentum leuiſſimum eſſe, quamuis quidam magni faciant. neganda enim eſt conſequentia, quia hoc loco aliquid à nobis ſumitur, prout latius patet quam ens; nam ſumimus hoc loco ens, pro ipſa ratione eſſendi duntaxat, aliquid vero pro eo omni quod quauis ratione pertinet ad ipſam rationem eſſendi, cuiuſmodi ſunt proprietates entis, quæ, vt ſupra diximus, quæſtione de vniuocatione entis, non tam ſunt entia, quam modificationes entis, vel, vt loquitur Alenſis, determinationes entis, quæque quamuis non ſint formaliter entia, tamen non ſunt nihil, quia realiter & identicè ſunt entia. adde ſi dicatur ens & aliquid æquè latè patere, dici adhuc poſſe vnum ſupra ens, ens addere, videlicet ens qualitatiuum ad ens quidditatiuum; vnum enim non eſt ens quidditatiuè, vt ſupra diximus, dum ageremus de vniuocatione entis, ſed ſolum qualitatiuè. *Alenſis.*

Objicies ſecundò, ens ſecundum naturam ſuam eſt vnum. ergo vnitas non eſt proprietas illi ſuperaddita. antecedens patet, quia hoc ipſo quod natura aliqua talis eſt, eſt ſicut numerus, cui nihil addi vel detrahi poteſt quin mutetur. ergo vt talis eſt, eſt in ſe indiuiſa. ergo vna.

Reſpondeo verum eſſe, ens ſecundum ſuam naturam ſpectatum vnum eſſe, & omnem quidditatem eſſe in ſe indiuiſam, verum alia ratione formali eſſe quidditatem, alia eſſe vnam, ſeu indiuiſam; nam quatenus quidditas eſt præciſè, nec eſt ſibi eadem nec diuerſa, ſed ab vtroque abſtrahit ac præſcindit. ſimiliter conceptus entis præciſè dicit tantum rationem eſſendi præſcindentem ab vnitate & multiplicitate, quia ſimpliciter vt eſt ratio entis, non eſt ratio entis vt vnius, alioqui concipi non poſſet ens, quin conciperetur vt vnum;

quod tamen eſt omnino falſum.

Sed inquies, vnum ſeipſo vnum eſt, nullo ſuperaddito; quare ergo ens non poteſt eſſe ſeipſo vnum, nullo ſuperaddito?

Reſpondeo, quia ens eſt id quod eſt, vnum autem eſt id quo ens eſt vnum; propterea vnum eſt ſeipſo vnum, id eſt, nullo addito, quamuis ens non ſit vnum, niſi aliquo addito. addo vnum non eſſe propriè vnum, vel quod idem eſt vnitatem non eſſe vnam; quandocumque enim aliqua ſunt rationes quibus alia denominantur talia vel talia, rationes illæ non denominantur tales.

# QVÆSTIO QVARTA.

## *An eſſentia diſtinguatur ab exiſtentia? & an eſſentiæ ab æterno habuerint verum & reale eſſe?*

I. AGimus hoc loco de exiſtentia ſolum, & eſſentia rerum creatarum, de quarum diſtinctione non leuis eſt, tum inter veteres, tum inter recentiores, controuerſia.

*Prima ſentẽtia negans. Alenſis, Durandus, Gabriel, Greg. Ariminẽſis Gabriel Vaſquez Frãciſcus Suarez Pererius, Hurtadus.*

Prima ſententia vult inter vtramque intercedere tantum diſtinctionem rationis, vt vocant, ratiocinatæ. citatur pro hac ſententia Alexander Alenſis 4. metaph. text. 4. Gabriel in 3. diſt. 6. quæſt. 2. art. 1. Durandus in 1. diſt. 8. quæſt. 2. Gregorius Ariminenſis ibidem qu. 3. articulo primo, & alij; eamque amplectuntur ex recentioribus Gabriel Vaſquez prima parte quæſt. 6. diſput. 24. cap. 2. Franciſcus Suarius diſput. 31. metaphyſicæ §. 13. Pererius, Hurtadus, & alij.

*Secũda affirmãs. Boetius, S. Thomas, Zanardus, Coronadus, Scotus. Raconiſius, Albertinus, Fonſeca, Molina.*

Secunda ſententia vult inter illas intercedere diſtinctionem nemine cogitante, quamuis deinde inter ſe diſſentiant vtrum illa diſtinctio dici debeat formalis, vel realis. hanc ſequuntur Sanctus Martyr Boëtius libro de duabus hebdomadibus capite primo, vbi *Diuerſum eſt*, inquit, *eſſe, & id quod eſt*, S. Thomas de ente & eſſentia cap. 5. & 2. contra gentes cap. 52. Zanardus 4. metaph. quæſt. 9. Coronadus tract. de exiſtentia creata qu. 2. & reliqui Thomiſtæ; Scotus in 3. diſt. 6. quæſt. 1. & poſt ipſum Scotiſtæ. ex recentioribus Raconiſius in metaphyſica diſp. de principiis complexis ſectione 3. quæſt. prima articulo 3. & 4. Fonſeca 4. metaph. quæſt. 4. ſectione 3. Albertinus tomo 2. Corollariorum Theologicorum in prædicamento ſubſtantiæ diſp. 2. quæſt. 1. Molina, & alij. cum quibus

*Prima concluſio, diſtingui nemine cogitante eſſentiã ab exiſtentia.*

Dicendum exiſtimo primo nemine cogitante diſtingui inter ſe eſſentiam & exiſtentiam.

*Prima probatio ex Ariſtotele.*

Probatur aſſertio primo ex Ariſtotele 2. poſteriorum textu 7. vbi ſcribit

ſcribit aliud eſſe quid eſt homo, aliud quod ſit, *Quid autem*, inquit, *eſt homo, & eſſe hominem, aliud eſt*; vnde paulo poſt ait, quod eſſe nulli ſit ſubſtantia, id eſt eſſentia. ſupereſt ergo quod ſit aliquid ſuperadditum eſſentiæ, idque nemine cogitante; neque enim eo loco ſermo eſt de diuerſitate per intellectum, vt legenti patet, ſed de diuerſitate quæ eſt in re, quam ſignificat Philoſophus illa voce, *aliud*. eandem doctrinam tradit 3. de anima textu 9. *aliud* (inquit) *eſt magnitudo, & magnitudini eſſe, & aqua, & aquæ eſſe*.

Probatur ſecundò. niſi eſſentia & exiſtentia diſtinguerentur realiter, non poſſet Deus intelligere eſſentias non exiſtere; quod difficilius eſt in creaturis poſſibilibus, quas cũ poſſet Deus producere, nunquam producet. quomodo enim Deus intelligit nunquam fore vt illæ exiſtant? difficultas in eo eſt, quia Deus non concipit res modo imperfecto, & ideo quæ in re coniuncta ſunt non diuidit. vnde ſi exiſtentia nihil aliud eſt niſi entitas eſſentiæ, videtur plane impoſſibile concipere eſſentiam, & non formare conceptum exiſtentiæ, & conſequenter quin eſſentiæ exiſtentiam tribuat. *Secũda probatio.*

Probatur tertiò. ſi eſſentia & exiſtentia idem eſſent, nunquam poſſet eſſe vera hæc propoſitio, eſſentia non exiſtit. at hoc eſt apertè falſum, loquendo de eſſentiis creatis, de quibus ſermo eſt. ergo non identificantur. ſequela maioris probatur, quia impoſſibile eſt vt idem de ſe ipſo vere negari poſſit. ergo ſi idem ſunt eſſentia & exiſtentia, non poterit vnquam negari eſſentiam exiſtere. *Tertia probatio.*

Reſpondebis cum quibuſdam recentioribus, de eſſentia actuali nunquam negari poſſe exiſtentiam, quamuis de eſſentia poſſibili negari poſſit; atque ita non procedere argumentum. *Reſponſio aduerſariorum.*

Sed contra eſt, quia ex hac reſponſione habemus intentum. nam eſſentia poſſibilis, & eſſentia quæ intelligitur ſubſterni exiſtentiæ, non differunt inter ſe. ergo ſi eſſentia poſſibilis diſtinguitur ab exiſtentia, quia poteſt hæc de illa negari, diſtinguetur etiam ab eſſentia actuali, quod eſt id quod volumus. *Reiicitur.*

Probatur quartò, quia quando ſunt duo quædam, quorum vnum habet ſuum eſſe realiter ſine altero, diſtinguntur realiter, vt patet ex alibi dictis. ſed talis eſt eſſentia reſpectu exiſtentiæ. ergo eſſentia ab exiſtentia diſtinguitur realiter. minor patet. nam eſſentia habet quoddam eſſe, quod ſemper retinet, ſiue exiſtat, ſiue non exiſtat, vt ſequenti concluſione dicemus. quod iam breuiter confirmari poteſt ex eo, quod eſſentiæ rerum creatarum antequam exiſtant, excludant à ſe rationem contradictionis, alioquin nunquam poſſent exiſtere, quia non poteſt eſſentia, quæ prius erat impoſſibilis & inuoluens contradictionem, ceſſare inuoluere contradictionem & fieri poſſibilis. cuius ratio eſt, quia ſi prius inuoluebat contradictionem habebat terminos *Quarta probatio.*

tt

deſtruentes ſe inuicem. aut ergo poſtea remanſerunt iidē termini, ſine vlla ſui mutatione, & conſequenter eodem modo ſe deſtruent; aut mutatum eſt aliquid in illis, tunc autem ſemper fuit verum, quod iſti termini, qui nunc ſe non deſtruunt, accepti eo modo quo nunc ſunt nunquam ſe deſtruxerunt. eſſentia autem hæc non inuoluit terminos cum conditionibus cum quibus ſe deſtruebat. ergo hæc eſſentia nunquam implicauit contradictionem; atque hoc eſt certiſſimum apud omnes. iam vero eſſe non implicans contradictionem, eſt participare rationem entis realis. ergo eſſentię antequam exiſtant participant rationem entis realis. minor probatur, videlicet, quod omne non implicans cōtradictionem, excludendo illam ſit ens reale, quia ſi excludit contradictionem, habet aliquid in ſe ratione cuius impoſſibile ſit illud vnquam identificari non enti. ſed nihil eſt quod non poſſit identificari non enti ſimpliciter & abſolutè ſumpto, niſi quod habet aliquam rationem entis. ergo quidquid excludit implicantiam contradictionis eſt ens. Nam ſi fieri poteſt, ponamus hoc, quod ex ſe excludit implicantiam contradictionis aliquando idētificari non enti, quoniam igitur non ens eſt contradictorium entis, neceſſario identificabitur contradictotio entis. ergo non erat ex ſe excludēs contradictionem, vel retinens excluſionem contradictionis ſimul includet illam, quod eſt impoſſibile. nam ſi retinet excluſionem contradictionis, habebit vt non inuoluat contradictionem vbicumque reperiatur. quoniam autem ponitur identificari non enti, neceſſario identificabitur contradictioni. ſimul igitur includet & excludet contradictionem. neceſſe eſt ergo omne excludens contradictionem habere aliquam rationem entis. Et certè negari non poteſt, quod quæ implicant contradictionē ſint magis nō entia, quam quæ non implicant, & non exiſtunt. iſte autem receſſus ab ente non poteſt eſſe, niſi ſecundum quod vnum magis habet rationem entis quam alterum; clarum enim eſt quod non alio modo vnum recedit magis quam alterum, niſi quia inter duos illos terminos datur aliquid medium, quod aliquo modo participat vtrumque extremum, vt nox magis recedit à luce meridiana quam crepuſculum, quia crepuſculum medio quodam modo ſe habet inter omnino luminoſum & omnino obſcurum. ergo eſſentiæ priuſquam exiſtant, debent medio quodam modo ſe habere inter perfectè ens & omnino nihil, & per conſequens debent aliqua ratione participare naturam entis. Concludo, eſſentiam diſtingui realiter ab exiſtentia, cum ante omnem exiſtentiam habeat verum eſſe.

*Alia probationes aſſertionis.* Probatur quintò concluſio à ſancto Thoma 2. contra gentes cap. 52. hoc pacto. Quæcunque identificāt ur inuicem, ea nō vniuntur ſibi inuicem ex vi cauſæ efficientis, quia, vt indicat ibidem idem Angelicus *D. Thomas.* Doctor, quomodo fieri poteſt vt id quod ſeipſo tale eſt, ſit tale ex vi

alicujus cauſæ efficientis? ſed exiſtentia & eſſentia inuicem vniuntur ex vi cauſæ efficientis, non enim conuenit eſſentia rei illi per cauſam effectiuam & per aliud, quia non datur ratio cur homo ſit animal rationale, exiſtentia vero conuenit per aliquid, datur enim cauſa cur aliquid ſit actu, nempe quia eſt productum. ergo eſſentia & exiſtentia realiter non identificantur.

Probatur denique ab alijs, ex eo quod ex contraria ſententia ſequatur tantam eſſe neceſſitatem hujus propoſitionis, homo exiſtit, quanta eſt illius, homo eſt animal rationale. hoc autem eſt abſurdum. ergo abſurdum quoque erit eſſentiam non diſtingui ab eſſentia nemine cogitante. verum hæc 2. ratio non multum probat, vt infra dicemus.

Obijcies primo ex Philoſopho 4. Metaph. idem ſunt homo & ens homo. ergo exiſtentia rei per quam fit ens homo, non diſtinguitur ab ipſa eſſentia hominis. *obiectiones aduerſariorum diluuntur.*

Confirmatur ex eodem loco. quæcumque eadem generatione generantur, & eadem corruptione corrumpuntur, ſunt vnum & idem. ſed eſſentia & exiſtentia eadem generatione generantur, & eadem corruptione corrumpuntur. ergo exiſtentia & eſſentia ſunt vna & eadem res.

Reſpondeo, Fonſecam 4. Metaph. cap. 2. quæſt. 14. ſect. 5. velle Ariſtotelem ibi per ens intelligere ens eſſentia. verum hęc ſolutio ſtare non poteſt, quia nihil diuerſum diceret Philoſophus, cum dicit homo, & ens homo, ſi ens ſumeret pro ente eſſentiæ, & conſequenter fruſtra & nugatoriè quæreret an homo & ens homo eſſent idem. Reſpondeo ergo Ariſtotelem, cum comparat hominem ad ens hominem, non comparare eſſentiam hominis ad exiſtentiam, ſed eſſentiam hominis ad ſeipſam, vt ſtat ſub modo exiſtendi, & dicit eſſe eandem eſſentiam; quia exiſtentia, quamuis ſit actus eſſentiæ, non tamen eſt actus conſtituens illam in alia ratione formali, ſed tantum eſt actus conſtituens illam eadem quæ erat in potentia obiectiua, conſtituens, inquam, illam tandem in actu exiſtentiæ extra cauſas ſuas.

Ad confirmationem reſpondeo; quæ vnica generatione generantur vt quod, eſſe vnum à parte rei. quod ſi comparatio fiat inter duo, quorum vnum fiat vt quod, aliud vt quo, nego ſemper eſſe idem à parte rei. idem pariter nego, ſi fiat comparatio inter duo, quorum vtrumque fiat vt quo. vnde ad minorem, dum dicitur, eſſentia & exiſtentia vnica generatione fiunt, reſpondeo vtramque fieri eadem generatione, ſed vt quo, ſi eſſentiam & exiſtentiam comparemus ad ſuppoſitum, vel ad totum quod habet eſſentiam & exiſtentiam; vel eſſentiam vt quod, exiſtentiam vt quo, ſi hæc ſolum comparemus ad inuicem. atque ita nego conſequentiam.

III. Obijcies ſecúdo. ſi exiſtẽtia diſtinguitur ab eſsẽtia, recipitur in eſsẽtia. ſed hoc eſt impoſſibile. ergo &c. minor probatur, quia quod in alio recipitur, debet ſupponere illud in quo recipitur exiſtens. ergo exiſtentia nó poteſt recipi in ſola eſſentia. Neq; reſpódeas peculiare eſſe in exiſtẽtia, vt nó ſupponat exiſtens, & in quo recipitur. Ne, inquá, hoc reſpondeas, quia vel recipitur in ente actu, vel in nihilo. nó in nihilo, vt patet. ergo in aliquo, ergo in ente actu. ſed omne quod eſt actu, eſt actu per exiſtentiam. ergo exiſtentia recipitur in re exiſtente. & confirmatur, quia quæro de eſſentia prout, diſtinguitur ab exiſtentia, vtrum ſit aliquid actu dum ſubſtat exiſtentiæ, vel non. ſi eſt aliquid actu, ergo ſeipſa eſt actu, ergo ſeipſa exiſtit; ſi non, ergo exiſtentia recipitur in non ente actu, quod videtur abſurdiſſimum.

Reſpondeo exiſtentiam recipi in eſſentia. Ad illud quod obijcitur, quod omne quod in alio recipitur ſupponat illud in quo recipitur exiſtens, vniuerſaliter loquendo falſum eſt; non enim eſt verum ſi id quod recipitur ſit exiſtentia, vel aliquid ad illam pertinens, aut ordinem dicens; ſicut enim nulla forma ſupponit ſeipſam, ita neque exiſtentia. Et ſane aduerſarii ipſi non diſtinguentes eſſentiam ab exiſtentia niſi ratione, hoc idem tenentur dicere, ſine dubio enim concipi poteſt ſine vllo abſurdo exiſtentiá recipi in eſſentia. ergo de conceptu receptiui non eſt eſſe exiſtens. ſi enim eſſet de ejus conceptu, implicaret in adjecto concipere exiſtentiam recipi in eſſentia. & confirmatur, quia non poteſt concipi cauſa efficiens agere, abſque eo quod concipiatur exiſtere, quia ſcilicet exiſtere pertinet ad rationem cauſæ efficientis. ergo ſi exiſtere pertinet ad rationem cauſæ receptiuæ, non ſolum ſubiectum nó poterit recipere formam à parte rei, niſi ſit exiſtés, ſed neque concipi poterit recipere. ſed concipi poteſt. ergo non eſt de conceptu ejus exiſtentia. Denique hoc videtur clarum ex terminis. poteſt hoc concipi ſine illo ergo illud non eſt de conceptu ejus. Ad illud quod dicebatur exiſtentiam recipi in nihilo actu, vel in ente actu; dico quod ſi loquamur de receptiuo pro tempore quo habet exiſtentiam, vel pro poſteriori naturæ, in quo intelligitur recipere, & habere exiſtẽtiam, recipi in ente actu actualitate exiſtentiæ, quam tamen non habet ſeipſa, ſed ab exiſtentia recepta, & diſtincta realiter; ſicuti quantitas recipitur in ſubjecto quanto, quod tamen non eſt quantum ſeipſo, ſed per quantitaté receptam & diſtinctam, vt docuimus in diſputationibus Phyſicis. quod ſi loquamur de receptiuo pro priori naturæ, dico recepi in illo quod non eſt ens actu actualitate exiſtentiæ, ſed ens actu actualitate eſſentiæ. ex quo patet reſponſio ad confirmationem.

Obijcies tertiò. exiſtẽtia eſt indifferés ad exiſtere, & nó exiſtere. ergo ſi eſſentia diſtinguitur ab exiſtentia, quia eſt indifferens ad exiſtere, &

non exiſtere, debet etiam eſſe diſtinctio inter exiſtentiam, & actu exiſtere, ſeu exercitium ipſius. hoc autem eſt impoſſibile, nam ſequitur proceſſus in infinitum. ſicut ergo ad hunc proceſſum vitandum dicere neceſſe eſt exiſtentiam exiſtere ſeipſa, ita etiam dici debet de eſſentia.

Reſpondeo hoc argumentum mirum in modum perturbaſſe Cajetanum, poteſt tamen habere facilem ſolutionem, ſi( præſcindendo ab ijs quæ infra dicemus) reſpondeatur pro nunc eſſentiam diſtingui à parte rei ab exiſtentia, quia eſt indifferens ad exiſtere, tanquam ad modum realem de nouo aduenientem eſſentiæ. at verò exiſtentia, quamuis ſecundum eſſe conceptum ſit indifferens ad eſſe in actu exercito, quia tamen exiſtentia non exiſtit per aliam exiſtentiam, quia poteſt eſſe ſibimet ratio exiſtendi, ſicut quantitas eſt ſeipſa extenſa, & albedo ſeipſa alba, ideo ipſum exercitium exiſtentiæ non diſtinguitur ab ipſa exiſtentia; vnde ceſſat ratio paritatis. Quod ſi inquiras, quid addatur de nouo exiſtentiæ in potentia cum ſit in actu exercito, reſpondeo nihil de nouo addi in ratione exiſtētiæ, ſed illam met quæ erat in potentia objectiua, fieri in actu extra cauſas; ad quod ſufficit actio agentis, per quam exiſtentia extrahitur extra cauſam ſuam, & ſit exiſtens formaliter ſeipſa. Caietanus.

Obijcies quartò, quærendo quidnam ſit illa entitas, quam dicimus exiſtentiam ſuperaddere eſſentiæ, videlicet, vtrum exiſtentia ſit ſubſtantia, vel accidens? neutrum enim dici poſſe videtur. ergo non diſtinguitur ab eſſentia.

Reſpondeo, ſi ſumantur ſubſtantia & accidens pro omni eo quod pertinet ad ſubſtantiam & accidens, exiſtentiam ſubſtantiæ eſſe ſubſtantiam, exiſtentiam accidentis eſſe accidens; ſi vero ſumantur pro eo quod ſolum eſt proprie in prædicamento ſubſtantiæ vel accidentis, dico neque eſſe ſubſtantiam, neque accidens. neque mirum videri debet exiſtentiam non eſſe vllū ex illis duobus membris; quia quod diuiditur in ſubſtantiam & accidens, eſt ens eſſentiæ. & hoc idem tenentur reſpondere aduerſarij, ponentes ſolum diſcrimen rationis; quæro enim de eorum exiſtentia, quomodocunque diſtinguatur, an ſit ſubſtantia, vel accidens? & quod ipſi reſponderint, reſpondebimus & nos. Et ſi quæras an ſumpta ſubſtantia primo modo, exiſtentia ſit forma, vel materia, vel compoſitum? reſpondeo, ſi id quod reductiue pertinet ad aliud vocari poſſit nomine eius ad quod pertinet, poſſe dici & materiam, & formam, & compoſitum; ſi vero id non poſſit, reſpondeo nullum ex his eſſe, ſed eſſe actualitatem horum omnium; in rigore verò loquendi, hæc actualitas neque eſt actus primus, neque actus ſecundus, ſed aliquid pertinens ad vtrumque.

Obijcies quinto. ſi eſſentia ſeipſa non exiſtit, nullum dabitur ens per ſe: quod eſt abſurdũ. ſequela probatur, quia nihil exiſtit ſeipſo. Adde quod eſſentia non ſolum exiſteret per accidens, id eſt per aliud, ſed etiam per accidens, id eſt faciendo aggregatum vnum per accidens cum exiſtentia, quia ſcilicet exiſtentia adueniret enti & eſſentiæ completæ.

Reſpondeo concedẽdo ſequelam in creatis, & negando eſſe abſurdum nullam eſſentiam creatam ſeipſa exiſtere realiter, cum hoc ſit proprium Dei. Nego etiã quod in probatione dicitur, eſſent iam videlicet cum exiſtentia facere vnum aggregatum per accidens; nam exiſtẽtia, quamuis adueniat enti completo in eſſe eſſentiæ, non tamen aduenit enti completo in eſſe actu. illud autẽ ſolum proprie loquendo facit vnum per accidens cum alio, quod aduenit illi in actu completo. facient ergo vnum, vt actualitas cum eo quod actuatur. Idem tenentur dicere plurimi ex aduerſarijs, de ſubſiſtentijs, de terminis quantitatis, &c.

*An Eſſentiæ ab æterno ſint aliquid reale.*

Hæc de diſtinctione eſſentiæ ab exiſtentia. Diſputandum ſupereſt vtrum eſſe eſſentiæ, quod diximus diſtingui ab exiſtẽtia, ſit ab æterno. quæ quæſtio eadem eſt cum illa qua quæritur, an eſſentiæ ſint aliquid reale ab æterno, & antequam exiſtant. qua in re

*Prima ſententia negans. Capreolus, Heruæus, Soncinas, Suarius, Hurtadus, Didacus Ruys,*

Prima ſententia eſt eorum qui volunt eſſentias rerum nihil plane eſſe in ſe antequam exiſtant; dici autem eſſe potentia, quia exiſtit cauſa & potentia effectiua, quæ poteſt illis tribuere eſſe. ita ſentiunt Capreolus in 2. diſtinct. 1. quæſt. 2. articul. 3. Heruæus quodlib. 11. quæſt. 1. Soncinas 9. Metaph. quæſt. 4. & alij veteres; quos ex recentioribus ſequuntur Franciſcus Suarius diſp. 31. Metaph. ſect. 2. Gabriel Vaſquez diſp. 7. ſuæ Metaph. capite 2. Ruys, Hurtadus de Mendoza, & alij. & quidem Suarius tam acriter hanc ſententiam tuetur, vt contrariam dicat eſſe hæreſim Vvicleſ; quem ſequutus eſt Didacus Ruys tomo de ſcientia, ideis, veritate, & vita Dei, aſſerens contrariam ſententiam, ſiſtendo in lumine naturali, prorſus improbabilem eſſe, attendendo autem lumen fidei, temeritatem continere, & periculum erroris. Sed, pace eorum dixerim, conſideratius loqui potuiſſent.

*Secũda ſentẽtia affirmans, Doctor ſubtilis, Lychetus, Tartaretus, D. Thomas. Ferrarienſis, Caietanus, Plato, Boetius, Hilarius, Algazel,*

Secunda opinio, veraque, eſt aliorum dicentium eſſentias rerum ab æterno eſſe aliquid reale. citantur pro hac ſententia, Scotus conterraneus in 1. diſt. 36. & diſtinct. 43. Lychettus, & Tartaretus ibidem, & alij Scotiſtæ. Eandem ſententiam indicat D. Thomas quodlib. 8. articul. 1. vbi docet tripliciter conſiderari poſſe aliquam naturam. primo, ſecundum eſſe quod habet in ſingularibus. ſecundo, ſecundum ſuum eſſe intelligibile. tertio, abſolutè, prout abſtrahit ab vtroque eſſe, & conſideratur tantum ſecundum ea quæ per ſe competunt illi naturæ. Ex quibus clarum eſt Angelicum Doctorem, dare eſſe naturæ

abſolutæ, ſecundum ſe, & ſecundum ſuum eſſe quidditatiuum actuale, diſtinctum ab eſſe exiſtentiæ, & eſſe objectiuo. Nec refert quod prima parte quæſt. 9. artic. 2. dicat creaturas eſſe poſſibiles per potentiam diuinam; hoc enim veriſſimum eſt, eſſentias nempe reduci ad eſſe exiſtentiæ per diuinam potentiam, tanquam per efficientem; non non tamen negat, quod non ſit potentia formalis, intrinſeca ipſi creaturæ, per quã poteſt produci, quã non habet chymera. idem docet in 1. diſt. 33. q. 1. art. 1. ad primũ, vbi diſtinguit triplex eſſe in creatura, eſſe eſſentiæ, eſſe exiſtentiæ, & eſſe veritatis propoſitionis. Ex quibus habetur admittere ipsũ, diſtinctũ eſſe eſſe eſſẽtiæ ab eſſe exiſtẽtię, & ab eſſe objectiuo, ſeu eſſe vero, de quo eſſe objectiuo loquitur q. 3. de potẽtia. idem tradunt cũ ſuo præceptore Ferrarieſis 2. contra gentes cap. 52. Cajetanus de ente & eſſentia cap. 5. quæſt. 11. ad 1. argumentum, vbi pro eadem citat Platonem, Boëtium, Hilarium, Algazelem, Auicenam, Alpharabium, & Albertum. eſt etiam Henrici Gandauenſis in ſumma articulo 2. quæſt. 25. & quodlibeto 9. quæſt. 1. & 2. & quodlib. 11. quæſt. 3. Ægidij opuſculo de ente & eſſentia, aliorumque; quos ex recentioribus ſequuntur Rapinæus in Nucleo diſputationum Philoſophicarum diſp. 73. quæſt. 2. & 3. Raconiſius in ſua Logica, & fuſius in Metaphyſica diſputatione de principijs complexis ſectione 3. quæſt. 1. art. 2. Albertinus tomo 2. corollariorum Theologicorum in prædicamento ſubſtantiæ diſput. 1. quæſt. 1. cum quibus

*Auicenna, Alfarabius, Albertus Magnus, Henricus, Ægidius, Rapinæus, Raconiſius, Albertinus.*

IV.

*Secunda concluſio, eſſentias eſſe ab æterno aliquid reale.*

Dicendum eſt 2. eſſentias rerum, & partes earum, eſſe ab æterno aliquid reale.

*Prima probatio.*

Probatur 1. aſſertio argumento ſuperius tacto, quod meo iudicio firmiſſimũ eſt. eſſentiæ, antequã exiſtant, imo & ab æterno excludunt à ſe rationẽ contradictionis, alioquin nunquã poſſent exiſtere. ſed eſſe non implicans contradictionẽ, eſt participare rationẽ entis realis. ergo eſſentiæ participant ab æterno rationem entis. neque dici poteſt ideo eſſentias non implicare contradictonem, quia eſt potentia effectiua ipſarum; non, inquam, id dici poteſt, nam ideo poſſibile eſt eſſentias produci, ſiue recipere exiſtentiam, quia non implicant contradictionem, & poſſibilitas quæ ſumitur ex non implicantia, prior eſt poſsibilitate quæ ſumitur ex potentia actiua. ad quod intelligendum aduerte, producibile, poſſibile, & non non repugnans, ſiue non inuoluens contractionem ſui eſſe, habere ſe cum quodam ordine. ideo enim aliquid eſt producibile, quia poſſibile eſt ipſum eſſe; ſi enim impoſsibile eſſet rem aliquam eſſe, ne quidem produci poſſet ab vllo. poſsibilitas autem exiſtendi, eſt poſterior ipſa non repugnãtia terminorum: quia enim non repugnant ſibi termini, ſiue quia nõ inuoluit contradictionẽ terminorũ, ideo poſsibile eſt illud exiſtere. poſſibilitas enim duplex poteſt intelligi; vna quidem ſecundum quam

res dicitur eſſe potentia, quæ dicit negationem exiſtentiæ, & poſsibilitatem habendi exiſtentiam; altera autem eſt poſſibilitas, quæ eſt veluti radix prioris illius poſſibilitatis, ſecundum quam eſſentia in ſeipſa nullam inuoluit contradictionem. manifeſtum autem eſt quod ideo non eſt impoſſibile aliquid exiſtere, quia nullam habet contradictionem intrinſecam in ſuo eſſe. hanc autem poſſibilitatem ſiue non repugnantiam, quod res illam habuerint antequam exiſterent, & quod habeant ea omnia quæ à Deo produci poſſunt, clariſſimum eſt; non enim (vt ſupra argumentati ſumus in 4. argumento) dici poteſt quod eſſentia prius erat impoſſibilis & inuoluens cõtradictioné, deinde ceſſauerit inuoluere cõtradictioné & facta ſit poſſibilis, propter ibi dicta.

*Secunda probatio ex Doctore ſubtili.* Probatur 2. aſſertio efficaciſſimè ex Scoto, loco citato. quæro enim ab aduerſarijs quare lapis, exempli gratia, non habeat repugnantiam ad exiſtendum, & Chymera habeat? ſi dicas quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud; contra inſto, quæroque rurſus quid ſic hoc eſſe hoc, & illud eſſe illud vel enim eſt ipſum ſuum eſſe actuale, vel potétiale in cauſa. ſi dicas actuale, habeo intentum. ſi dicas eſſe potentiale in cauſa; rurſus inſto, & peto quare Chymera non habeat eſſe potentiale in cauſa? non poteſt dici ex defectu cauſæ, quia ſupponitur infinita in cauſando, Deus enim habet potentiam infinitam. ergo propter aliquam repugnantiam in ipſa Chymera. quod ſi dicas hoc ex eo prouenire, quod lapis habeat intrinſecam cõnexionem terminorum; adhuc vrgeo. hæc connexio eſt vnio. ergo aſſignari debet res cujus eſt vnio, in qua fundetur. dices fundari in eſſe potentiali. contra, quia datetur circulus; quæro enim vlterius vt prius quare Chymera non habet hoc eſse potentiale in cauſa? oportet itaque dicere quod lapis ſit talis entitas actualis, cui per rationem intrinſecam non rēpugnat formaliter exiſtere.

*Reſponſio aduerſariorum.* Reſpondebis impoſſibilitatem Chymeræ eſse ex ſe, propter repugnantiam quam habet ad exiſtendum, & non per reſpectum ad Deum tanquã ad cauſam; lapidem autem habere non repugnantiam ad exiſtendum, ſeu poſſibilitatem cauſalem per reſpectum ad Deum vt cauſam. *Eiuſdem egregia impugnatio ex Scoto.* ſed contra hanc reſponſionem egregie diſputat Scotus conterraneus noſter, quia ſi affirmatio, inquit, eſt cauſa affirmationis, & negatio erit cauſa negationis, vt patet ex Ariſtotele 1. poſt. textu 50. ergo, ſi per aduerſarios potentia actiua, quæ eſt omnipotentia in Deo, eſset præciſe ratio poſſibilitatis in creatura, ſequeretur quod negatio potentiæ actiuæ, ſeu impotentiæ in Deo, eſset cauſa negationis poſſibilitatis in Chymera, quod eſt planè abſurdiſſimum, quia, fatentibus etiam aduerſarijs, impoſsibilitas in Chymera eſt propter formalem repugnantiam terminorum ſiue partium, eſt enim Chymera impoſſibilis, quia ex ratione formali Chymeræ repugnat ſimpliciter poſse

exiſtere

exiſtere, & nõ ex defectu potentię Dei, quaſi impotentia Dei ſit radix impoſsibilitatis, quaſi non ſit Deus tantæ perfectionis, vt quantum eſt ex ſe poſsit creare Chymeram; quod quidem eſt falſum, nam Deus in primo ſigno antequam concipiatur creatura, quantum eſt ex parte ſua non repugnat participari, ſicut ignis quantum eſt ex ſe comburere poteſt infinita combuſtibilia, ſi infinita combuſtibilia dari poſſent. radix igitur impoſsibilitatis in Chymera eſt, quia Chimera non poteſt creari, propter incompoſsilitatem terminorum. bene igitur per regulam poſterioriſticam aſsignatam intulit Scotus, quod prima ratio & radix impoſſibilitatis in creatura non ſit potentia actiua efficiẽtis, ſed ratio formalis intrinſeca ipſius creaturæ, ſicut (vt dictum eſt) ratio impoſſibilitatis in Chymera non oritur ex potentia Dei, ſed quia Chymera non habet capacitatem in ſe. idem argumentum fieri poteſt de cauſa exemplari, ſi dicatur primam radicem poſſibilitatis in creatura reduci ad Deum tanquam ad cauſam exemplarem. quomodo autem creaturæ pendeant à Deo in genere cauſæ exemplaris, dicemus poſtea. *Scotus.*

Probatur tertiò à poſteriori ratione Henrici Gandauenſis. hæc propoſitio, homo eſt animal rationale, eſt propoſitio ęternę veritatis. ergo homo nõ ſecundum eſſe potentiale quod habet in cauſa, ſed ſecundum ſuum eſſe actuale eſſentię ab ęterno eſt animal rationale; non enim in propoſitione dicitur, homo poteſt eſſe animal, ſed eſt animal. *Tertia probatio ex Doctore Solemni.*

Ad hoc argumentum (quod mirum in modum torſit aduerſariorum ingenia) varias afferunt ipſi ſolutiones. primo enim reſpondet Franciſcus Suarius diſputa. 31. metaphy. ſectio. 2. & 12. num. 38. neceſſitatem propoſitionum neceſſariarum non eſſe neceſſitatem abſolutam, ſed conditionalem, ita vt propoſitio reducatur ad ſenſum hypotheticum ſeu conditionatum; quare cum dicitur homo eſt animal, facit hæc propoſitio hunc ſenſum conditionatum, ſi eſt, ſeu exiſtit homo, neceſſario eſt animal. *Prima reſponſio Suarii.*

Verum contra hanc ſolutionem diſputat Ferrarienſis ſecundo contra gentes cap. 52. quia ex hac ſolutione ſequitur non magis neceſſariam eſſe hanc propoſitionem, duo & tria ſunt quinque, quam iſtam, terra eſt, cœlum eſt, & ſimiles, quas conſtat, inquit, ex ſuppoſitione neceſſarias eſſe, quod eſt & contra Philoſophiam, & contra Auguſtinum de libero arbitrio. ſed hæc impugnatio Ferrarienſis facile ſolui poſſet ab aduerſariis; ſubterfugere enim poſſunt, dicentes quod cum dicitur, terra eſt, cœlum eſt, ſint propoſitiones contingentes, quia non poſſunt reduci ad ſenſum conditionatum, ſiue compoſitum, id eſt, ſi homo eſt, eſt exiſtens. nam illa propoſitio, homo eſt, abſolutè ſignificat exercitium exiſtendi, quia eſt propoſitio de ſecundo adiacente. at vero cum dicitur homo eſt ſubſiſtens, eſt pro- *Ferrarienſis inſtantia contra prædictam reſpõſionem.*

poſitio de tertio adiacente, & ideo reduci poteſt ad ſenſum conditionatum. rectius ergo confutari poteſt prædicta Suarij reſponſio, ex eo quod hæc conditionalis poſſit etiam competere rei ſecundum prædicatum, cum quo non habet neceſſariam connexionem. ſed hoc eſt abſurdum, quia inde ſequitur quod talis propoſitio eſſet vera, etiamſi extrema non exiſterent actu. major probatur. nam hæc ſemper vera eſt, ſi homo exiſtit, neceſſario ſubſiſtit (ſumo autem ſubſiſtere, prout comprændit propriam vel alienam ſubſiſtentiam; ſuppono enim quod certum eſt, non poſſe creaturam exiſtere ſine aliqua, vel ſaltem aliqua re illis proportionata) & tamen ante creationem hæc propoſitio erat falſa, homo ſubſiſtit, ſeu habet ſubſiſtentiam, ſicut erat vera iſta, homo eſt animal; & tamen ex vi præciſè conditionalis propoſitionis, ſeu ex ſuppoſitione, ita eſt neceſſaria hæc propoſitio, ſi homo eſt, homo ſubſiſtit, ſicut hæc, ſi homo eſt, animal eſt, quia ex hypotheſi, ſicut cum fit homo, fit etiam neceſſariò actualiter animal, ita cum fit homo, fit etiam neceſſariò actualiter ſubſiſtens, quia ſicut non poteſt fieri homo ſine animali, ita non poteſt fieri homo ſine ſubſiſtentia.

*Alia melior impugnatio reſponſionis Suarij.*

*Secunda reſpōſio.*

Reſpondent ſecundo alij, negando allatam propoſitionē, & ſimiles, eſſe æternæ veritatis; verum tunc, inquiunt, incipiūt eſſe veræ, cum res fiunt, & veritatem amittunt cum deperduntur; ſicut enim eſſentia nihil eſt ante exiſtentiam, ſic veritas, quæ eſt paſſio eſſentiæ, nihil eſt ante eandem. & probant ex Philoſopho primo Perihermenias, qui ex eo quod res ſit vel non ſit, dicit propoſitionem eſſe veram vel falſam.

*Impugnatur multipliciter.*

Sed contra hanc reſponſionem primo bene procedūt quæ habet Ferrarienſis loco citato; *tum quia ſemota* (inquit) *omni cauſalitate, verū eſt hominem eſſe hominem, & hominem eſſe animal, alioquin prædicata primi modi poſſent intelligi non ad eſſe rei, quod eſt contra omnem Philoſophiam; tum quia æqualiter neceſſaria ſunt iſta, hominem eſſe hominem, & Deum eſſe vnum, cum eorum oppoſita ſint æqualiter impoſſibilia, ex implicatione ſcilicet contradictionis; Deum autem eſſe vnum, conſtat nullam habere cauſam effectiuam.* Secundo contra dictam reſponſionem facit, quod aduerſetur Philoſopho 9. Metaph. textu 7. & 11. vbi agens de ſimilibus propoſitionibus, dicit illas eſſe perpetuæ veritatis. nec obſtat locus ſupra citatus ex primo Perihermenias, quia loquitur eo loco de propoſitione contingenti. denique facit, quod pugnet cum opinione Theologorum, Sancti Thomæ prima parte quæſt. 2. art. 3. & qu. 17. art. 2. ad primum, & Thomiſtarum omnium; Scoti & Scotiſtarum in 3. diſtinct. 21. Alberti Magni in ſua Logica veteri, & reliquorum; quibus adde Eccleſiæ lumen Auguſtinum libro 2. de libero arbitrio capite 8. vbi ait, *Tria & quatuor eſſe ſeptem, eſſe perpetuæ veritatis, perpetuóque verum, etiamſi nihil ſit quod numeretur*, & Auicennam ſupra

*S. Thomas. Scotus. Albertus Magnus. S. Auguſtinus. Auicenna.*

caput 8. prædicabilium. hinc refelli poteſt reſponſio aliorum, qui aſſerunt eſſentias rerum habere cauſam efficientem & de nouo fieri, connexionem autem prædicatorum eſſentialium non habere cauſam efficientem, ſed eſſe æternam. hinc, inquam, refelli poteſt, quia hæc connexio eſt realis & æterna. ergo etiam eſſentia eſt æterna. nam vnio, ſeu connexio æterna, ſupponit rem cuius eſt vnio eſſe æternam. *Alia reſponſio, quæ etiam refellitur.*

Reſpondent denique alij, huiuſmodi propoſitiones habere veritatem æternam, ſed obiectiuè in intellectu diuino. *Vltima reſponſio.*

Sed neque hæc reſponſio ſubſiſtere poteſt; quia obiectiuè etiam propoſitiones de impoſſibili ſunt veræ ab æterno, vt hæc propoſitio, Chymæra eſt ens fictum. at nos (vt notauit Albertus Magnus loco citato) loquimur de veritate quæ eſt paſſio entis realis, & in hac conſiſtit proportio inter obiectum reale & potentiam cognoſcentem; cum enim dicitur, homo eſt animal rationale, includitur in hac propoſitione prædicatum entis, & propterea per hanc propoſitionem ſignificatur hominem habere talem eſſentiam, cui non repugnat eſſe, ſeu exiſtere animal rationale à parte rei, & de hac veritate quæro, quare à Deo illæ propoſitiones cognoſcuntur vt veræ iſto modo? vide Ferrarienſem, & Albertinum, locis citatis. *Reiicitur.* *Albertus Magnus.* *Ferrarienſis Albertinus.*

Probatur denique concluſio ex Diuo Dionyſio, qui clarè illam habet de diuinis nominibus capite 7. non longe poſt medium, his verbis. *Eadem etiam cauſa vna omnia, vt à ſe profecta, & in ſe ante conſtantia, cognoſcit.* vides res ante conſtare, quam à Deo conſtituantur? habuerunt ergo aliquod eſſe antequam à Deo crearentur, per quod eſſe intelligebantur à Deo. ſubſcribit Diuo Dionyſio Eccleſiæ lumen Auguſtinus 5. de Geneſi ad litteram cap. 15. ad finem, & cap. 16. ſub initium, cuius verba, ne longior ſim, & quia à quolibet videri poſſunt, omitto recenſere. Sed

Obijcies primò cum Suario loco citato. ſi eſſentiæ rerum ſunt aliquid reale ab æterno, ſequeretur poſſe creaturam gloriari, quod ex ſe habeat eſſe aliquod quod non habet à Deo. hoc autem, & multa huic ſimilia (inquit Suarius) *ſunt contra fidem.* ergo &c. Confirmatur ex eodem, quia ſi eſſentiæ ab æterno habent aliquod reale eſſe, *non poſſet Deus rem aliquã in nihilum redigere, quia ſemper maneret aliquid rei, ſcilicet eſſentia. & ſimiliter non creaſſet Deus omnia ex nihilo, ſed ex vno eſſe tranſmutaſſet illa ad aliud eſſe.* *Soluuntur fundamenta aduerſariorum.*

Reſpondeo, quod attinet ad cenſuram Suarij, potuiſſe ipſum conſideratius loqui. quod attinet ad eius argumenta, dico parui eſſe illa momenti, & longè ante ipſum ab Henrico doctiſſimè ſoluta. & quidem ad primum, negandum eſt poſſe creaturam gloriari quaſi habeat eſſe à ſe. ratio eſt, quia dependet à Deo ſecundum eſſe eſſentiæ in *Reiicitur Suarius.*



Digitized by Google

genere cauſæ exemplaris, & ſecundum eſse exiſtentiæ in genere cauſæ efficientis.

Sed, inquies, eſsentiæ ſecundum nos non depẽdent à Deo in genere cauſæ efficientis, ergo neque in genere cauſæ exemplaris. conſequentia probatur, quia eadem ratio militat in cauſa exemplari, & efficiente; quæro enim quare Deus, vt exemplar, eſt imitabilis & participabilis à lapide, exempli gratia, & non à Chymæra. non poteſt dici hoc prouenire ex defectu cauſæ exemplaris diuinæ, quia eſt infinitè imitabilis. ergo oritur impoſſibilitas intrinſecè ex Chymera, ergo poſſibilitas in lapide orietur etiam ex ratione poſitiua intrinſeca ipſi lapidi, quam vocamus rationem realem actualem eſsentiæ. probatur paritas de Chymera & lapide, quia quemadmodum negatio in Chymera, quæ eſt impoſſibilitas intrinſeca, eſt cauſa negationis, id eſt repugnantiæ, ita affirmatio in lapide erit cauſa affirmationis, vt ſuprà argumentati ſumus per regulam poſterioriſticam.

Reſpondeo hanc difficultatem pendere ab illa quæſtione, qua diſputatur quomodo Deus ſit cauſa exemplaris. aliqui enim aſſerunt Deum eſse cauſam exemplarem, quatenus eſt cauſa efficiens per ideam. hanc autem ideam aliqui, vt diximus in Phyſicis, dicunt eſse conceptum obiectiuum, qui eſt eadem res facienda vt præconcepta à Deo. alij dicunt eſse conceptum formalem Dei, quo cognoſcit creaturas. & iuxta hanc ſententiam tenentur eius auctores dicere, quod ſi creatura ſecundum eſse eſsentiæ non dependet à Deo in genere cauſæ efficientis, nec pendebit in genere cauſæ exemplaris. alij tamen longè melius dicunt, quod in Deo cauſa exemplaris eſt ipſamet eſſentia diuina, vt imitabilis à creaturis. conceptus vero obiectiuus rei faciendæ potius ſe habet vt idea, quam vt cauſa exemplaris, ſicut in artifice creato, conceptus obiectiuus imaginis faciendæ eſt idea, Cæſar vero, ad cujus imitationem fit imago, eſt ratio prototypa, & exemplaris. in Deo igitur cauſa exemplaris eſt eſsentia ipſius, vt inadæquate imitabilis à creatura. hæc doctrina indicatur à Patribus, præſertim ab Auguſtino vndecimo de ciuit. Dei cap. 2 9. & Ambroſio in Exameron cap. primo & ſecundo, qui dicunt exemplaria in mente diuina (quæ inpropriè loquendo aliquando, vt & nos etiam alibi fecimus, appellant ideas) eſse rationes ſubſtantificas, incommutabiles, & quid indiſtinctum à Deo. Quibus verbis facile innuunt eſsentiam diuinam vt imitabilem à creaturis eſse cauſam exemplarem; hæc enim eſt indiſtincta à Deo, ratio ſubſtantifica, & incommutabilis. ſed eſtne, inquies, eſsentia diuina cauſa exemplaris neceſſario vt eſt cognita? reſpondeo ita velle Cajetanum, verius tamen mihi videri contrarium. ratio eſt, quia eſſentia diuina, etiamſi non eſſet cognita, eſſet adhuc imitabilis. ſi igitur cognitio requiritur, ad ſummum requiritur vt

*S. Auguſtinus.* *S. Ambroſius.* *Caietanus.*

Digitized by Google

conditio complens rationem cauſæ exemplaris. ex his remanet eſſentiam diuinam eſſe cauſam exemplarem eſſentiæ creatæ. & probari poteſt ex eo, quod quemadmodum imago Cæſaris depēdet à Cæſare in genere cauſæ formalis, & prototypæ, ſeu exēplaris, itavt ſi non poſſet eſse Cæſar, non poſſet eſſe imago quæ repræſentaret ipſum, non autē è conuerſo; ita philoſophandum eſt in creaturis, quæ ſecundum ſuum eſſe ſunt imagines ipſius Dei, vt patet ex Gen. 1. & Patribus ac Scholaſticis, ita vt ſi per impoſsibile repugnaret eſſe Deum, repugnarent etiam eſſentiæ creaturarum, quia exemplatum vt exemplatum nihil aliud dicit, quam eſſe repræſentatiuum ſui exemplaris, quatenus in exemplato relucet perfectio exemplaris, & vt ſic dicit dependentiā ad ſuum exemplar. Sed, inquies, nonne etiam dici poteſt eſſentias rerum ſecundum eſſe quidditatiuum dependere aliquo modo à Deo tanquam à cauſa efficiente? Reſpondeo poſſe, quia ſi Deus non eſſet cauſa efficiens, repugnaret exiſtentia creaturæ. ergo repugnaret etiam in eſſentia ordo & relatio ad ipſam exiſtentiam, & conſequenter repugnaret realitas ipſius eſſentiæ, quam intrinſecè conſequitur ille ordo. ad rationem contrariam reſpondeo cum Albertino, eſſentiam diuinam poſſe conſiderari in triplici ſigno. in primo conſideratur ſecundum ſuum eſſe abſolutum, quod eſt tantæ perfectionis, vt quantum eſt ex ſe non repugnet exemplari ab alio extra ſe. & in hoc primo ſigno non ſupponit creaturas exēplabiles; ſi enim per impoſſibile nullæ creaturæ eſſent exemplabiles, adhuc Deus haberet ſuam perfectionem infinitam abſolutam. & in hoc primo ſigno dependent eſſentiæ creaturarum à Deo; nam ſi per impoſſibile non daretur illa perfectio infinita abſoluta in Deo, repugnarēt ipſæ eſſentiæ creatæ. in ſecundo verò ſigno concipiuntur eſſentiæ creaturarum habere aliquam rationem poſitiuam, ratione cuius non repugnat illas exemplari ſeu produci; quam rationem quia non habet Chymera, ideò repugnat illam exemplari ſeu produci. quod enim Chymera non poſsit exemplari vel produci, non oritur ex defectu perfectionis diuinæ, ſed quia Chymera non habet illam rationem poſitiuam quam habent entia realia, in qua ratione poſitiua fundatur compoſſibilitas terminorum. in tertio verò ſigno concipitur in Deo relatio, quæ eſt tantùm rationis ad creaturas exemplabiles, vel producibiles, quæ relatio ſupponit iam in creaturis rationem illam poſitiuam quæ erat in ſecundo ſigno. vnde fit vt in primo ſigno contineat Deus creaturas fundamentaliter quaſi remotè; in tertio verò ſigno quaſi proximè, quia iam ſupponuntur habere rationem poſitiuam, per quam non repugnat eſſe exemplabiles & producibiles.

Ad confirmationem Suarij, nego nihil potuiſſe à Deo creari vel annihilari. ratio eſt illa quam affert Henricus, quia ad creationem ſa- *Refellitur Suarius. Henricus.*

tis eſt quod creatura fiat ex nihilo in genere exiſtentialium, non autem in genere eſſentialium, id eſt, ſecundum exiſtentiam, non ſecundum eſſentiam. nec eſſentia propriè dicenda eſt potentia ſubjectiua, ſeu receptiua exiſtentiæ, cum non præſupponatur exiſtens, ſed potius habet rationem objecti realis, quod exit in actum exiſtendi per ipſam exiſtentiam. nego etiam quod Deus nihil poſſet annihilare, quia ad annihilationem ſufficit ſi corrumpatur totum eſſe exiſtentiæ. fundamentum hujus reſponſionis eſt, quod, vt Suarius ipſe dicere tenetur, creatio & annihilatio, ſicut & reliquæ actiones omnes, ad exiſtentiam terminentur. vnde Angelus, verbi gratia, non ideo minus creatur, quia antequam crearetur poſsibilis erat; nec ideo minus annihilatur, quod poſtea remanear intrinſecè poſsibilis.

Objicies ſecundo. nihil aliud à Deo eſt ens neceſſarium formaliter, vt conſtat ex principijs fidei. ſed talis eſſentia eſt ens formaliter neceſſarium. ergo &c.

Reſpondeo eſſentiam eſſe ens formaliter neceſſarium, ſed differre à neceſſario Dei, tum quia illud eſt neceſſariò exiſtens, tum quia omnino independens; creatura vero, ſecundum eſſe exiſtentiæ ab æterno, nihil eſt, & eſt contingens, ſecundum vero eſſe eſſentiæ, eſt dependens modo explicato.

Objicies tertio. eſſentiæ rerum quæ ſunt ab æterno, non ſunt factę à Deo. ſed quicquid non eſt factum à Deo, vel eſt Deus, vel eſt nihil. ergo cum eſſentiæ rerum ſecundum ſuum proprium eſſe eſſentiale intrinſecum non ſint Deus, ſequitur quod ſint nihil. major dupliciter oſtenditur. primo, quia huiuſmodi eſſentiæ ab æterno, non ſunt factæ à Deo ex neceſſitate, neque ex libera voluntate. non primum, quia ex Apoſtolo Paulo Deus omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. non ſecundum, quia de fide eſt Deum cæpiſſe libere operari in tempore. ſecundo eadem major oſtenditur, quia ſi eſſentiæ rerum factæ ſunt ab æterno, fuiſſent ab æterno exiſtentes, cum omnis efficientia ad exiſtentiam terminetur, vt paulo ante docuimus. minor probatur ex Patribus, præſertim ex Diuo Auguſtino libro primo de Trinitate capite ſexto. *S. Auguſtinus.*

Reſpondeo quod ſi antecedens intelligatur de eſſe eſſentiæ, verum eſt quod ibi dicitur, eſſentiam videlicet ſecundum eſſe eſſentiæ non eſſe à Deo efficienter, ſed negatur conſequentia; nec talis eſſentia eſt Deus, quia dependet à Deo modo ſupra explicato; nec eſt nihil, quia ſecundum eſſe eſſentiæ eſt ens quoddam, vt ex dictis conſtat.

*Vualdenſis.* Objicies quartò. Vualdenſis ponit inter errores VVicleffi, dicere creaturas ab æterno habere aliquod eſſe reale diſtinctum ab eſſe Dei. ſed hoc ſequitur ex noſtra ſententia. ergo &c.

*Capreolus.* Reſpondeo cum Capreolo loco citato ad quartum Aureoli, con-

cluſionem, non eſſe dubitandum opinionem noſtram eſſe tutam & probabilem; & bene, inquit, ad ſimile argumentum reſpondit Henricus, cum dixit creaturam habere duplex eſſe, eſſe ſcilicet exiſtentiæ, & eſſe eſſentiæ &c. reſpondeo ergo, quod error eſſet, ſi poneretur aliquod eſſe exiſtentiæ ab æterno, vel eſſet fortaſſis error ponere eſſe eſſentiæ, & non dependenter à Deo in genere cauſæ exemplaris. addit Faber in 1. diſt. 35. quæſt. vnica cap. 5. numero 26. VVicleffum affirmaſſe omnem creaturam ſecundum eſſe reale eſſe Deum, quod longe diuerſum eſt à noſtra ſententia. *Faber.*

Objicies quintò. eſſentiæ non creantur, niſi quando accipiunt exiſtentiam. ergo ſi habent aliquod eſſe ante exiſtentiam, habent ante creationem. ergo habent eſſe quod non eſt creatum. ponere autem aliquod ens, quod neque ſit Deus, neque creatura, videtur abſurdum & planè falſum.

Reſpondeo eſſentias dici creatas, non quia debent creari in ratione eſſentiæ, ſed quia tales natura ſua ſunt, vt ſi debeant vnquam habere eſſe actuale extra cauſas, hoc accipere debeant à creatore. quare illud eſſe quod habent priuſquam exiſtant, non eſt creatum, hoc eſt per creationem acceptum; eſt tamen creatum, hoc eſt, eſt eſſe quoddam natura ſua ſubiectum potentiæ creatoris, ad recipiendum eſſe actuale exiſtentiæ vi & omnipotentia eius. in quo ſenſu ſi accipiatur creatum, veriſſimum eſt & omnino neceſſarium, quod omne ens, aut ſit creatum, aut increatum, nihil enim eſt in omnibus entibus, quod non ſit creator, aut non ſit ens quod ad eſſe actuale indigeat creatore. ſi autem creatum accipiatur prout dicit exiſtere per creationem, illa diuiſio bona non eſt, quia non quicquid aliquo modo eſt, exiſtit vel creatum, vel increatum; certè enim quæ ſunt in potentia, non exiſtunt creata, quia nullo modo exiſtunt. hinc colliges quid dicendum ſit ad id quod objicitur ex Concilio Senonenſi, nempe in eo damnatum fuiſſe Petrum Abailardum, aſſerentem dari aliquid extra Deum, quod neque eſſet creator, neque creatura, colligitur, inquam, quid ſit dicendum; illud enim quod ipſe admittebat, volebat eſſe exiſtens, non autem eſſe eſſentiam alicuius rei potentis à Deo accipere exiſtentiam: adde dici etiam poſſe, eſſentias rerum (vt conſtat ex dictis) dici poſſe aliquid creatum, prout creatum dicit aliquid natura ſua ſubiectum potentiæ creatoris ad recipiendum eſſe, & conſequenter inter creatum hoc ſenſu, & increatum, nihil dari medium. *Concilium Senonenſe.*

Objicies ſextò. ſi eſſentiæ habent aliquod eſſe ante creationem, vel habent in Deo, vel extra Deum. ſi in Deo, vel in eius intellectu cognoſcente, vel in potentia eius actiua, quia non apparet alius modus quo poſſunt eſſe in Deo. ſed eſſe in Deo cognoſcente, nihil aliud eſt niſi cognoſci à Deo; hoc autem nullum eſſe ponit in ipſa re quæ co-

gnoſcitur. eſſe autem in potentia actiua, eſt exiſtere potentiam actiuam à qua poſſit effici, quod etiam nullum dicit eſſe proprium eſſentiæ non exiſtentis. ergo ſi creaturæ habent aliquod eſſe eſſentiæ priuſquam exiſtant, habent illud extra Deum; hoc autem implicat contradictionem, quia rem eſſe extra cauſam efficientem, eſt exiſtere. ſed eſſentiæ crearæ habent eſſe extra Deum antequam exiſtant. ergo exiſtunt antequam exiſtant, quod manifeſtam inuoluit impoſſibilitatem.

Reſpondeo habere eſſe in Deo, vel extra Deum, eſſe æquiuocum. nam habere eſſe in alio, eſt exiſtere exiſtente alio, quia exiſtente cauſa effectus eſt propior actui, quã illa non exiſtente. atqui ſi hoc modo accipiatur eſſe in cauſa, illi opponitur eſſe extra cauſã, hoc eſt, eſſe actu, & exiſtere in ſeipſo. in quo ſenſu ſi loquamur, reſpondeo eſſentias antequam fiant habere eſſe in Deo, exiſtit enim Deus, qui eſt creaturarum cauſa, creaturis non exiſtentibus. ſed hoc parum facit ad propoſitam quæſtionem, quærimus enim de illo eſſe quod conuenit eſſentiæ, præſcindẽdo ab exiſtentia; quare ſi interrogatio fiat ad rem, debet eſſe, vtrum illud eſſe eſſentię creaturę habeant à Deo, an extra Deum. conſiderandum eſt igitur, quod aliquid eſſe in alio, præſcindendo ab exiſtentia, ſignificare poteſt eſſe per non repugnantiam alterius, & eſſe dependenter ab alio; & ſi hoc ſenſu ſumatur eſſe in alio, dico eſſentias rerum ab æterno eſſe in Deo, id eſt, eſſe dependenter ab illo, modo ſupra explicato; non autem eſſe in illo, id eſt, tantum per non repugnantiam eius, ſed verè eſſe extra Deum, id eſt, in propria non repugnantia, & non tantum in aliena, id eſt, diuina. ſed hoc nihil abſurdi eſt, nam quod infertur, ergo exiſtunt in ſe, procedit ex æquiuocatione medij termini, qui eſt eſſe extra aliud, neque ſemper accipitur eodem modo, vt diximus.

Objicies ſeptimò. ſi eſſentiæ habuerunt ſuum eſſe reale ab æterno, quale erat illud eſſe? quomodo ſe habebat? denique quid agebat? reſpondeo friuolam eſſe & ineptam objectionem. dico enim non fuiſſe ab æterno exiſtentiam creaturarum, ſed eſſentiam, cum proprietatibus quæ illam conſequuntur. iam verò eſſe in loco actu, itemque agere, aut aliquo modo ſe habere, non eſt eſſentia, nec proprietas, ſed merum accidens, conſequens exiſtentiam. ab æterno igitur, propriè loquendo, eſſentiæ rerum nullibi erant actu, in quocumque loco poteſtate, quia eſſe in loco eſt accidens; nihil agebant vel patiebantur, quia actiones & paſſiones ad ſingularia pertinent, &, vt loquuntur aduerſarij, ſunt ſuppoſitorum.

Objicies octauò. eſſentia exiſtentiæ, quatenus eſt ratio formalis conſtitutiua rei extra ſuas cauſas, non poteſt habere eſſe actuale ab æterno: ergo nec aliæ eſſentiæ, quia militat eadem ratio. antecedens probatur,

tum

tũ quia in illo exiſtere in actu exercito, quod de nouo aduenit eſſentiæ ipſius exiſtentiæ, poſſet adhuc diſtingui ratio eſſentialis & exiſtentialis in actu exercito, & ſic daretur proceſſus in infinitum; tum quia ſi exiſtentia exiſteret ab æterno, etiam eſſentia exiſteret ab æterno, quia exiſtentia eſt modus adueniens eſſentiæ.

Reſpondeo conceſſo antecedente, quod videlicet eſſentia exiſtentiæ non habeat eſſe actuale ab æterno, idem ſcilicet eſſe dicendum de aliis eſſentiis rerum, quia in exiſtentia ceſſat ratio, quam diximus ſupra militare in aliis eſſentiis rerum. ratio enim illa erat, quod eſſentia, verbi gratia, lapidis, ſupponere debet eſſe intrinſecum actuale, tamquam rationem formalem, per quam non repugnat ipſam eſſentiam lapidis exiſtere; quæ ratio formalis non poteſt reperiri in Chimera, & ideo repugnat Chimæram poſſe exiſtere. at verò non eſt neceſſe ſupponi hoc eſſe actuale intrinſecum, tamquam rationem formalem, in ipſa eſſentia exiſtentiæ, ſufficit enim vt ſupponatur hoc eſſe intrinſecum actuale in ipſa eſſentia lapidis; per hanc enim rationem formalem intrinſecam in lapide, per quam non repugnat lapidem exiſtere, nec ipſa exiſtentia repugnabit. ſi enim repugnaret exiſtentia, repugnaret ipſe lapis, quia exiſtit per exiſtentiam, præſertim cùm exiſtentia ſit entitas quædam, cuius natura conſiſtit in actuali exercitio exiſtendi, ita vt non poſſit ipſa exiſtere, niſi actu afficiendo lapidem, faciendo illum exiſtere.

Dices, propterea eſſentiæ rerum ſunt ab æterno, quia ſunt ab æterno poſſibiles. ſed etiam ipſa exiſtentia & ſingularia ſunt ab æterno poſſibilia. ergo &c.

Reſpondeo, ſi proprie loquendum ſit, minorem falſam eſſe, videlicet exiſtentiam ipſam ab æterno eſſe poſſibilem. itemque ſingularia, quà ſingularia, id eſt, habita ratione ſingularitatis. & ratio eſt, quod poſſibile dicitur, quod poteſt recipere exiſtentiam. ſed exiſtentia, ſiue ſingularitas, non poteſt recipere exiſtentiam, quia eſt ipſamet exiſtentia, idem autem ſeipſum recipere non poteſt. ergo, propriè loquẽdo, exiſtentia, ſiue ſingularitas, dici non poteſt poſſibilis, quemadmodum neque albedo dealbabilis. alij diſtingunt majorem. propterea eſſentiæ rerum ſunt ab æterno, quia ſunt poſſibiles, ſubiectiuè, concedunt maiorem, terminatiuè negant maiorem. & eodem modo diſtinguunt minorem. ſingularitas ſiue exiſtentia eſt poſſibilis, terminatiuè, cõcedunt minorem, ſubjectiuè, negãt minorem. explicant diſtinctionem hac ratione. Omnis potentia paſſiua duo denominat, ſubiectum videlicet capax recipere formã, & formam aptam vt recipiatur. ſubiectum autem denominatur intrinſecè, quia in ipſo reſidet potentia paſſiua; forma autem cauſaliter extrinſecè, nimirum per potentiam ad ſe terminatam. hoc poſito, dicunt poſſibilitatem, ſeu capacitatem

exiſtendi reſidere in eſſentia, velut in ſubiecto apto ad exiſtentiam recipiendam, atque adeo ipſam eſſentiam denominari ſubiectiuè poſsibilem. eamdem verò potentiam in exiſtentia & ſingularitate non recipi, ſed ad ipſam terminari, quia denominatur exiſtentia poſſibilis à poſſibilitate non in ſe reſidente, ſed ad ſe terminata, quod eſt ſolum extrinſeca denominatio cauſalis, quæ proinde non facit vt ſingularia fuerint ab æterno.

Inſtabis, cur non etiam dici poſſet poſſibilitatem quam eſſentiæ tribuimus, nihil aliud eſſe quam vim terminandi potentiam diuinam, non in ſe reſidentem, ſed ad ſe terminatam?

Reſpondeo non diffiteri nos poſſibilitatem eſſentiæ, prout comparatur ad potentiam diuinam, eſſe potentiam terminatiuam, quia illam ſolùm terminat, non autem recipit; verum ſi comparetur ad exiſtentiam, reſpectu cuius induit aliqua ratione potentiam paſſiuam, illa potentia ſub illa ratione eſt merè ſubiectiua, quia recipit ipſam, & aliqua ratione eius ſubiectum, & ſic poſsibilitas eius non eſt merè terminatiua, ſed ſubiectiua.

Objicies nonò. ſi eſſentiæ creaturarum habent aliquod verum & reale eſſe ab æterno. ſequeretur eſſentias motus & temporis, atque adeò, prius & poſterius, fuiſſe ab æterno, conſequens abſurdiſſimum videtur. ergo abſurdum pariter eſt eſſentias aliarũ rerũ eſſe ab æterno.

Reſpondeo parui eſſe momenti hanc obiectionem: quamuis enim daremus motum & tempus includere actu partes eſſentialiter, non ſequitur tamen iſtas partes, nec prioritatem vel poſteritatem illam, exiſtere ſeparatim per ſe à ſingularibus; quemadmodum licet, in probabili multorum ſententia, ſubſtantia quæ eſt genus generaliſſimum includat actu per ſe ſubſiſtere in conceptu ſuo, non poteſt tamen exercere actualem ſubſiſtẽtiam à parte rei niſi in ſingularibus; ſicut etiam, licet habere extenſionem partium conueniat quantitati in communi, non poteſt tamen exercere actum talis extenſio à parte rei, niſi in ſingularibus quantitatibus.

## QVÆSTIO QVINTA.

### *Quodnam ſit principium indiuiduationis.*

I. QVærimus hoc loco breuiter, per quid natura vniuerſalis conſtituatur indiuidua & ſingularis. certum autem videri debet indiuiduationem neceſſario eſſe aliquid ſuperadditum naturæ; ſola enim natura ſeipſa non eſt potius hoc quam illud indiuiduum, verbi gratia, animal rationale, ſe ſolo non eſt potius Socrates quam Plato, neque diuidi aut ſecari poteſt, niſi aliquid aliud addatur. ex quo refelli

*Refelluntur Suarius & Vaſquez ponentes entitatem cuiuſque rei eſſe principium indiuiduationis.*

poſſunt aliqui recentiores cum Suario, & Vaſquez, aſſerentes principium indiuiduationis, eſſe ipſam entitatem vniuſcuiuſque rei. refelli inquam poſſunt, quia principia eſſentialia quæ in indiuiduis reperiuntur tanquam eorum pars, non poſſunt eſſe rationes diſtinctionis, nec principia formalia indiuiduationis, cum ſint rationes conuenientiæ. ergo principium indiuiduationis non eſt tota entitas vniuſcuiuſq; indiuidui. certum præterea eſſe debet diſtinctionē indiuiduorum non fieri per negationē ſuperadditā, qua vnum non eſt aliud, vt exiſtimaſſe refertur Henricus quodlibeto quinto quæſt. 8. ratio eſt, quia hęc negatio, qua vnum indiuiduum nō eſt aliud, non poteſt poni in natura, niſi præſupponat naturam ſingularem, & conſequenter habeat aliquod fundamentum ad quod ſequatur, quod fundamentum non poteſt aliud eſſe niſi differentia ſingularis. quod ſola natura non poſſit iſtam negationem fundare, probatur, quia eam ſolam negationem fundare poteſt natura, quæ conſequitur eius limitationem. ſed eius limitatio excludit tantum id quod non eſt animal rationale. ergo non poteſt fundare negationem huius animalis rationalis ab illo. & certè ne intelligi quidem poteſt, qua ratione nihil planè ſit in vno quod non ſit in alio, & tamen fundetur negatio vnius ab alio; nam per totam naturam conueniunt, idque ſimpliciter. ergo non poſſunt per illam differre, ſed opus eſt aliquo alio ſuperaddito. ſi autem ſuperadditur aliquid aliud, illud vel eſt intrinſecum, & habemus intentum; vel eſt extrinſecum. hoc autem primo quidem non apparet quidnam eſſe poſſit. ſecundò, quia quæram, qua ratione conſtituatur potius hoc quam illud indiuiduum. idem enim connotatum extrinſecum ſicut ab aduerſariis dicitur poſſe diuidere naturam, ita poteſt etiam eſſe cauſa duorum indiuiduorum. vel ergo in ratione eſſendi aliqua ratione differunt, & habetur intentum; vel nullo planè modo differunt in ratione eſſendi, & tunc cum ſit idem plane eſſe ſub eodem connotato, erit eadem planè res. neceſſe eſt ergo ſuperaddi aliquid ipſi eſſentiæ, ratione cuius fiat indiuiſibilis; illud autem ſuperadditum vocamus indiuiduationem. certum tertiò mihi videtur huiuſmodi principium indiuiduationis non eſſe accidens, vt præclarè probant Scotus conterraneus noſter, & Caietanus. primo quidem, quia qui ponunt aliquod accidens, communiter ponunt quātitatem, vt videre eſt apud Gotofredum, quem refert & impugnat Scotus in 2. diſt. 3. quæſtione quarta. ſed hoc eſt impoſſibile; tum quia animæ rationales extra corpus ſunt indiuiduæ, & diſtinctæ numero ad inuicem, & tamen ibi nulla eſt quantitas per quam diſtinguantur, ergo neceſſe eſt non quantitate, ſed aliquo alio iudiuidua diſtingui; tum quia duæ intellectiones eiuſdem Angeli circa idem indiuiduum numero, vt cum Gabriel intelligit bis Raphaëlem, non poſſunt differre pluſquam numero, &

*Refellitur Henricus exiſtimans negationem eſſe principium indiuiduationis.*

*Scotus.*

*Reiicitur Gotofredus aſſerens quantitatem eſſe principium indiuiduationis.*

nullam habent quantitatem in ſe, neque in ſubiecto ſuo. ergo indiuiduatio non eſt quantitas, aut aliquid ſumptum ab illa. quod ſi dixeris, hoc eſſe intelligendum de entibus materialibus; adhuc contra eſt, quia idem numero ſubiectum cum eadem quantitate ſæpius calefit & frigeſit, vt, verbi gratia, manus in hyeme. ergo remanente eadem quantitate numero, fiunt plura numero accidentia in ſubiecto. ergo per aliquid aliud differunt, quam per hanc numero quantitatem. adde quod quantitates ipſæ numero differant abinuicem, & propterea quæri poſſe, per quid tandem & illæ indiuiduentur; non per ſolam eſſentiam, quia hoc iam confutatum eſt; neque per aliquid eſſentiæ ſuperadditum, quia aſſignetur quid illud ſit, & poſtquam aſſignatum fuerit, nos proportionaliter aſſignabimus idem in aliis entibus. certum quartò videtur materiam ſignatam non eſſe principium indiuiduationis, vt voluit ſanctus Thomas prima parte quæſt.3.art.2. ad tertium, primo contra gentes capite 21. & alibi ſæpe. quia inprimis non poteſt explicari quid intelligatur per materiam ſignatam, quæ ab illo ponitur principium indiuiduationis, vt conſtat ex Thomiſtis, quorũ tot ſunt hac de re ſententiæ quot capita. aliqui enim ex illis volunt materiam ſignatam eſſe materiam cum quantitate actuali. alij eſſe materiam huius quantitatis capacem. alij eſſe materiam prout eſt radix & cauſa quantitatis. alij aliud. ſecundò, quomodocumque intelligatur, impugnari poteſt, ex eo quod principium indiuiduationis formaliter conſtituens rem indiuiduam, debeat eſſe intrinſecum rei indiuiduæ. ſed materia ſignata non eſt intrinſeca omnibus indiuiduis, exempli gratia, Angelis, animabus, &c. ergo &c. minor aperta eſt. maior probatur, quia rem eſſe indiuiduam, non eſt denominatio extrinſeca, ſed intrinſeca. ergo &c. tertiò, materia ſignata contradiſtinguitur à formis materialibus. ergo nec formæ materiales poſſunt indiuiduari per materiam ſignatam. conſequentia clara eſt, quia effectus formalis alicuius principij formalis, non contradiſtinguitur à ſua cauſa, vel principio formali. antecedens probatur, quia per diuinam ſaltem potentiam poſſent ſeparari, vt alibi oſtendimus, à materia ſignata, non autem poſſent ſeparari ſingulares extra illam, ſi eſſent ſingulares per illam, ſicuti non poteſt ſeparari album ab albedine, quia albedo eſt de intrinſeco conceptu albi, vtpote eius cauſa formalis. denique quod nec materia ſignata poſſit eſſe principium indiuiduationis in compoſitis, probatur, quia compoſita ſubſtantialia phyſica, non tantum ſecundum gradum ſpecificum vel genericum ſunt ſubſtantiæ, ſed etiam ſecundum gradum indiuidualem, ſecundum quem ponuntur in recta ſerie prædicamentali prædicamenti ſubſtantiæ. ergo non poſſunt indiuiduari formaliter per materiam ſignatam quantitate, alioquin quantitas formaliter concurreret ad cõ-

*Impugnatur ſententia S. Thomæ, aſſerentis materiam ſignatam eſſe principium indiuiduationis.*

ti

ſtituendum aliquem gradum in prædicamento ſubſtantiæ, quod eſt impoſſibile. confirmatur ad hominem, quia Thomiſtæ exiſtimant quantitatem inhærere toti compoſito, tanquam ſubiecto inhæſionis; ex quo ſic licet argumentari. compoſitum ſubſtāciale phyſicum prius eſt quantitate, quia ſubiectum antecedit in genere cauſæ materialis ea quæ ſunt in ſubiecto. ergo antecedenter ad quantitatem eſt ſingulare & indiuiduum. ergo vlterius non indiuiduatur à materia ſignata. prima conſequentia, in qua eſt difficultas, ſic oſtenditur. compoſitum ſubſtantiale eo modo eſt prius quantitate, quomodo eſt ſubiectum illius. ſed eſt ſubiectum illius quatenus ſingulare. ergo &c. omitto breuitatis cauſa alia argumenta, quæ apud recentiores videri poſſunt, præſertim apud Radam tomo 2. controuerſiarum, controuerſia 5. Meuriſſum libro 2. rerum Metaphyſicarum cap. 3 quæſtione 6. & Raguſæum tomo peripateticarum diſcuſſionum diſputatione 24. his itaque, aliiſque ſententiis, quæ partim ex dictis, partim ex dicendis confutari poſſunt, omiſſis,

Dicendum eſt exiſtentiam eſſe principium indiuiduationis. hanc aſſertionem tribuit Suarius diſputatione 5. Metaphyſicæ ſectione 5. Henrico quodlibeto 2. quæſt. 8. & verè, quia expreſſis ſatis verbis illam habet. tribuit etiam illam Carthuſiano in 2. diſtinctione 3. quamuis ipſe deinde dicat eam ab omnibus reiici, vt omnino falſam & improbabilem, in quo vehementer errat; nam non tantum eſt probabilis, ſed & ſententia quam ipſe defendit longè probabilior. *Concluſio authoris, exiſtentiam eſſe principium indiuiduationis. Henricus. Carthuſianus.*

Probatur autem breuiter, ſed efficaciter, quia ſi principium indiuiduationis eſt aliquid ſubſtantiale diſtinctum ab exiſtentia, aut eſt poſterior ipſa exiſtentia, aut prior, aut concomitans ipſam, præter hos enim nihil dari poſſibile eſt. ſed nihil horum dici poteſt. ergo &c. Quod non ſit aliqua entitas poſterior exiſtentia, probatur manifeſtè: clarum enim eſt exiſtentiam aduenire rei habenti omnia neceſſaria ad exiſtendum. quare ſi indiuiduatio ſit entitas poſterior exiſtentiâ, indiuiduatio non erit aliquid requiſitum ad recipiendam exiſtētiam. quod ſi ita eſt, difficile videri poteſt qua ratione indiuiduatio ſiue hæcceitas futura ſit neceſſaria ad exiſtendum; non enim eſt aliquid completiuum exiſtentiæ. quod autem completè habet rationem exiſtendi, poteſt ſeparatum à quolibet alio exiſtere, aut certè etiamſi hæcceitas ſit aliquod complementum exiſtentiæ, tolli poſſet de potentia Dei abſoluta, ita vt adhuc remaneret eſſentia exiſtens, ſicut tollitur inhærentia accidentis & ſubſiſtentia naturæ humanæ; tunc autem illa natura exiſteret non indiuidua, quod eſt apertè abſurdum. quod ſi dicas ita ſe habere indiuiduationem ad exiſtentiam, ſicut ſe habet figura ad quantitatem, ſine qua quantitatem eſſe impoſſibile eſt; contra, quia cum prius non dependeat à poſteriori, ſaltem exiſtentia po- *Probatio concluſionis.*

terit mutare hanc & illam hæcceitatem; vnde nulla exiſtentia de nouo producta poſſet ex vno indiuiduo fieri aliud in eadem ſpecie, vt, verbi gratia, ex Socrate fieri poſſet Ariſtophanes. præterea ſi ita eſſet, prius natura res exiſteret vniuerſalis, quàm particularis; & tamen in illo priori non eſſet vniuerſalis, quia non identificaretur cum indiuiduis exiſtentibus eiuſdem ſpeciei; neq; eſſet particularis, quia non haberet hæcceitatem ſeu differentiam ſingularem. denique in illo priori in quo recipitur exiſtentia in eſſentia, natura nullã haberet diuiſionẽ. quando autem ſuperadderetur differẽtia ſingularis, aut adueniret toti naturæ exiſtenti, & iam ſufficiẽter fuiſſet diuiſa natura per exiſtentiam ab omni alia. ſi autem indiuiduatio adueniens, partem naturę iam exiſtentis afficit, partem non afficit, reliquum aut remaneret exiſtens non indiuiduatum, aut certè deinde corrumperetur; quæ omnia planè falſa ſunt & ridicula. Neque etiam dici poteſt entitatem illam eſſe priorem ipſa exiſtentia, quia in primis exiſtentia neceſſario eſt indiuidua in rerũ natura. vel ergo indiuiduatur ſeipſa, vel indiuiduatur indiuiduatione ſubjecti. ſi ponatur indiuiduari ſeipſa, iam in ipſa eſt ſufficiens principium indiuiduandi etiam naturam, neque quidquam eſt quod cogit ponere diſtinctam indiuiduationem. ſi autem dicatur indiuiduari exiſtentia per indiuiduationem ſubjecti, ad eum modum quo à quibuſdam dicitur albedo extendi quantitate ſubjecti, adhuc contra eſt. primo quidẽ, quia nulla eſt neceſſitas multiplicãdi tot entitates. ſecundò, quia reliquis paribus major eſſet proportio inter eſſentiam nõ indiuiduam & exiſtentiam indiuiduã, quàm inter eſſentiam indiuiduã & exiſtentiam non indiuiduam, quia ſubjectum eſſe magis determinatum quàm ſit forma quæ in illo recipitur, & potentiam magis quã vltimum actum, videtur contra naturam actus & potentiæ; ſemper enim determinatio magis eſt ab actu quam à potentia. vltimò, quod hæcceitas non ſit entitas aliqua concomitans exiſtentiam, tum ex dictis ſatis patet; tum etiam quia opus eſſet oſtendere; qua ratione connexæ eſſent hæ duæ entitates ex natura ſua diſtinctæ; & denique cum indiuiduatio non ſit actus ſecundus entis, quare non poſſet eſſe vel actus ſecundus ſine illa, vel illa ſine actu ſecundo?

III. Quæres an differentia indiuidualis, ſiue exiſtentia, rectè appelletur hæcceitas?

Reſpondeo rectè appellari, quam appellationem Varro primùm vir & eruditione & eloquentia inſignis, referente Sueſſano lib. 5. metaph. diſp. 5. cap. 3. vſurpauit; nec ineptè quidem, quia natura communis per ſe quodammodo dilatata & extenſa, eius interuentu coarctatur, & deducitur ad eſſe hanc.

Quæres ſecundò, quis ſit conceptus eſſentiæ, quis conceptus exiſtentiæ?

Reſpondeo eſſentiam eſſe actum primum, & rationem eſſendi vnicuique rei in ea ratione in qua eſt ens; exiſtentiam verò eſſe id quo vnumquodque entium vltimò eſt, ſiue eſſe actum vltimum rei in ratione entis.

Objicies primò cum Suario. hæc & illa exiſtentia conueniunt in ratione exiſtentiæ, & differunt in ratione talitatis. ergo habent aliquem conceptum communem. ergo poteſt intelligi exiſtentia in communi, quæ ſi applicetur eſſentiæ, conſtituet eſſentiam exiſtentem non indiuiduam. ſed hoc repugnat indiuiduationi, quia effectus formalis indiuiduationis eſt reddere rem indiuiduam, id eſt ita hanc, vt non poſſit diuidi in aliud inferius.

Reſpondeo retorquendo argumentum in Suarium. indiuiduum hoc & illud conueniunt in ratione indiuidui, & differunt qua tale & tale indiuiduum. ergo poteſt abſtrahi conceptus communis omnibus indiuiduis, tunc autẽ illud cõmune indiuiduum diuidi poterit in illud & illud indiuiduum, quod repugnat naturæ & conceptui indiuiduationis. ergo aut neget Suarius dari conceptum communem indiuidui; & tunc nos idem negabimus de conceptu exiſtentiæ, aut certè qua ratione ſoluit in indiuiduo, ſoluemus & nos in exiſtentia, quandoquidẽ in noſtra ſententia, exiſtentia & indiuiduatio idem ſint. Reſpondeo ergo directè non poſſe dari vllum communem conceptum omnibus exiſtẽtijs. ratio colligi poteſt ex ſupradictis, præſertim de vniuocatione entis, vbi oſtẽdimus differentias vltimas eſſe ſimpliciter ſimplices. *Obiectio Suariſtica diſſoluitur.*

Objicies ſecundo ex Ariſtotele pro Thomiſtis contendentibus materiam ſignatam eſſe principium indiuiduationis. ait enim Ariſt. 5. metaph. textu 12. illa eſſe vnum numero, quorum materia eſt vna, & 7. metaph. text. 35, ait ſingulare eſſe illud quod eſt vltima materia, & 3. de anima textu 9. vult quidditatem abſtrahi poſſe à ſingularitate, quia ſingulare dicit materiam. ergo in ſententia Ariſtotelis materia eſt principium indiuiduationis. *Soluitur Thomiſtarum fundamentum.*

Reſpondeo hæc loca parum vrgere, quia, vt bene notat Rada tomo 2. controuerſ. cont. 3. in ſolut. argumentorum initio controuerſiæ poſitorum, materia dupliciter ſumitur apud Ariſtotelem. primò ſumitur pro altera parte compoſiti, & ſic ab illo vſurpatur 1. phyſicorum & 7. metaphyſic. cùm ait materiam eſſe de definitione compoſiti. ſecundo accipitur ab illo materia, prout opponitur quidditati, & ſignificat differentiam indiuidualem, qua ratione illam accipit Philoſophus 7. metaph. capite de partibus definitionis, vbi quidditatem formam vocat, & partes definitionis, formales; materiales verò partes ait eas eſſe, quæ ſunt extra rationem quidditatiuam. exiſtentia autem, vel quod idem eſt differentia indiuidualis, eſt extra totum eſſe quidditatiuum, ac propterea meritò ab Ariſtotele vocatur materia. quo *Rada.*

poſito, ad argumentum, dico locis citatis Ariſtotelem intelligere per materiam differentiam indiuidualem. patet ex dictis. alia argumenta objici ſolent, ſed leuiſſima ſunt, & ex dictis nullo negotio ſoluuntur.

# QVÆSTIO SEXTA.

## *Quid ſuppoſitum, vel perſona, ſupra naturam ſingularem addat.*

I. AD propoſitæ quæſtionis intelligentiam, præmitto in quolibet indiuiduo ſubſtantiali completo plura ſpectari poſſe. primò enim conſiderari poteſt eſſentia, ſeu prædicata quidditatiua. ſecundò, conſiderari poteſt exiſtentia, per quam Socrates eſt actu poſitus extra cauſas, & ſingularis. denique conſiderari poteſt ratio per quam ita eſt vnum indiuiduum per ſe perfectum, & completum, vt nulli alteri communicari poſſit, & de hac quærimus in propoſita quæſtione, quid ſit, non autem de ea quæ conſtituit ſuppoſitum increatum & diuinum.

*Prima ſententia recentiorum.* Prima ſententia eſt eorum qui dicunt eſſe aliquid reale poſitiuum, diſtinctum modaliter, vt loquuntur, à natura exiſtente. ita Caietanus in articulum 2. quæſt. 4. 3. partis, & poſt eum Medina ibidem, Suarez diſputatione 34. metaph. ſectione 2. Præpoſitus 3. parte quæſt. 4. Valentia, Vaſquez, Mendoza, Bagnez, Florauantius, Albertinus, & alij.

*Secūda ſententia veterum.* Secunda ſententia eſt præcedenti omnino contraria, aitque ſuppoſitum non ſuperaddere naturæ exiſtenti quicquam reale poſitiuum à natura realiter aut modaliter diſtinctum, ſed tantum duplicem negationem, actualis videlicet, & aptitudinalis dependentiæ. dicunt igitur huius ſententiæ authores, vt natura dicatur ſubſiſtere, duo requiri; primò, vt actu non ſit in alio terminante; ſecundò, vt etiam aptitudine non ſit hoc modo in alio. prior negatio, vocatur negatio actualis dependentiæ; poſterior, negatio dependentiæ aptitudinalis. ſi alterutra negatione natura careat, non ſubſiſtit. hanc ſententiam ſequuntur autores, auctoritate, numero, & antiquitate authoribus ſuperioris ſententiæ longè ſuperiores. ita enim ſanctus Martyr Seuerinus Boëtius; nam lib. de duabus naturis pag. 3. perſonam definit, *Rationalis naturæ ſubſtantiam indiuiduam.* quæ definitio perſonalitati ac ſubſiſtentiæ modali ſuperadditæ neutiquam cōuenit, vt expreſsè fatetur Vaſquez 3. parte diſput. 32. cap. 3. numero 14. vbi nouam definitionem,

*Boëtius.*

nitionem, Boëtio, & omnibus antiquis incognitam, cudit. ita etiam Richardus de S. Victore lib. 4. de Trinitate cap. 6. 7. 24. & 25. & alibi, vbi de ratione perſonæ eſſe ait, vt ſit ſubſtantia ſola; & cap. 18. 21. 22. & 23. eiuſdem libri, vbi perſonam definit, *Exiſtentiam incommunicabilem*. ita præterea Hugo Victorinus tomo 3. Apologia de Verbo incarnato quæſtione 7. & 19. & opuſculo de Verbo incarnato collatione ſecunda, qui priori loco humanitatem Chriſti nullius realitatis iactura, ſed potius ſolius diuinitatis verbi aduentu, factam eſſe perſonam verbi, oſtendit exemplo lampadis, quæ noctu ſola ardens & lucens in templo, lumen templi dicitur; de die autem, propter ſuperueniens maius lumen Solis, amplius nec eſt, nec dicitur lumen templi. an hoc in recentiorum Modaliſtarum ſententia dici poteſt? Magiſter Sententiarum in 3. diſt. 5. vbi cur anima rationalis vnita corpori non ſit perſona (nam à corpore ſeparatam, quia eſt ſubſtantia ſeparata, putat eſſe perſonam; in quo cōmuniter reijcitur à ceteris Theologis, qui negant animam à corpore ſeparatam eſſe perſonam, quia natura ſua eſt ſubſtantia imperfecta, & pars alterius, & per conſequens non habens negationem aptitudinalis dependentiæ) hanc ſolam aſsignat cauſam, quod in homine ſit vnita corpori, & non ſit per ſe, & ſola. ſimiliter, cur verbum diuinum humanam naturam non perſonam acceperit, hanc ſolam reddit cauſam, quia accipiendo naturam humanam, eam ſibi vniuiuit, & vniendo accepit. itaque ex mente Magiſtri, neutra, id eſt anima vnita corpori, & humanitas Chriſti, eſt perſona propria, non quia carent modo aliquo, ſed quia ſunt vnita alteri. Guilielmus Altiſiodorenſis lib. 3. ſent. capit. 1. quæſt. 8. vbi poſteaquam præmiſit in ratione perſonæ includi tres determinationes, vt loquitur, nempe ſingularitatis, incommunicabilitatis per modum partis, & dignitatis, huius ſolius tertiæ defectu affirmat *Ieſuitatem* (vt loquitur) id eſt humanitatem Chriſti, carere ſubſiſtentia propria; *Quoniam Ieſuitas* (inquit) *coniungitur digniori formæ in filio Dei, ipſaq; vnio ad deitatem excludit tertiam diſtinctionem, & determinationem quæ exigitur ad eſſe perſonæ, propterea non eſt perſona humana.* Alexander Alenſis 3. parte quæſt. 4. membro 6. in corpore, idem prorſus habet quod Altiſiodorēſis, perſonam nempe dicere triplicem diſtinctionē, *ſingularitatis, partis, & dignitatis*; atque ſolutione ad 3. iſta tria importari voce (indiuidua) poſita in definitione perſonæ. S. Bonauentura in 3. diſtin. 5. art. 2. quæſt. 2. ad 1. 2. & 3. per vocem (indiuidua) poſitam à Boëtio in definione perſonæ, ſupradictam triplicem diſtinctionem, ſingularitatis, &c. importari aſſerit; quod & fecit D. Thomas ſcripto 2. in 3. ſent. diſt. 5. quæſt. vnica art 2. ad 5. de mente D. Thomæ infra plura. ex Thomiſtis Armandus de Bello Viſu Magiſter ſacri Palatij eandem ſententiam amplectitur libro de declara-

*Richardus de S. Victore.* *Hugo Victorinus.* *Magiſter ſententiarum.* *Guilielmus Altiſiodorenſis.* *Alexander Alenſis.* *S. Bonauentura.* *D. Thomas.* *Armandus de Bello Viſu.*

*Paludanus, Scotus, Melchior Flauius, Nicolaus de Orbellis, Baſſolius, Scotellus, Maturinus le Bret, Gulielmus VVorilong, Zerbus, Franciſcus de Pytigianis, Cardinalis Sarnanus, Faber Fauentinus, Meuriſſius, Ouando, Salmeron, Molina, Clichtoueus, Faber Stapulenſis.*

tione difficilium terminorum Theologiæ, Philoſophiæ, atque Logicæ, tract. 2. cap. 47. & cap. 291. Paludanus in 3. diſt. 6. quæſt. 2 & alij. Scotus noſtras in 3. diſt. prima quæſt. 1. numero 9. ex Scotiſtis Melchior Flauius in 3. diſt. 5. quæſt. 2. Nicolaus de Orbellis in 3. diſt. 1. quæſt. 1. Baſſolius gentilis noſter in 3. diſt. 1. art. 1. quæſt. 1. Petrus de Aquila Scotellus in 3. diſt. 1. quæſt. 1. Maturinus le Bret ſeu Paruus Scotus in 3. diſt. 1. quæſt. 1. Gulielmus VVorilong in 3. diſt. 5. quæſt. 1. art. 1. & 3. Zerbus 7. metaph. quæſt. 12. Franciſcus de Pytigianis in 3. diſt. 1. quæſt. 1. Cardinalis Sarnanus in directorio Theologico pag. 388. editionis Lugdunenſis anni 1590. Faber Fauentinus in 3. diſt. 1. quæſt. 1. diſput. 2. Meuriſſius lib. 3. rerum Metaphyſicarum quæſt. 4. Ouando, & alij Scotiſtæ communiter. ex aliis Salmeron in hæc verba Pauli ad Hebræos 2. *Nuſquam Angelos appræhendit, ſed ſemen Abrahæ appræhendit*, Ludouicus Molina 1. parte quæſt. 29. art. 2. diſput. 3. Clichrouæus commentario in cap. 9. libri 3. de fide orthodoxa Sancti Damaſceni, Faber Stapulenſis in commentariis in libros de Trinitate Richardi Victorini capitibus ſupra citatis libri quarti, & alij, cum quibus

II. *Concluſio.*

Dicendum eſt, ſuppoſitum, ſiue perſonam ſupra naturam exiſtentem, nihil reale poſitiuum addere; neq; aliud eſſe ſuppoſitum, quam naturam exiſtentem, connotantem dictas duas negationes, ita vt duo dicat, vnum in recto, nempe naturam exiſtentem, alterum in obliquo, nempe duplicem negationem.

*Prima probatio ex Philoſopho.*

Probatur concluſio primò authoritate Ariſtotelis, quem non agnouiſſe vllum realem poſitiuum modum, quem ſuppoſitum ſupra naturam addat, vltro concedit nobis maxima pars aduerſariorum, Suarius loco citato, Cajetanus loco etiam citato, quamuis ſibi contradicat, ſui immemor; nam paulo ante in eadem quæſtione contendit Philoſophum ſenſiſſe ſubſiſtẽtiam eſſe modum realem, quem naturæ ſuperaddit ſuppoſitum. ſed contra eum facile eſt hoc falſum eſſe oſtendere. nam (vt alia omittam) euidenter hoc oſtenditur ex prædicamentis cap. de ſubſtantia, vbi Philoſophus ſubſtantiam diuidit in primam, & ſecundam, & , vt fatetur Cajetanus, per ſubſtantiam primam, ſuppoſitum & hypoſtaſim intelligit, de qua tria dicit ibidem. primum, eam eſſe propriè, principaliter, & maximè ſubſtantiam. ſecundum, nec dici de ſubjecto, nec eſſe in ſubjecto aliquo. tertium, cætera omnia vel in ea eſſe tanquam in ſubjecto, vel de ea dici tanquam de ſubjecto. hæc autem tria non ſubſtantiali alicui modo, ſed ipſi ſoli ſubſtantiæ primæ, idque per ſe, & non ratione vllius modi adjuncti, conueniunt. ſubſtantia enim particularis & indiuidua, vt Petrus, verbi gratia, per ſe, & non ratione vllius modi realis ſuperadditi, eſt propriè & maxi-

ximè ſubſtantia, & magis ſubſtantia, quā vel partes ex quibus componitur, vel ipſæ ſecundæ ſubſtantiæ. Per ſe item, & non ratione vllius modi, neq; eſt in ſubjecto more accidentium, neq; dicitur de ſubjecto more ſecundarum ſubſtantiarum, neq; eſt in alio vt pars in toto. quia enim de myſterio incarnationis nihil cognouit Ariſtoteles, non exiſtimauit vllam ſubſtantiam primam quæ ſit hoc aliquid, poſſe eſſe in alia digniore, vt humanitas Chriſti eſt in verbo. Eidem denique ſubſtantiæ primæ ſine vllo modo cętera omnia vel inſunt vt in ſubjecto, vt accidentia, vel dicuntur vt de ſubjecto, vt ſecundæ ſubſtantiæ.

Probatur ſecundò ex Apoſtolo ad Philipenſes 2. *Semetipſum exinanauit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*; & ad Hebræos 2. *Quia ergo pueri communicauerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem*; ac paulo poſt, vbi ex profeſſo agit de ipſo myſterio incarnationis, *Nuſquam* (inquit) *Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. vnde debuit per omnia fratribus ſimilari.* hæc in prima ſententia vera non ſunt; ſi enim ſuppoſitum ſupra naturā addit reale aliquid poſitiuum, ſi ſubſiſtentia eſt aliquid reale à natura exiſtente diſtinctum, illud Chriſtus non aſſumpſit, & tamen nihil clarius, omne reale quod pertinet ad naturam, aſſumpſiſſe. Qui enim dicit omnia, nihil prorſus exipit. nam in fratribus, hoc eſt alijs à Chriſto hominibus, ſi quæ eſt entitas, ſi quis realis & poſitiuus ſubſiſtentiæ modus naturalis, qui non ſit in Chriſto, quomodo humanitatem habens tali modo deſtitutam, ab Apoſtolo verè & propriè dici potuit per omnia ſimilari fratribus; factus in ſimilitudinem hominum; & ſimiliter ac illi participare carni & ſanguini? præſertim cum ſubſiſtentiæ modus ab aduerſarijs dicatur eſſe ſummum & vltimum cōplementum ſubſtantiale, tantæque virtutis & præſtantiæ, vt ſine eo quælibet natura particularis maneat ſubſtantialiter incompleta, nec poſſit agere aut pati, *actiones enim ſunt ſuppoſitorum.* quomodo Chriſtus à SS. Patribus verè dici potuit homo perfectus, & æque perfectus homo, ac eſt perfectus Deus? quomodo habere plenitudinem perfectionis & conſummationis humanæ; habere omnia quæ in nobis ab initio Deus condidit; omnia quæ humana ſunt, ſola peccati malitia excepta? quomodo denique dici poteſt tenere in eo humana natura ſine defectu proprietates ſuas?

*Secūda probatio ex Apoſtolo Paulo.*

Probatur tertiò ex SS. Patribus, & Conciliis, in quibus multa habentur ex quibus euidenter deducitur falſitas contrariæ ſententiæ. in Symbolo Athanaſij, ab Eccleſia vniuerſa recepto, habetur, *Perfectus Deus, & perfectus homo.* In Concilio Calcedonenſi actione 5. in definitione fidei, *Sequentes SS. Patres confitemur eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum perfectum in Deitate,*

*Tertia probatio ex Conc. & Pat.*

*Symbolum Athanaſii.*

*Concilium ſecundum Calcedonenſe.*

*eundem perfectum in humanitate, conſubſtantialem Patri ſecundum Deitatem, & eundem conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem, per omnia nobis ſimilem abſque peccato; eundem Chriſtum filium Dominum vnigenitum in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indiuisè, inſeparabiliter agnoſcendum, nuſquam ſublata eſſentia naturarum propriarum propter vnionem, magiſque ſalua proprietate vtriuſque naturæ in vnam perſonam concurrente.* In ſexta ſynodo generali, quæ eſt Concilium tertium Conſtantinopolitanum ſub Agathone, actione 15. in definitione fidei, *Duas* (inquiunt Patres) *eius naturas prædicamus, diuinam, & humanam, ex quibus, & in quibus, etiam poſt admirabilem vnionem, ſubſiſtit; & vnamquamque eius naturæ proprietatem naturalem habere confitemur, & diuinam habere omnia quæ diuina ſunt, & humanam omnia quæ humana ſunt, abſque peccato.* ibidemque aſſeritur, *ſaluata vtriuſque naturæ proprietate, eas in vnam perſonam, vnamque ſubſtantiam concurrere.* Concilium Lateranenſe Romanum 105 Epiſcoporum ſub Martino primo contra Monothelitarum & Acephalorum hæreſim, vbi damnati ſunt eius defenſores Cyrus Alexandrinus, Sergius, Paulus, & Pirrhus Conſtãtinopolitani Patriarchæ, Conſultatione 5. in definitione fidei canone 5. ita habet; *Si quis ſecundum SS. Patres non confitetur propriè & ſecundum veritatem, vnam naturam Dei Verbi incarnatam, per hoc quod incarnata dicitur noſtra ſubſtantia perfectè in Chriſto Deo & indiminutè, abſque tantummodo peccato, ſignificata, condemnatur.* & Canone 9. *Si quis ſecundum SS. Patres non confitetur propriè, & ſecundum veritatem, naturales proprietates Deitatis eius, & humanitatis, indiminutè in eo, & ſine deminoratione ſaluatas, condemnatus ſit.* quid clarius & expreſſius dici potuit, aut quis neget modum ſubſiſtentiæ, ſi datur, eſſe de naturalibus & maximè intimis proprietatibus & perfectionibus humanitatis? neque dixeris, per proprietates ſolummodo intelligi intellectum, voluntatem, earumque facultatum operationes. nam vniuerſim Concilium loquitur de proprietatibus, & poſtea canone 10. 11. & 12. aliiſque conſequentibus ſpeciatim & expreſsè definit duas in Chriſto eſſe voluntates, duaſque operationes, diciturque Anathema iis qui vnam tantum in Chriſto voluntatem & operationem affirmant. Poſt Concilia ſequuntur Patres, & Pontifices, è quibus Damaſus Papa epiſtola 1. ad Paulinum Antiochenum Epiſcopum de fide & formula, quam qui ab hæreſi reuertuntur debent profiteri, quæ habetur tomo 1. Conciliorum pag. 497. hæc habet; *Confitendus eſt filius Dei humanum ſuſcepiſſe corpus, animam ſenſum, id eſt integrum Adam, & vt expreſſius dicam, totum veterem noſtrum ſine peccato hominem.* S. Leo ſerm. 3. de Natiuitate, *Tenet* (inquit) *ſine defectu proprietatem ſuam vtraque natura, & ſicut formam ſerui forma Dei non adimit, ita formam Dei forma*

*Concilium tertiũ Conſtantinopolitanum.*

*Concilium Lateranenſe.*

*Damaſus Papa.*

*S. Leo.*

Digitized by Google

*ſerui non minuit.* & paulò pòſt. *In integra igitur veri hominis perfectaque natura verus natus eſt Deus, totus in ſuis, totus in noſtris; noſtra autem dicimus, quæ in nobis ab initio Creator condidit, & quæ reparanda ſuſcepit.* hæc ille, qui eadem repetit in admirabili & diuina illa epiſtola ad Flauianum cap. 3. Agatho Papa in epiſt. ad Cōnſtantinū Heraclium & Tiberium Auguſtos, ſcripta contra Monothelitas, lecta & approbata in ſexta Synodo; *Si in nullo* (inquit) *differentia naturarum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſublata eſt neceſſe eſt, vt in omnibus proprietatibus eandem differentiam conſeruemus.* Athanaſius tract. de Incarnatione Chriſti tomo 3. *Quæcunque ipſe ſua voluntate in natura formauerat, ea ſua voluntate in ſeipſum recepit.* & tractatu de aduentu Chriſti aduerſus Apollinarium; *Exiſtens ante ſæcula Deus Verbum ex Nazareth, homo viſus eſt genitus ex Maria Virgine & ſemine ſancto in Bethleem Iudæ, ex ſemine Dauidis, Abrahæ, & Adæ, vt ſcriptum eſt, omnia deſumens ex Virgine, quæ ab initio Deus ad hominem conſtituendum in fingendo faciendoque adhibuerat, excepto peccato, vt ait Apoſtolus, ad ſimilitudinem citra peccatum.* hæc ille, qui idem habet tractatu de natura humana aſſumpta. Ambroſius libri 7. epiſt. 47. epiſtola, *Cum eſſet* (inquit) *in plenitudine Diuinitatis, exinaniuit ſe, & accepit plenitudinem naturæ & perfectionis humanæ; ſicut Deo nihil deerat, ita nec hominis conſummationi, vt eſſet perfectus in vtraque forma.* Cyrillus Alexandrinus, quem merito Bellarminus lib. de ſcrip. Eccleſ. ait ſpecialiter edoctum à Deo circa myſteriū Incarnationis, & cuius capitula omnia ſcripta contra Neſtorium approbat Synodus 5. generalis collatione 8. in definitione fidei canone 13. vbi anathematizat omnes qui contra eius capitula ſcripſerunt & ſenſerunt, in tali impietate vſque ad mortem perſeuerantes; hic igitur in libro de recta in Chriſtum fide ad Reginas ita ſcribit; *Perfectus Deus cum eſſet, factus eſt perfectus quoque homo, neque quidquam omnino quod humanæ naturæ cognatum eſſet, præter vnam malitiam, reliquit.* & opuſculo ſecundo ad eaſdem Reginas; *Perſpicuum eſt vnigenitum, corpore aſſumpto, eodemque viuificato, & informato anima ratione prædita, eadéque perfecta, hominem factum eſſe. Neceſſe enim fuit vt omnibus, ſiue ad animam, ſiue ad corpus pertinentibus, nobis aſsimilaretur.* Nicephorus Conſtantinop. Epiſt. ad Leonem Pont. Max. quæ habetur in Concilio Epheſino tomo 5. cap. 22. *Per Spiritū Sanctū* (inquit) *animum & carnem ſibi adaptans, totamque noſtram naturam, quemadmodum hominem in principio finxerat, ſibi adſciſſens, prodijt Deus incarnatus.* Auguſt. in Enchiridio cap. 34. *Verbum caro factum, à Diuinitate carne ſuſcepta, non in carnem Diuinitate mutata. Nihilque* (inquit paulo poſt) *naturæ humanæ in illa ſuſceptione fas eſt dicere defuiſſe.* Damaſcenus lib. 3. de fide Orthodoxa cap. 3. *Neque enim Deus Verbum* (inquit) *quidquam eorum quæ, cum*

*Agatho Papa.* *Athanaſius.* *Ambroſius.* *Cyrillus Alex.* *Nicephorus Conſtant.* *Auguſtinus.* *Damaſcenus.*

*nos initio fingeret, naturæ noſtræ inſeruit, prætermiſit, ſed omnia aſſumpſit, corpus, animam intelligentem, & ratione præditam, eorumque proprietates.* cap. 13. *Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & perfectum Deum, & perfectum hominem confitentes, hoc dicimus, eundem & omnia habere quæ Pater habet, excepta ingeniti proprietate, & omnia item quæ primus Adam, peccatum duntaxat excipio.* & cap. 20. *Hominem totum, atque omnia quæ hominis natura fert, ſuſcepit, peccato excepto. Et omnia* (inquit paulo poſt) *vt ſanitatem omnibus afferret.* Clariſſimè *S. Maximus Conſtantinop.* autem, & diſertiſſimè, multiſque locis hoc idem teſtatur S. Maximus Conſtantinopol. cuius opuſcula ante paucos annos interprete Turriano à Gretſero in lucem edita ſunt. Epiſt. ad Nicandum pag. 102. & 103. *Nihil* (inquit) *ipſarum, id eſt naturarum diuinæ & humanæ, prætextu diuinæ vnionis ſecundum hypoſtaſim, imminuere aut prorſus negare oportet, cum ſciamus vnionē ſecundum hypoſtaſim nihil eorum quæ naturalia ſunt lædere, ſicut nec naturas ipſas, tametſi has per ſeipſam in vnum ſecundum hypoſtaſim cogit & coniungit. Hac vnione* (inquit paulo poſt) *non lædente res, neque differentiam earum, quin potius accommodatè ad ipſam appellationem nominis in vnum copulante; quæ copulat omnino ſine diminutione, ac perfectè quæ ſecundum naturam ipſam Domini in vna ipſa vnione ſaluata ſunt, nullam deprauationem neque confuſionem ſubeuntia, nec in ſubſtantijs ipſis, nec in voluntatibus, nec in operationibus, nec in alia quapiã re naturali.* & Epiſt. ad Marinum Preſbyterum. *Magnum œconomiæ myſterium pro nobis impleuit* (ſuple Verbum) *nihil penitus quod naturale eſſet carni aſſumptæ detrahens, præter peccatum.* & paulo poſt ait, Chriſtum fuiſſe *Deum & hominem in vtraque natura perfectum, habentem perfectè omne quod ambabus naturis inſitum eſt, excepto peccato.* quod ſæpius repetit Epiſtola ad Georgium Preſbyterum & Abbatem, & opuſc. ad Marinum diſcipulum pag. 71. & 72. *Si proprietatem ambarum naturarum* (inquit) *non ſeruat, ſine mutatione vlla, excepto peccato, ſicut SS. PP. tradunt, aliqua re deficitur Deus, & rurſus aliqua re deficitur homo; ſiquidem totaliter homo imminutionē naturalium habuit. non poteſt ergo occaſione vnionis neutram naturam lædentis, ſed ſolum ambas in vnum ſecundum hypoſtaſim copulantis, earum eſſentiam violare, ſublata naturali voluntate & operatione. non enim* (vt ait poſtea pagina 76.) *venit vt naturam adulteraret, quam ipſe condiderat, ſed venit vt naturam ex toto deificaret, quam ipſe volens, bona voluntate Patris, operante pariter Spiritu ſancto, ſecum ſecundum vnam & eandem hypoſtaſim copulauit, cum omnibus quæ naturaliter in ea inſunt, præter peccatum.* Cuius rei probationem, meo quidē iudicio, optimam, & velut à priori, ſubiungit paulo poſt his verbis; *Nihil enim naturalium, ſicut nec ipſa prorſus natura, aut toti naturæ vnquam repugnat; vt ſi quis forte dicat aliquid eorum quæ*

Digitized by Google

*ſunt ſecundum naturam repugnare Deo, ipſius Dei potius quam naturæ crimen eſt; ſiquidem bellum naturaliter impoſuerit rebus, vt contra eum, & contra ſe ſeditionem & pugnam concitarent. Quod enim naturale Deo contrarium nihil ſit, ex eo perſpicitur, quod hæc naturalia ab ipſo cum generati ſumus, facta ſunt.* Plura videri poſſunt apud eundem authorem huiuſmodi teſtimonia, quibus tam apertè ſignificauit, humanitati Chriſti nihil omnino poſitiuum ac reale deeſſe quod ſit in alijs hominibus, vt dubitare nemo poſſit, quin planè ita ſenſerit, ſicut & alios PP. ſenſiſſe ex citatis ipſorum verbis patet. nam ijs verbis & loquendi modis vtuntur, quibus nõ ſolum damnant hæreſes Valentini, Ebionis, Manichæi, Apollinaris, aut aliorum qui Chriſto vel corpus humanum, vel animam rationalem detrahebant, eumque verum eſſe hominẽ negabant; ſed quibus diſertè ſignificant ſacroſanctæ humanitati Chriſti nihil omnino poſitiuum, ſiue ad eius eſſentiam, ſiue ad perfectionẽ ſubſtantialem & accidentalem pertinens, deeſſe. & certè cum contra Monothelitas diſputãt, perſpicuum eſt eos loqui tantum de ijs quæ ſunt extra eſſẽtiam. ex quo facile eſt animaduertere, Theologorum ac Philoſophorum recentiorum, qui humanitati Chriſti per incarnationem deceſſiſſe aliquid putant, opinionem, non carere periculo, ſiue temeritatis, vtpote quæ à tam graui & expreſſa ſcripturæ & Conciliorum auctoritate, tam certo & conſtanti SS. Patrum conſenſu diſcedat, ſiue erroris in re grauiſſima, aut etiam iniuriæ humanitati Chriſti, violata eius integritate, per imprudentiam irrogandæ. nam, vt egregiè admonet Caſſianus lib. 1. de Incarnatione cap. 2. *non minoris erroris eſt Domino Ieſu Chriſto impropria addere, quam propria derogare; quod enim de illo non ita dicitur vt eſt, etiamſi honor videatur, iniuria eſt.* *Caſſianus.*

Probatur quartò rationibus Theologicis. prima fundabitur in verbis S. Maximi citatis, & in hunc modum formari poteſt. gratia habitualis, & cætera Dei dona ſupernaturalia, naturam non lædunt, ſed illæſam perficiunt. ergo, à fortiori, gratia increata vnionis hypoſtaticæ naturam non lædet, quicquam ab ea auferendo dum illam aſſumit, ſed potius perficiet. confirmatur. Humanitas Chriſti (vt eſt in collecta Eccleſiæ) matris integritatem non minuit, ſed ſacrauit. ergo potiori iure id credendum & dicendum de diuinitate Verbi erga eandem humanitatem. confirmatur ſecundo. filiatio adoptionis (quæ gratiam ſanctificantem in alijs hominibus neceſſario comitatur, & ab ea, vtpote relatio intrinſecus adueniens in ea fundata realitate exiſtentiæ, nõ diſtinguitur) abeſt à Chriſto, nihil prorſus immutata eius gratia habituali, ſed ſolo aduentu filiationis naturalis. ergo poterit deſinere propria hypoſtaſis humanitatis ſolo aduentu diuinæ, & nulla depoſitione vllius realitatis poſitiuæ, pereunte ſolum perſe-

*Probatio prima Theologica.*

*Confirmatio prima eiuſdem.*

*Confirmatio ſecunda.*

*Secunda Theologica ratio.* ſeitate, ſolitudine, & priuatione vnionis cum alia. ſecunda ratio. hæc noſtra ſententia clariſſimas facit definitiones Patrum & Conciliorum. ergo &c. Sed de hoc argumento hoc modo formato plura infra dicenda ſunt, ideo aliter propono hoc modo. poſita ſententia aduerſariorum, ſequuntur multa abſurda circa myſterium Incarnationis. primò, ſequitur humanitatem Chriſti carere aliqua perfectione maximè connaturali, nempe ſubſiſtentia illa poſitiua naturali, qua volunt conſtitui perſonam creatam. ſequitur ſecundò, non poſſe verbum dimittere naturam humanam, niſi aliquid de nouo illi addendo, nempe ſubſiſtétiam illam poſitiuam. ſequitur tertiò, aliquid defuiſſe naturæ humanæ in Chriſto, neque totam entitatem naturæ humanæ aſſumptam, quod, vt vidimus, eſt contra vnanimem conſenſum PP. & Conciliorum, & in particulari contra S. Damaſcenũ lib. 3. de fide cap. 6. vbi ait verbum aſſumpſiſſe naturam humanam cum omni eo quod Deus in illa plantauerat. deinde ait non eſſe medecinam allatam ei quod aſſumptum non eſt; ac proinde ſequitur aliquid eſſe in nobis, imo in ipſis etiam Beatis, cui medicina allata non eſt. quartò, ſequitur naturam humanam eſſe violenter in Verbo, quia in Verbo careret aliqua perfectione naturali quam maximè exigit, & licet habeat ſubſiſtentiã Diuinam, illa tamen nó eſt illi connaturalis & commenſurata. tertia ratio Theologica erit ex myſterio Trinitatis, quandoquidé ex illo myſterio contra nos argumententur aduerſarij. ſubſiſtentiæ creatæ cum proportione reddere debent eundem effectum formalem quem ſubſiſtẽtiæ diuinæ. ſed hæ non reddunt naturam incommunicabilem alteri ſuppoſito. ergo neque effectus formalis ſubſiſtentiæ eſt reddere naturam incommunicabilem; vel dicendum eſt nobiſcum, aliter philoſophandum eſſe de effectu formali ſubſiſtentiæ creatæ, quam ſubſiſtentiæ increatæ. Probatur minor, quia natura diuina ſuppoſitata paternitate, eſt etiam terminabilis ſpiratione paſſiua.

*Primum abſurdum.* *Secundum.* *Tertium.* *Quartum.* *Tertia ratio Theologica.*

*Probatio prima Phyloſophica.* Probatur quintò rationibus Philoſophicis, quarum prima eſt hujuſmodi. Effectus ſubſiſtentiæ eſt reddere naturam incommunicabilem alteri ſuppoſito, & ab illo independentem. ſed per negationes actualis & aptitudinalis dependentiæ redditur formaliter natura incommutabilis, & independens. ergo ad faciendum quod facit ſubſiſtentia, præter illas negationes, non eſt opus vllo poſitiuo ſuperaddito.

*Reſponſio.* Dices effectum ſubſiſtentiæ non eſſe reddere naturam incommunicabilem, & independentem negatiuè ſolum, ſed etiam poſitiuè, ideſt eſſe tribuere naturæ fundamentum proximum illius vtriuſque negationis.

*Impugnatio.* Sed contra eſt; nam ſine vllo fundamento poſitiuo ſuperaddito

naturæ,

naturæ, per ſolas illas negationes formaliter dici poteſt naturā reddi incommunicabilem & independentem. cur enim non poteſt dici vtramque illam negationem fundari in natura, non in aliquo poſitiuo ſuperaddito?

Dices. Scotus cenſet ſuppoſitum creatum poſſe ſaltem formaliter, ſi non effectiuè, ſubſtentare alienam naturam. ergo formaliter ſaltem ſuppoſitum creatum dicet entitatem aliquam poſitiuam, quæ ſit illius duplicis negationis fundamentum.

Sed contra quia, Scotus non exiſtimauit perſonalitatem, per ſe formaliter ſumptam, poſſe ſuſtentare alienam naturam, ſed totam perſonā, vel totum ſuppoſitum creatum, quod ratione entitatis poſitiuæ, ſcilicet exiſtentiæ ſubſtantialis quam dicit, ſuſtentare poteſt alienam naturam, idque imperio Dei, cui omnia ſubjacent. quidni enim poterit efficere Deus, vt duæ naturę ſubſtantiales completæ ſingulares exiſtentes, ſic ſe habeant, vt vna ſit in altera tanquam in proprio ſuſtentante, & non per ſe ſtet, nec ſolitarie exiſtat? quod ſi faciat natura ſuſtentans, non erit tunc ſuſtentans per duplicē negationem quam habet præcisè; illa tamen cum hac duplici negatione erit ſuſtentans. & in hoc nulla videtur difficultas. ita Meuriſſius loco citato.

Dices. omnis negatio, ſecundum Scotum, fundatur in aliquo poſitiuo. ergo duplex illa negatio fundari debet in aliqua poſitiua entitate, ad quam ſolum ſequi debeat duplex eadem negatio. *Obiectio.*

Sed contra; nam idem Scotus ait negationem actualem, & aptitudinalem, ſeu negationem alicuius actus, vel aptitudinis, non fundari neceſſario in aliquo poſitiuo; bene tamen negationem dicentem repugnantiam aliquam, qualis eſt ea per quam conſtituitur ſuppoſitum increatum, & etiam ea per quam conſtituitur indiuiduum; quia natura increata perſonata, non tantum non dependet, nec tantum caret aptitudine ad dependendum, ſed inſuper habet repugnantiam ad dependendum. ſimiliter indiuiduum habet repugnantiam ad communicari vt quod. huius autem vtriuſque repugnantiæ debet aſſignari ratio aliqua poſitiua, non autem noſtræ duplicis negationis; alias quarumcumque negationum deberent etiam aſſignari rationes poſitiuæ. ita idem Meuriſſius. *Reſponſio.*

Secunda ratio Philoſophica eſt huiuſmodi. Poſita ſententia aduerſariorum, non poteſt aſſignari quiſnam ſit effectus formalis illius ſubſiſtentiæ poſitiuæ. vel enim eſt reddere naturam independentem à proprio ſuppoſito, & hoc nullo modo dici poteſt; quod hoc argumento euidenter demonſtro. Illud quod facit naturam actu à ſe dependentem, non facit illam à ſe eſſe independentem. ſed ſubſiſtentia addita naturæ facit naturam à ſe actu dependentem. ergo non facit illam actu à ſe eſſe independentem. ergo vlterius ſubſiſtentiæ ſiue per- *Secunda ratio Philoſophica.*

ſonalitatis effectus non eſt reddere naturam independentem à proprio ſuppoſito. vel igitur eſt reddere naturam independentem ab alieno ſuppoſito, & incommunicabilem. ſed neque hoc dici poteſt, quia natura de ſeipſa hoc habet, quod ſit independens naturaliter, & incommunicabilis alteri ſuppoſito. ergo non debet illud habere per aliquid ſuperadditum. Quod natuta hoc ex ſe habeat, probatur. Natura non reſpicit alienum ſuppoſitum, neque tanquam pars compartem, neq; tanquam potentia actum, neq; tanquam ſuum cõplementum. ergo natura, quantum eſt de ſe, non poſtulat naturaliter vniri alieno ſuppoſito. antecedẽs probatur. quod in primis natura non reſpiciat alienum ſuppoſitum, neq; tanquam compartem, neq; tanquam actum, clarum eſt, quia alioqui deberet natura connaturaliter coniungi alteri ſuppoſito, & ſubſiſtentia illi adueniens, quia tolleret incommunicabilitatem ad alterum ſuppoſitum, tolleret ab illo & impediret quod connaturaliter exigit. Quod etiam non reſpiciat alienum ſuppoſitum tanquam complementum, patet, quia naturaliter nihil completur per aliquid quod alienum ſit complementum. deinde ſubſiſtentia adueniens tolleret illi hanc exigentiam, qua exigeret compleri alieno complemento: quod enim petit naturaliter coniungi cum aliquo, non poſtulat habere aliquid quod illud diſiungat. denique, vnde habemus quod natura reſpiciat alienum ſuppoſitum, tanquam complementum ſuum? quandoquidem, ſecluſo myſterio Incarnationis, numquam videamus naturaliter fieri poſſe vt natura terminetur alio ſuppoſito. Quod ſi naturaliter poſſet terminari, videremus hoc aliquando naturaliter poſſe fieri, ſicuti videmus materiam primam modo eſſe ſub vna forma, modo ſub alia. Dixi ſecluſo Incarnationis myſterio, quia ex eo non poſſumus colligere naturam humanam reſpicere naturaliter alienum ſuppoſitum, tanquam complementum.

*Reſponſio.* Dices, effectum formalem ſubſiſtentiæ, nec eſſe reddere naturam incommunicabilem, & independentem à proprio ſuppoſito, neque etiam reddere incommunicabilem ab alieno ſuppoſito tanquam alieno, tollendo nempe aptitudinem aliquam naturalem quam habeat natura ad alienum ſuppoſitum; ſed eſſe tollere indifferentiam quam habet natura ad aliquod ſuppoſitum, quodcumque illud ſit. ſicuti materia prima habet indifferentiam ad quamcumque formam, etiam ad illam quæ eſt de facto coniuncta alteri materiæ, per formam autem aduenientem materiæ determinatur illa indifferentia, vt ſtante illa forma materia non poſſit habere aliam formam; eodem modo dici poſſet naturam, præſcindendo à ſubſiſtentia, indeterminatam eſſe, & indifferentem ad habendam quamcunque ſubſiſtentiam, etiam il-

lam quæ eſt in alieno ſuppoſito; determinari autem per ſubſiſtentiam illi additam, ita vt ſtante illa ſubſiſtentia, inepta ſit conjungi cuiuis alteri ſuppoſito.

Sed contra eſt, quia vbi non eſt indifferentia naturalis, non eſt opus determinatiuo naturali. ſed in natura creata non eſt indifferentia naturalis ad multa ſuppoſita. ergo non eſt opus determinatiuo naturali, ſed ipſamet natura de ſe, ſine poſitiuo ſuperaddito, determinata eſt. minor probatur, in primis ex eo quod natura humana in Chriſto ſubſiſtat per ſubſiſtentiam diuinam, non ſequitur in natura humana eſſe indifferentiam naturalem; quod poſtea magis vrgebimus. deinde non eſt ponenda indifferentia naturalis, niſi experientia naturali conſtet naturam creatam modo eſſe ſub vno ſuppoſito, modo ſub alio; ſicuti numquam diceremus materiam primam indifferentem eſſe naturaliter ad plures formas, niſi experientia conſtaret eandem modo ſub hac forma, modo ſub alia eſſe. cum igitur naturali experientia non conſtet naturã creatam modo eſſe ſub vno ſuppoſito, modo ſub altero, ſanè non videtur dicenda natura creata naturaliter indifferens, ſiue habere indifferentiam naturalem, ſed potius eſſe determinatam naturaliter. *Impugnatio.*

Dices, ſubſiſtentiam non poni ſolum ad tollendam communicabilitatem naturalem, ſed etiam ad efficiendum vt neque ſupernaturaliter poſſit natura communicari. *Reſponſio.*

Sed contra, nam gratis ponitur incommunicabilitas illa reſpectu potentiæ diuinæ, cum lex naturalis non reſpiciat leges extraordinarias Dei, neque complementum naturæ ponatur niſi intra terminos naturæ, non reſpiciendo quid ſupra naturam eſſe poſſit. Cur igitur natura creata debuit habere ſubſiſtentiam, quæ determinaret illam etiam in ordine ad potentiam diuinam? Melius ergo dicitur naturam creatam, quantum eſt de ſe, ſine vllo ſuperaddito, naturaliter ineptam eſſe vt dependeat ab alieno ſuppoſito; & non obſtante illa naturali ineptitudine, ſupernaturaliter fieri poſſe vt depẽdeat. ad quod intelligendum, diſtinguenda eſt duplex potentia; potentia naturalis, & potentia obedientialis. naturalis, eſt exigentia naturæ, qua exigit aliquid, verbi gratia, potentia materiæ, qua poteſt recipere formas. obedientialis, vocatur non repugnantia, reſpectu abſolutæ potentiæ Dei. ſic omnis res dicitur obedire Deo ad multa, ad quæ non habet naturalem inclinationem. ſic dicendum eſt naturam creatam, quamuis naturaliter ſit inepta dependere ab alieno ſuppoſito, potentia tamen obedientiali poſſe debere. & hinc ſumi poteſt noua ratio contra aduerſarios, quam hoc modo formo. omnis entitas realis poſitiua eſt in potentia reſpectu creatoris. ergo, ſi daretur illa modalis ſubſiſtentia aduerſariorum, eſſet in potentia obedientiali reſpectu Dei. ergo vlte- *Impugnatio.* *Altera ratio Theologica contra aduerſarios.*

ſius, poſſet aſſumi à Deo. Hinc colliges, quod ſi non poſſit aſſumi (vt aſſumi non poſſe dicunt aduerſarij) non erit entitas poſitiua realis. Neque ſatis eſt, ſi cum aduerſariis dicas entitatem illam non poſſe aſſumi; non, inquam, ſatis eſt, quia hoc ipſum oſtendit, vt dixi, non eſſe entitatem aliquam realem poſitiuam à natura contradiſtinctam, quæ non ſit in potentia obedientiali reſpectu creatoris.

Tertia ratio philoſophica. ad tollendam negationem ſufficit poſitio contradictorij. ergo non eſt opus ſublatione alicuius poſitiui, quod ſe teneat ex parte illius in quo eſt negatio. antecedens probatur. per poſitionem luminis in aëre, ſufficienter tolluntur tenebræ, nihil tollendo poſitiui in aëre. conſequentia probatur, quia quid opus tollere aliquid poſitiuum, quando ſine eius ſublatione omnia poſſunt ſaluari.

Multa alia argumenta ad hoc idem probandum afferri poſſent, tam Philoſophica, quam Theologica, quæ tamen breuitatis cauſa omitto, concludoque noſtræ ſententiæ probationem vnico ac breui hoc argumento. impoſſibile, & intelligibile eſt, nulloque argumento defendi poteſt, Deum ſupplere poſſe vllam formam, vllumue modum aut actum informantem, qualis dicitur eſſe modus ſubſiſtantiæ, niſi in genere cauſæ efficientis. Quod ſi ita eſt, vel Incarnatio nulla eſt, vel tres Perſonæ Trinitatis ſunt incarnatæ. vtrumque autem eſt contra fidem. ergo &c.

Probatur denique concluſio ex cõmuni conſenſu veterum Theologorum, de quibus quia ſatis ſuperque ſuperius dictum eſt, aliquid tantum de mente D. Thomæ dicendum videtur. ſanè ipſum numquam ſenſiſſe hypoſtaſim & perſonalitatem, eſſe modum vel entitatem aliquam realem à parte rei à natura diſtinctam, tam clarum eſt, vt illud negare ac in dubium reuocare, hominis eſſet aut impudentis, aut eius doctrinæ omnino ignari. non defuerunt tamen qui contrarium contenderint, idque Cajetano Duce. Verum ex plurimis & manifeſtis Sancti Doctoris quæ ſubiecjemus teſtimonijs, nemo, credo, veritatis amator, æquuſque æſtimator, perperam eos facere non intelliget. Primum ergo ipſum Incarnationis myſterium ex profeſſo pleniſſime ac cõtinenti ſtylo explicans Opuſc. 2. quod eſt Compendium ſuæ Theologiæ, cap. 211. cuius hic eſt titulus, *Quod in Chriſto Domino eſt tantum vnum ſuppoſitum, & vna tantum perſona*, hæc habet: *Oportet dicere, quod non ſit in Chriſto ſolum vna perſona Dei & hominis, ſed etiam vnum ſuppoſitum & vna hypoſtaſis, natura autem non vna, ſed duæ. Ad cuius euidentiam, conſiderare oportet quod hæc nomina, perſona, hypoſtaſis, & ſuppoſitum, integrum quoddam deſignant. non enim poteſt dici quod manus, aut caro, aut quæcumque aliarum partium ſit perſona, vel hypoſtaſis, aut ſuppoſitum; ſed hoc totũ*

*Refellitur Caietanus.*

*quod eſt hic homo. ea vero nomina quæ ſunt communia indiuiduis, ſubſtantiarum, & accidentium, vt indiuiduum, & ſingulare, poſſent & toti & partibus aptari. nam partes cum accidentibus aliquid habent commune, ſcilicet quod non per ſe exiſtunt, ſed alijs inſunt, licet ſecundum modum diuerſum. Poteſt igitur dici quod manus Socratis & Platonis eſt quoddam indiuiduum, vel ſingulare quoddam, licet non ſit hypoſtaſis, vel ſuppoſitum, vel perſona. Eſt conſiderandum vlterius, quod aliquorum coniunctio per ſe conſiderata, quandoquidem facit aliquod integrum, quæ in alijs propter additionem alterius non conſtituit aliquod integrum, ſicut in lapide coniunctio quatuor elementorum facit aliquod integrum. vnde illud quod eſt ex elementis coſtitutum, in lapide poteſt dici ſuppoſitum, vel hypoſtaſis, quod eſt hic lapis, non autem perſona, quia non eſt hypoſtaſis naturæ rationalis. Compoſitio autem elementorum in animali, non conſtituit aliquod integrum, ſed conſtituit partem, ſcilicet corpus; quia neceſſe eſt aliquid aliud venire ad completionem animalis, ſcilicet animam. vnde compoſitio elementorum in animali, non conſtituit ſuppoſitum vel hypoſtaſim, ſed hoc animal totum eſt hypoſtaſis vel ſuppoſitum. nec tamen propter hoc minus eſt efficax in animali elementorum compoſitio quam in lapide, ſed multo amplius, quia eſt ordinata ad rem nobiliorem. ſic igitur in alijs hominibus vnio animæ & corporis conſtituit hypoſtaſim & ſuppoſitum, quia nihil aliud eſt præter hæc duo; in Domino autem Ieſu Chriſto, præter animam & corpus aduenit tertia ſubſtantia, ſcilicet diuinitas. Non ergo eſt ſeorſum ſuppoſitum vel hypoſtaſis, ſicut nec perſona, id quod eſt ex corpore & anima conſtitutum, ſed ſuppoſitum, hypoſtaſis, vel perſona, eſt id quod conſtat ex tribus ſubſtantijs, corpore ſcilicet, anima, & diuinitate; & ſic in Chriſto Domino ſicut vna eſt tantum perſona, ita vnum ſuppoſitum & vna hypoſtaſis. Alia autem ratione aduenit anima corpori, & diuinitas vtrique. Nam anima aduenit corpori, vt forma eius exiſtens:*

*Aduerte per additionem, & non tantum per detractionem, peri re totalitatem:*

*ſi hypoſtaſis eſt modus, aut entitas ſuperaddita, quomodo hæc vera ſunt?*

Et cætera, quæ legi poſſunt apud illum; quibus hæc ſubjungit. *Quia, ſicut iam diximus, perſona, hypoſtaſis, & ſuppoſitum, deſignant aliquod integrum, ſi diuina natura in Chriſto eſt vt pars, & non vt aliquod integrum, ſicut anima in corpore hominis, perſona Chriſti non ſe teneret ex parte diuinæ naturæ tantum, ſed eſſet quoddam conſtitutum ex tribus, ſicut & in homine, perſona, hypoſtaſis, & ſuppoſitum, eſt quod ex anima & corpore conſtituitur. ſed quia diuina natura eſt aliquid integrum, quod ſibi aſſumpſit per quandam ineffabilem vnionem humanam naturam, perſona ſe tenet ex parte diuinæ naturæ, & ſimiliter hypoſtaſis, & ſuppoſitum: anima verò & corpus trahuntur ad perſonalitatem perſonæ diuinæ, vt ſit perſona Filij Dei, ſicut etiam perſona filij hominis, & hypoſtaſis, & ſuppoſitum. Poteſt autem huiuſmodi exemplum aliquale in creaturis inueniri. ſubiectum enim & accidens non ſic vniuntur, vt ex ijs aliquod tertium conſtituatur, vnde ſubiectum in tali vnione non ſe habet vt pars, ſed*

*An modus ſubſiſtentiæ conſtituitur vel componitur ex pluribus?*

*eſt integrum quoddam, quod eſt perſona, hypoſtaſis, & ſuppoſitum; accidens autem trahitur ad perſonalitatem ſubiecti.* reliqua legi poſſunt.

Quam autem quiſque ſtatim contra hæc obiectionem facere poſſet, eam ſibi ipſe fecit, & diſſoluit his verbis Opuſculo 3. cap. 6. (vbi omnia fere eadem habet quæ paulo ante deſcripta ſunt) *Si quis autem objiciat*, inquit, *quod humana natura etiam in Chriſto Domino non ſit accidens, ſed ſubſtantia quædam, non autem vniuerſalis, ſed particularis, quæ hypoſtaſis dicitur, videtur conſequi quod ipſa humana natura in Chriſto hypoſtaſis quædam ſit, præter hypoſtaſim Dei Verbi, & ſic in Chriſto erunt duæ hypoſtaſes. Conſiderare debet qui ſic obijcit, quod non omnis ſubſtantia particularis hypoſtaſis dicitur, ſed ſolum illa, quæ ab aliquo principaliori non habetur. Manus enim hominis ſubſtantia eſt quædam particularis, non tamen dici poteſt hypoſtaſis, nec perſona, quia habetur à principaliori, quod eſt homo; alioquin in quouis homine tot eſſent hypoſtaſes, vel perſonæ, quot membra, vel partes. Humana ergo in Chriſto Domino natura non eſt accidens, ſed ſubſtantia, non vniuerſalis, ſed particularis; nec tamen hypoſtaſis dici poteſt, quia aſſumitur à principaliore, ſcilicet à Dei Verbo.* Hæc ſanctus Thomas. Atque hanc objectionem, eiuſque pari modo ſolutionem, decies, vt minimum, reperio apud D. Thomam. habetur enim 3. par. q. 2. art. 2. ad 3. *Sciendum*, inquit, *eſt quod non quodlibet indiuiduum in genere ſubſtantiæ, etiam in rationali natura, habet rationem perſonæ; ſed ſolum illud quod per ſe exiſtit, non autem illud quod exiſtit in alio perfectiori. vnde manus Socratis, quamuis ſit quoddam indiuiduum, non tamen eſt perſona, quia non per ſe exiſtit, ſed in quodā perfectiori, ſcilicet in toto. & hoc poteſt ſignificari in hoc, quod perſona dicitur ſubſtantia indiuidua; non tamen eſt ſubſtantia completa, ſed pars ſubſtantiæ. licet ergo hæc humana natura ſit quoddā indiuiduum in genere ſubſtantiæ, quia tamen non per ſe ſeparatim exiſtit, ſed in quodā perfectiori, ſcilicet in perſona Dei Verbi, conſequens eſt quod non habeat perſonalitatem propriam.* Idem habet eadem quæſtione artic. 5. ad 1. & quæſt. 16. art. 12. ad 2. & in corp. idem habet quæſt. 4. de potentia art. 2. ad 7. & 13. & art. 4. in corp. & quæſtione vnica de Verbi vnione art. 2. in corp. & ad 3. 4. contra Gentes cap. 40. vbi ponit objectionem, & ſoluit. item in 3. diſt. 6. quæſt. 1. art. 10, quæſtiuncula 3. & quodlibeto 9. quæſt. 2. art. 1. & quæſtione de vnione Verbi art. 1. *Quia humana natura in Chriſto non per ſe ſeparatim ſubſiſtit, ſed exiſtit in alio, id eſt in hypoſtaſi Verbi Dei, non quidem ſicut accidens in ſubiecto, nec propriè ſicut pars in toto, ſed per ineffabilem aſſumptionem, ideo natura humana in Chriſto dici poteſt quidem indiuiduum aliquod, vel particulare, vel ſingulare, non tamen hypoſtaſis, vel ſuppoſitum, ſicut nec perſona.* Et eadem quæſtione artic. 2. ad 10. *Humana natura quandiu eſt Verbo vnita, quia non ſecun-*

*dum ſe exiſtit, non habet proprium ſuppoſitum, vel hypoſtaſim, præter perſonam Verbi. ſed ſi ſepararetur à Verbo, haberet non ſolum propriam perſonalitatem aut ſuppoſitum, ſed etiam propriam perſonam, quia iam per ſe exiſteret,* &c. Legantur ibidem reſponſiones ad 14. & 17. Idem clarius 3. part. quæſt. 4. art. 2. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quod naturæ aſſumptæ non deeſt propria perſonalitas propter defectum alicuius, quod ad perfectionem humanæ naturæ pertineat, ſed propter additionem alicuius, quod eſt ſupra humanam naturam, quod eſt vnio ad diuinam perſonam.* Iam verò naturam & hypoſtaſim non realiter poſitiuè differre diſertè ſcribit, idque non ſemel, ſed ſæpius. quæſt. 9. de potentia artic. 1. vbi ex profeſſo hoc tractat, hæc habet in corp. *Patet*, inquit, *quod hypoſtaſis & ſubſtantia differunt ratione, ſed ſunt idem re. eſſentia verò in ſubſtantiis materialibus non eſt idem cum eis ſecundum rem, neque penitus diuerſum, cum ſe habeat vt pars formalis; in ſubſtantiis vero immaterialibus eſt omnino idem ſecundum rem, ſed differens ratione.* At certum eſt Chriſtum potuiſſe aſſumere naturam Angelicam. Et eadem quæſtione art. 3. ad 4. *Partes*, inquit, *poſitæ in definitione perſonæ, non oſtendunt aliquam compoſitionem perſonæ, niſi in ſubſtantiis materialibus. indiuiduum autem cum ſit negatio, per hoc quod ſubſtantiæ additur, nulla compoſitio importatur. vnde remanet ſibi ſola compoſitio indiuiduæ ſubſtantiæ, id eſt hypoſtaſis ad naturam, quæ duo in ſubſtantiis immaterialibus, ſecundum rem ſunt idem omnino.* Et prima parte quæſt. 29. art. 2. cuius eſt hic titulus, Vtrum perſona ſit idem quod hypoſtaſis, ſubſtantia, & eſſentia; *Hæc tria, hypoſtaſis, res naturæ, & ſubſtantia, differunt ſecundum conſiderationem, quod ſuppoſitum, ſecundum quod per ſe exiſtit, & non in alio, vocetur ſubſiſtentia; vt ſupponitur naturæ communi, dicitur res naturæ; vt ſupponitur accidentibus, dicitur ſubſtantia.* Et opuſc. 37. de Oppoſitis cap. 4. vbi præclarè omnino docet quomodo tria iſta, eſſe, ſeu exiſtiſtentia, natura, & ſuppoſitum, diuerſimode ſe habeant in Deo, in rebus immaterialibus, & in materialibus, Quod in Deo ſolo, eſſe, natura, & ſuppoſitum, omnibus modis idem ſunt; in rebus verò omnibus creatis exiſtentia re quidem differt à natura; ſed natura & ſuppoſitum in omnibus ſpiritualibus & immaterialibus idem ſunt, in compoſitis verò differunt, quod in his ſuppoſitum à natura differat, non ſolum per quantitatem & alia accidentia, ſed etiam per materiam, quæ eſt principium indiuiduationis, & cauſat indiuiduum ſicut forma ſpeciem. & paulo poſt ſic habet. *In rebus verò ſimplicibus cum ſit idem ſuppoſitum & eſſentia, vt dictum eſt, & differant ſecundum rationem, neceſſariò eſſentia erit habens eſſe, ſicut & ſuppoſitum, abſolutè. Sed quia ratione differunt, eſſentia eſt vt quo aliquid eſt, ſuppoſitum verò vt habens eſſe. ideo cum eſſentia non ſit ſuum eſſe, dicitur eſſentia in eis habere eſſe per ſuppoſitum, cum quo tamen reali-*

*Sola ſeparatione acquiritur perſonalitas propria.*

*Aduerte quod non detractione, ſed additione, humanitas Chriſti ſpoliata eſt perſonalitate propria.*

*Quid clarius dici potuit?*

*Aduerte quo ſenſu D. Thomas dicat ſuppoſitum re diſtingui à natura compoſita, non propter modum aut formam ſuperadditam, ſed propter principia indiuiduationis, quæ omnia fuerunt in humanitate Chriſti, quæ tamen caruit hypoſtaſi propria, ad quam præter dicta principia, requiritur perſeitas ſeu ſeparatio ab aliis.*

*ter idem eſt.* idem habet 1. part. quæſt.3.art.3.& 3.part.quæſtione 2. articulo 2.

*Concluſio per recapitulationem.* Ex his Angelici Doctoris teſtimonijs manifeſta eſt eius ſententia de diſtinctione hypoſtaſis & perſonæ à natura. nam cum expreſſis verbis aſſerat quod in alijs à Chriſto hominibus, Hypoſtaſis, Perſona, & Suppoſitum, nihil aliud eſt quã vnio animæ & corporis; quod in Angelis & ſubſtantijs immaterialibus ( quæ ſine dubio à Verbo diuino aſſumi potuerunt ) ſunt omnino idem re cum natura, & ratione ſolum differunt; quod humanitati Chriſti deeſt ſubſiſtentia & perſona propria, nõ propter defectum alicuius ad eius perfectionem pertinentis, ſed ſolum propter additionem alicuius quod eſt ſupra illam, videlicet perſonæ diuinæ, & eiuſmodi ſubſiſtentiæ propriæ abſentiã ſoli vnioni cum Verbo diuino locis innumeris tribuat; luce clarius eſt eum numquam ſenſiſſe ſubſiſtentiam & perſonalitatem eſſe entitatem realem poſitiuam, à natura realiter diſtinctam, neque vnquam illi in mentem veniſſe, myſterium Incarnationis, & carentiam perſonæ humanæ in Chriſto explicando, dicere humanitati Chriſti deeſſe modum & realitatem aliquam poſitiuam alijs hominibus inexiſtentem, qua perſonæ & ſuppoſita formaliter conſtituuntur.

*Reſponſio Caietani.* Porro ex omnibus S. Thomæ locis ſupra citatis, vnum tantum, qui eſt ex 3. part. quæſt. 4. art. 2. ad 2. ſibi obiecit Cajetanus ibidem. cui reſpondet S. Thomam terminum hunc, naturæ humanæ, ſumere prout diſtinguitur contra hypoſtaſim & perſonam, id eſt, pro eſſentia naturæ humanæ, adeo vt naturę aſſumpræ non deeſſe perſonalittem propriam propter defectum alicuius ad perfectioné humanę naturę pertinentis, idem ſit ac non deeſſe propter defefectum alicuius quod ſit de eſſentia naturę humanæ. additque pręterea S. Thomam cauſam quidem reddere cur perſonalitas propria abſit à natura, verum manifeſtè ſupponere iam abeſſe, idque propter defectum alicuius poſitiui; cum ſolutione ad tertium & ſequens argumentum dicat, quod perſona diuina ſua vnione impediuit ne humana natura propriam perſonalitatem haberet, impedire verò, & haberi, non eſt niſi entis po-

*Reiicitur Caietani reſponſio.* ſitiui. Verum hæc Cajetani euaſio merum eſt commentum, verique ſenſus auctoris non conſtructio, ſed euerſio & deſtructio. primò, quia quis non videt vocem illam (naturæ humanæ) eodem prorſus modo & ſenſu accipiẽdam eſſe, cum ait naturæ aſſumptæ non deeſſe perſonalitatem propriam propter defectum alicuius pertinentis ad perfectionem naturæ humanæ, quo ſequenti linea, cum ait deeſſe propter additioné alicuius quod eſt ſupra naturam humanam; alioquin magna ęquiuocatione vteretur, & valdè imperitè loquutus fuiſſet D. Thomas. at perſpicuum eſt quod natura humana ſecundo loco non ſignificat ſolam eſſentiam humanam, ſed naturam cum omni

omnino

omnino ſua perfectione naturali, tam eſſentiali, quam accidentali; vnio enim Verbi eſt ſupra omnem naturalem, tam eſſentialem, quam accidentalem, perfectionem naturæ aſſumptæ. igitur &c. Secundò, quia non tantum æquiuocationis, ſed etiam nugationis vitium Sancto Thomę imponit. quę enim euidentiſſima ſunt lectori vel auditori, & inutilia ad id de quo agitur, in medium afferre, apertiſſimè eſt nugari, & ineptiſſimè ſcribere. at certiſſimum & euidentiſſimũ eſt, non ſolum viro Theologo, ſed cuilibet Catholico credenti Chriſtum verè eſſe hominem, eius humanitati nihil deeſſe poſſe, quod pertineat ad eſſentialem eius perfectionem. non enim eſſet natura humana, ſi quid eſſentiale ei deeſſet, cum eſſentiæ rerum conſiſtant in indiuiſibili. euidentiſſimum prætere a eſt Theologo, id quod deeſt humanitati Chriſti, & cuius defectu non eſt perſona humana, ſiue ſit poſitiuum, vt vult Cajetanus, ſiue negatiuum, vt nos exiſtimamus, non eſſe de eſſentia ipſius humanitatis, alioqui perſonalitas propria humanæ naturæ eſſet de eius eſſentia, nec ab ea ſeparari poſſet ipſa remanente. adde, humanitati Chriſti nihil, quod ſit de eius eſſentia, deeſſe, propter quod exulet ab ea perſonalitas propria, hoc loco prorſus inutile & impertinens videtur. Tertiò, cum ad perfectam rei alicuius ſcientiam, nihil, aut parum admodum, conferat cognoſcere quid non ſit, vel quod hoc aut illud non ſit eius cauſa, ſed quid res ſit, & effectus poſitiui quæ ſit vera & neceſſaria cauſa poſitiua; ſi exiſtimaſſet S. Thomas defectu alicuius poſitiui, ad naturæ aſſumptæ perfectionem eſſentialem non pertinentis, perſonalitatem propriam ei deeſſe, vbi negauit ſimpliciter deeſſe propter defectum alicuius ad naturæ humanæ perfectionem pertinentis, vt mentem ſuam declararet, dicere debuiſſet, Sed deeſt per defectum alicuius perfectionis ad eſſentiam naturæ humanæ non pertinentis. hoc autem non modo non dixit, ſed prorſus contrarium, deeſſe videlicet propter additionem alicuius quod eſt ſupra naturam. & ne lectori quærendum relinqueret quodnam ſit illud ſupra naturam humanam, cuius additione naturæ aſſumptæ deeſt perſonalitas propria, ſubiunxit, & rectè, *Quod eſt*, inquit, *vnio ad diuinam perſonam.* hac enim ipſiſſima & ſola vnione ſubſtantiali perſonæ diuinæ cum natura aſſumpta, formaliter excluditur ab ea perſeitas, ſolitudo, ſeparatio, ſeu negatio vnionis cum alia, atque adeo perſonalitas propria. cumque eiuſmodi perſeitatis, ſeu negationis abſentia, nec ad eſſentialem, nec ad accidentalem naturæ aſſumptæ perfectionem pertineat, propterea veriſſimè à S. Thoma ſimpliciter & vniuerſim dictum eſt, humanitati aſſumptæ non deeſſe perſonalitatem propriam propter defectum alicuius ad perfectionem humanæ naturæ pertinentis, ſed propter additionem & vnionem perſonæ diuinæ cum ea; omnis enim negatio præſentia poſitiui

ſibi oppoſiti tollitur. Neque vero plus habet veritatis quod addit Caietanus, S.Thomam, etſi non expreſsè dicat, ſaltem ſupponere perſonalitatem propriam deeſſe naturæ aſſumptæ propter defectum alicuius poſitiui; talem enim ſuppoſitionem nullo modo, imò nec eius vllum veſtigium, indicat D. Thomas, nec eam vlla ratione inſinuant verba, impedire, aut, habere, quibus vtitur ſequenti reſponſione ad 3. non enim id ſolum quod eſt poſitiuum, ſed etiam quod eſt negatiuum, rectè dici poteſt impediri, vel haberi. nam qui ſe comitem in via adiungit alteri, ne ſolus ſit, & qui lineæ pedali alterum pedem adiungit, ne pedalitatem habeat, impedit, & tamen nihil poſitiui ab vtroque expellit, ſed ſolum aliquid negatiuum. & qui facultate videndi impeditur, ne ſit cæcus, aut veſtimentis, ne ſit nudus, an quidquam reale & poſitiuum amittit? Vt igitur corpus cubicum, ſi limularum appoſitione ſit rotundum, impeditur habere figuram cubicam, abſque eo quod quicquam poſitiui ab eo expellatur; ità humanitas aſſumpta impedita eſt, & ab ea excluſa eſt perſonalitas propria, nullo poſitiuo ab ea ejecto vel excluſo, ſed, vt ait D.Thomas, per ſolam additionem & vnionem perſonæ Verbi cum ea; qua factum eſt vt natura aſſumpta non eſſet natura humana ſola, per ſe ſeparata, & non vnita alteri, quod eſſentialiter & intrinſecè poſtulat perſonalitas propria humana.

IV. *Primum argumentum aduerſariorum.*

Obijcies primò cum aduerſariis. Tres perſonæ in diuinis realiter diſtinguntur, non ſecundum naturam, ſed ſecundum ſubſiſtentias perſonales. ergo in diuinis ſubſiſtentia perſonalis eſt aliquid poſitiuum, ſaltem ſecundum rationem, naturæ ſuperadditum. ergo idem dicendum eſt in creatis. Confirmatur. ſuppoſitum vt ſic, eſt commune Deo & creaturis. deinde definitio Perſonæ à Boëtio allata, tam conuenit perſonæ increatæ, quam creatæ.

*Multiplex diſparitas inter ſubſiſtentiam diuinã & creatam.*

Reſpondeo hoc argumentum, quidquid dicant aduerſarij, non magni eſſe momenti. nam aliter philoſophandum eſt de ſuppoſitis diuinis, aliter de creatis; neque ab aduerſariis ipſis poſſunt ea tribui creato ſuppoſito, quæ ſuppoſitis diuinis tribuuntur. Primò enim, ſuppoſitum in diuinis conſtituitur in eſſe ſuppoſiti per relationem; non ita ſuppoſitum creatum. quod ſi idem dicendum eſſet de ſuppoſito creato ac de diuino, etiam ſuppoſitum creatum deberet dici conſtitui per relationem. deinde, natura diuina, propter ſuam fecunditatem, communicabilis eſt tribus perſonis diſtinctis; naturæ autem creatæ non ſunt communicabiles ſecundum exigentiam ſuæ naturæ multis ſuppoſitis diſtinctis. Tertiò, ſecundum aduerſarios, in diuinis ſubſiſtentiæ perſonales non diſtinguntur pluſquam ratione à natura. ſi igitur philoſophari voluerint eodem modo de perſonalitatibus creatis, illas à natura non niſi ratione diſtinguere debent; quod

tamen nullo modo admittunt. Quartò, ſubſtantia creata de ſe in ratione ſubſtantiæ limitata eſt, & finita, natura autem diuina illimitata eſt, & infinita. vnde non opus fuit ſubſtantiam creatam habere aliquam entitatem poſitiuam à ſe à parte rei diſtinctam, quæ illam limitaret, cum per ſeipſam limitata ſit; natura autem diuina debuit habere aliquid poſitiuum à ſe ſaltem ratione diſtinctum, quod illam conſtitueret in eſſe Patris, eſſe Filij, eſſe Spiritus Sancti. vnde patet alia omnino munia exercere perſonalitates in diuinis, quæ non exercent perſonalitates in creatis & humanis. nam, ſecundum aduerſarios ipſos, perſonalitas in humanis complet ſubſtantiam in eſſe ſubſtantiæ, ita vt natura humana, verbi gratia, ſine perſonalitate non dicatur completa ſubſtantia; natura autem diuina, præſcindendo à perſonalitatibus, eſt completa ſubſtantia. Quod dicitur ſuppoſitum eſſe aliquid commune Deo & creaturis, concedi poteſt; & ratione illius communitatis potuit afferri à Boëtio vna definitio, complectens tam ſuppoſitum creatum, quam increatum. Concludo igitur, aliter omnino philoſophandum eſſe de ſuppoſitis creatis & de ſuppoſitis diuinis, & ſuppoſitum creatum ſupra naturam tantum connotare duplicem negationem, quicquid demum ſit de ſuppoſitis diuinis. *Boëtius.*

Objicies ſecundò ex myſterio Incarnationis hoc pacto. Verbum diuinum non aſſumpſit perſonalitatem humanam, & aſſumpſit naturam humanam. ergo humana perſonalitas non eſt humana natura. antecedens eſt fide certum. conſequentia clara, quia ſi idem eſſet perſonalitas & natura humana, non poſſet natura aſſumi, quin aſſumeretur perſonalitas, quandoquidem non poſſit ſimul aſſumi & non aſſumi. *Secundum argumentum aduerſariorum.*

Reſpondeo, naturam humanam & perſonalitatem non eſſe idem, quia perſonalitas ſupra naturam humanam connotat negationes actualis & aptitudinalis dependentiæ; ac proinde poteſt natura humana aſſumi non aſſumpta perſonalitate, quia hoc ipſo quod natura aſſumitur, natura habet actualem dependentiam ab eo quod aſſumit, & conſequenter non habet perſonalitatem ſibi connaturalem, quæ neceſſario importat negationem actualis dependentiæ. In forma itaque ad argumentum reſpondeo. Verbum diuinum non aſſumpſit perſonalitatem humanam, & aſſumpſit naturam humanã; concedo antecedens. ergo humana perſonalitas non eſt humana natura; concedo conſequentiam. ſi vlterius inferatur, ergo perſonalitas humana addit aliquid poſitiuum diſtinctum à natura humana, neganda eſt hæc vltima conſequentia; quia ſatis eſt vt perſonalitas diſtinguatur à natura, quod neceſſario connotet negationem quam non connotat natura. Adde, ex aduerſariis ipſis Bagnez 1. part. quæſt. 3. art. 3. concedere hoc argumentum nihil aliud probare, quam diſtinctionem ra- *Soluitur.*

tionis inter naturam & ſuppoſitum. nam quod vnio (inquit Bagnez) ſit facta in perſona & non in natura, & quod terminus aſſumptionis ſit perſona, ſufficienter ſaluatur per illam diſtinctionem rationis; ergo & illa veritas, filius Dei aſſumpſit naturam, non ſuppoſitum. Secundò, inquit Bagnez, probatur. nam ſicut in hac propoſitione, perſona diuina immediatè aſſumpſit, & non natura diuina, ſaluatur veritas per ſolam diſtinctionem rationis inter perſonam & naturam diuinam; ſic etiam in hac, natura humana eſt aſſumpta, & non perſona.

*Tertium argumentum aduerſariorum, & præcipuum.*

Objicies tertio ex eodem myſterio. Si vera eſſet noſtra ſententia, multæ loquutiones Patrum & Conciliorum eſſent ineptæ & ridiculæ. nam Patres & Concilia docent Verbum diuinum aſſumpſiſſe naturam humanam, non perſonam, aſſumpſiſſe humanitatem, non hominem, vnionem hypoſtaticam non fuiſſe factam in perſona hominis, ſed in natura. ſecundum opinionem noſtram illæ definitiones haberent hunc ſenſum; Verbum diuinum ſibi vniuiſſe naturam humanam non relinquendo illam; ſine vnione Verbum nõ aſſumpſiſſe negationem; vnionem hypoſtaticam non fuiſſe factam in negatione. qui ſenſus videntur inepti, nec potuerunt eſſe cauſſa tantarum diſſentionum, vt ad hoc definiendum opus fuerit cogere Cõcilium. perinde enim videtur eſſe cogere Concilium ad hoc determinandum, ac ſi Galliæ omnes regni ſtatus cogerentur ad deliberandum de ſumma totius regni, & poſt hæc omnia determinaretur hominem ſedentem non ſtare, & quieſcentem non currere. nam ſi vera eſſet noſtra opinio, quod perſonalitas ſupra naturam tantum dicat negationem dependentiæ, Concilia & Patres, quando determinarunt Verbum aſſumpſiſſe humanam naturam, determinarunt ſibi vniuiſſe naturam humanam; quando determinarunt non aſſumpſiſſe perſonã, in opinione noſtra tantum determinarunt, quod ſi natura humana fuit vnita Verbo, non fuerit relicta ſine vnione ad Verbum. in quo quid quæſo eſt difficultatis, vt oporteat Concilia conuocare? tàm enim apertum eſt, naturam, ſi ſit vnita, non eſſe ſine vnione, quam eſt clarum, hominem, ſi ſit albus, non eſſe ſine albedine, ſi quieſcit, non currere. Deinde, hæretici cum aſſerebant naturam humanam fuiſſe vnitam Verbo, & tamen in Verbo, facta vnione, aſſerebant duas eſſe perſonas, non volebant aſſerere facta vnione humanitatem eſſe vnitam, & non eſſe vnitam, quia hoc nemini poterat in mentem venire. ergo aliquid aliud volebãt, & Eccleſia in illis aliquid aliud damnauit. non poteſt igitur noſtra opinio probabilis cenſeri, niſi concedatur multas loquutiones Patrum & Conciliorum reddi ineptas & ridiculas.

*Soluitur, & pen*

Reſpondeo hoc argumentum, quamuis ſit præcipuum aduerſa-

riotum fundamentum, futile eſſe, & nullius planè momenti, velint nolint Cajetanus, Suarez, Hurradus, & alij. Hoc vt intelligas, aduerte hanc propoſitionem, Verbum aſſumpſit naturam humanam, non perſonam humanam, à Patribus contra Neſtorij hæreſim fuiſſe probatam. dicebat enim Neſtorius, Verbum aſſumpſiſſe & naturam & perſonam humanam, duaſque in Chriſto eſſe perſonas. Quare ad dictæ propoſitionis intelligentiam, præcognoſcenda eſt tota ratio hæreſis Neſtorianæ, quam rectè explicauit Angelicus Doctor 3. part. quæſt. 2. art. 6. vbi oſtendit quod Neſtorius, & ante eum Theodorus Mopſueſtenus, ita duas in Chriſto hypoſtaſes & perſonas, vnàm filij Dei, alteram filij hominis, aſſerebant, vt tamen eas dicerent aliquo modo vnitas eſſe. primò, vnione per inhabitationem, quod Verbum Dei in Chriſto homine vt in templo habitaret. ſecundò, per vnionem & conformitatem affectuum & voluntatum, quod voluntas Chriſti, ſeu hominis ex Maria nati, ſemper eſſet conformis voluntati Verbi Dei. tertiò, vnione inſtrumentaria, & operationis, quod Chriſtus eſſet inſtrumentum, ſeparatim tamen, Verbi, ad multa operanda. quartò, vnione & ſocietate dignitatis & honoris, ita vt honor qui exhibetur filio Dei, exhiberetur etiam Chriſto homini, perinde ac cum honoramus Deum in alijs Sanctis. quintò, æquiuocatione, hoc eſt communicatione nominum, quod Chriſtus in ſcripturis dicatur Deus, vel filius Dei, eo modo quo viri ſancti interdum Dij, vel filij Dei, appellătur. quos omnes modos, inquit S. Thomas, manifeſtum eſt non importare niſi vnionem accidentalem. itaque duplex diſtinguenda eſt vnio, ſeu aſſumptio (hæc enim duo pro vno accipimus, tametſi aliquo modo differant, vt pluribus explicat S. Thomas quæſtione citata art. 8.) vna Neſtoriana, & accidentalis; altera ſubſtantialis, hypoſtatica, & Catholica. accidentalis eſt, qua naturæ & ſubſtantiæ ita vnitæ dicuntur, vt tamen ſint actu & realiter diuiſæ, ſolumque vnitæ vel loco & intima præſentia, vt Angelus corpori; vel voluntatum & ſenſuum concordia, quomodo qui idem ſentiunt & volunt vnum dicuntur; vel ſocietate, concurſu, & applicatione ad opus aliquod, quomodo inſtrumentum ab artifice aſſumi dicitur, & Petrus, Iacobus, & Ioannes à Chriſto Matthæi 17. omnes Apoſtoli ab eodem Matthæi 20. Paulus & Barnabas à Domino Act. 13. Titus à Paulo ad Galat. 2. Marcus à Barnaba Act. 15. Chriſtus à Diabolo Matthæi 4. & ſeptem ſpiritus nequiores ab immundo ſpiritu Matthæi 12. aſſumpti dicuntur; vel ſimul dictis omnibus, aut etiam ſimilibus aliis modis accidentalibus & extrinſecis ita vniuntur, vt aſſumens ab aſſumpta ſit realiter ſeparata, proindeque duę ſint hypoſtaſes, vel perſonæ. vnio verò & aſſumptio ſubſtantialis ea eſt, qua duæ aut plures naturæ ſubſtantiales non ſolum ſunt ſibi

*eſſe magni momenti oſtenditur.*

*Neſtorius hæreticus.*

*S. Thomas.*



Digitized by Google

inuicem intimè præſentes, ſed realiter & ſubſtantialiter indiuiſæ, adeo vt vel vnam aliquam hypoſtaſim totalem conſtituant, vt cum duæ aquæ in vnam coniunguntur, vel vna, nempe aſſumpta, tranſeat in hypoſtaſim aſſumentis, vt factum eſt in Chriſto, cuius hypoſtaſis non eſt alia quam hypoſtaſis Verbi, & in quo humanitas, ſua exuta hypoſtaſi propria, induit diuinam. Vtriuſque vnionis & aſſumptionis non ſolum meminit Concilium Epheſinum anathematiſmo Cyrilli, ſed inſuper primam excluſit, retenta ſecunda & ſubſtantiali, his verbis; *Si quis in vno Chriſto diuidit ſubſtantias poſt adunationem, ſola copulans eas coniunctione quæ ſecundum dignitatem quandam vel auctoritatem eſt, vel ſecundum potentiam, & non magis concurſu ſecundum adunationem naturalem*, vel vt alij vertunt, *phyſicam & ſubſtantialem, anathema ſit*. His prænotatis, facile eſt dictas Sanctorum Patrum propoſitiones verificare, ſine excluſione vllius entitatis ſubſtantialis ab humanitate Chriſti, ſed ſola excluſione negationis vnionis cum alia ſubſtantia. Etenim cum in noſtra ſententia perſona humana aliud nihil ſit quam humanitas ſeparata, vel, vt vſitatis in definitione perſonæ terminis vtar, naturæ humanæ indiuidua ſubſtantia, id eſt ſola & ſeparatim exiſtens; clariſſimum eſt quod aſſumptio perſonæ humanæ, eſt aſſumptio humanitatis ſeparatæ, ita vt poſt aſſumptionem maneat ſeparata ab aſſumente. quæ aſſumptio eſt accidentalis, & Neſtoriana. Igitur, non aſſumptio perſonę humanæ aſſumpta natura, eſt aſſumptio ſubſtantialis, ſeu naturæ humanæ indiuiſæ ab aſſuméte, & aſſumere naturá humaná non aſſumpta perſona, eſt humanitatem habere ſibi ſubſtantialiter vnitam à ſe actu indiuiſam. at ita ſe habet humanitas Chriſti erga Verbum, imò ipſiſſima eius cum Verbo vnione & aſſumptione ſubſtantiali, præciſè & formaliter excluſa ab ea eſt diuiſio ſeu negatio vnionis cum alia ſubſtantia. Cum igitur hæc negatio ſit de ratione intrinſeca perſonæ humanæ, eamque vltimò compleat, hac ab ea formaliter excluſa, excluditur perſona humana. ſi excluſa eſt perſona, ergo non aſſumpta, idque ſine vlla reali aut modali entitate ejecta. Conſtat igitur quod, hoc ſolum poſito quod humana perſona ſit natura humana, ſeu cum negatione vnionis ſubſtantialis cum altera, non modo verum eſt Verbum aſſumpſiſſe naturam humanam, & non aſſumpſiſſe perſonam humanam, ſed impoſſibile eſt aliter fieri. ergo abſque depoſita vlla entitate modali, ſola negatione vnionis ab humanitate excluſa, manifeſtè verificantur hæ Conciliorum & Sanctorum Patrum loquutiones, Quod Verbum aſſumpſit naturam humanam, & non aſſumpſit naturam humanam. Imò verò ſi in Incarnatione excluſum eſſet aliquid poſitiuum ab humanitate Chriſti, id prorſus ſe haberet per accidens, tam ad Incarnationem, quam ad veritatem dictarum propoſitionum. Quemadmodum enim

expulſio frigoris ad calefactionem, & vniuerſim ejectio formæ diſparatæ, & incompatibilis cum noua quæ introducitur, omnino ſe habet per accidens ad mutationem naturalem, cum tria tantum ſint principia per ſe cuiuſlibet mutationis, Philoſophorum omnium conſenſu, materia, forma, & priuatio, iiſque non adnumeratur, niſi per accidens, forma quæ ejicitur, ſi quæ tamen ejicitur (nam in illuminatione, viſione, intellectione, & ſimilibus mutationibus accidentalibus, ſicut in prima ſubſtantiarum à Deo creatione, nulla forma ejicitur) ita ad Incarnationem tria tantum per ſe concurrunt, Verbum, natura humana, & ipſa negatio, ſeu priuatio Verbo oppoſita, excluſa per ipſam ſubſtantialem vnionem Verbi cum natura, ſiue hæc illi vnioni præextiterit, ſiue non. Itaque, ſi quæ entitas creata à natura humana recedit, vel ei adeſſe per Incarnationem impeditur, hæc omnino per accidens ſe habet ad Incatnationem, ſeu aſſumptionem naturæ humanæ non aſſumpta perſona humana. Adde quod quemadmodum Neſtorius, ex hoc ſolum quod negaret vnionem ſubſtantialé humanitatis cum Verbo, ſolamq; admitteret accidentalem, in qua naturę manent actu diuiſæ, neceſſariò duas in Chriſto ponebat perſonas; ità è contra doctrina Fidei Catholicæ, hoc ipſo quod realem & ſubſtantialem humanitatis cum Verbo vnionem affirmat, duas quidem in Chriſto naturas inconfuſas contra Eutychetem retinet, non tamen duas perſonas, ſed vnam tantum retinet, nempe diuinam filij Dei, humana per vnionem humanitatis cum Verbo excluſa. Ex dictis perſpicuum eſt, quod dictæ loquutionis Sanctorum Patrum, Verbum non aſſumpſit perſonam humanam, ſenſus non eſt, quod aſſumpta humanitate excluſus ſit modus aliquis realis, quia, vt dictum eſt, dictæ propoſitionis veritas id nullo modo requirit: ſed ſenſus eſt, primò, quod aſſumpſit aliquid, vel quod non aſſumpſit nihil; quod falsò Cajetanus ineptum putat, cum duplex hæc negatio, non aſſumpſit nihil, huic vni affirmationi, aſſumpſit aliquid, ęquipolleat. ſecundò, quod tale aliquid aſſumpſit, nēpe naturam humanam. tertiò, quod eam tali modo aſſumpſit, nēpe aſſumpſitione ſubſtātiali, excludente accidētalem & Neſtorianam, & diuiſionem humanitatis à Verbo, proindéque perſonalitatem humanam. ex quo fit vt in Chriſto vna tantum ſit perſona; quæ eſt veriſſima fidei Catholicæ doctrina. Noſtra igitur ſententia nō vanas & ridiculas, vt obijcit Suarius, ſed ſerias & maxime orthodoxas facit Sanctorum Patrum loquutiones. nec ex hac doctrina noſtra, ſancti Patres cum in Concilijs decernunt Verbum aſſumpſiſſe naturam humanam, non perſonam humanam, ſunt Status Galliç decernentes ſedentem non ſtare, aut ſedentem non currere, ſed adeò formaliter, præcisè, & ad rem loquuntur, nihil vt verius, breuius, & expreſſius dici potuerit à viris Spiritu ſancto ple-

nis, ad fidem Catholicam de myſterio Incarnationis declarandam, & Neſtorij hæreſim excludendam. Neque vero vſquam reperiet Hurtadus, quod ait diſput. 11. metaph. ſectione 3. §. 30. Eccleſiam damnaſſe hæreticos, quod admiſſa vnione naturarum duas in Chriſto perſonas aſſererent; ſed contra, quod negata reali naturarum vnione duas in Chriſto perſonas aſſererent; in Chriſto enim duas eſſe perſonas, & naturas non eſſe ſubſtantialiter vnitas, ſunt ſynonima, differuntque tantum vt definitio & definitum, duæ enim perſonæ ſunt duæ naturæ ſubſtantialiter non vnitæ. ex his abunde aduerſariorum argumento, ex mea ſententia, ſatisfactum eſt; abundantioris tamen doctrinæ gratia, aliquas alias ſolutiones ſubjiciam. prima. ſuppoſita noſtra ſententia, definitiones Conciliorum & loquutiones Patrum tam certæ redduntur, tam euidentes ſunt, vt de illis nemo dubitare poſſit. ſignum itaque eſt, ſententiam noſtram valde fauere definitionibus Conciliorum & loquutionibus Patrum, quæ illas tam euidentes reddit. Sed inſtant; non debuit res tam clara tanto apparatu definiri. Reſpondeo, bene quidem hoc dici, ſi Hæretici veram perſonæ notionem intellexiſſent, nec ita fuiſſent hallucinati, vt non intellecta vera notione perſonæ, ſtatuiſſent in Chriſto duas eſſe perſonas; contra quos definierunt Concilia, non eſſe in Chriſto duas perſonas, non fuiſſe aſſumptam perſonā creatam, non fuiſſe aſſumptum hominem. quā definitionem Eccleſiæ noſtra ſententia clariſſimam & euidentiſſimam reddit, ſi illā hæretici recipere vellent. Secundò. Patres & Cōcilia non determinarunt in particulari quid eſſet perſona, & in quo diſtingueretur à natura, an adderet aliquid poſitiuum diſtinctum, necne, ſed in genere, quicquid demum ſit perſona, determinarunt in Chriſto non eſſe admittendas duas perſonas. Aduerſarij autem oſtendentes ridiculas fore loquutiones Patrum & Conciliroum, præſupponunt determinatè veram eſſe ſententiam noſtrā, quam non præſuppoſuerunt eo modo Concilia; ac proinde etiamſi loquutiones viderentur reddi ridiculæ, ſuppoſita noſtra ſententia (quod tamen vidimus falſum eſſe) videntur tamen reddi ridiculæ, ſuppoſito aliquo quod non præſuppoſuerunt neque Concilia neque Patres, nempe hanc noſtram ſententiam determinatè veram eſſe. nam Patres ſtatuerunt, nulla præſuppoſita certa ſententia circa diſtinctionem perſonæ à natura, non eſſe admittendas duas perſonas in Chriſto. vnde ad argumentum ductum ex Patribus & Conciliis ſic reſponderi poteſt in forma. Suppoſita ſententia noſtra, loquutiones Conciliorum & Patrum redduntur ridiculæ & ineptæ, diſtinguo illud antecedens. Suppoſita noſtra ſententia, ſi ſuppoſitio fieret ab ipſis Conciliis & Patribus, redduntur ridiculæ, tranſeat antecedens; ſi fiat à nobis lōgè poſt determinationem Conciliorum,

*Reiicitur Hurtadus.*

*Oſtenditur vlterius inefficacia argumenti aduerſariorum ex mente aliorum.*

Conciliorum, nego antecedẽs. Subſumant iam aduerſarij, ſed ſupponitur à Conciliis ſententia noſtra, vel nos ſupponimus Concilia determinaſſe noſtram ſententiam de fide, priuſquam ſtatuerent in Chriſto vnam tantum eſſe perſonam; nego illud ſubſumptum, quia Concilia circa illas duas ſententias nihil determinatè ſtatuerunt, ſed confusè loquendo, quæcumque demum ſententia teneatur, ſiue hęc, ſiue illa, ſtatuerunt non eſſe concedendas duas perſonas in Chriſto. Tertiò. exemplum quod adducitur de conuocatione ſtatuum Galliç non eſt ad rem, quia non pertinet ad ſtatum Regni determinare an ſedens ſtet, aut currens quieſcat; quid enim hoc ad bonum publicum? deinde, certum eſt apud omnes eſſe ſedens importare negationem ſtationis, neque de hoc diſputatur. non eſt item certum perſonam ſupra naturam tantum connotare negationem dependentiæ, ac proinde in exemplo allato eſt magna diſparitas. Quartò, quandoquidem aduerſarij adducunt exempla, adducam aliud, in quo clarè patebit non fuiſſe ridiculas Conciliorum determinationes. Supponamus nondum eſſe definitum ab Eccleſia tantum eſſe vnam perſonam in Chriſto, & tamen diſputare nos cum aduerſariis, vti nunc diſputamus, quid addat perſona ſupra naturam. hoc poſito, exurgant hæretici, qui aſſerant in Chriſto duas eſſe perſonas, quod refugiunt & aduerſarij & nos, & ex vi noſtræ ſententiæ multo magis nos quam aduerſarij, ſi Eccleſia nihil determinando de eo quod addit perſona ſupra naturam ſic ſtatueret, Quicquid demum perſona addat ſupra naturam, ſiue ſit poſitiuum, ſiue negatiuum, quicunque dicit in Chriſto duas eſſe perſonas, anathema ſit, an ideo cenſeretur Concilij determinatio futilis & inepta? hoc certè nemo dixerit, quia non ſupponitur ab Eccleſia in particulari quæ ſit vera ſententia, an noſtra, an aduerſariorum, ſed vtraque relicta in ſua probabilitate, ſtatuitur ne quis admittat duas perſonas in Chriſto. quod ſi ex noſtra ſententia luculentius & euidentius ſequatur in Chriſto non eſſe, nec eſſe poſſe duas perſonas, quam ex aduerſarium ſententia, in eo dicenda eſt noſtra ſententia magis fauere Conciliorum & Eccleſiæ decretis. quod ſi etiam nos, præſuppoſita noſtra ſententia, agamus de loquutionibus Conciliorum & Patrum, non examinamus illorum loquutiones vt ab iis fuerunt profectæ, quia non ſunt loquuti præſuppoſita determinata noſtra ſententia. Quod vrgere ſolent aduerſarij, loquutiones Patrum non ita commodè explicari in noſtra ſententia, reſponderi poteſt explicari commodiſſimè; verbi gratia, cum dicitur, Verbum aſſumpſit naturam humanam, non perſonam, aſſumpſit quidem naturam, ſed non aſſumpſit illam cum negatione dependentiæ. Eodem modo, aſſumpſit humanitatem, non hominem, id eſt aſſumpſit quidem humanitatem, ſed non aſſumpſit illam cum negatione depen-

détię, imo cũ depẽdentia humanitatis. hoc ipſo enim quod humanitas fuit aſsũpta, facta eſt depẽdens à Verbo. Similiter dicitur vnio hypoſtatica facta eſſe in natura, id eſt, facta eſt quidem in natura, ſed non in natura vt cõnotabat negationẽ dependentiæ. Aduertendũ autem hic eſt, nos non ſolũ dicere Verbum non aſſumpſiſſe negationem (nam euidens eſt negationẽ, quæ nihil eſt poſitiui, aſſumi non poſſe) ſed dicimus, neque aſſumpſiſſe naturam vt connotat negationem; quod diligenter eſt attendendum. Nec hoc mirum videri debet, quia idipſum in omnibus connotatiuis ſubſtantialibus contingit, vt multa conueniant toti connotatiuo, quæ non conueniant connotato, aut etiam ei cui connotatum aduenit; verbi gratia, quando dico, ſumpſi cænam, non volo dicere quod ſumpſerim tempus veſpertinum connotatum à cæna, quia tempus veſpertinum comedi non poteſt magis quam negatio aſſumi; nec etiam volo ſolum dicere quod ſumpſerim cibum, quia cibus etiam ſumitur in prandio, ſed quod ſumpſerim cibos tempore veſpertino. Eodem modo aſſumere perſonam, nec eſt ſolum aſſumere naturam, quia natura aſſumi poteſt etſi non aſſumatur perſona; nec eſt etiam aſſumere negationem connotatam à perſona, ſed eſt aſſumere naturam, vt ſubſtat illi negationi. Modus igitur ille loquendi tantum abeſt vt ſit extraordinarius, vt in nominibus connotatiuis ſubſtantialibus ſit maximè ordinarius. Ex his quæ vltimo loco attulimus, ſolui poteſt aliud argumentum quod obijciunt aliqui, & nunc pergo ſoluere.

*Suarius, & alii poſt ipſum.*

*Quartum argumentum aduerſariorum.*

Obijcies quartò. ſi perſona ſupra naturam adderet ſolam negationem, ſicut rectè dicimus, aër tenebroſus poteſt illuminari, dicere quoque poſſemus, perſona creata poteſt aſſumi à perſona diuina; quod tamen abſurdum eſt, & nullo modo admittendum.

*Reſponſio.*

*Vaſquez,*

*Meuriſſius.*

Reſpondeo inprimis, illud idem argumentum cum eadem efficacia fieri poſſe contra aduerſarios, vt optimè notat Vaſquez, quicquid in contrarium dicat Meuriſſius loco citato: nam ſi perſona ſupra naturam addit aliquid poſitiuum, ſicut rectè dicimus, aqua frigida poteſt calefieri, ita rectè diceremus, ſuppoſitum creatum poteſt aſſumi; aut ſi eſt in vtraque propoſitione diſparitas, illa quam afferent aduerſarij, poterit eodem modo afferri à nobis. Reſpondeo igitur directè, magnam eſſe diſparitatem inter duas illas propoſitiones, quia hæc propoſitio, aër tenebroſus poteſt illuminari, facit ſenſum diuiſum, & ſenſus eſt, aër qui modo eſt tenebroſus, pulſis tenebris illuminari poteſt; altera autẽ propoſitio, perſona creata poteſt aſſumi, facit ſenſum compoſitum, hunc nẽpe, natura manens cum negatione communicationis poteſt aſſumi; qui ſenſus manifeſtè falſus eſt. Ratio autem cur vna propoſitio faciat ſenſum diuiſum, altera compoſitum, eſt quia tenebroſus eſt concretum, & connotatiuum accidentale; perſona autem eſt concretum, & connotatiuum ſubſtantiale. vnde ſi natura &

negatio dependentiæ ſumerentur etiam adiectiuè hoc modo, natura non communicata alieno ſuppoſito poteſt à Verbo aſſumi, ſenſus eſſet diuiſus & verus.

*Quintum argumentum aduerſariorum.*

Objicies quintò. ſubſtantia in genete ſubſtantiæ non poteſt compleri per negationem. ergo &c.

*Soluitur.*

Reſpondeo, non poteſt compleri per negationem, tanquam per formam poſitiuam aduenientem naturæ, concedo antecedens; non poteſt compleri tanquam per connotatum, negò antecedens; ſicut cæna in tatione cænæ completur per tempus veſpertinum.

*Sextum argumentum aduerſariorum.*

Objicies ſextò. Pars aquæ coniuncta alteri aquæ non eſt ſuppoſitum, & tamen non dependet ab aliqua altera aqua. ergo negatio dependentiæ non complet ſuppoſitum in ratione ſuppoſiti. Deinde, quando vna aqua eſt ſeparata ab alia, ſemper retinet aptitudinem vt illi coniugatur. ergo non habet negationem aptitudinalis dependentiæ, quæ tamen requiritur ad ſuppoſitum, ex ſententia noſtra.

*Soluitur.*

Reſpondeo ad primum, aquam, quando eſt coniuncta alteri aquæ, habete ſe vt partem in toto, ac proinde non eſſe ſuppoſitum niſi in potentia, quia non eſt quid vnum per ſe, ſed pars vnius, neque eſt vnum indiuiduum perfectè, ſed pars vnius indiuidui; quod alias ex profeſſo oſtendimus, quando ſtatuimus partes quantitatis, & vniuerſaliter totius homogenei, non diſtingui inter ſe actu. Ad ſecundum, reſpondeo aquam ſeparatam non habere naturalem inclinationem, neque exigere ex eſſentia ſua vt coniungatur, ſed tantum habere non repugnantiam.

*Septimum argumentum aduerſariorum.*

Objicies ſeptimò. natura diuina præciſa per intellectum à relationibus perſonalibus, nullam habet dependentiam ab alio, ſed potius illius negationem; nam in Deo nulla eſt imperfectio, nec magis dependet natura diuina à relationibus, quam hæ ab illa. ſed natura ſic præciſa non eſt ſuppoſitum. ergo ſuppoſitum non conſtituitur per negationem dependentiæ, nam ſi communis ſuppoſiti conceptus eſſet ille, natura diuina ſic vt eſt independens eſſet ſuppoſitum.

*Soluitur.*

Reſpodeo, naturam diuinam præciſis relationibus nullam habere dependentiam ab alio, nec poſſe habere; habere tamen communicabilitatem, qua communicatur tribus perſonis diuinis; illam autem communicabilitatem impedire quominus ſit ſuppoſitum. Et licet illa communicabilitas non ſit cum dependentia, tamen hinc tantum ſequitur, aliter philoſophandum eſſe in diuinis, aliter in creatis. In ſumma, dici poteſt communicabilitatem, qua aliquid communicari poteſt ſuppoſito, impedire rationem ſuppoſiti; eam autem communicabilitatem vel communicationem in creatis eſſe cum depẽdentia, in diuinis eſſe ſine dependentia.

*Octauum argumentum aduerſariorum.*

Objicies octauò. ſequitur ex noſtra ſententia Verbum non poſſe

hypoſtaticè ſibi vnire humanitatem; quod eſt manifeſtè falſum. Sequela probatur. Verbum ſupplet vices hypoſtaſis, & perſonalitatis creatæ, tribuitque humanitati effectum formalem, & denominationem quam tribuit hypoſtaſis creata. ſed non poteſt conceptus realis Verbi præſtare formalem effectum, & denominationem negationis. ergo &c. Minor probatur; quia Verbum cum vnione hypoſtatica, & negatio illa dependentiæ, opponuntur contradictoriè; non poteſt autem effectus vnius formæ ſuppleri per formam illi contradicentem. deinde, negatio in nullo conceptu conuenit phyſicè cum ente; quo ergo pacto ens illius vices ſupplebit?

*Soluitur.* Reſpondeo, negationem dependentiæ conſtituere rationem perſonæ, non tanquam formam poſitiuam, ſed tanquam connotatum. non debet autem eodem modo concurrere ad perſonam conſtituendam ſuppoſitum diuinum & illa negatio, quia ſicut in diuinis alia eſt ratio ſuppoſiti, ita quando extraordinario modo natura humana ſuppoſitatur, alia eſt & admirabilior ratio ſuppoſitandi, quia aliud eſt genus ſuppoſiti. nec dicitur Verbum diuinum ſupplere perſonalitatem creatam, niſi quatenus ſicut perſonalitas creata perſonam conſtituebat ſuo modo connaturali, ita perſonalitas diuina conſtituat perſonam etiam, ſed ſuo modo, eoque ſupernaturali & admirabili: nec ſolum facit quod faceret perſonalitas creata, vt ab aduerſariis etiam dici debet, nam perſonalitas creata non conſtitueret naturam humanã filium Dei, Verbum autem ſuppoſitans naturam humanam conſtituit Chriſtum filium Dei. Aliud igitur facit ſuppoſitum diuinum, aliud ſuppoſitum connaturale.

*Nonum argumentum aduerſariorum.* Obijcies nonò. natura humana in Chriſto retinet veramque negationem, quam nos dicimus connotari à ſuppoſito. ergo, ſi vera eſt noſtra ſententia, ſequitur in Chriſto duas eſſe perſonas, cum in eo ſint duæ perſonalitates. antecedens probatur. natura humana in Chriſto habet omnia realia, per quæ ſi dimitteretur à Verbo ſubſiſteret ſine dependentia à Verbo in ratione ſuppoſiti. ergo per eadem natura humana in Chriſto eſt etiam independens in ratione ſuppoſiti. conſequentia probatur. realia illa quæ habet natura humana dimiſſa à Verbo, tam ſunt efficacia ad illius conſeruationem in Verbo, quam extra illud.

*Confirmatur.* Confirmatur. humanitas non dependet à Verbo, niſi in ratione ſuppoſiti. ergo Verbum debet efficere in humanitate quod efficeret cõnaturale ſuppoſitũ. ſed à connaturali ſuppoſito humanitas non depẽdet, quia non dependet à negatione. ergo neque dependet à Verbo. quod ſi connaturale ſuppoſitum eſſet principium à quo penderet humanitas, tunc quidem penderet à Verbo ſupplente vices illius. ſed in ſententia noſtra Verbum non ſupplet vices alicuius rei à qua pendeat

humanitas. ergo in Chriſto humanitas non dependet à Verbo.

Reſpondeo negando primum antecedens. ad probationem, concedo antecedens, nego conſequentiam. ad probationem conſequentiæ reſponderi poteſt, verum quidem eſſerationes reales quas humanitas habet dimiſſa à Verbo, tam efficaces eſſe ad illius conſeruationem in Verbo, quã extra illud. ſed tamen quando eſt vnita Verbo, hoc habet, quod ſit dependens à Verbo, & illi vnita, quod non habet quando eſt dimiſſa à Verbo; ac proinde quando eſt dimiſſa, habet id quod requiritur ad rationem perſonæ, non quando eſt vnita.

*Soluitur argumentum nonum.*

Ad confirmationem, reſpondeo diſtinguendo hanc propoſitionem, humanitas non dependet à Verbo niſi in ratione ſuppoſiti. niſi in ratione ſuppoſiti creati, nego antecedens; ſuppoſiti increati & diuini, concedo antecedens. infertur, ergo Verbum debet efficere in humanitate quod ſuppoſitum connaturale. ſi intelligatur quod debeat illud ſolum, & eodem modo efficere, nego conſequentiam, quia connaturale ſuppoſitum non facit hominem filium Dei, ſuppoſitum diuinum facit. Verum quidem eſt quod ſuppoſitum diuinum conſtituit perſonam, ſed tamen non conſtituit eodem modo, ſed vnumquodque ſuo modo.

*Reſpondetur ad confirmationem.*

Obijcies decimò. ſi ideo humanitas Chriſti non eſt perſona, quia vnitur Verbo, ſequitur neq; Verbum ipſum eſſe perſonam, quia etiam vnitur.

*Decimum aduerſariorum argumentum.*

Reſpondeo, Verbum non vniri cum dependentia, ſicut vnitur humanitas.

*Soluitur.*

Inſtabunt. Neque humanitas vnitur cum dependentia, quia humanitas ad exiſtendum non exigit vniri alteri ſuppoſito, aut alicui reali.

*Inſtant aduerſarij.*

Reſpondeo, nõ exigere quidem ad exiſtendum connaturali modo, ſed ad exiſtendum modo ſupernaturali. Deinde iam ſæpius diximus aliter philoſophandum eſſe de humanitate, & eius connaturali ſuppoſito, aliter de ſuppoſito diuino.

*Ad inſtantiam reſpondetur.*

Quæres quidnam ſenſerit Philoſophus hac in re. V.

Reſpódeo, certiſſimum eſſe Philoſophum non agnouiſſe ſubſiſtentiam modalem aduerſariorum, vt conſtat ex ſupradictis, & fatentur aduerſarij. Aduerto tamen, & fateor ingenuè eundem hac in re grauiter erraſſe; exiſtimauit enim naturam exiſtentem & ſuppoſitum eſſe vnum & idem re & ratione. ideoque Arium, Sabellium, Neſtorium, & Monothelitas, alioſque eiuſmodi hæreticos, qui naturam & hypoſtaſim idem eſſe aſſerentes, circa fidem Trinitatis & Incarnationis errarunt, ſuam illam hæreſim ex Ariſtotelis fontibus hauſiſſe, rectè annotauit Anaſtaſius Synaita lib. ὁδηγὸς cap. 9. Quare nihil eſt quod Gretſerus in illum locũ Anaſtaſij excuſet Ariſtotelẽ, dicatque eum ab

*Quæ fuerit mens Philoſophi hac in re.*

*Anaſtaſius Synaita.*

*Gretſerus refellitur.*

hæreticis perperam intellectum. Reuera enim ſentit vt illi, naturam & hypoſtaſim ratione & conceptu idem eſſe; hocque ſolo nomine venia dignus eſt, quod diſcrimen naturæ à ſuppoſito ex Scriptura, Cõcilijs, Patribus, & ipſis myſterijs, ſiue Trinitatis, in qua vna natura eſt in pluribus ſuppoſitis, ſiue Incarnationis, in qua in vna hypoſtaſi duæ ſunt naturę, cognoſcere non potuit, quod potuerunt cognoſcere prædicti hæretici.

*Concluſio quæſtionis.* Concludo nihil opus eſſe modali ſubſiſtentia ad myſterium Incarnationis & credendum, & orthodoxe explicandum, imo, vt vidimus, potius non parum obeſſe, ne dicam repugnare.

# QVÆSTIO SEPTIMA.

## *An inhærentia aptitudinalis ſit de eſſentia accidentis.*

I. INhærentiam actualem non eſſe de eſſentia accidentis, ſupponimus hoc loco tanquam certum, contra hæreticos noſtri temporis, ſequutos Auerroem, & alios, quos refert Niphus 7. metaphyſices. clarum hoc eſt primò ex SS. Patribus, Ambroſio, Auguſtino, Damaſceno, & alijs, qui initio orbis conditi lucem ſine ſubiecto fuiſſe cenſuerunt, quos refert & ſequitur Thomas Vualdenſis tomo 2. de ſacramentis cap. 77. quem ſine fundamento repræhendit Aquarius 7. metahyſ. dilucidatione 1. qui ſentientes poſſe naturaliter accidens ſine ſubiecto exiſtere, ita perſtringit, vt ſignificare velle videatur aliena illos à fidei ſcitis tradere. quod eſt ab eo nimis inconſiderate ſcriptũ, vt multa alia. clarũ redditur ſecundò rationibus apertiſſimis. Prima eſt. eſſentia vniuſcuiuſque rei creatæ prior natura eſt eiuſdem exiſtentia, eique per veram propoſitionem etiam non exiſtenti tribui poteſt. ſed inhærentia actualis non eſt prior exiſtentia accidentis, ſed poſterior, nec tribui illi verè poteſt, niſi iam exiſtenti. ergo non eſt de eius eſſentia. ſecunda ratio hæc eſt. multa ſunt accidentia abſoluta, vt albedo, nigredo, magnitudo, & ſimilia. atqui inhærentia, vtpote relatio, non poteſt pertinere ad quidditatem aut eſſentiam vllius rei abſolutæ, vt in diſput. logicis docuimus. ergo &c. Omitto alia argumenta, breuitatis cauſa, & quia res clara eſt adeo, vt Scotus in 4. diſtinctione 12. vbi hac de re diſputat, tam claram & conſpicuam eſſe dicat, vt qui de ea dubitent, non dubitet ipſe ſine intellectu eſſe. homo videlicet, ſi quis vnquam, ingenioſiſſimus ac ſubtiliſſimus, quam rem luce clarius ipſe intuetur, ſine ſtomacho ferre non poteſt ab ijs impu-

*Niphus.* *S. Ambroſius.* *Thomas Vualdenſis.* *Oſtẽditur actualem inhærentiam non eſſe de eſſentia accidentis.* *Scotus.*

Digitized by Google

gnari, qui quod mentis defectu non intelligunt, id impudentię abundantia oppugnant. verba eius ſunt; *Nullo modo concedendum eſt inhærentiam eſſe de eſſentia albedinis; & quæſtio mota de hoc ab aliquibus, videtur eſſe trumfatica, & ſine intellectu.* hoc præſuppoſito, controuerſia propoſita eſt de inhærentia aptitudinali. qua in re

II.

Prima ſententia affirmat. eſt Cajetani de ente & eſſentia cap. 7. Capreoli in 4. diſt. 2. quæſt. prima contra 5. & 6. concluſionem, & ante illos B. Thomæ 3. parte quæſt. 77. art. 1. ad 2. & in 4. ſententiarum, quem ex recentioribus ſequuntur Balforeus noſter in quæſtione quam mouet in ſecundum caput anteprædicamentorum ſectione 3. Murcia ad caput de accidente diſp. vnica quæſt. 2. Albertinus, Fonſeca, & alij. *Prima ſententia Caietani, Balforei, Murcia, Fonſeca, Albertini, D. Thomæ, &c.*

Secunda ſententia negat eſſe de eſſentia. ita Scotus noſter 7. metaph. quæſt. 1. & in 4. diſt. 12. Antonius Andreas 7. metaphyſ. quæſt. 1. Zerbus ibidem, Baſſolius noſtras in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 2. 5. ad primum Philoſophorum, Mayronius conterraneus, Franciſcus de Pitigianis, & alij Scotiſtæ omnes; quos ex Thomiſtis ſequuti ſunt Dominicus de Flandria 7. met. quæſt. 2. Soncinas ibidem quæſt. 1. & alij. *Secunda ſententia Scoti, Ant. Andreæ, Zerbi, Mayronii, Fran. de Pitigianis, Dom. de Flandria, Soncinatis, Baſſolii, &c.*

III.

Dicendum eſt inhærentiam aptitudinalem non eſſe de eſſentia accidentis. *Concluſio.*

Probatur concluſio primò, quia omnis aptitudo, ſi propriè loquamur, eſt natura poſterior ea re quæ apta dicitur. atqui natura & eſſentia accidentis nō eſt natura poſterior ipſo accidente. ergo aptitudo non eſt de eſſentia accidētis. minor certa eſt. maior patet ex dictis de potentia materiæ primæ & de relatione tranſcendentali, confirmaturque euidenter ex communi vulgatoque loquendi ac concipiendi modo; quiſquis enim rem aliquam aptā eſſe dicit ad quidpiam, prius procul dubio rem ipſam quam aptitudinem appræhendit. *Prima concluſionis probatio.*

Probatur ſecundò. quemadmodum homo comparatur ad riſum, aut actus intellectuales, ſeu rationales, ita comparari videtur accidēs ad inhærendum, ſeu ad actum inhærentiæ, & ea quæ ad ipſum pertinent. atqui nec riſus, nec raticinatio, ſeu rationis actus, nec aptitudo ad ridendum aut ratiocinandum, ſunt de eſſentia hominis, ſed vel eius proprietates, vel actus contingenter illi conuenientes. ergo nec actus inhærentiæ, nec potentia ad illam, ad accidentis eſſentiam pertinebunt, ſed actus contingenter ei aduenier, ipſa vero potentia, ex qua huiuſmodi actus procedit, erit proprietas accidentis. denique radix ipſa veluti & fundamentum illius potentiæ erit eiuſdem accidentis eſſentia. *Secūda probatio.*

Probatur tertiò. vt ſe habet ſubſtantia ad ſubſiſtendum, ita accidens ad inhærendum. ſed potentia ad ſubſiſtendum non eſt de eſſen- *Tertia probatio*

tia ſubſtantiæ. ergo nec potentia ad inhærendum eſt de eſſentia accidentis. minor, de qua eſt difficultas, patet, quia alias ſubſtantia eſſet eſſentialiter ens potentia tantum; ſiquidem illud dicitur eſſentialiter ens potentiale, cuius eſſentia eſt aptitudo ſeu potentia. hoc autem de ſubſtantia concedere, videtur abſurdum, & eius perfectione indignum; vnde benè notat Meuriſſius lib.3. metaphyſ. quæſt. 5. ex Scoto in 4. diſt. 12. quæſt. 1. ad argumenta principalia, potentiam ad ſubſiſtendum non eſſe de eſſentia ſubſtantiæ, ſed eius principium.

IV. Quæres, quis ſit ſenſus illius dicti, accidentis eſſe eſt ineſſe; videtur enim ex eo colligi accidentis eſſentiam eſſe inhætere.

Reſpondeo, ſenſum illius propoſitionis non eſſe proprium aut formalem, vt loquuntur Philoſophi, ſed concomitatiuum tantum, hunc videlicet, quod niſi diuina vis intercedat, naturali quadam neceſſitate inhærentia accidentis coniuncta ſemper ſit cum accidentis exiſtentia. per eſſe ergo intelligitur exiſtentia, non eſſentia.

# QVÆSTIO OCTAVA.

*An accidens ſit verum ens, & vtrum vniuocum?*

I. *Flammineus. Sotus.* MArcus Antonius Flammineus duodecimo Metaphyſices folio quinto contendit accidens non eſſe verum ens, ſed comparat negationibus & priuationibus. Sotus etiam, & alij, in ante prædicamentis negant, abſolutè loquendo, eſſe ens, & ideo falſam dicunt hanc propoſitionem, accidens eſt ens. verum

II. *Prima concluſio.* Dicendum eſt primò cum communi aliorum ſententia, accidens eſſe verum ens, & ens prædicari abſolutè de accidente, & conſequenter hanc propoſitionem eſſe veram, accidens eſt ens.

*Eiuſdem probatio.* Probatur breuiter, quia, fatente etiam Soto, hæc propoſitio eſt falſa, omne ens eſt ſubſtantia, ergo aliquod ens non eſt ſubſtantia. ſed illud non poteſt eſſe niſi accidens, quia omne ens vel eſt ſubſtantia, vel accidens. ergo aliquod ens eſt accidens. confirmatur, quia accidentia habent propriam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia ſubjecti ſeu ſubſtantiæ; nam terminant actiones reales, vt qualitas alterationem, quantitas augmentationem &c. ergo &c.

Major difficultas eſt, an accidens ſit vniuocum ad nouem prædicamenta accidentium. qua in re diſſentiunt recentiores.

III. *2. Concluſio.* Dicendum tamen ſecundò mihi videtur, accidens eſſe vniuocum ad nouem prædicamenta accidentium.

*Probatio concluſionis.* Probatur, quia accidens de illis dicitur ſecundum idem nomen, & eandem

& eandem rationem. hoc autem eſt eſſe vniuocum. ergo &c.

Confirmatur. Subſtantia creata completa, ſecundum omnes ferè aduerſarios, eſt vniuoca, & genus ad corporeum & incorporeum, &c. ergo, à pari, etiam accidens creatum erit genus vniuocum ad omnia accidentia.

*Obiectio.*

Dices, hinc ſequi non eſſe decem prædicamenta, ſiue ſumma genera. hoc autem videtur inconueniens. ergo inconueniens etiam erit dicere accidens vniuocè dici de aliis generibus accidentium.

*Solutio.*

Reſpondeo, proculdubio numerum prædicamentorum eſſe arbitrarium, & conſequenter poſſe quemuis ad libitum plura vel pauciora conſtituere. Sane Ariſtotelem non exiſtimaſſe denarium numerum prædicamentorum talem eſſe, vt alius dari non potuerit commodus, patet ex eo, quod quaſi typo (vt ait ille) id eſt veluti pingui minerua, non autem exactè valde & accuratè in anteprædicamentis de hoc egerit; & præterea, quia reſtatur ſæpe in antepræedicamentis nolle ſe tam accuratam Categoriarum tradere cognitionem. Ariſtoteles ergo ponendo decem prædicamenta, tantum nobis ſignificare voluit nullum eſſe ens creatum, quod ad vnum ex illis reduci non poſſit, quod veriſſimum eſt, non autem, quod imponunt multi recentiores, videlicet illa eſſe decem ſuprema genera, nullum ſupra ſe genus habentia. rectè ergo poni primò poteſt vnum tantum prædicamentum, nempe ens finitum completum, quod aliqui dicunt ſenſiſſe Platonem in Sophiſta & Parmenide. Secundò, rectè etiam duo tantum aſſignari poſſunt, videlicet ſubſtantia & accidens, vel vt alij, relatiuum & abſolutum, vel denique vt Paracelſiſtæ, cauſa & effectus; quos in vanum redarguit Thomas Eraſtus 2. parte diſput. de Medicina Paracelſi folio 7. Tertiò, aſſignari etiam bene poſſunt quatuor, Subſtantia, Quantitas, Qualitas, & Relatio (ſex enim vltima ſunt relationes extrinſecus aduenientes) vt aſſignant Auguſtinus Nyphus in ludicris, Louanienſes initio prædicamentorum, Auguſtinus Hunnæus, Iulius Pacius, & alij. denique, arbitrarius eſt, vt dixi, prædicamentorum numerus.

*Numerus prædicamentorum eſt arbitrarius.* *Plato.* *Thomas Eraſtus.* *Nyphus.* *Louanienſes.* *Auguſt. Hunneus.* *Iulius Pacius.*

*Obiectio.* *Petronis.* *D. Thomas.*

Sed obiicies cum Petronio tomo 2. ſuæ Logicæ quæſt. 1. in antepræ dicamenta articulo 2. tot ſunt prædicamenta, quot ſunt modi eſſendi, nam ex diuerſis gradibus entis oriuntur diuerſa prædicamenta, vt habet D. Thomas quæſtione prima de veritate art. primo. ſed modi eſſendi ſunt decem, nec plura, nec pauciora. ergo decem erunt prædicamenta, nec plura, nec pauciora. minor probatur. tot ſunt modi eſſendi, quot ſunt modi prædicandi de prima ſubſtantia, nam modus prædicandi ſequitur modum eſſendi. ſed modi prædicandi de prima ſubſtantia ſunt tantum decem. ergo modi eſſendi ſunt tantum decem. minorem probat Petronius inductione.

*Reſponſio ad obiectionem Petronii.* Reſpondeo, verum eſſe tot eſſe modos eſſendi & prædicandi ac denominandi ſubalternos, non tamen ſupremos genericos. ad ſolutionem aliorum argumentorum quæ in contrarium fiunt, aduerte illa tantum concludere dari ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, & cætera accidentia, non autem ea omnia eſſe ſuprema genera, & diſtinctas conſtituere Categorias, in quo ſolo difficultas eſt.

# QVÆSTIO NONA.

*An poſſit oſtendi efficaciter Deum eſſe. vbi etiam diſputatur, an ex terminis notum ſit Deum eſſe.*

I. SVppono lumine naturali notum eſſe Deum eſſe, fatuumque cenſeri debere eum qui id negaret, iuxta illud Pſalmiſtæ Regij, *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* (*Pſalmo 13.*) Quærimus ergo tantum, an à poſteriori demonſtrari hoc poſſit; dixi à poſteriori, quia prætereo vt minus veram nouam illam opinionem Franciſci Suarez diſputatione 29. metaph. ſectione 3. cenſentis poſſe à priori demonſtrari Dei exiſtentiam per aliud Dei attributum. (*Reiicitur Suarius.*) prætereo, inquam, quia Patres nulla alia vnquam via quam ex effectis conati ſunt Dei exiſtentiam demonſtrare; imo expreſsè contendunt Deum nulla alia ratione quam ex iiſdem effectibus à nobis cognoſci. (*S. Dionyſius.*) vnde S. Dionyſius cap. 7. de diuinis nominibus, *Veraciter*, inquit, *dicemus, nos Deum non ex ipſius natura cognoſcere, id namque ignotum eſt, omnemque ſuperat rationem ac ſenſum; ſed ex creaturarum omnium ordinatiſſima diſpoſitione.* (*Beda.*) & Beda in Pſalmum 52. *Sicut ventorum ſubſtantia nullatenus cernitur, ſed tamen ejuſmodi vẽtos aliquo modo exiſtere, per immenſos flatus & cõmotionem, intelligitur; ſic diuina ſubſtantia, licet inuiſibilis, tamen ex immenſa virtute & poteſtate, quam in omnem creaturam exercet, conſtantiſſima fide valet cognoſci.* Quibus verbis ſignificant medium nullum à priori ſuppetere ad demonſtrandam exiſtentiam Dei, vt à nobis conceptibilis, præter ipſam naturam diuinam ſeu Deitatem, quam cum humana ratio in præſenti vita non capiat, concludunt naturalem Dei cognitionem ex ſolis effectibus haberi poſſe. Quapropter non ſatis eſt ad hæc Patrum loca reſpondere, eos tantum velle ad primum Dei attributum naturaliter cognoſcendum opus eſſe diſcurſu ex creaturis, & ſic omnem de Deo naturalem cognitionem in huiuſmodi diſcurſum vltimatè reſolui; non vero negare, quin primo attributo per huiuſmodi diſcurſum inuento, per illud iam quaſi ex natura rei, & per intrinſecum quodammodo principium aliud attributum demonſtretur.

non, inquam, ſatis eſt, quia indicant quoque vnum attributum, niſi ipſius diuinæ naturæ ſiue Deitatis conceptus habeatur, non demonſtrari per aliud, quatenus in naturam Dei & effectus Dei ita referunt demonſtrationem exiſtentiæ Dei ſub ratione attributali aut modo intrinſeco, vt præter illam naturam & effectus nullum medium exiſtiment ſuppetere ad demonſtrandum quod Deus ſit; nam demonſtrare Deum eſſe per naturam, & illud demonſtare per effectus, adæquatè opponunt. ex qua eorum doctrina præclara ſumitur ratio ad idem probandum. ad demonſtrationem enim à priori, neceſſarium eſt vt à demonſtrante habeatur definitiuus conceptus ſubjecti. ſed in præſenti ſtatu non habemus definitiuum conceptum Deitatis. ergo &c. major patet ex Ariſtotele 6. metaph. cap. 1. 2. de anima cap. 2. & primo poſteriorum 17. docente rationem quidditatis, ſeu definitionem ſubiecti, eſſe medium in demonſtratione potiſſima & à priori; quem, vt alios taceam, ſequitur Doctor Subtilis quæſtione 1. prologi §. *Tertio arguitur ratione 2.* & ad 3. *Philoſophorum*, *& quæſtione 3. §. de Secundo dico, & in 2. diſt. 3. quæſt. 6. ad 4. principale, & 2. Poſter. quæſt. 56.* Nam quamuis in demonſtratione à priori latè ſumpta, qua vna paſſio demonſtratur per aliam, proximè & formaliter non aſſumatur definitio ſubiecti pro medio, ſed definitio paſſionis prioris per quam poſterior probatur; neceſſarium tamen eſt primam paſſionem eſſe demonſtranti notam per definitionem ſubiecti, tanquam per prædicatum primum & per ſe notum. hoc enim ſenſu dixit idem Ariſtoteles 1. Poſter. demonſtrationem eſſe ex primo veris, vt ipſemet ſe explicauit 1. Topicorum 1. vbi cum dixiſſet, *demonſtrationem eſſe ſyllogiſmum ex primis & veris*, addidit, *aut ex talibus quæ per aliqua prima & vera ſuæ cognitionis principium ſumpſerunt.* Et ratio euidens eſt, quia niſi probatio reſoluatur in primo vera, aut non poſſit ſic reſolui à demonſtrante, vel reſolutio abibit in infinitum, quod eſt abſurdum; vel reſoluetur in fidem humanam, aut diuinam, aliudve medium obſcurum, aut incertum, ſeu probabile ſolum; quod à natura demonſtrationis alienum eſt. minor ſupra poſita patet, quia concipimus tantum Deum ſub ratione attributali aut modo intrinſeco. & hoc volunt Patres, quando aſſerunt nos non cognoſcere Deum ex ipſius natura. hæc obiter dicta ſint contra Suarium.

*Scotus.*

*Ariſtoteles.*

Veniamus nunc ad id quod propoſuimus, vtrum nempe à poſteriori ſaltem demonſtrari, vel efficaciter & euidenter probari (pro eodem enim hic ſumimus) poſſit, Deum eſſe. ſtatuendum autem eſt nos hic nomine Dei intelligere primam cauſam; hanc enim omnes dicunt Deum, vt optimè notauit S. Thomas prima parte quæſt. 2. art. 3. II.

Negant non ſolum Athæi, ſed & multi Catholici Doctores. ita Aliacenſis in 1. quæſt. 3. Adamus ibidem diſt. 2. quæſt. vnica, Gabriel,

*Negatiua ſententia Adami, Aliacenſis, Gabrielis.*

*Ciſtercienſis; Caſalis.*

Ciſtercienſis, & alij veteres; quos ex recentioribus ſequuti ſunt Gaſpar Caſalius lib. 1. de quadtipartita Iuſtitia, Andreas de Nouo Caſtro, alijque non pauci. quibus annumerari poteſt ſtigmaticus perfuga

*Impia Caluini verba.*

Caluinus, qui libro primo Inſtit. cap. 2. ſect. 2. rationes quibus Theologi Scolaſtici vtuntut ad probandum Deum eſſe, vocat *frigidas ſpeculationes.*

*Affirmans ſententia vera, S. Thomæ, Scoti, &c.*

Affirmans tamen ſententia veriſſima eſt. eam tuentur S. Thomas, Scotus, & Theologi ac Philoſophi communiter, imo quidam recentiores ſentiunt contrariam ſententiam eſſe periculoſam in fide, vtpote temerariam, errori proximam, vel etiam erroneam. ita Suarius 1. parte lib. 1. cap. 1. & diſp. 29. metaph. ſect. 2. Molina 1. parte

*An negans ſententia ſit periculoſa? Suarius, Smiſingus, Vaſquez.*

quæſt. 2. art. 2. Valentia, aliique. Verum Vaſquez 1. part. diſput. 20. cap. 3. Smiſingus, & alij nimiam cenſent hanc cenſuram. imo addit Smiſingus, non ſolum contrariam ſententiam abſque errore aut erroris periculo, aut abſque temeritate in fide, defendi poſſe, verum etiam nec eſſe temerariam in Theologia; *quia*, inquit, *licet ſit contra communiorem opinionem Theologorum, non eſt tamen contra communem &c.* Quicquid ſit de hac re,

III.

*Concluſio Authoris.*

Dicendum exiſtimo poſſe euidenter probari Deum eſſe, ſiue primam cauſam exiſtere.

*Prima eius probatio.*

Probatur primo ex Atiſtotele 2. metaph. cap. 2. S. Thoma 1. parte quæſt. 2. art. 3. Scoto, & aliis. Omne quod fit, ab alio fit, & non ab alio & alio in infinitum. ergo ab aliqua prima cauſa quæ à nulla producatur. conſequentia clara eſt; quemadmodum enim ſi hæc pars habet ante ſe aliam & aliam, ſed non in infinitum, oportet deuenire ad aliquam quæ ſit omnium prima; ita ſi omnis effectus habet cauſam, & non datur proceſſus in infinitum in cauſis, oportet deuenire ad aliquam primam. antecedens duas habet partes, & vtraque vera eſt & euidens. Prior quidem, quia adeo certum videtur nihil à ſeipſo poſſe

*S. Auguſtinus.*

fieri, vt fere nihil euidentius ſit; vnde S. Auguſtinus primo de Trinitate capite primo hoc tanquam ab omnibus conceſſum aſſumit. *Nul-*

*S. Bernardus.*

*la omnino res eſt,* inquit, *quæ ſeipſam gignat vt ſit.* & D. Bernardus lib. 6. de Conſideratione cap. 6. vbi etiam id probat. *A ſe,* inquit, *cœpit nihil, niſi forte quis putauerit quod non erat dare ſibi potuiſſe vt eſſe inciperet, aut fuiſſe aliquid antequam eſſet; quod vtrumque quia ratio non conſentit, conſtat nihil ſibimet extitiſſe principium.* idem etiam probauimus in diſputationibus phyſicis quæſtione 6. in fine, & propterea non repeto. Poſterior pars de proceſſu in infinitum euidens quoque eſt. ad eius autem euidentiam percipiendam, ſciendum eſt duobus modis poſſe excogitari proceſſum in infinitum in cauſis, ita vt nulla detur prima, nimirum in cauſis per accidens, & in cauſis per ſe ſubordinatis. Primus modus erit, ſi quis dicat non dari primam cauſam huius hominis, exempli gratia, ſed hunc eſſe genitum ab alio, & illum ab alio in

infinitum, neque eſſe neceſſe vt præter infinitos homines, quorum quilibet eſt ab alio, ponamus aliquam cauſam ſuperiorem. Secundus modus erit, ſi dicamus hunc ignem pendere, verbi gratia, à cœlo, & cœlum per ſe in cauſando pendere ab intelligentia motrice, & hanc ab aliqua alia cauſa, & ſic in infinitum. ſi ergo oſtenderimus neutro modo ex dictis poſſe dari proceſſum in infinitum, habebimus nulla ratione dari poſſe proceſſum in infinitum. hoc autem de vtroque ſic breuiter probatur. Si in cauſis ſubordinatis datur proceſſus in infinitum, ita vt ad nullam perueniatur primam independentem, à qua pendeant cæteræ, ergo tota collectio eſt dependens & independens, quæ ſunt contradictoria. dependens quidem, quia nulla dicitur eſſe in illa collectione quæ non ſit dependens. ergo tota collectio eſt dependens, quia quod negatur de omnibus partibus collectiuis diſtributiuè, negatur quoque de tota collectione, cum collectio nihil aliud ſit præter omnes partes diſtributiuè, vt clarum eſt. independens etiam, nam nec extra illam collectionem eſt cauſa vlla à qua collectio dependeat, cum ponatur eſſe collectio omnium cauſarum, nec intra illam collectionem vlla eſt à qua collectio dependeat adæquatè, alias penderet totum ab aliqua ſui parte adæquatè.

Probatur ſecundo ex admirabili ordine & connexione partium huius vniuerſi; ſic autem formari poteſt argumentum. Nullus eſt ordo ſine aliqua ſapientia. ſed mirus elucet ordo in hoc vniuerſo, ex varijs, imo repugnantibus partibus conflatus. ergo ab aliqua mente ſapientiſſima debet regi & adminiſtrari. per hanc autem intelligimus Deum. ergo datur Deus. quo argumento vtitur Scriptura Sacta Sapientiæ 13. vbi reprehenduntur Gentiles, *quod de his quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque operibus attendentes, potuerunt intelligere quis eſſet artifex; ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aërem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut Solem & Lunam rectores orbis terrarum Deos putauerunt.* qui deinde hoc argumento redarguuntur. *Quorum ſi ſpecie delectati Deos putauerunt, ſciant quanto his Dominator eorum ſpecioſior eſt, ſpeciei enim generator hæc omnia conſtituit; aut ſi virtutem & opera eorum mirati ſunt, intelligant quoniam qui hæc fecit fortior eſt illis, à magnitudine enim ſpeciei & creaturæ, cognoſcibiliter poterit creator horum videri.* & Matthæi 6. *Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater veſter cæleſtis paſcit illa. conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt; non laborant neque nent. dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis.* Eodem etiam argumento poſt ſcripturã vtuntur Patres, Dionyſius cap. 7. de diuinis nominibus, vbi ait, *Deum cognoſci ex creaturarum ordinatiſſima diſpoſitione*; Iuſtinus Martyr quæſt. 61. Gentium, vbi interroga-

*Secũda probatio.* *Sapien. 13.* *Matthæi 6.* *S. Dionyſius.* *Iuſtinus Martyr.*

tus vnde ſciret Deum eſſe, reſpondet, *ex eorum quæ ſunt concretione, conſtitutione, ſtabilitate.* videri poſſunt Nazianzenus orat. 2. de Theolog. Lactantius lib. 1. de falſa religione cap. 2. eodem denique argumento vſi ſunt Philoſophi, vt Plato in ſympoſio, aſſerens *ex pulchritudine omnino rerum creatarum pulchritudinem quandam admirandam diuinæ naturæ derepente conſpici.* Ariſtoteles 12. Metaph. cap. 2. vbi ait, *Quonam pacto ordo erit, non exiſtente aliquo perpetuo, ſeparato, ac permanente?* quod capite 10. declarat exemplo domus, familiæ, & exercitus, qui ſine Duce, Rectore, &c. eſſe non poſſunt. vnde Cicero lib. 2. de natura Deorum merito exclamat, *Quid poteſt eſſe tam apertum tamque perſpicuum, cum cælum ſuſpeximus cæleſtiaque contemplati ſumus, quam eſſe aliquod numen præſtantiſsimæ mentis quo hæc regantur?*

*S. Gregorius Nazianzenus. Lactantius. Plato.*

*Ariſtoteles.*

*Cicero.*

Probatur tertiò. res omnes tam numero quam magnitudine finitæ ſunt. ergo vel à ſe habent quod finitæ ſint, vel ab alio. non à ſe, quia idem eſſet cauſa ſuipſius, quod diximus repugnare; & præterea ſibi potius maiorem virturem tribuiſſent, quàm habent, cum vnumquodque appetat id quod eſt perfectius & melius. ergo ab alio. aut ergo illud habet virturem finitam, aut infinitam. non finitam, alioqui idem quæreretur, à quo ſcilicet virtus illius eſt definita. ergo habet infinitam, & per conſequens Deus eſt, quia per Deum intelligimus principium aliquod infinitum & independens, à quo omnia eſſe acceperunt. Hęc tria argumenta efficaciter probant Deum eſſe. Alia apud alios videri poſſunt. contra hanc doctrinam objici ſolent aliqua, quæ tamen ſoluta ſunt in noſtris diſputationibus phyſicis, quæſtione ſexta, quæ legi poteſt.

IV. Quæres an ita notum ſit lumine naturali Deum eſſe, vt ex ipſis terminis pateat, id eſt vt ſufficiat explicare terminos ad hoc vt intellectus plenè conuincatur.

*Oſtenditur non eſſe notum ex terminis Deum eſſe.*

Reſpondeo negatiuè. Ratio, eſt quia quamuis aliquis explicuiſſet quid ſignificet hoc nomen *Deus*, exempli gratia, quod ſignificet ſubſtantiam aliquam infinitam, omnipotentem, &c. tamen necdum eſt notum an talis ſubſtantia ſitne necne. notum itaque eſt lumine naturæ tantum per diſcurſum aliquem euidentem factum ex allatis, & ſimilibus rationibus. ex quo colligitur quid reſpõdendum ſit ad argumentum quod ex ſancto Anſelmo in proſologio cap. 3. & 4. & lib. cõtra inſipientem objicitur, & eſt hujuſmodi. Nomen Dei nihil aliud ſignificat, quam id quo majus cogitari nihil poteſt. ſed id quo majus cogitari nihil poteſt, exiſtẽte actu notum eſt ex terminis. ergo &c. Reſpondeo enim negando minorem; cuius negationis ratio ex iam dictis deſumi poteſt, quia nimirum poſſum dubitare an dum concipio id quo majus cogitari nihil poteſt, concipiam ens reale, an ens aliquod fictum. Hic aduerte probare me non poſſe modum loquendi

*S. Anſelmus.*

Digitized by Google

quorundam Theologorum, qui cum Sancto Thoma prima parte quæſt. 2. art. 1. dicunt Deum eſſe, eſſe per ſe notum ſecundum ſe, non per ſe notum ſecundum nos. Ratio eſt primò, quia, vt aduertit Smiſingus, rem aliquam eſſe per ſe notam, non eſt eſſe actu cognitam, ſed cognoſcibilem tanquam euidentem ex terminis; actualis enim cognitio ad naturam & rationem per ſe alicuius propoſitionis obiectiuæ (de qua loquimur) impertinens eſt. quare per ordinem ad hunc vel illum intellectum de facto ſic concipientem, non eſt diuidenda propoſitio per ſe nota. confirmatur, tum quia Ariſtot. primo poſter. ſolum ex natura terminorum deſcripſit propoſitionem per ſe notam; tum à ſimili, quia ſyllogiſmus non ſolet diuidi in neceſſarium, probabilem &c. ſecundum ſe & ſecundum nos, ſed ſimpliciter in neceſſarium, probabilem, &c. ex natura propoſitionum, etiamſi apud nos aliquando neceſſarius ſit probabilis, vel contra. Secundò impugnatur ille modus loquendi, quia illud quod diuiditur in aliqua duo, non debet cum altero membrorum diuidentium coincidere, cum altero pugnare. at, *Eſſe per ſe notum*, in diuiſione quam impugnamus, cum altero membrorum diuidentium coincidit, cum altero pugnat; coincidit quidem cum priori membro, videlicet cum per ſe noto *ſecundum ſe*, quia idem ſunt, eſſe per ſe notum, & ſecundum ſe notum ex terminis, hoc enim indicat illud *per ſe*; pugnat vero cum poſteriori membro, quia ſecundum nos notum opponitur illi quod per ſe & natura ſua conuenit propoſitioni obiectiuæ. ille ergo modus loquendi non eſt admittendus.

*Oſtenditur non bene dici, eſſe notum per ſe ſecundum ſe Deum eſſe, non vero ſecundum nos. Smiſingus.*

# QVÆSTIO DECIMA.

*An Deus ſit liber. vbi etiam oſtenditur nullam fore in cauſis ſecundis contingentiam Deo neceſſariò agente, & multa diſputantur de actu libero Dei.*

CErtum apud Catholicos eſt Deo conuenire libertatem, & quidem non ſolùm à coactione, verumetiam à neceſſitate, habeturque primæ ad Corinthios 12. vbi ſic loquitur Apoſtolus; *Hæc autem operatur vnus & idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult*, id eſt pro libero arbitrio ſuæ voluntatis, vt interpretatur Diuus Ambroſius lib. 2. de fide & gratia. habetur etiam ad Epheſios 1. vbi de Deo agens idem Apoſtolus, *Omnia*, inquit, *operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*; quibus verbis ſignificat libertatem Dei, egerat enim gratias Deo 1.

*Scriptura teſtatur Deum eſſe liberum.*

*S. Ambroſius.*

de beneficiis ſalutis, & poſtea ſubdit, *omnia operatur* &c. gratiarum autem actio ſupponit beneficium libere datum. idem habent Patres, quos ne longior ſim omitto, vnico ſancto Gregorio Nyſſeno contentus. is ergo lib. de fato cap. vltimo ſic habet, *Non enim ſub neceſſitate eſt Deus, neque voluntatem eius neceſſitati ſeruire fas eſt dicere*. quod igitur controuerſum eſt, eſt primo quid ſenſerit Ariſtoteles, deinde quid ſecundum rationem naturalem ſentiendum ſit.

*S. Greg. Nyſſenus.*

II. Dico primo. ſententia Ariſtotelis fuit Deum ad extra agere neceſſariò. ita Doctor ſubtilis conterraneus in 1. diſt. 8. quæſt. 5. & Scotiſtæ omnes. Gabriel, Occam, & Nominales, nemine excepto. ex Thomiſtis Soncinas 12. metaph. quæſt. 30. & 41. Sotus 8. Phyſ. quæſt. 2. & alij.

*Prima Authoris concluſio, quæ eſt Scotiſtarum, Occam, Gabrielis, Soncinatis, [S]oti, &c. contra Auerroëm, & Alexandrum. Probationes concluſionis.*

Probatur aſſertio clariſſimè primò, quia poſita libertate Dei, omnia argumenta quæ 8. libro Phyſ. pro mundi æternitate affert Ariſtoteles, quæque validiſſima putat, leui negotio concidunt. nam ſi exiſtimauit Deum agere liberè, cur voluit motum eſſe perpetuum? ideſt, nec cæpiſſe vnquam, nec deſiturum. confirmatur eadem aſſertio ex 7. metaphyſ. cap. 12. vbi ait vnum eſſe principium neceſſarium, ſicut eſt vnus motus neceſſarius. & 9. metaphyſ. irridet aliquos, qui timebant ne cœlum aliquando quieſceret, & ait hoc non eſſe timendum. præterea cap. vltimo 8. Phyſ. ait primum mouens eodem modo ſemper eſſe affectum ad ſuum mobile, ita vt nec tardius, nec celerius mouere poſſit, quam moueat. idem repetit primo de Cœlo, vbi non tantum de Deo, ſed etiam de aliis Intelligentiis idem aſſerit.

III. Contra hanc concluſionem ſentiunt Alexander in libro de fato, Auerroës in libro deſtructionum, aliique Peripatetici. quorum ſententia colligi videtur ex multis Philoſophi locis; in morali enim Philoſophia frequenter affirmat Deum habere curam humanarum rerum, homineſque diligere, ac beneficiis afficere, qui virtutem ſeriò amplectuntur; quæ abſque libertate fieri nequeunt. deinde 4. Topicorum cap. 5. aſſerit multa à Deo fieri poſſe quæ non facit. & 9. Metaphyſic. cap. 5. docet omnem ſubſtantiam intelligentiæ capacem eſſe liberam. denique 12. Metaph. cap. vltimo ſcribit omnia regi à Deo & adminiſtrari. at eorum quæ ſunt, permulta ſunt libera & contingentia. ergo à cauſa libera regi debent; alioqui ſi eſſet neceſſaria, eodem modo ſemper ageret, nec pro rerum viciſſitudine variis modis prouideret. Verum hæc omnia quid aliud quæſo probant, quam Ariſtotelem non ſibi conſtare, ſed aliquando principijs ſuis contradicere, quod nemini in Ariſtotele vel mediocriter tantum verſato mirum videri debet.

*Obiectiones contrariæ ſoluuntur.*

III. Dico ſecundò. ſpectando rationem naturalem, certum eſt Deum eſſe liberum. ad huius concluſionis probationem, ſciendum eſt (quod & ſupra

& ſupra indicauimus) tribus modis aliquid agere neceſſariò, ſiue ex neceſſitate. primo, quia cogitur. ſecundo, quia agit ſine cognitione, vt dum ignis calefacit. quibus modis fatentur omnes tam Chriſtiani quam Ethnici primam cauſam ſiue Deum non agere neceſſariò, tum quia cogi non poteſt, cum id fiat à maiori virtute, tum quia Deus maxima intelligentia & cognitione prædirus eſt. tertio, quia dum intelligit, non poteſt non agere. & hoc modo eſt quæſtio, & procedit concluſio, tam præcedens, quam præſens. hoc prænotato,

Probatur primo aſſertio. nulla ſubſtantia rationalis vult neceſſariò aliquid, quod nec eſt neceſſarium ad eſſe ipſius, nec ad eius fælicitatem, vt patet in hominibus, qui neceſsario tantum feruntur (ſi tamen neceſsario feruntur) ad ſummum bonum quod eſt eorum fælicitas. ſed creaturæ, nec ſunt neceſsariæ vt Deus exiſtat, nec vt Deus ſit, nec vt Deus ſit beatus; quia cum ſit cauſa æquiuoca, continet eminenter, id eſt excellentiori modo, quidquid boni & perfectionis eſt in creaturis, atque ita non eſt beatus, niſi ſeipſum intelligendo & amando. ergo Deus eſt agens liberum. quod eſt intelligendum reſpectu mundi, & aliorum effectuum externorum. *Prima probatio.*

Probatur ſecundò. impoſſibile eſt agens infinitæ virtutis agere neceſsariò. ſed Deus eſt agens infinitæ virtutis, vt poſtea oſtendemus. ergo impoſſibile eſt Deum agere neceſsariò. major patet, quia ſi agens infinitæ virtutis ageret neceſsariò, ex ſuppoſitione actionis ageret quantum poſset, quod eſt impoſſibile, quia ſic nulla eſset contingentia in cauſis ſecundis. vt enim optime argumentatur Scotus in 1. diſtinctione 8. quæſtione 5. verſu *Secundò arguo ſic, Si prima cauſa neceſſario ſe habet ad cauſam proximam. ſit illa B. B. igitur neceſſario mouetur à prima cauſa. B. autem eodem modo quo mouetur à prima cauſa, mouet proximam ſibi. igitur B. neceſſariò cauſat mouendo C. & C. mouendo D. & ſic in omnibus cauſis procedendo, nihil contingenter erit, ſi prima cauſa neceſſario cauſat.* Franciſcus Suarius tomo 1. Metaphyſicæ diſput. 19. ſect. 3. ſequutus Thomiſtas, cenſet hoc argumentum Scoti non concludere, quia quando plures cauſæ requiruntur vt effectus aliquis habeat eſse, & tales cauſæ inter ſe ſunt ordinatæ, defectus cuiuſcunque cauſæ inducit defectum in effectu; quia malum ex quolibet defectu prouenit. vnde quamuis prima cauſa & multæ aliæ concurrerent neceſsario ad actiones voluntatis creatæ, tamen vt ſint liberæ, ſatis eſt quod voluntas quæ eſt cauſa proxima illarum ſit libera. Verũ hæc Suarij reſponſio oſtendit ipſum non percepiſse argumentũ *Secũda probatio.* *Scotus.* *Suarius.*

ddd

*Reiicitur Suarius.*

Scoti, neque eius doctrinam intellexiſſe. quia Scotus non poſuit cauſam primam per impoſſibile neceſſariò agere ad extra, niſi etiam ponendo agere ad extremum potentiæ ſuæ; & conſequẽter infinita motione, & potentiſſimo conatu impediente vſum libertatis voluntatis creatæ. ſic enim habet in 1. diſt. 8. quæſt. 5. verſu *Itẽ omnis cauſa. Omnis cauſa neceſſario agens, agit ſecundum vltimum potentiæ ſuæ; quia ſicut non eſt in poteſtate ſua agere, & non agere, ita nec intensè, nec remiſſè agere.* ergo, inquit, *ſi prima cauſa neceſſario cauſat, cauſat quicquid poteſt cauſare.*

*Scotus.*

Neque eſt eadem ratio cauſæ primæ agentis neceſſariò ad extra, & aliarum cauſarum neceſſariarum, vt falſo ſupponit Suarius; quia aliæ cauſæ neceſſariò agentes ſunt finitæ limitatæque virtutis, & propterea non tantam vim exercent in voluntatem creatam, præſertim humanam, quantam exerceret prima cauſa, ſi ageret neceſſariò ad extra; quia cum ſit infinita, poteſt impedire vſum noſtræ libertatis, cum præſertim voluntas noſtra ſit finitæ virtutis, proindeque facile ſuperari poſſit ab extrinſeco agente infinitæ virtutis, qualis eſt Deus.

*Scotus.*

ex his infero cum Doctore Subtili, antiquos Philoſophos ponentes cum Ariſtotele primam cauſam neceſſariò agere, & contingentiam in cauſis ſecundis, contradictoria poſuiſſe, quia, vt oſtenſum eſt, hæc duo ſimul conſiſtere nequeunt.

Probatur tertiò. tanto agens eſt præſtantius, quanto liberius agere poteſt, ſi de externis actionibus loquamur, vt manifeſtum eſt in rebus creatis; & ratio in promptu eſt, quia dum agens, verbi gratia homo, agit libere, eſt Dominus illarum actionum, dum autem agit neceſſariò, eſt quaſi mancipium naturæ, cum hac in re debeat ei inſeruire. at Deus eſt agens nobiliſſimum, quod eminenter continet omnium creaturarum perfectiones. ergo libertas agendi illi denegari non debet. Sed cum antiquis Philoſophis

V.

*Obiecta ab aduerſariis diluuntur.*

Obijcies primò. Nobilius eſt neceſſario benè agere, quam poſſe non benè agere. ergo &c.

Reſpondeo primo iuxta principia alibi explicata, negando conſequentiam. ratio eſt, quia poſſe non bene agere non eſt de ratione libertatis. reſpondeo ſecundò, nobilius eſſe bene ſemper agere, & libere, quam non ſemper bene agere, & neceſſario; non enim Deus propterea poteſt male agere, quia libere agit, vt authores huius argumenti ſomniant, ſed quia bonus eſt, ideò malè agere non poteſt.

Objicies ſecundò. ſi Deus liberè agit, ergo ejus voluntas mutari poteſt, quia poteſt habere volitionem quam antea non habebat. Reſpondeo negando vtramque conſequentiam; voluntas enim Dei non poteſt tranſire de vna volitione in aliam, ſed illam eandem voluntatem, quam, hodie verbi gratia, habet de aliqua re, habuit ab

æterno. Verum quia objectio tangit grauiſſimam difficultatem, quomodo nimirum ſtent ſimul libertas Dei eiuſque immutabilitas, ideo de ea aliquid hoc loco dicendum videtur. vt autem facillimum eſt varias authorum ſententias circa hanc conciliationem impugnare, ita difficillimum eſt aliquid afferre quod planè ſatisfaciat. Aliqui, in primis Thomiſtæ, vt Capreolus in 1. diſt. 45. quæſt. vnica art. 2. ad 1. Aureoli, contra ſecundam concluſionem, Bannez 1. parte quæſt. 19. art. 2. dub. 1. & alij, conciliant libertatem Dei cum eiuſdem immutabilitate, dicendo actum liberum nihil addere actui neceſſario quo Deus vult ſeipſum, præter relationem rationis ad creaturam quam Deus dicitur velle, & ita nullam in Deo ſequi mutationem realem, ſi vellet quod non vult. Verum hæc ſententia mihi vehementer diſplicet. quia quando ait libertatem diuini actus conſtitui per relationem rationis, interrogo de qua ratione relationis loquatur? fundamentaline, an formali? ſi de formali, contra eſt: tum quia per aduerſarios illa non conſurgit in actu voluntatis, niſi per operationem actualem intellectus fingentis & concipientis. volitio autem libera eſt in Deo nullo intellectu fingente. ergo &c. tum quia libera volitio eſt in Deo ab æterno; ab æterno autem non fuit intellectus, qui fingeret in diuina volitione reſpectum ad creaturas. ſi de fundamentali, contra etiam facit, quia hoc fundamentum, vel eſt ipſum velle neceſſarium vt ſic, & hoc dici non poteſt, quia neceſſarium, qua tale, nō poteſt eſſe fundamentum reſpectus liberi. vel eſt aliqua entitas libera in Deo, & neque hoc dici poteſt, quia entitas, vel eſſet addita actui neceſſario realiter, vel formaliter. non realiter, tum quia Patres & Theologi nullam agnoſcunt in Deo realem diſtinctionem inter rationes diuinas abſolutas, ſed inter eas tantum quæ ſibi opponuntur relatiuè. tum quia non poſſet perfectio illa eſſe in Deo, niſi per vnionem & compoſitionem; quæ enim omni modo realiter diſtinguntur, non poſſunt conuenire in vnum niſi per vnionem, vt patet. tum denique, quia illa perfectio libera verè erit accidens diuinæ naturæ, cum illi realiter accedat in ſua ſubſtantiali perfectione pleniſſimè conſtitutæ. non etiam formaliter; tum quia inprimis authores cum quibus diſputamus nullam formalem diſtinctionem admittunt, niſi rationis; tum quia quæ formaliter ſolum diſtinguntur non poſſunt ſeparari ratione ſui. illa autem libera potuit ſecundum illos non eſſe in Deo, videlicet ſi Deus nihil voluiſſet circa creaturam actualem; vnde etiam liberam vocari volunt, quia poteſt de ſe ineſſe & abeſſe. ex quo refellitur etiam ſententia eorum, qui cum Caietano exiſtimant actus liberos ſuperaddere Deo perfectionem aliquam liberam; liberam, inquam, non quod poſſit abeſſe à Deo, poſito quod ſemel illam habeat, vel contra, ſed quia ex æternitate potuit illam habere & non habere. refellitur

*Explicatur quomodo libertas Dei ſtet cum eiuſdem immutabilitate.*

*Capreolus, Bannez, & alii Thomiſtæ reiiciuntur.*

*Refellitur Caietanus.*

enim ex iam dictis, quia illa perfectio ſuperaddita, vel eſt realiter diſtincta, vel formaliter tantum, vt argumentari ſumus. ſequitur etiam illam perfectionem eſſe accidens; quid enim aliud eſt accidens, quam id quod ita eſt in alio, vt non ſit pars, & poſſit adeſſe & abeſſe ab eo in quo eſt. hoc autem conuenit iſti perfectioni liberæ; eſt enim in Deo, cum formaliter conſtituat ipſum volentem, non eſt in illo ſicuti pars, cum Deus partem non habeat, neque poſſit ad illius conſtitutionem pertinere quod poteſt eſſe & non eſſe. Sequitur tertiò ex ſententia aduerſariorum, eſſe compoſitionem ex perfectione neceſſaria, & ex perfectione libera. Sequitur quartò, Deum non habere omnes perfectiones. conſequens eſt abſurdum. ergo &c. Sequela maioris probatur. nam poſito quod Deus nolit creare plures mundos, exempli gratia, deeſt illi perfectio importata per actum liberum voluntatis creandi plures mundos. minor clara eſt. Quintò, ſequitur in Deo eſſe priuationem, carentiam nimirum perfectionis liberæ, quam aptus eſt habere. ex quo vlterius ſequitur ſextò, non eſſe actum purum, cum non habeat in actu ſemper omnia quæ aptus eſt habere. nã non habet, verbi gratia, voluntatem creandi plures mundos, neque perfectionem importatam per eiuſmodi voluntatem quam potuiſſet habere. Sequitur ſeptimò, in Deo eſſe aliquid, quod non ſit à ſe. quod enim ita eſt, vt potuerit non eſſe, non eſt à ſe. atqui perfectio libera, quæ de facto eſt in Deo, verbi gratia, quæ inuoluitur in voluntate creãdi mundum, non ita eſt in Deo vt potuerit non eſſe. ergo non eſt à ſe. Denique ſi vera eſſet hæc Caietani ſententia, vel eſſet aliquid in Deo quod non eſſet Deus, vel certè aliquid quod eſſet Deus poſſet eſſe & non eſſe. vtrumque autem eſt abſurdum. ergo &c. hinc refelli poteſt tertiò

*Refellitur Fonſeca.* ſententia eorum qui cum Fonſeca 7. metaphyſ. cap. 8. quæſt. 5. ſect. 4. volunt actus liberos Deo ſuperaddere extenſionem quandam, ſeu terminationem ad creaturas, quæ extenſio, quia reipſa eſt in Deo, non eſt relatio rationis; quia etiam poteſt eſſe & non eſſe, non eſt perfectio. refelli, inquam, poteſt primo, quia videtur inuoluere implicantia. non enim videntur hæc duo conſiſtere, eſſe aliquid reale abſolutum, & tamen non eſſe perfectionem; omne enim ens reale abſolutum vt ſic, perfectionem dicit. ſecundo refelli poteſt hæc ſententia omnibus fere argumentis quæ contra Caietanum attulimus. ſi enim entitas neceſſaria Dei & iſta extenſio ita ſe habent, vt vnum exiſtere poſſit non exiſtente alio, debent vel actu realiter diſtingui, vel ſaltem potentia, atque ita vlterius in Deo concedenda neceſſario eſt, vel compoſitio ex rebus actu realiter diſtinctis, vel potentia. vtrumque autem eſt impoſſibile. ergo &c. Tertio, hæc extenſio eſt perfectio, vt oſtendimus. ergo ſi Deus poteſt illa carere, vt admittit Fonſeca, Deus poteſt carere aliqua perfectione, atque ita

non eſt omnimode perfectus, non eſt actus purus &c. Refellitur quarto ſententia Suarij, volentis actum liberum ſuperaddere perfectioni neceſſariæ Dei effectum formalem qui poſſit eſſe & non eſſe, nimirum velle vel non velle creaturam, & hac ratione ab actu neceſſario diſtingui. Contra enim illam ſic diſputo. forma & effectus formalis ſibi mutuo reſpondent. ergo ſi effectus formalis poteſt eſſe & non eſſe, forma nececeſſario poterit eſſe & non eſſe, & ſi forma eſt neceſſaria, effectus formalis eſt etiam neceſſarius. ergo manifeſta contradictio eſt aſſerere, actum liberum Dei dicere effectum formalem qui poſſit eſſe & non eſſe, & formam eſſe neceſſariam. confirmatur, quia ex hac ſententia ſequitur, formam non tribuere effectum formalem quem poteſt, etiamſi ſit vnita, & nihil deſit eorum quæ ad tribuendum effectum requirunrur. hoc autem eſt plane abſurdum. ergo &c. Refellitur quintò quod dicunt alij recentiores, actum nempe liberum Dei non ſuperaddere actui neceſſario aliquid intrinſecum, ſed ſolum creaturas extrinſece connotatas, ita vt velle mundum exempli gratia, aliud nihil ſit, quam actus diuinus qui in Deo neceſſario eſt, & mundus connotatus. refellitur, inquam, quia vel connotatio eſt aliquid tenens ſe ex parte actus diuini, vel non. ſi non, quomodo prius quam producatur effectus intelligitur actus liber in Deo? ſi tenet ſe ex parte actus diuini, quæro quid illud ſit? & redibunt argumenta ſupra allata contra ſententiam Fonſecæ, & Cajetani. prætérea hæc ſententia difficilliter explicare poteſt quomodo actus liber, vt libet, ſit prior termino. ergo &c. Poteſt tamen hæc ſententia forſaſſis habere bonum ſenſum, & conuenire cum ſententia Scoti mox explicanda. Impugnatis igitur rejectiſque prædictis ſententijs, Vera ſententia videtur illa quam ſequutus eſt ſubtiliſſimus Scotus conterraneus in primo diſt. 39. quæſt. vnica §. *iuxta prædicta* &c. actum videlicet liberum Dei, eſſe ipſum actum neceſſarium, quo Deus primario diligit ſeipſum; qui actus propter illimitationem ſuam & infinitatem, ſine vlla potentialitate, prout verſatur circa Deum, eſt neceſſarius, prout reſpicit creaturas, liber. vnde libertas Dei non conſiſtit in potentialitate reſpectu diuerſorum actuum (in quo egregiè falluntur recentiores) ſed in indifferentia ad objecta vel effectus. quod ſi contra hanc ſententiam objiciatur illud Philoſophi 2. de Generat. textu 56. *Idem ſimiliter ſe habens ſemper idem natum eſt facere*, & propterea non poſſe Deum eodem actu modo liberè, modo neceſſario operari; reſpondeo axioma illud Philoſophi verum eſſe in agentibus limitatis & finitis, non autem in Deo infinito. cuius diuerſitatis ratio ex Scoto deſumi poteſt; ille enim (æterna memoria digniſſimus) hanc viam explicandi concordiam diuinæ libertatis cum eiuſdem immutabilitate, primus expreſsè tradidit loco citato. *Voluntas*, inquit, *di-*

*Refellitur Suarius.*

*Refelluntur alii recentiores.*

*Vera ſententia.*

*uina non eſt indifferens ad diuerſos actus nolendi vel volendi, quia hoc in voluntate mea non erat ſine imperfectione voluntatis. voluntas enim noſtra erat libera ad oppoſitos actus, ad hoc, vt eſſet libera ad obiecta oppoſita, & hoc propter limitationem vtriuſque actus reſpectu ſui obiecti. ergo poſita illimitatione eiuſdem volitionis ad diuerſa obiecta, non oportet propter libertatem ad oppoſita obiecta, ponere libertatem ad oppoſitos actus. Ipſa etiam voluntas diuina libera eſt ad oppoſitos effectus. Sed hæc non eſt prima libertas, ſicut nec in nobis. Remanet ergo libertas illa quæ eſt per ſe perfectionis ſine imperfectione, ſcilicet ad obiecta oppoſita. ita quod ſicut voluntas noſtra poteſt diuerſis volitionibus tendere in diuerſa volibilia; ita illa voluntas poteſt vnica volitione ſimplici illimitata tendere in quæcunque volibilia; ita quod ſi voluntas illa, vel illa volitio eſſet tantum vnius volibilis, & non poſſet eſſe oppoſiti, quod tamen eſt de ſe volibile, hoc eſſet imperfectionis in voluntate, ſicut deductum eſt prius de voluntate noſtra &c.* hæc Doctor ſubtilis, quem, ex recentioribus eius diſcipulis, inuenio ſequutos, Reuerendiſſimum Dominum Martinum Meuriſſium Epiſcopum Madaurenſem Doctorem Sorbonicum, lib. 2. ſuæ metaph. cap. 3. quæſt. 4. & Theododorum Smiſingum Louanij apud Fratres Minores regularis obſeruantiæ Sacræ Theologiæ Profeſſorem, *tomo de Deo vno tract. 2. diſputat. 3. quæſt. 2.* quique, ſi diligenter examinetur, omnes difficultatum nodos nullo negotio diſſoluit. videtur eandem doctrinā indicaſſe D. Thomas prima parte quæſt. 19. art. 3. ad 6. dum ait, *Diuinum velle in ſe eſt neceſſarium, ſed non habet neceſſariam habitudinem ad volita.* Nomine autem habitudinis non intelligit relationem vel realem vel rationis mediam inter velle & volitum, quia eodem articulo poſt principium corporis, ait, *Voluntas diuina neceſſariam habitudinem habet ad bonitatem ſuam, quæ eſt proprium eius obiectum*; & tamen nullus eſt qui ponat relationem aliquam mediam neceſſariam inter bonitatem Dei, & voluntatem eiuſdem. intelligit itaque idem velle neceſſarium, verum vt alio modo ſe habens ad creaturas volitas, ac ſe habet ad bonitatem ſuam volitam, modo videlicet libero, non neceſſario. Qui modus, quemadmodum cum dicitur Deum velle neceſſariò ſeipſum, non eſt alius quam diuina voluntas actualis per vim ſuam intrinſecam neceſſariam immediatè tendens in ſuum eſſe, abſq; vlla alia tendentia aut terminatione media; ita cùm dicitur Deum velle libere creaturam, exiſtimari nequit alius, niſi eadem diuina voluntas actualis per vim ſuam intrinſecam liberam immediatè tendens in aliquod eſſe creatum, abſque vlla tendentia & terminatione media. Et hoc valde notandum eſt. Mirabile porro mihi viſum eſt, vt abſoluam, Franciſcum Suarium tomo 1. metaphyſ. diſput. 19. ſect. 3. hanc veritatem agnouiſſe, & tamen in materijs in quibus locum habere poterat, illa vſum non fuiſſe.

# QVÆSTIO VNDECIMA.

## *An poſsit efficaciter probari dari Angelos.*

PRæmitto primò ex Pattibus Hilatio, Ambtoſio, Auguſt. Iſidoro, &c. Angeli nomen non eſſe nomen naturæ, ſed officij. hinc apud I.
Græcos idem ſonat quod nuntius; vnde etiam Scriptura Sacta quoſ- *S. Hilarius. S. Iſidorus.*
uis diuinæ voluntatis ad homines internuncios, Angelos vocat. Mala- *S. Ambroſius.*
chiæ 2. *Sacerdos Angelus Domini exercituum* dicitur; & cap. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam*; quod Chriſtus ipſe Dominus de ſancto Ioanne Baptiſta interpretatur. Imo & ipſe Chriſtus Dominus eodem capite, *Angelus teſtamenti*; & Iſaiæ 9. *Conſilij Angelus*, nominatur. hoc tamen nomen à ſctiptoribus Eccclesiaſticis ſubſtantijs ſpiritualibus anima noſtta ſuperioribus patticulare fit. in qua etiam acceptione ab ijſdem dupliciter vſurpatur. primò ſtrictè, pro ſolo infimo Angelotum ordine. quæ acceptio apud S. Dionyſium Areopa- *S. Dionyſius.*
gitam in libto de cæleſti Hietarchia frequentiſſima eſt, eaque Scriptura Sacra vtitur, cum Angelos ab Archangelis alijſque ſpirituum ordinibus diſtinguit. Secundò latius, pro ſpiritibus omnibus quæ ſunt entia per ſe completa, ſiue illi ſint Angeli, ſiue Archangeli, ſiue Thtoni, &c. Qua ſignificatione Angelos ſæpius vſurpat Scriptura, vt Pſalmo 96. Mathæi 22. & alibi, noſque eadem acceptione in tota hac & ſequente quæſtione vſurpabimus.

Præmitto ſecundò, dari Angelos. id enim fide certum eſt contra II.
Saducæos, de quibus D. Lucas act. 23. & contra aliquos antiquos Philoſophos, de quibus Atiſtoteles 4. Phyſicorum. ſuadet etiam ratio, ex multis miraculis, apparitionibus, & quotidiana arreptitiorum poſſeſſione, petita; quæ ſine Angelis non ita facile ſaluari poſſunt. controuerſia tantum eſt, An ratio Angelorum actualem exiſtentiam euincat, ſiue efficaciter oſtendat. dixi actualem exiſtentiam, quia poſſe dari Angelos videtur demonſtrabile; ſi enim dari animas rationales, & extra corpota exiſtentes, conceditur, etiam Angelos dari poſſe videtur neceſſariò concedendum, cum de his ſaltem æqualis ſit difficultas.

Gabriel Vaſquez 1. parte diſputatione 178. capite primo, Bubalus III.
tomo de Angelis quæſt. 50. articulo 1. quæſt. 11. partem affirmantem *Affirmans ſen-*
ſequuntur; imo Bubalus pro eadem citat D. Thomam quæſt. de po- *tentia Vaſqueſii,*
tentia art. 10. Victoriam in telectione de arte magica, Delrium, & *Bubali, &c.*
alios. Contraria tamen ſententia negans verior multo eſt. illa ſequun-

*Negans ſententia Valentia, Becani, & aliorum.*

tur Valentia prima parte diſput. 4. quęſt. 1. puncto 1. Becanus 1. parte tractatu. 3. cap. 1. quæſt. 1. & alij.

IV.

*Authoris concluſio.*

Dicendum itaque cum hac ſecunda ſententia, nulla ratione naturali euidenter demonſtrari poſſe Angelorum exiſtentiam actualem.

*Eiuſdem probatio.*

Probatur breuiter; quia ſi ratio aliqua euidens dari poſſet quæ actualem Angelorum exiſtentiam neceſſariò conuinceret, vel illa ſumeretur ex illorum natura, vel ex eorum effectibus. neutrum dici poteſt. ergo &c. maior euidens eſt. minor patet quo ad primam partem, quia non eſt de eſſentia Angelorum vt actu exiſtant, hoc enim Soli Deo conuenit. quo ad ſecundam etiam partem patet, quia omnes illi effectus Angelorum, ad Deum, vel ad aliquam aliam cauſam, poſſunt reuocari. ergo Angelos actu in rerum natura exiſtere nulla ratione naturali euidenter conuinci poteſt.

V.

*Soluuntur obiecta ab aduerſariis.*

Superſunt ſoluenda præcipua argumenta, quibus aduerſarij nituntur. primum autem, & apud D. Thomam pręcipuum, eſt. ad mundi perfectionem pertinebat vt eſſent ſubſtantię immortales & ſpiritales. ſed Deus condidit mundum perfectiſſimum. ergo Deus in mundo Angelos conſtituit. maior patet; quia ad perfectionem effectus pertinet, vt ſit perfectè ſimilis cauſæ. ergo ad perfectionem mundi vt ſit ſimilis Deo, quo ad fieri poterit. cum ergo Deus ſit ſubſtantia ſpiritalis, requiritur vt in vniuerſo ſint ſubſtantię ſpiritales. Hoc argumentum, licet ſatis apparenter probet, non tamen conuincit. primò, quia nulla ratione probatur Deum vniuerſum perfectiſſimum condidiſſe, imo & fortaſſe falſum eſt, cum Deum additione nouarum & perfectiorum ſpecierum poſſe illum perficere clarum videatur. ſecundò, dato quod illum perfectiſſimum condiderit, & in illo ſubſtantias ſpiritales poſuerit, adhuc tamen reſponderi poteſt, ſubſtantias illas ſpiritales in mundo ad ipſius perfectionem conſtitutas, eſſe animas rationales, ſpirituales & intellectuales; cuius contrarium nulla ratione naturali euidenter demonſtrari poteſt.

Secundum argumentum eſt. cœlum mouetur ab extrinſeco aliquo principio. ſed hoc principium non eſt aliud quam Angelus. ergo datur Angelus. hoc argumentum tantum abeſt vt conuincat, quin nec etiam Angelos eſſe probabiliter oſtendit. Primò enim, vnde habent aduerſarij cœlum moueri ab extrinſeco principio, & non ab intrinſeca forma, mediante qualitate gyratiua, vt diximus ſecunda parte noſtrarum ſelectarum diſputationum. Secundò, dato quod cœlum non à propria forma, ſed ab aliquo principio extrinſeco moueatur, nonne à ſolo primo rerum omnium motore Deo immediatè moueri poteſt, vt voluerunt Albertus Magnus, & Leſſius? & per conſequens motus cœlorum dari in rerum natura Angelos non conuincit.

Tertium argumentum, & quod euidentiſſimè conuincere dicit

Vaſquez,

Digitized by Google

Vaſquez, eſt eiuſmodi. dantur effectus in Oenergumenis & arreptitiis hominibus, qui ab alio quam ab Angelo fieri non poſſunt. ergo euidenter ex illis colligitur eſſe aliquos Angelos. antecedens probatur, quia homines arreptitij ſolent loqui variis linguis, blaſphæmare, futura prædicere. hæc autem fieri non poſſunt à Deo, qui mentiri & blaſphæmare non poteſt, nec ab ipſis arreptitijs qui videntur hæc facere, quia ipſi vt plurimùm ſunt idiotæ, ſcientiarum & linguarum imperiti. ergo neceſſariò fiunt à malis Angelis, ſiue à Dæmonibus, qui iſta in humanis corporibus operantur. ergo dari Angelos naturali ratione conuinci poteſt.

Hoc argumentum eſt quidem probabile, non tamen Angelos in rerum natura dari euincit; non enim euidés eſt effectus eiuſmodi non poſſe fieri ab animabus ſeparatis. nam ad effectus illos producendos, ad ſummum tria requiruntur. primum, peritia linguarum. ſecundum, vis mouendi vocis inſtrumenta. tertium, voluntas mentiendi, aut male agendi. ac primò, certum eſt animas ſeparatas interdum callere varias linguas, quas in hac vita didicerunt. ſecundò, certum eſt habere ſæpiſſimè voluntatem male agendi. & tandem probabilius eſt habere vim mouendi corpora; quamuis enim id neget D. Thomas 1. part. quæſt. 110. art. 3. ad 3. & quæſt. 117. art. 4. multi tamé alij, & verius, cum Scoto affirmant. Quod attinet ad prædictionem futurorum, Angeli non poſſunt futura certò prædicere, ſed tantum conijciendo; quod & animæ facere poſſunt.

# QVÆSTIO DVODECIMA.

*Vtrum omnes Angeli differant ſpecie.*

Diuus Thomas 1. parte quæſtione 50. contendit omnes ſpecie differre. ſequuntur illum eius diſcipuli, quorum aliqui non tantum de facto id verum eſſe cenſent, verum etiam de potentia Dei abſoluta, ita vt negent per diuinam potentiam poſſe plures in eadem ſpecie creari. ita inter alios Cajetanus ad locum citatum S. Thomæ, & de ente & eſſentia capite 4. quæſt. 7. *Sententia S. Thomæ & Caietani.*

Contra ſentiunt communiter alij; vt Scotus in 2. diſtinct. 3. quæſt. 7. & poſt ipſum omnes eius diſcipuli. S. Bonauentura ibidem part. 1. art. 1. quæſt. 1. qui relatam D. Thomæ ſententiam temeritatis arguit, Alenſis 2. part. qu. 2. Durandus, Marſilius, Carthuſianus, Gabriel, Ri- *Contraria ſententia Scoti, S. Bonauentura, Alenſis, Richardi.*

*Alberti Magni, &c.* chardus gentilis noſter, Henricus, Albertus Magnus, & alij; imo Henricus & Richardus reſtantur Diui Thomæ ſententiam damnatam fuiſſe Pariſiis ab Epiſcopo Srephano & Sorbonicis Doctoribus. ſed hi authores non conſentiunt, vtrum omnes Angeli ſint eiuſdem ſpeciei, an vero aliqui tanrum. Alenſis, Carthuſianus, & Gabriel, volunt aliquos reperiri diuerſæ ſpeciei. contra vero S. Bonauentura, Albertus Magnus, & alij, conrendunt omnes, cuiuſcunque ſint hyerarchiæ & ordinis, ſolo numero differre, & conſequenter eiuſdem eſſe ſpeciei. Scotus rem incertam eſſe ait.

*Cenſura Sorbonica contra ſententiam D. Thomæ.*

III. Dico primò. non repugnat eſſe plures Angelos ſub eadem ſpecie.

*Prima aſſertio.*

*Varia eius probationes.*

Probatur primò ex Ariſtotele, qui clarè docet omne vniuerſale poſſe eſſe ſimul in pluribus, vt patet ex 7. Metaphyſices textu 51. vbi conrra Idæas Platonicas diſſerens, ait, nullam ſubſtantiam actu per ſe ſubſiſtentem, ſeu vt ille loquitur *ſeparatam*, eſſe ſimul in pluribus. at vero vniuerſale & cõmune debere eſſe ſimul in pluribus. infero, Ergo ex mente Ariſtotelis vniuerſale debet ſaltem poſſe habere plura indiuidua, & quidem ſimul. explicatur, & probatur vlterius aſſertio ratione qua vtitur Philoſophus eo textu. omne vniuerſale neceſſario in ſuo conceptu includit duo; primum, vt ſit plurium quocumque modo, ſiue actu, ſiue potentia, ſiue per non repugnantiam; ſecundum, vt ſit ſimul plurium. ſed ſpecies eſt vniuerſalis. ergo debet eſſe plurium, & ſimul plurium, porentia, vel actu. minor certa eſt, ſpecies enim eſt, vt ex quæſt. noſtris Logicis ſuppono, vniuerſale. major patet ex definitione vniuerſalis ab Ariſtotele tradita, qua definitur vnum aptum eſſe in mulris.

Confirmatur ex eodem, primo cœli textu 90. dicenre, *omnia quæ habent formam & ſpeciem*, hoc eſt, vt clarè patet ex textu, quæ habent materiam diſtinguibilem à differentiis & contrahentibus rationibus, *eorum aut ſunt, aut eſſe poſſunt plura ſingularia*; quod ſine dubio intelligitur, quantum eſt ex parte naturæ, quamuis ex defectu cauſæ materialis, aut efficientis, aliquando impediatur quominus ſingularia illa multa ſint, vt ipſe apertè docet in eodem diſcurſu. Hinc

Probatur ſecundò concluſio ratione. vt aliquid ſit verè tale, debet illi verè conuenire eius definitio, exempli gratia, vt ſit verè homo, debet illi verè conuenire definitio hominis. ergo ad hoc vt aliquid ſit verè vniuerſale, debet illi verè conuenire definitio vniuerſalis. ſed definirio vniuerſalis eſt, aptum, ſaltem per non repugnantiam, eſſe in pluribus. ergo quod verè non eſt aptum, ſaltem per non repugnantiam, vt ſit in pluribus, non eſt verè vniuerſale, neque verè abſtrahibile. ergo ſi natura ſpecifica cuiuſcunque Angeli non poſſit eſſe in pluribus, non erit vniuerſalis. ex quo excluditur quorundam Thomiſtarum reſponſio, qui volunt naturam cuiuſcunque Angeli poſſe

dici ſpecificam, quia eſt communicabilis pluribus logicè, ideſt per intellectum, quamuis phyſicè, ideſt à parte rei, communicari non poſſit. excluditur, inquam, multipliciter. primò, quia peccar abuſu vocis; quod enim eſt communicabile logicè, eſt communicabile virtute Dei. ſecundò, quia ſic natura Angeli non poteſt dici communicabilis multis, & prædicabilis de multis vniuocè, ſed tantum æquiuocè; eſſet enim prædicabilis de pluribus indiuiduis, quorum vnum eſſet reale, cætera autem ficta, vel apprehenſa tantum.

Confirmatur ex Ioanne de Colonia in ſuis quæſtionibus in Scotum quæſt. 29. ſicut ſe habet genus ad ſpeciem, ita ſe habet ſpecies ad indiuidua. ſed omne genus eſt multiplicabile in ſpecies, cum diuidatur per oppoſitas differentias. ergo ſimiliter ſpecies erit multiplicabilis in indiuidua. *Ioannes de Colonia.*

Confirmatur ſecundò ex eodem; quia ſi ſpecies non eſſet multiplicabilis in plura indiuidua, tunc totum ambitum ſpeciei adæquaret unum iudiuiduum; & cum ſpecies ad indiuiduum comparetur, ſicut totum vniuerſale ad partem, ſequeretur quod pars eſſet æqualis toti, & quod ſpecies eſſet indiuiduum.

Dices. quæ poſſunt conuenire ſpecie & differre numero, debent habere materiam. ſed Angeli non poſſunt habere. ergo &c. maiorem probant Thomiſtæ, quia materia eſt principium indiuiduationis. *Obiectio Thomiſtarum.*

Reſpódeo falſam eſſe maiorem, falſumque præterea eſſe materiam eſſe principium indiuiduationis, vt ſuperius probatum eſt. & ſanè, velint nolint Thomiſtæ, fateantur neceſſe eſt Gabrielem, & ſingulos Angelos, indiuiduos eſſe, & non per materiam. confirmatur, quia ſicut forma eſt communis, ita & materia. ergo neceſſe eſt aſſignare aliquid, per quod ipſa materia reddatur hæc, & ſingularis. confirmatur ſecundò à Ioanne de Colonia loco citato, hoc pacto. *Ab illo à quo ens habet eſſe imperfectiſſimum & potentiale, non habet ſuam completiſſimam actualitatem. ſed à materia res habet eſſe imperfectiſſimum & potentiale, cum ſit infimum in genere ſubſtantiæ. ergo &c.* confirmatur denique ab eodem; quia, *Si materia eſſet cauſa indiuiduationis, ſequeretur quod omnia quæ habent eandem materiam eſſent idem numero, & tunc ignis primo corruptus, & aqua poſtea generata, cum habeant eandem materiam, eſſent idem numero; quod eſt falſum.* *Reſponſio.* *Ioannes de Colonia.* *Materia non eſt principium indiuiduationis.*

Dico ſecundò. de facto plures Angeli ſunt eiuſdem ſpeciei, nec verum eſt omnes differre ſpecie. IV. *2. Authoris concluſio.*

Probatur primò, quia ſi ſinguli ſuam ſpeciem conſtituunt, ſequeretur multas ſpecies periiſſe, nimirum tot, quot ſunt dæmones; Patres autem repugnare dicunt diuinæ bonitati, quod vna ſpecies tota excidat à ſuo fine, & propterea Chriſtum appræhendiſſe ſemen Abrahæ, *Prima eius probatio ex S. Auguſtino, & aliis Patribus.*



Digitized by Google

id eſt hominem factum, quia tota ſpecies humana perierat. Quæ ratio nulla eſſet, ſi ſinguli Angeli ſpecies conſtituerent, quia multæ ſpecies periiſſent; & cum magna ſit multitudo dæmonum, multitudo ſpecierum excidiſſet à fine, quod repugnat diuinæ bonitati. vide S. Auguſtinum in Enchiridio capite 29 & alios.

*2. Probatio.* Probatur ſecundo, quia ſi omnes Angeli ſpecie differunt, cum ſint innumeræ ſpecies Angelorum, & ſemper ſpecies alia atque alia perfectiores ſint, ſequeretur innumeris partibus primam ſpeciem diſtare ab vltima, & Chriſtum, ſeu hominem (quia de vtroque Pſaltes intelligi poteſt) non paulominus minutum ab Angelis, ſed multo maxime, & infinitis prope partibus diſtare à primo Angelo.

*Tertia probatio.* Probatur denique, quia in Angelis cernitur perfecta ſocietas ratione charitatis. perfecta autem eſſe non poteſt inter tot ſpecies. ergo debent plures eſſe eiuſdem ſpeciei.

*Obiectio.* Dices. indiuidua multiplicantur propter conſeruationem ſpeciei. ergo non eſt opus pluribus indiuiduis ſub eadem ſpecie, in Angelis incorruptibilibus.

*Solutio.* Reſpondeo, illam quidem cauſam eſſe in corruptibilibus, neque tamen ſolam, ſed propter bonitatem Dei declarandam & munificentiam, indiuiduorum dari multiplicationem. quot patet in cœlis; quamuis enim multi planetas ſeptem differre ſpecie dicant, nemo tamen aſſeruit omnes ſtellas firmamenti ſpecie differre. ergo ſaltem ſtellæ quæ fixæ dicuntur, multiplicantur, & non ob conſeruationem ſpeciei.

V. Dico tertiò. Omnes Angeli ſunt eiuſdem ſpeciei.

*3. aſſertio. Prima eiuſdem probatio.* Probatur primò ex Patribus, quorum hæc eſt fere vnanimis ſententia. ita enim ſentiunt *S. Athanaſius.* S. Athanaſius quæſt. 4. ad Antiochum; *Vna*, inquit, *& eadem eſt eſſentia Angelorum, ſicut etiam vna eſt eſſentia hominum.* & quæſt. 8. *Subſtantia certè, vt hominum, ſic & Angelorum, eſt vna.* *S. Damaſcenus.* S. Damaſcenus, qui quamuis lib. 2. de fide hac de re dubitauerit, tamen lib. primarum inſtitutionum cap. 30. ſic loquitur. *Intelligendum eſt*, inquit, *eas quæ ſola indiuidua continent ſpecies infimas vocari, cuiuſmodi ſunt Angelus, homo, equus.* & lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 21. *Omnes*, inquit, *Angeli ſunt vnius naturæ.* *S. Baſilius.* S. Baſilius lib. 3. contra Eunomium non longè à principio, *Angeli* (inquit) *omnes, vt appellationis vnius, ſic etiam ejuſdem ſunt naturæ inter ſe. attamen alij ipſorum gentibus præpoſiti ſunt, alij vero fidelium ſingulos conſequuntur.* & infra; *Nam quemadmodum Angelorum alius princeps, alius ſubditus, & tamen omnes Angeli natura ſunt, & in dignitate quædam diuerſitas, in natura vero communitas eſt. Sic profecto & Spiritus ſanctus* &c. & Epiſt. 141. circa medium, ait Arrianos non rectè ex eo quod Chriſtus dicit, *Pater maior me eſt*, arbitrari patrem eſſe filio maiorem ſecundum naturam.

*Angelum namque majorem Angelo*, inquit, *& hominem homine iuſtiorem, & volucrem volucri velociorem dicimus. itaque ſi collationes inter ea ſiunt quæ ejuſdem ſunt ſpeciei, Pater vero per collationem dictus eſt filio maior, conſequitur filium patri eſſe homouſium.* S. Gregorius Nazianzenus carmine in laudem viginitatis, non procul ab initio, vbi de Angelis agens, *Natura*, inquit, *eſt omnibus vna.* & ne in Patrum ſententijs citandis longior ſim, videri poterunt S. Dionyſius cap. 11. Cœleſtis Hyerarchiæ, S. Gregorius Nyſſenus in lib. de opificio cap. 17. & alij, qui in eadem ſunt ſententia. ex quo colligitur optimè dixiſſe Albertum Magnum, *hanc* noſtram *ſententiam Sanctis congruere.* *S. Greg. Nazianzenus.* *S. Dionyſius.* *S. Nyſſenus.* *Albertus Magnus.*

Probatur ſecundo ratione. omnes Angeli conueniunt in gradu intellectiuo, nec tantum in gradu nudo, ſed etiam in modo cognoſcendi. ergo nulla eſt ratio cur dicantur ſpecie differre. *Secunda probatio.*

Confirmatur, quia in Angelis nihil reperitur quod poſſit impedire quo minus ſint eiuſdem ſpeciei. nam ordines & hyerarchiæ, vel ad gratuita Dei dona, vel ad politiam, vel denique ad inſtitutam Dei voluntatem referri poſſunt, vt quoniam ad diuerſa miniſteria Angelos condiderit, ideo diuerſas proprietates & vires conceſſerit. eodem modo reſpondendum eſt ei, qui ex eo quod ſint alij aliis perfectiores, & alij alios illuſtrent, concludere vellet diſtingui ſpecie: hæc enim omnia cernuntur in hominibus manente identitate ſpecifica.

# QVÆSTIO DECIMA TERTIA.

## *An detur ens rationis.*

Explicatâ naturâ entis realis, eiuſdem proprietatibus, principijs, ac ſpeciebus, agendum nobis eſt de ente rationis, cum eius etiam tractatio ad metaphyſicam pertineat, cuius munus eſt non ſolum agere de principijs & paſſionibus entis realis, ſed etiam de ente quod fit ad ſimilitudinem entis realis, non quidem vt de proprio obiecto, ſed vt illud ab obiecto excludat, & vt declarata eius natura, oſtendat melius naturam entis realis. Quærimus autem primo, an detur ens rationis. Quæ quæſtio vt intelligatur, explicandum eſt quid intelligatur nomine entis rationis. Vt autem explicetur, quid ſignificet hæc vox, ens rationis, oportet primo docere quid ſibi velint hæc nomina, ens, &, ratio. Ens dicitur à verbo ſubſtantiuo ſum, & ſignificat illud omne quod quomodocunque eſt, vel in ſe, vt ſubſtantiæ, vel in alio, vt accidens. Ratio idem eſt quod ea pars rationalis animę qua intelligimus, hoc eſt potentia intellectiua. nomen igitur entis rationis ſignificabit



Digitized by Google

*Varia acceptiones entis rationis explicantur.*

illud ens, quod vel in ratione, vel per rationem aliquo modo eſt. præcipue vero ſignificat omne illud quod intellectui tanquam ſubiecto inhæret; cuius generis ſunt ſpecies intelligibiles, & habitus, quę intellectui inhęrent, in eoque ſubiectantur, ſicut in lacte ſubiectatur albedo. pręter hęc, dicitur ens rationis illud quod nullum aliud habet, nec habere poteſt eſſe, præter obiectiuum in intellectu, vt Centarus, Hircoceruus, Chymæra &c. quæ neque ſunt extra intellectum alicubi, neque in intellectu ipſo inhærent vt accidentia realia, ex eoque ſolum habent eſſe, quod illi obijciantur. vltimò dicitur ens rationis, illud quod reſultat ex aliqua operatione, quæ non habet vim producendi ens reale, vt relationes quas dicimus rationis. Porro nomen entis rationis in duabus vltimis ſignificationibus à nobis vſurpabitur dumtaxat in hac diſputatione de ente rationis.

Quærimus autem an detur in penultima præſertim ſignificatione (nam vtrum in vltima detur, ex illa quæſtione pendet, qua diſputatur an ex operationibus intellectus, voluntatis, & ſimilium potentiarum, reſultent in rebus cognitis, volitis, &c. relationes intellecti, voliti, &c.) de qua re ſatis multa in appendice ad obiectum Logicæ diximus.

II.

*Negant aliqui recentiores ens rationis.*
*Alii verò affirmant dari.*
*Auicenna,*
*Auerroës,*
*S. Thomas.*
*Scotus.*
*Mayronius,*
*Balforeus,*
*Smigletius,*
*Vallius,*
*Fonſeca,*
*Suarius,*
*Hurtadus.*

Negant quidam recentiores, qui pro ſe citant, ſed perperam, quoſdam Nominales, vt Albertum de Saxonia, Gabrielem, & alios. contraria tamen ſententia aliorum communis admittit dari ens rationis, in illo ſenſu quo de eo diſputamus. ita ſentiunt Auerroës 4. Metaph. comm. 2. & tract. 2. Metaph. Auicenna cap. 2. ſuæ Logicæ, Sanctus Thomas 4. Metaph. lect. 3. & 1. par. quæſt. 16. art. 3. ad 2. & 1. 2 o. quæſt. 8. art. 3. ad 3. & opuſc. 42. cap. 1. Scotus in quodlibetis quæſt. 1. & in 4. diſtinct. 1. Mayronius noſter in quodlibetis quæſt. 7. puncto 2 o. & q. 9. qui ait ſe diu aduerſatum fuiſſe, vi tamen rationis coactum admiſiſſe. ex recentioribus, noſter Balforeus quæſt. 8. procemiali Logicæ ſect. 2. Smigletius tom. 1. ſuæ Logicæ diſput. 1. Vallius, Fonſeca, Suarius, Rubius, Hurradus, Conimbricenſes, & alij; cum quibus

III.

*Concluſio Authoris, dari ens rationis.*

Dicendum eſt dari ens rationis de quo diſputamus, id eſt dari ens, quod nec ſit, nec fuerit, nec poſſit eſſe ens reale, ſed ſolum habeat eſſe in intellectu.

*Prima probatio ex Ariſtotele.*

Probatur primò aſſertio ex Philoſopho 4. metaph. textu 2. vbi ait ipſum non ens poſſe dici ens. non poteſt autem dici ens reale. ergo rationis. & 5. metaph. textu 20. vbi docet aliquid eſſe ſcibile & intelligibile, quia ſolum ſcientia & intellectus verſari poſſunt circa illud. & 6. metaph. cap. 3. ait entium aliud eſſe rei, aliud vero quod conſequatur verum vel falſum, & eſt in animo, quod D. Thomas interpretatur eſſe ens rationis.

*D. Thomas.*

*Secũda probatio*

Probatur ſecundo ratione, & primo quidem à priori, quia intelle-

ctus noſter quamdiu eſt in corpore, rerum naturas, & præſertim earum quæ ſine materia ſunt, non cognoſcit eo modo quo ſunt, ex quo fit vt cum vult illas apprehendere, cogatur concipere ad modum rerum aliarum quas proprie intelligit, & ſic multa fingit, quæ in ré quam cognoſcere vult non inſunt, ſed quæ tamen propter quandam, vt ita dicam, ſimilitudinem & proportionem nos in aliquam eorum cognitionem perducunt. exempli cauſa, Angelos vt ſunt non cognoſcimus, ergo quia immortales ſunt, neque vnquam ſeneſcunt, eos nobis adoleſcentum ſpecie & imagine figuramus, quibus, ad indicandam celeritatem vel motus, vel intelligentiæ, alas affingimus. hoc igitur figmentum, quod non eſt, ſed fingimus eſſe, eſt ens rationis, quo deuenimus in aliquam cognitionem Angeli. *petita à ratione.*

Probatur tertiò etiam à priori, ex fœcunditate intellectus noſtri, cum aliqua tamen imperfectione coniuncta; quia intellectus cum apprehendit res repugnantes, poteſt illas ſimul coniungere, & concipere ſicut vnum quidpiam. exempli gratia, qui apprehendit hominem & equum ſeparatim, quamuis homo & equus repugnent, quia homo eſt animal rationale, equus irrationale, tamen poteſt hominem cum equo componere, non tamen ſecundum id quo repugnant, & fingere ſemiuirumque bouem, ſemibouemque virum. *Tertia probatio.*

Probatur denique concluſio hoc pacto. qui negant ens rationis, vel intelligunt quod negant, vel non intelligunt. ſi non intelligunt, quomodo poſſunt de eo nobiſcum diſputare? ſi intelligunt, ergo faciunt ens rationis. probatur conſequentia. eſſe entis rationis, eſt intelligi, & tum fit cum intelligitur. ergo qui intelligit ens rationis, facit ens rationis. *Vltima probatio.*

IV. *Fundamenta aduerſariorum ſoluuntur.*

Verum objiciunt primo aduerſarij. potentia intellectiua eſt potentia realis. ergo obiectum ipſius debet eſſe reale. confirmant primò, quia potentia non fertur extra ſuum obiectum. ſed obiectum potentiæ intellectiuæ eſt ens reale. ergo non poteſt ferri in illud quod non ſit ens reale. confirmant ſecundò, quia eſſe intelligibile eſt proprietas entis realis. ergo non poteſt conuenire enti quod non ſit reale. confirmant tertiò, quia quando intelligitur ens rationis, vel huic intellectioni reſpondet aliquid in re, vel nihil. ſi aliquid, ergo eſt ens reale, cum nihil ſit extra intellectum quod non ſit ens reale. ſi nihil, ergo ens rationis eſt nihil. denique confirmant, quia nihil eſt in intellectu, vt colligimus ex Ariſtotele ſecundo poſter. cap. vltimo, quod non præfuit in ſenſu. ſed in ſenſu non præfuit ens rationis. ergo neque poteſt eſſe in intellectu, & conſequenter non datur.

Reſpondeo duplex eſſe obiectum intellectus noſtri, motiuum vnum, terminatiuum alterum, vt optimè notant Scotus, Mayronius, Heruæus, & alij veteres. obiectum motiuum, eſt illud quod vel pro- *Scotus. Mayronius. Heruæus.*

ducendo ſpeciem ſui per ſe mouet intellectum, vel aptum eſt per ſe mouere. terminatiuum, eſt illud quod non producit ſpeciem, neque mouet, aut aptum eſt natura ſua mouere, ſed terminat intellectionem cauſatam per ſpeciem alterius; & hoc alio nomine dicitur obiectum ſecundarium. Motiuum (quod etiam dicitur primarium) ſemper debet eſſe reale; terminatiuum vero non eſt neceſſario reale. & hoc patet experientia, quia per formas reales, quæ ſunt obiecta primaria, intelligimus negationes & priuationes. quare in forma ad argumentum negatur conſequentia; obiectum enim intellectus abſoſoluté & generaliter acceptum, complectitur motiuum & terminatiuum, ac proinde non eſt neceſſe vt ſemper ſit reale. ad primam confirmationem, reſpondeo obiectum intellectus motiuum eſſe reale, non autem terminatiuum. ad ſecundam, dico intelligibilitatem eſſe duplicem, motiuam, & terminatiuam. motiua, eſt proprietas entis realis. terminatiua, conuenit enti rationis, & non enti. Ad tertiam, dico intellectui, quando intelligit ens rationis, reſpondere duplex obiectum, motiuum, & terminatiuum; in re quidem hoc eſt reale motiuum, non reale autem terminatiuum. Ad vltimam, dico antecedens eſſe intelligendum, non de re formaliter quam intelligimus (tunc enim nimis probaret) ſed de re per quam intelligimus, & veluti manu ducimur in cognitionem alterius, vt patet. non enim eſt neceſſe vt Deus, exempli gratia, ſit res quæ ſenſu percipitur, ad hoc vt à nobis intelligatur, ſed ſatis eſt vt ſenſati ſint aliqui effectus, aut ſenſatæ aliquæ res, ex quibus in Dei cognitionem venimus.

*Duplex obiectū intellectus explicatur ex Scoto.*

2 Objiciunt ſecundò, ens rationis non poſſe habere cauſam productiuam, & conſequenter non dari; quod enim aliquo modo non producitur, certum eſt non eſſe. antecedens probant, quia ſi quam haberet cauſam productiuam, maxime intellectum. ſed intellectus non poteſt eſſe eius cauſa, cum enim ſit cauſa realis, producere non poteſt niſi effectum realem. ergo nullam habere poteſt cauſam productiuam. confirmant, quia ad productionem entis rationis, vel concurrit Deus, vel non concurrit. ſi concurrit, ergo ens rationis eſt aliquid reale, quia concurſus Dei pro termino ſemper habet aliquid reale. ſi non concurrit, ergo ens rationis non producitur, & per conſequens nihil eſt.

Reſpondeo, ex Thomiſtis Soncinatem 6. metaph. quæſt. 15. videri concedere ens rationis non habere cauſam; cui addi poteſt Petrus Niger in Clypeo, vbi negat ens rationis fieri. in eo tamen ſenſu intelligendos puto hos authores, vt nihil aliud velint, quam in productione entis rationis non reperiri cauſam, quæ exerceat veram & realem cauſalitatem circa illud; in quo etiam ſenſu concedendum eſt cauſam entis rationis non eſſe realem, non quod illud à quo ens rationis

tionis producitur non ſit reale, ſed quod non producatur ab eo per realem efficientiam. qui modus loquendi optimus eſt, & ſolet ab alijs explicari per denominationem extrinſecam. Dicunt enim ens rationis habere cauſam realem per denominationem extrinſecam, quia videlicet aliquid reale verſatur circa illud, ipſumque producit, non autem per denominationem intrinſecam, quæ ſit à cauſalitate & reali actione recepta in te quæ producitur, hæc enim actio realis in ente rationis, inquiunt, non datur. In forma ergo ad argumentum, negandum eſt cum Scoto in 1. diſt. 36. quæſt. vnica, & diſt. 45. quæſt. etiam vnica, D. Thoma 4. Metaph. lect. 4. & Opuſc. 42. initio, ens rationis non habere cauſam productiuam. Ad probationem antecedentis, dico intellectum ſolum eſſe cauſam realem reſpectu ſui actus, reſpectu vero entis rationis, non eſſe cauſam realem formaliter, ſed ſolum materialiter. Ad confirmationem dico ad productionem entis rationis concurrere Deum, non minus quam concurrat intellectus noſter; concurſum tamen illum ex parte entis rationis non eſſe quid reale, ſed tantum ex parte actus alicujus realis, ad cujus productionem ſequitur & reſultat ens rationis. Et hoc mirum non eſt, Deus enim accomodare debet concurſum ſuum vt entia ipſa poſtulant. *Scotus.* *D. Thomas.*

Objiciunt tertiò, inter ens & non ens non dari medium, quia ſunt contradictoria, & per conſequens nullum medium admittentia. Ergo vel ens rationis eſt ens, vel eſt non ens. ſi ens, ergo reale; nihil enim contradictorie opponitur non enti, niſi ens reale. ſi non ens, ergo neque eſt ens rationis, ſed plane nihil.

Reſpondeo, hoc argumentum egregiè ſolui à Scoto in quodlibetis quæſt. 3. vbi ſubtiliſſimè more ſuo docet ens accipi tripliciter, communiſſime videlicet, communiter, & ſtrictiſſime. Communiſſime accipitur, cum inuoluit entia rationis; in quo ſenſu optimè docet ens eſſe objectum intellectus. Communiter, cum comprehendit tantum omne illud quod habet eſſe reale. Strictiſſime, cum ſignificat ſolum id quod eſt ens per ſe, & non entis ens, qualis eſt ſubſtantia. Cuilibet enti in ſua ſignificatione accepto, ſi apponatur nota negationis, ſtatim oritur oppoſitio contradictoria. nam ſi accipiatur ens primo modo, nihil reperitur quod non ſit aut ens communiſſime ſumptum, aut non ens abſolute, hoc eſt plane nihil; & in hac acceptione ens rationis continetur ſub ente. ſi accipiatur ſecundo aut tertio modo, ens rationis eſt non ens; imo etiam tertio modo accidens reale eſt non ens. Ex his habetur clara ſolutio argumenti. *Scotus.*

Objicies quartò. quod non poteſt prædicari de ente reali, eſt omnino nihil. ſed tale eſt ens rationis; non enim dici poteſt de ente reali, cum ab ipſo differat pluſquam genere.

Reſpondeo duobus modis aliquid de altero prædicari. primo, per

modum termini abſoluti,& in quid, vt de homine prędicatur animal. ſecundo, per modum termini connotatiui, & in quale. primo modo, ens rationis non poteſt prædicari de ente reali; ſecundo vero poteſt. & ratio huius rei eſt, quia quando prædicamus aliquid ſecundo modo, non eſt ſenſus, id quòd ſubjicitur eſſe id quod prædicatur, vt eſt in prima prædicatione, ſed ſenſus eſt, rem quæ ſubjicitur habere in ſe rem quæ prædicatur,aut rem quæ ſubjicitur & prædicatur aliquo modo conuenire. ita accidens dicitur de ſubſtantia.

# QVÆSTIO DECIMAQVARTA.

## *Quotuplex ſit ens rationis.*

I. SIcut multiplex eſt ens reale,ita multiplex quoque eſt ens rationis, quod ens reale aliqua ratione imitatur. & quemadmodum ens reale non poteſt adæquatè perfectè cognoſci cognitione diſtincta, niſi cognoſcantur genera in quæ diuiditur; ita ens rationis perfectè nec percipi nec deſcribi poteſt, niſi prius conſiderentur genera in quæ diſtribuitur.

II. *Prima concluſio.* Dicendum ergo eſt primò, ens rationis prima adæquata maximeque per ſe diuiſione, diuidi in ens rationis poſitiuum, & negatiuum. vt hæc aſſertio intelligatur, duo notanda ſunt. primum eſt, in aliquo ſenſu omnia entia rationis eſſe negationes, quatenus videlicet nihil ſunt reale, & appræhenduntur per modum entis; ſed non accipitur hac ratione, quando dicitur eſſe genus quoddam entis rationis. ſecundum eſt, entia rationis poſitiua, vt relationes, & entia fictitia, & negationes ac priuationes, non in eo differre, quod priora concipiantur vt entia, poſteriora vt non entia; eſt enim natura omnis entis rationis, vt exigat concipi ad modum entis, cum ſit aliquo modo ens; ſed in eo diſcrepant, quod in poſitiuis id quod denominatur concipi, habet ſimilitudinem aliqualem cum aliquo ente reali poſitiuo; in negatiuis vero, id quod denominatur concipi, eſt vel pura negatio, vel priuatio. hoc prænotato

*Probatur.* Probatur nullo negotio concluſio, quia hæc diuiſio pertinet ad maximam oppoſitionem quæ in rerum natura reperiri poteſt, nempe ad contradictoriam, quæ non admittit aliquod medium; ergo eſt prima, & maximè per ſe.

III. *2. Concluſio.* Dicendum eſt ſecundò, ens rationis poſitiuum in tot genera diuidi poſſe, in quot diuiditur ens reale poſitiuum, cuius ſimilitudinem aliqua ratione gerit. hæc poſitio eſt contra multos recentiores, no-

minatim contra Franciſcum Suarium diſput. 54. Metaphyſicæ ſectione 4. vbi contendit omne ens rationis poſitiuum reuocandum eſſe ad relationem rationis, eo maximè argumento, quod omnia entia rationis, quæ vt poſitiua concipiuntur, concipiantur admodum relationis. Verum, pace Suarij, hoc falſum eſt; Chymæra enim, quantitas infinita, accidens in Deo, & alia hujuſmodi, non concipiuntur ad modum relatiui, vt patet. Nec video cur dicat idem author chymæram eſſe ens rationis negatiuum, quia ſolum chymæra à parte rei eſt non ens, & non dicat etiam relationem rationis eſſe ens tationis negatiuum, cum illa etiam in re ſit non ens. *Reiicitur Suareſius.*

Probatur aſſertio diſcurrendo per ſingula prædicata realia; nam in prædicamenro ſubſtantiæ; dantur chymæra, centaurus, & alia entia ficta, ad modum ſubſtantiæ; in prædicamento qualitatis dantur multæ qualitates, quæ ab aliquibus temerè finguntur, ac pro veris habentur; tales ſunt ſpecies intentionales in actionibus primarum qualitatum, &c. in prædicamento relationis, relationes rationis; in prædicamento quantitatis, quantitas infinita, & ſic de alijs prædicamentis. *Probatio ſecunda Concluſionis.*

Dicendum eſt tertiò, ens rationis negatiuum accidentaliter ſeu materialiter diuidi in duo genera; quæ duo genera rurſus diuiduntur ſingula in tot genera, quot genera habere poſſunt negationes ipſæ & priuationes nemine cogitante; & quia illæ tot genera habent, quot ſunt genera formarum quibus opponuntur, hinc efficitur entia rationis, quæ negationes & priuationes vocitantur, totidem etiam genera habere. Poſui in aſſertione, *accidentaliter & materialiter diuidi in duo genera*, quia, vt jam ſuppono, negatio & priuatio differunt inter ſe ſolum materialiter, & ſecundum id quod dicunt in recto. Quod autem priuatio & negatio tot habeant genera, quot ſunt genera formarum realium quibus opponuntur, conceditur à Suareſio loco citato numero ſeptimo. *Tertia concluſio.* *Suareſius.*

Ex his infero ſequens Corollarium, diuiſionem nempè entis rationis in id quod habet fundamentum in re, & id quod non habet fundamentum in re, non eſſe bonam; imo neque bonam eſſe illam ejus diuiſionem, in ens fictum, priuationem, negationem, & relationem rationis. Ratio primæ partis Corollarij eſt, quia in vno membro illius diuiſionis, nempè in eo quod habet fundamétum in re, inuoluuntur negatio, priuatio, & relatio rationis, ex quibus duæ priores ſecundum ſe à relatione differunt, & in alio inuoluuntur entia rationis fictitia, quæ ſecundum ſuam naturam minus differunt à relatione rationis, quam relatio à priuatione & negatione; ſiquidem chymera, quæ eſt ens rationis poſitiuum, minus differt ab alio ente rationis poſitiuo, quam vnum ens rationis poſitiuum à negatiuo. Ratio ſecundæ partis *Corollarium.* *Probationes Corollarii.*

eſt, quia illa diuiſio non eſt adæquata, cum, vt ex dictis conſtat, ens rationis poſitiuum ſit multiplex, atque ad tot genera per quandam ſimilitudinem pertineat, ad quod pertinet ipſum ens reale.

# QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

## *Vtrum ens rationis fictitium fiat à ſolo intellectu, vel etiam ab imaginatione.*

I. PEr ens fictum intelligo, non ens fictum in tota ſua latitudine, cum multa ex entibus fictitijs nō poſſint eſſe objecta imaginationis, vt ſpiritualia; ſed ſolum intelligo illud quod ab imaginatione poteſt aliqua ratione attingi, vt chymera, &c. Quæritur ergo an hujuſmodi fictitia fieri poſſint ab imaginatione.

*Prima ſententia negans, Murcii.* Prima ſententia hac in re eſt eorum qui abſolutè negant. Fundamentum eſt, quia ſequeretur contra communem ſententiam Philoſophorum chymeram non eſſe ens rationis, ſed ens imaginationis, & daretur aliquod ens, quod neque haberet eſſe à parte rei, neque etiam objectiuè in intellectu. ita, inter alios recentiores, Franciſcus Murcia tractatu de vniuerſalibus quæſt. 11.

*Secunda ſentent. diſtinguit, & eſt Suaris & Rubii.* Secunda ſententia eſt eorum qui fatentur ens fictitium fieri poſſe à phantaſia hominis, propter affinitatem ejus cum intellectu; negant tamen fieri poſſe ab alijs potentijs imaginatiuis. ita ſentire videntur Suareſius diſput. 54. Metaph. ſectione 2. numero 18. & Rubius de ente rationis numero 36.

*Tertia vniuerſaliter affimat. eſt Scoti & Meuriſſii.* Tertia, veraque ſententia, affirmat ens fictitium fieri poſſe à quacunque potentia imaginatiua. illam ſequitur Subtilis Doctor, qui in primo diſt. 45. quæſt. vnica, ait omnem potentiam quæ poteſt habere actum circa objectum exiſtens, aut non exiſtens, & illud objectum poteſt actu ſuo comparare ad aliud ad quod tale objectum non comparatur ex natura rei, poſſe in objecto, vt objectum eſt, cauſare relationem ipſius ad aliud, non quidem realem, nec rationis ſtrictè ſumptæ, ſed latè ſumptæ. an autem imaginatio ſit talis potentia, ait ſi nolle ibi determinare. tamen in 3. diſt. 26. quæſt. vnica, expreſsè aſſerit omnem potentiam talem eſſe; *Omnis*, inquit, *potentia poteſt objectum ſuum comparare ad aliud, & in eo ſic comparato, cauſare reſpectum rationis, qui non ineſt ex natura rei, ſed ex actu potentiæ.* *Scotus.* Ex recentioribus ejus diſcipulis eandem tenet Reuerendiſſimus Madaurenſis Epiſcopus Martinus Meuriſſius lib. 1. Metaph. quæſtionum, quæ. 3. concl. 2. cum hac ſententia *Meuriſſius.*

II. Dicendum exiſtimo, ens fictitium fieri poſſe à quacunque potentia imaginatiua, etiam bruti.

*Concluſio, ens rationis fictitium fieri ab omni imaginatione.*

Probatur concluſio, quia in phantaſia brutorum poſſunt ex commotione ſanguinis, aut inter dormiendum, ita perturbari phantaſmata, vt ſimul vniantur ad repræſentãdum aliquid impoſſibile, quod de facto ex tali phantaſmatum coagmentatione ipſis repræſentabitur. atqui illud non erit ens reale. ergo rationis. Minor probatur, quia ſi quid deeſt quo minus ſit ens rationis, maxime deeſt vnitas. ſed illud ens fictitium optime apprehenditur per modum vnius animalis, brutumq; æquè mouet ac ſi repræſentaretur verè extra phantaſiam vnum animal. ergo non deeſt illi vnitas.

*Probatio concluſionis.*

Sed inquies, Vnitas iſta eſt realis, ergo non eſt vnitas quæ conuenit enti rationis. *Reſponſio aduerſariorum.*

Sed contra eſt, quia duplex in hoc ente fictitio reperitur vnitas, altera ſubjectiua, quæ conſiſtit in reali conjunctione phantaſmatum inter ſe; altera objectiua, quæ ex vi prioris apprehenditur in re quæ per illa phantaſmata ita conjuncta repræſentatur. Hæc autem cum non ſit realis (non enim aſſignari poteſt vbi ſit, præterquam in eſſe objectiuo) erit rationis. *Reiicitur.*

III. Ad fundamentum primæ ſententiæ ſupra poſitum, reſpondeo, & primo quidem ad priorem ejus partem dico, iſtud ens rationis fictitium quod ab imaginatione fit, dici communi vocabulo ens rationis, non quod à ratione fiat, ſed quia non eſt reale. Si tamen magis propriè loqui velimus, appellandum eſt ens imaginationis; cui appellationi fauet dictum Logicorum, aſſerentium ens imaginabile latius patere quam ens poſſibile. Ad ſecundam partem, dico dari multa entia rationis, quæ non habent tantum eſſe objectiuè in intellectu, de quibus in quæſtionibus Logicis quæſt. 2. ſatis multa diximus. Vnde optimè notat Subtilis Doctor noſtras in 1. diſt. 45. quæſt. vnica citata, diuiſionem relationis in realem & rationis, loquendo ſtrictè de relatione rationis, non eſſe adæquatam; *Nec iſta diuiſio*, inquit, *eſt ſufficiens, quod omnis relatio aut eſt realis, aut rationis, accipiendo relationem rationis ſtrictè.*

*Ad fundamenta contraria reſpondetur.* *Scotus.*

Dices. ab eo fit ens rationis, à quo vniuntur phantaſmata ad illud repræſentandum. Sed in brutis phantaſmata vniuntur ab aliqua cauſa diſtincta ab eorum potentia imaginatiua. Ergo ens rationis fictitium non producitur à phantaſia bruti. *obiectio.*

Reſpondeo, phantaſmata in imaginatione bruti vniri dupliciter, materialiter, & formaliter. vniuntur materialiter, cum ponuntur ſimul in vna parte ſanguinis vel ſpirituum, quod fit ab aliqua cauſa diſtincta à phantaſia. vniuntur formaliter, quando per actum imaginationis apprehenduntur in vnum quid. cauſa igitur vniens ea mate- *Eiuſdem ſolutio.*

rialiter, non producit ens rationis, ſed cauſa illa vniens formaliter. Aduerte autem ad faciendam chymæram, verbi gratia, ſatis eſſe ſi ſeruatis proprietatibus repugnantium naturarum concipiantur in actu exercito per modum vnius partes quæ inter ſe ſunt incompoſſibiles, neque eſſe neceſſarium vt concipiantur incompoſſibiles formaliter, & in actu ſignato; alioquin ruſticus videndo chymeræ picturam, eamque concipiendo, non faceret ens rationis fictitium; quod eſt aperte abſurdum.

# QVÆSTIO DECIMASEXTA.

*Quomodo deſcribatur ens rationis, vbi etiam breuiter diſputatur an Deus faciat ens rationis.*

I. MVlti ſentiunt deſcriptionem entis rationis, prout amplectitur, tum poſitiua, tum negatiua, tum quæ habent fundamentum in re, tum quæ non habent, nullam propriè reperiri poſſe, propterea quod nomen entis hoc modo in genere ſumptum, æquiuocum ſit. ex quo ſequitur ea quæ ſub ipſo continentur, non conuenire niſi in hoc, quod non habeant eſſe reale; quæ conuenientia non eſt vniuoca, imò nec analoga, dato quod talis daretur, ſed æquiuoca ſolum, & negatiua. E contra alij tenent ſatis probabiliter poſſe deſcribi omnia entia rationis vnica definitione, hujuſmodi nempè; Ens rationis eſt ens quoddam, ab ea cauſa productum quæ in tali productione non habet vim efficiendi ens reale. probantque ſufficientiam hujus deſcriptionis inductione in omnibus entibus rationis. Quæſtio eſt parui momenti, nec refert quænam ſententia defendatur. difficultas ergo ſupereſt tantum de relatione non reali in genere, & de relatione rationis propriè dicta. Verum

II. Dico primò, relationem non realem in genere optimè ſic poſſe deſcribi; Relatio nō realis eſt aptitudo ad nouam denominationem, conſequens res ex operatione potentiæ, quæ ſolum circa illas extrinſece verſatur.

*Prima aſſertio.*

Probatur facile inductione veritas deſcriptionis in omnibus relationibus non realibus, quibus competit conſequi res ex operatione potentiæ, ex eo quod extrinſece verſetur circa illas.

*Eiuſdē probatio.*

III. Dico ſecundò, relationem rationis propriè dictam ſic deſcribi poſſe; Relatio rationis eſt aptitudo ad nouam denominationem, ſeu, quod idem eſt, eſt relatio quædam conſequens res ex eo quod objiciantur intellectui.

*Secunda aſſertio.*

Probatur veritas concluſionis, ex eo quod relatio rationis propriè dicta conſequatur rem provt ſolum habet eſſe in ratione, ſiue intellectu. Ex quo facile colligitur quomodo deſcribi poſſit ens rationis propriè dictum in genere; deſcribitur enim communiter, & benè, eſſe illud quod habet tantum eſſe objectiuè in intellectu. vtrum autem debeat habere eſſe objectiuè directè, vel ſufficiat habere indirectè, diximus quæſt. 2. Logicæ, vbi ſtatuimus ſufficere habere indirectè.

*Probatio aſſertionis.*

IV.

Hic diſputari ſolet à quibuſdam, an eſſe prædicatum, eſſe ſubjectum, eſſe volitum, eſſe viſum, & ſimilia, ſint formaliter denominationes extrinſecæ, vel entia rationis. Verum quia hac de re fuſe ſatis actum eſt quæſt. 2. citata Logicæ, nihil de ea hoc loco dicemus. Videri poteſt Smiſingus tomo 1. tract. 3. diſp. 2. quæſt. 6.

*An prædicatum &c. ſint denominationes extrinſecæ.*

*Smiſingus.*

V.

Diſputari prætereà ſolet an Deus faciat ens rationis. affirmant aliqui. negant alij. ego diſtinguendum puto. vnde exiſtimo primò, Deum non poſſe facere entia rationis, quæ vocantur fictitia. probo clare. ille ſolum poteſt facere ens rationis fictitium, qui poteſt appræhendere per modum entis quod non eſt, & qui poteſt res aliter cognoſcere quam in ſe ſint. ſed Deus non eſt talis; imperfectiſſimus enim ille cognoſcendi modus illi repugnat, cum perfectiſſimè res cognoſcat, vnoque ſimpliciſſimo intuitu omnia provt in ſe ſunt intueatur. Neque dicas Deum cognoſcere ens rationis, & per conſequens etiam facere, cum facere ens rationis nihil aliud ſit quam illud cognoſcere. Ne, inquam, hoc dicas, quia Deus cognoſcit tantum ſpeculatiuè ens rationis, non vero practicè; vnde diſtinguendum eſt antecedens. Deus cognoſcit ens rationis practicè, hoc eſt, ita vt per ipſam cognitionem fiat, nego antecedens; cognoſcit ſpeculatiuè, hoc eſt, ita vt ſolum ab alio factum cognoſcatur, concedo antecedens, & nego conſequentiam; Deus enim cognoſcit ens rationis verum ſpeculatiuè, vel, vt alij loquuntur, mediatè, ſeu in alio, non autem practicè, immediatè, & in ſe. fieri autem entia rationis, eſt cognoſci immediatè, & in ſe; & facere illud, eſt cognoſcere illud practicè, immediatè, & in ſe. Aliter reſpondet Gabriel Vaſquez, negat enim ens rationis à Deo cognoſci. Verum ejus reſponſio difficultate non caret, quia inprimis nouit Deus de ente rationis diſputationem eſſe apud Philoſophos, ergo illud appræhendit; implicat enim ipſum ſcire & noſſe diſputationem & controuerſiam illam de ente rationis, & nullam habere ejus notitiam. Secundò, poteſt cognitio entis rationis haberi à Deo abſque omni imperfectione; cum enim ab illo ens rationis appræhenditur, non appræhenditur aliquid quod non ſit, ſed appræhenditur eſſe, quod ab intellectu humano factum eſt, aut fieri poſſibile eſt. quamvis enim imperfectio ſit intellectus humani rem aliter cognoſcere quam in ſe ſit, hunc tamen ipſum errorem cognoſcere, non

*An Deus poßit facere ens rationis.*

*Aſſerunt aliqui, Negant alij.*

*Concluditur primo Deum nō poſſe facere entia fictitia.*

*Probatur.*

*Obiectio Aduerſariorum.*

*Solutio eiuſdem.*

*Reijcitur Gabriel Vaſquez.*

eſt imperfectio, ſed perfectio. Vnde Deus opt. max. cognoſcendo ens rationis, cognoſcit tantum intellectus noſtri imperfectionem. Et cōfirmatur, quia quemadmodum qui ſe reflecteret ſupra ſuum errorem, non diceretur errare, nec qui cognoſceret aliquem mentiri, mentiretur; eadem ratione nec Deus cum cognoſcit intellectum noſtrum aliquid fingere, hoc ipſum fingit, ſed tantum cognoſcit nos fingere.

*Obiectio Vaſqueſii.*

Sed inquies cum Vaſqueſio. idem eſt formaliter facere ens rationis, & cognoſcere ens rationis. ſed Deus cognoſcit. ergo facit.

*Reſponſio.*

Reſpondeo diſtinguendo majorem. cognoſcit ens rationis practicè, modo explicato, falſa eſt major; ſpeculatiuè, vera eſt major; ſed nihil facit pro Vaſqueſio.

*Concluditur 2. Deum facere poſſe entia rationis quæ dicuntur Logica, & ſimilia alia.*

Exiſtimo ſecundò, ad operationem Dei, vt eſt ſcientia æterna circa creaturas, ſequi neceſſario entia rationis, quæ ipſis creaturis conueniant; hæc autem nihil aliud ſunt, niſi aptitudines vt denominentur cognitæ, vel alio ſimili genere denominationis. Probatur breuiter, quia hoc ſequitur de neceſſitate ipſam naturam operationum, quæ poſſunt tribuere extrinſeco objecto nouam denominationem aptitudinalem, & nullam inuoluit imperfectionem. ergo &c. Hanc noſtram ſententiā ſequitur ex recentioribus Gonſalius Martinius diſputatione ſecunda Logicæ qu. 2. qui etiam pro eadem citat Angelicū Doctorem prima parte quæſt. 15. articulo 2. ad 3. vbi aſſerit reſpectus imitabilitatis, quibus diſtinguntur ideæ, non cauſari à rebus, ſed à diuino intellectu comparante eſſentiam ſuam ad res. *Ad 3.* (inquit) *dicendum, quod hujuſmodi reſpectus, quibus multiplicantur ideæ, non cauſantur à rebus, ſed ab intellectu diuino comparante eſſentiam ſuam ad res.* Ex recentioribus Scotiſtis eandem amplectitur Meuriſſius lib. primo Metaphyſicæ quęſt. 4. concluſionibus prima & ſecunda, & ante ipſum Subtilis Doctor noſtras in 1. diſt. 30. quæſtione ſecunda §. reſpondeo igitur, & diſt. 35. quæſtione vnica §. poteſt dici ad quæſtionem, quibus locis videri poterit. *Atque hæc de Metaphyſicis quæſtionibus, quas ſimul cum Phyſicis, Logicis, & Moralibus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ matris meæ pedibus, ex animo ſubmitto.*

*Gonſalius Martinius.*
*S. Thomas.*
*Meuriſſius.*
*Doctor ſubtilis.*

FINIS.

# INDEX RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ IN TRIBVS PARTIBVS CONTINENTVR.

## A

Actionem eſſe in agente, & non in paſſo fuſe oſtenditur. parte 2. pag. 126. & deinceps.
Actionis nomen variè ſumitur. ibidem, pag. 125.
Actio de prædicamento actionis eſt relatio extrinſecus adueniens, & cur, ibidem, pag. 125. & alibi ſæpe.
Actio, paſſio, & motus diſtinguuntur, & quidem nemine cogitante. parte 2. pag. 134. & ſequentibus.
Actio in diſtans neceſſariò naturaliter admittenda eſt, & quare. ibidem, pag. 58. & ſequent.
Actio adductiua eſſet illud per quod vnum corpus poneretur in pluribus locis circumſcriptiue, & de facto per illam corpus Chriſti incipit eſſe in Sanctiſſimo Sacramēto. ibidem, pag. 231.
Actio inſtantanea ab alteratione præuia diſtincta admittenda. parte 2. pag. 136.
Accidens non poteſt producere ſubſtantiam in virtute ſubſtantiæ. parte 2. pag. 137.
Accidens producit aliud accidens vt cauſa principalis. ibidem, pag. 152.
Accidentis ratio formalis non eſt aptitudinalis inhærentia. parte 2. pag. 386. & ſeq.
Accidentium ſupernaturalium duratio nulla eſt niſi Æuum. parte 2. pag. 242.
Accidenti & ſubſtantiæ ens eſt vniuocum, & quare. parte 3. pag. 313. & ſeq.
Actualis inhærentia non eſt de eſſentia accidentis. parte 3. pag. 384. & ſeq.
Actualis ſcientia & opinio ſimul eſſe nequeunt, & quare. parte 1. pag. 125. & ſeq.
Actualis opinionis deſcriptio. parte 1. pag. 121.
Actus neuter, id eſt, qui nec ſit finis, nec mediorum, admittendus, & quam ob cauſam. parte 1. pag. 161. & ſeq.
Actus voluntatis eſt præſtantior actu intellectus. parte 1. pag. 148.
Æſtus Maris eſt à principio mari intrinſeco, & quare. parte 2. pag. 270. & ſeq.
Analoga media inter vniuoca & æquiuoca nulla dantur, & cur. parte 3. pag. 304. 305. & ſequent.
Analoga inæqualitatis ſunt verè vniuoca. ibidem, pag. 305.
Analoga attributionis quæ. ibidem, pag. 306.
Analoga proportionis quæ. ibidem, pag. 305.
Angeli non mouent cœlos. parte 2. pagina 263. & deinceps.
Angeli non cauſant æſtum maris. parte 2. pag. 270.
Angeli collocantur in prædicamento ſubſtantiæ. parte 1. pag. 83.
Angelorum nomen, nomen officii, non naturæ. parte 3. pag. 401.
Angelorum actualis exiſtentia ratione efficaciter concludi nequit. parte 1. pag. 402.
Angeli omnes ſunt ejuſdem ſpeciei, & quare. parte 3. pag. 404.
Angelos non poſſe multiplicari ſub eadem ſpecie à Doctoribus Sorbonicis reputatur error. ibidem, pag. 404.
Angelorum duratio permanens & indiuiſibilis. parte 2. pag. 237.
Anima requirit corpus organicum & diſpoſitum per formas partiales, & quare. parte 2. pag. 273. & ſeq.
Animæ potentiæ ab anima non realiter, neque etiam ratione tantum, ſed formaliter diſtinguntur, & quare. parte 2. pag. 289.
Animatum quodcumque eſt perfectius Cœlo, & cur. parte 2. pag. 143.
Aquæ veræ reperiuntur ſupra Cœlos, & quare. parte 2. pag. 260. & ſeq.
Ars propriè dicta relinquit opus poſt ſe, & quare. parte 1. pag. 38. & 39.
Artis propriæ dictæ ratio non competit Logicæ, & cur. ibidem pag. eadem.
Artis variæ acceptiones, & cur. ibidem pag. eadem.
Attala modus directus figuræ Galenicæ. parte 1. pag. 118.
Æternitati res omnes non ſunt ab æterno præſentes realiter. parte 1. pag. 103. & ſeq.
Æternitatis definitio ex D. Boetio & alijs aſſignatur. parte 2. pag. 237. & ſeq.
Æternitas participata quæ ſit luminis gloriæ, viſionis beatæ, ſimiliumque duratio, nulla. parte 2. pag. 242.
Auguſtinus cenſet Logicam eſſe ſimpliciter neceſſariam ad alias ſcientias perfectè acquirendas. parte 1. pag. 48.
Auguſtinus negat Deum eſſe in prædicamento ſubſtantiæ. parte 1. pag. 78.
Auguſtinus exiſtimat nullas dari relationes eſſentiales rebus abſolutis. ibidem p. 96. & 97.
Auguſtini ſententia eſt mundum non potuiſſe eſſe ab æterno. parte 2. pag. 246.
Auguſtinus non exiſtimat res omnes eſſe realiter Deo præſentes in æternitate. parte 1. pag. 106.
Auguſtini præclara ſententia pro prædeterminatione Phyſica. parte 2. pag. 96.
Auguſtinus vult cœlum eſſe igneum. parte 2. pag. 251.
Auguſtinus cenſet veras aquas eſſe ſupra cœ-

lum, ibidem 262.

Auguſtini ſententia eſt beatitudinem conſiſtere in amore. parte 1. pag. 146.

Auguſtinus docet ſubſiſtentiam creatam nihil poſitiuum ſuperaddere naturæ exiſtenti. parte 3. pag. 359.

Auguſtinus exiſtimat eſſentias rerum ab æterno. parte 3. pag. 341.

B

Beatitudo via perfectionis conſiſtit in amore & quare. parte 1. pag. 146.

Beatitudo non conſiſtit in gaudio. ibidem pag. 155.

Beatitudo non conſiſtit in illapſu ibidem pag. 156.

Beatitudinis completæ definitio. ibidem pag. 144.

Beatitudo duplex, formalis, & objectiua. ibidem pag. eadem.

Bonitas eſt vera proprietas entis. parte 3. pag. 326.

Bonitas eſt aliquid poſitiuum ab ente formaliter diſtinctum. parte 3. pag. 327.

S. Baldredi corpus circumſcriptiuè & palpabiliter in tribus Scotiæ ciuitatibus poſt ejus mortem, miraculosè. parte 2. pag. 222.

C

CAauſæ poſſunt ſe cauſare in diuerſo genere cauſæ, & quare. parte 2. pag. 47.

Cauſę efficientes poſſunt ſe cauſare in eodem genere cauſæ. ibidem pag. 50.

Cauſa efficiens non poteſt ſeipſam producere. ibidem pag. 56.

Cauſæ finalis cauſalitas quæ. ibidem p. 154.

Cauſæ finalis cauſalitas duplex. ibidem pag. eadem.

Cauſa prima prædeterminat ac præmouet cauſas creatas ad agendum, & cur. parte 2. pag. 101. & ſeq.

Cauſæ totales plures conjunctim eſſe non poſſunt reſpectu ejuſdem effectus per diuinam potentiam. ibidem pag. 71.

Cauſa prima determinat ſecundas ad indiuiduationem effectus, & quare. parte 2. pag. 76.

Categoriarum numerus arbitrarius, & cur. parte 3. pag. 387.

Caluini impia hæreſis de libertate refellitur. parte 1. pag. 173.

Cœlum non eſt quinta quædam eſſentia, ſed corpus ex 4. elementis compoſitum, & quare. parte 2. pag. 252.

Cœlum eſt imperfectius quolibet viuente. ibidem, pag. 143.

Cœlum non mouetur ab intelligentiis, ſed à qualitate gyratiua immediatè, mediatè à propria forma. parte 2. pag. 263. & deinceps.

Cœlum eſt corruptibile, & quare. parte 2. pag. 256.

Cœlum in vniuerſum eſt triplex, ſed vnicum tantum eſt ſtellatum, & cur. parte 2. p. 260.

Cœlum ſecundum ſe eſt immotum, & in eo tantum aſtra mouentur, & quam ob cauſam. ibidem pag. 259.

Cœli influentiæ non ſunt cauſa fluxus & refluxus maris. ibidem pag. 268.

Creatio debet eſſe ex nihilo prius tempore quam eſſe, & quare. parte 2. pag. 248. & deinceps.

Cognitum, prædicatum, & ſimilia concreta, non ſunt formaliter denominationes extrinſecæ, ſed entia rationis, & quam ob cauſam. parte 1. pag. 23.

Corpus viuentis debet eſſe diſpoſitum per formas partiales ad hoc vt recipiat animam, & cur. parte 2. pag. 273.

Corpus Chriſti incipit eſſe in S. Sacramento Euchariſtiæ per actionem adductiuam, & non per reproductionem ſubſtãtialem. parte 2. pag. 231. & ſeq.

Corpus aliquod poteſt à Deo poni circumſcriptiuè in duobus locis per actionem adductiuam, & quare. ibidem pag. 221. & ſeq.

Corpus S. Baldredi fuit in Scotia in tribus locis circumſcriptiuè. ibidem 222.

Contactus Phyſicus non requiritur ad actionem, ſed datur actio in diſtans, & quare. ibid. pag. 58. 59. & ſeq.

Contingentia nulla eſſet in cauſis ſecundis, Deo neceſſariò agente, & quare. parte 3. pag. 195. & ſeq.

D

DEus non eſt proprie loquendo in ſpatiis imaginariis, & quare. parte 2. pag. 235. 236. & 237.

Deum eſſe, non eſt per ſe notum, & cur. parte 3. pa. 392.

Deus non eſt in prædicamento. parte 1. pag. 78. & ſeq.

Deus non facit entia rationis fictitia, quamvis faciat Logica. parte 3. pag. 417. & 418.

Deus non poteſt qualibet intenſa qualitate aſſignata, aliam intenſiorem producere. parte 2. pag. 220.

Deus non poteſt qualibet ſpecie dabili aliam ſub eodem genere perfectiorem producere. parte 2. pag. 218. & 219.

Deus omnes cauſas creatas ad agendum præmouet, & quare. parte 2. pa. 101. & ſeq.

Dei præſentia ſecundum ſubſtantiam non rectè infertur ex ejuſdem operatione. parte 2. pag. 67. & 68.

Dei exiſtentia, ſiue, Deum eſſe, à priori demonſtrari non poteſt, & cur. parte 3. pag. 388. & 389.

Dei attributa formaliter diſtinguntur. parte 3. pag. 317.

Deo & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidenti, ens eſt vniuocum, & cur. parte 3. pag. 313. & ſeq.

Differentia indiuidualis rectè appellatur hæcceitas. part. 3. p. 352.

Differentiæ vltimæ entis non ſunt entia quidditatiuè, & cur. parte 3. p. 322. & ſeq.

Diſtinctio formalis quid. parte 2. p. 288.

Diſtinctio realis quid. parte 2. p. 287.

Diſtinctio rationis ratiocinatæ nulla datur. parte 1. p. 288.

Diſtinctio rationis quam aliqui vocant rationis ratiocinantis quæ. parte 2. p. 288.

Diſtinctio graduum Metaphyſicorum eſt admittenda nemine cogitante. parte 1. p. 72. 73. & 78.

Duo tantum ſunt vniuerſalia, & quare. parte 1. p. 77. & ſeq.

Duratio rerum permanentium non eſt ſucceſſiua, & quam ob cauſam. parte 2. p. 238.

Durationis variæ ſpecies. ibid. p. 237.

Duratio diſtinguitur nemine cogitante à re durante, & quare. parte 2. p. 240. & ſeq.

E

Elementa ſunt materia prima, & quare. parte 2 p. 2. & ſeq.

Elementa ſunt entia ſimplicia ſine compoſitione ex materia & forma, & cur. parte. 2. p. 7. & ſequent.

Elementa ſunt ingenerabilia & incorruptibilia, & quam ob cauſam. ibidem, p. 3.

Elementa ſunt actu in mixto ſecundum ſuas entitates, & cur. ibidem, p. 8. & ſeq.

Elementa omnia ſunt in quolibet mixto perfecto, & cur. ibidem pagina 15.

Ens reale non eſt illud, quod eſt nemine cogitante, & cur. parte 1. p. 26.

Effectus vnus non poteſt eſſe per diuinam potentiam à pluribus cauſis totalibus. parte 2. p. 71. & ſequent. Poteſt tamen eſſe à pluribus diuiſim ibid. p. 76.

Ens eſt vniuocum Deo & creaturæ, & cur. parte 3. p. 313. & ſeq.

Ens habet conceptum tum objectiuum, tum formalem perfectè vnum. parte 3. p. 307. & ſeq.

Ens rationis Logicum eſt Logicæ objectum. parte 1. p. 16. & ſeq.

Ens rationis Logicum fit per directam & ſimplicem operationem intellectus, & cur. parte 3. pag. 27. & 28.

Entis rationis definitio. ibid. p. 416. & 417.

Ens rationis habet cauſam, & cur. ibid. p. 411.

Ens rationis quotuplex. ibid. p. 412. & 413.

Entis proprietates ſunt poſitiuæ, & ab eo formaliter diſtinctæ, & cur. parte 3. p. 326. 327. 328. & ſequent..

Ens habet conceptum objectiuum perfectè præciſum de natura rei, & cur. par. 3. p. 309.

Ens rationis fictitium fit ab imaginatione, etiam Bruti. parte 3. p. 415.

Entia rationis neceſſario admittenda ſunt, & cur. ibidem, p. 408.

Entia rationis fictitia Deus non facit, facit tamen Logica. ibidem. p. 417. & 418.

Eſſentię rerum habent ab æterno aliquod reale eſſe, & quam ob cauſam. parte 3. p. 337. & ſeq.

Eſſentia rei creatæ diſtinguitur nemine cogitante ab exiſtentia, & cur. parte 3. p. 330. & ſeq.

Exiſtentia eſt principuum indiuiduationis. parte 3. p. 351.

Extenſio partium in ordine ad ſe, non eſt ratio formalis quantitatis, & quare. parte 2. p. 183. & ſeq.

Extenſio in ordine ad locum eſt ratio formalis quantitatis, & cur. ibid. p. 184. & ſeq.

Extenſio entitatiua neceſſariò admittenda, & cur. ibid. p. 192. & ſequent.

F

Facilitas & promptitudo pingendi in pictore eſt ab habitu in ejuſdem manu recepto. parte 1. p. 240. & ſeq.

Figura Galeni admittenda eſt vt quarta diſtincta à tribus communiter receptis, & quare. parte 1. p. 117. & ſeq.

Figura Galeni eſt perfectior & naturalior primâ, & cur. parte 1. p. 117. & ſeq.

Figuræ Galeni qui modi directi, qui indirecti. ibidem, p. 118.

Fictitia entia rationis à Deo fieri nequeunt, & cur. parte 3. p. 417.

Forma Cœli eſt cauſa mediata motus Cœli. parte 2. p. 263. & ſequent.

Formæ partiales in viuente neceſſariò admittendæ, & quare. parte 2. p. 273. & ſeq.

Formæ partiales vnà cum materia ſunt ſubjectum animæ. parte 2. p. 279. & ſeq.

Fontes & flumina oriuntur à mari, & cur. parte 2. p. 271. & ſeq.

Fœminæ habent verum ſemen, & quare. parte 2. p. 145. & ſeq.

Fœmina concurrit Actiuè ad generationem. ibidem.

Formido qua ratione connexa cum opinione, & quomodo de ejus eſſentia. parte 1. p. 122

G

Galeni figura vt naturalior & melior prima, ab eaque diſtincta admitti debet. parte 1. p. 117. & ſeq.

Galene modus directus figuræ Galeni. ibid. pag. 118.

Galeni figuram indicauit Ariſtoteles. ibidem. pag. 116.

Genus eſt vnum ex duobus vniuerſalibus. parte 1. pag. 77.

Gradus Metaphyſici ex naturâ rei diſtinguntur, & cur. parte 1. pag. 72. & ſequent.

## H

Habitus neceſſario admittendi ſunt, & cur. parte 1. p. 138.

Habitus non dantur in potẽtiâ viſiua, & quare. parte 1. p. 138.

Habitus admittendi in voluntate, & quam ob cauſam. parte 1. p. 139.

Habitus admittendi in intellectu, & cur. ibidem p. 139.

Habitus admittendi in ſenſibus internis. ibidem p. 139.

Habitus admittendi in appetitu ſentiente, & cur. ibidem p. 140.

Habitus nulli in facultatibus vegetatiuis. ibidem p. 140.

Habitus admittendi in facultatibus motiuis, & cur. ibidem.

Habitus non concurrunt ad actus eliciendos effectiuè, ſed tantum diſpoſitiuè, & cur. ibidem p. 142. & ſeq.

Habitus effectiuè ab actibus producuntur, & quare. ibidem. p. 143.

Habitus ſpectat ad cauſam efficientem, & cur. ibidem p. 143.

## I

Intellectio non concurrit in genere cauſæ efficientis ad volitionem, & cur. parte 2. p. 37.

Intellectus imperfectior voluntate, & quare. parte 1. p. 150. & ſeq.

Incorruptibilitas non conuenit cœlo, & quare. parte 2. p. 256. & ſeq.

Indiuiſibilia non componunt quantitatem, & cur. parte 2. p. 198. & ſeq.

Indiuiſibilia terminatiua non diſtinguntur ſecũdum poſitiuum quod dicunt ab ipſa quantitate. parte 2. p. 207. & ſeq.

Indiuiduationis principium non eſt materia quantitate ſignata, &c. ſed exiſtentia, & quare. parte 3. p. 350. & ſeq.

Infinitum actu, ſiue in eſſentia, ſiue in multitudine, ſiue in magnitudine implicat contradictionem, & ob quam cauſam. parte 2. pag. 208. 209. 210. & ſequentibus.

Idea pertinet ad cauſam efficientem, & quare. ibidem pag. 40. & ſeq.

Ideæ tam diuinæ quam creatæ conſiſtunt in conceptu objectiuo, & quare. parte 2. pag. 43. & ſeq.

## L

Libertas reperitur in hominibus. parte 1. pag. 173. & ſeq.

Libertas duplex, vera, & defectibilis. parte 1. pag. 174. & ſeq.

Libertatis vera explicatio. ibidem.

Libertas non eſt ad malum. ibidem.

Libertas per prædeterminationem non tollitur. parte 2. pag. 111. & ſeq.

Logica eſt ſcientia, & cur. parte 1. pag. 40. & ſequent.

Logica alia docens, alia vtens, & cur. parte 1. pag. 35. & ſeq.

Logica docens quomodo diſtinguatur ab vtente. ibidem.

Logica eſt ſcientia ſpeculatiua, & quare. parte 1. pag. 46. & ſeq.

Logica non eſt ars, & quare. ibidem pag. 38. & ſequent.

Logica non eſt purus habitus inſtrumentarius, & cur. ibidem pag. 29.

Logica habet neceſſario aliquod objectum. ibidem pag. 1.

Logicæ definitio quæ. ibidem pag. 47.

Logicæ finis internus & externus explicantur. ibidem.

Logica ſimpliciter neceſſaria eſt ad aliarum ſcientiarum perfectam acquiſitionem. ibidem pag. 48. & ſequent.

## M

Mare principium eſt & origo fontium & fluminum, & cur. parte 2. pag. 271. & ſequent.

Maris æſtus eſt à propria forma non ab influentijs, & cur. parte 2. pag. 268. 269. & ſeq.

Materia prima neceſſariò eſt admittenda, & cur. parte 2. pag. 1. & 2.

Materia prima non diſtinguitur ab elementis, & quare. parte 2. pag. 2. & ſeq.

Materia prima Ariſtotelica non habet exiſtentiam à forma, ſed propriam, & ob quas cauſas. ibidem. pag. 17. & ſeq.

Materiæ primæ Ariſtotelicæ ratio formalis non eſt potentia, & cur. ibidem. pag. 25. & ſequentibus.

Materia prima Ariſtotelica dependet in exiſtendo à forma, & poteſt per diuinam potentiam exiſtere ſine forma. ibidem. pag. 23. & ſequentibus.

Major & minor propoſitio, quæ in figura Galeni. parte 1. pag. 119. & ſeq.

Metaphyſicæ objectum eſt ens reale, vt ens reale. parte 3. pag. 304.

Metaphyſica eſt vera ſcientia, & quare. ibidem. pag. 303.

Metaphyſica non conſiderat quidditates rerum omnium in particulari, & quare. ibidem. pag. 304.

Modi entis non ſunt entia quidditatiuè, & cur. parte 3. pag. 322. & ſeq.

Motus & tempus, nemine cogitante diſtinguntur, & quare. parte 2. pag. 241. & ſeq.

Motus in quo prædicamento. parte 2. pag. 135. & ſeq.

Mundus non potuit eſſe ab æterno, quo ad vllum genus entis, & ob quas cauſas. parte 2. pag. 244. & ſequent.

Mundus non ita perfectus quin acceſſione nouarum ſpecierum perfectior fieri poſſit. parte 3. pag. 402.

## N

NAturæ generica & ſpecifica, nemine cogitante, & à parte rei ſunt vniuerſales, & cur. parte 1. pag. 57. & ſeq.

Natura ſpecifica redditur indiuidua per exiſtentiam, non per materiam ſignatam aut aliquid aliud. parte 3. pag. 351.

Negationes & priuationes abuſiuè dicuntur eſſe, & quare. parte 2. pag. 235.

## O

OBjectum Logicæ eſt ens rationis Logicum, quatenus directiuum operationum intellectus, & quare. parte 1. pag. 8. 16. & ſequentibus.

Obiecta non ſpecificant à priori propriè loquendo, ſed à poſteriori tantum potentias, & quare, parte 1. pag. 98. & 160.

Obiectum adæquatum intellectus eſt ens, & quam ob cauſam. parte 1. pag. 160.

Obiectiua beatitudo eſt Deus. parte 1. p. 144.

Obiectiuus conceptus entis eſt perfectè vnus, & ex natura rei præciſus ab inferioribus, & quas ob cauſas. parte 3. pag. 309. & ſeq.

Opinio & ſcientia ſimul eſſe non poſſunt, nec quo ad actus, nec quo ad habitus, & quare. parte 1. pag. 125. & ſeq.

Opinio quid ſit. parte 1. pag. 121.

Opinio ſemper includit formidinem, ſiue per formidinem iutelligatur poſitiua habitudo aſſenſus opinariui ad ſuum obiectum & medium, ſiue negatio firmi, certi & euidentis aſſenſus, & cur. parte 1. pag. 122. & ſeq.

Organizatio materiæ ad introductionem animæ neceſſario fit à ſemine, & quare. parte 2. pagina 148.

## P

PArtes vnitæ diſtinguntur nemine cogitante à toto, & cur. parte 2. pag. [illegible] & ſeq.

Partes Entitatiuæ admittendæ, & quas ob cauſas. ibidem pag. 192. & ſeq.

Paſſio, actio, & motus, inter ſe diſtinguntur nemine cogitante. parte 2. pag. 134. & ſeq.

Peccatum formaliter eſt priuatio rectitudinis debitæ, & quare. parte 1. pag. 164. & ſeq.

Peccatum non eſt aliquid poſitiuum, & quare. ibidem.

Perſonæ definitio. parte 3. pag. 354. & ſeq.

Potentia materiæ non eſt illi eſſentialis. parte 2. pag. 25. & ſeq.

Potentiæ ſpecificantur tantum à poſteriori per actus & obiecta, & cur. parte 1. pag. 98.

Potentiæ animæ ab anima tantum formaliter diſtinguntur, & cur. parte 2. pag. 289. & ſeq.

Praxis quid. parte 1. pag. 44. & ſeq.

Præſentia eſt relatio. parte 2. pag. 233.

Præſentia realis rerum in æternitate nulla, & quare. parte 1. pag. 103. & ſeq.

Præmiſſarum trāſpoſitio ſufficit ad diſtinctionem figurarum, & cur. parte 1. pag. 119.

Prædeterminatio ab omnibus antiquis admiſſa, & neceſſario admittenda, & ob quas cauſas. parte 2. pag. 85. & 101.

Prædeterminatio non tollit libertatem, nec facit Deum auctorem peccati, vt calumniantur aliqui, & quare. parte 2. pag. 85. 101. & ſeq.

Proiecta non mouentur à vitute illis impreſſa, & quare. parte 2. pag. 157. & ſeq.

Proiecta mouentur à medio, tam ſecundum mentem Ariſtotelis, quam ſecundum rei veritatem, & cur. parte 2. pag. 173. & ſeq.

Propoſitionum ſingularium de contingente futuro, alia determinate vera, alia determinate falſa, tam in ſentētia Ariſtotelis, quam in rei veritate, & cur. parte 1. pag. 101. & ſeq.

Priuatio rectitudinis debitæ in qua conſiſtit peccatum, in quo ſubiectetur. parte 1. pag. 168. & ſeq.

## Q

QVando eſt relatio extrinſecus adueniens. parte 1. pag. 95.

Quantate qualibet intenſa aſſignata Deus non poteſt aliam intenſiorem producere. parte 1. pag. 220.

Quantitatem non habet corpus Chriſti in venerabili Sacramento, & cur. parte 2. pag. 185. & ſequentibus.

Quantitas realiter dinſtinguitur à ſubſtantia, & quare. parte 2. pag. 196. & ſeq.

Quantitas non habet partes actu, & cur. parte 2. pag. 199. & ſeq.

Quantitas non componitur ex indiuiſibilibus, & quare. parte 2. pag. 198. & ſeq.

Quātitatis ratio formalis non eſt diuiſibilitas, non menſura, aut extenſio in ordine ad ſe, ſed extenſio partium extra partes in ordine ad locum, & quare. parte 2. pag. 182. 183. 184. & ſequentibus.

Quantitatis puncta terminatiua non ſunt diſtincta ſecundum poſitiuum quod dicūt ab ipſa quantitate. parte 2. pag. 207. & ſequent.

## R

RArefactione non acquiritur tantum nouus modus quantitatis, & quare. parte 2. pag. 296. & ſeq.

Rarefactione acquiritur noua quantitas, & quare. parte 2. pag. 300. & ſeq.

Relatio multiplicatur ad multiplicationem

numericam termini. parte 1. pag. 93.

Relatio quænam terminat motum, quænam non. parte 1. pag. 89. & parte 2. pag. 235. & ſeq.

Relationes creatas eſſe reales in vtramque partem defenditur, ſed probabilius exiſtimatur eſſe reales, & quare. parte 1. pag. 89. & ſequentibus.

Relatio vna aliam fundare poteſt, & cur. ibidem pag. 91. & ſeq.

Relatio terminatur ad abſolutum, & quam ob cauſam. parte 1. pag. 93.

Relatio creata duplex intrinſecus & extrinſecus adueniens, & quare. parte 1. pag. 94. & ſequent.

Relatio diſtinguitur nemine cogitante à ſuo fundamento, & cur. ibidem pag. 90. & ſequentibus.

Relationes eſſentiales rebus abſolutis, ſiue vt alij loquuntur, tranſcendentales, nullæ ſunt, & quas ob cauſas. ibidem pag. 96. & ſeq.

Reproductione ſubſtantiali vnum corpus non poneretur circumſcriptiuè in pluribus locis. nec corpus Chriſti in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, & quare. parte 2. pag. 231.

Res omnes non ſunt realiter præſentes æternitati Dei, & quare. parte 1. pag. 103. & ſequentibus.

Res permanentes non potuerunt eſſe ab æterno, & ob quas cauſas. parte 2. pag. 244. & ſequent.

Rerum permanentium duratio eſt permanẽs, & quare. parte 2. pag. 238. & ſeq.

## S

SApientia & ſcientia ſe habent vt ſuperius & inferius. parte 3. pag. 304.

Scientia eſt de rebus neceſſariis, & quomodo. parte 1. pag. 34. & ſeq.

Scientia omnis propriè dicta non debet eſſe gratia ſui, & cur. parte 1. pag. 31.

Scientia conditionata ante decretum eſt futilis, & cur. parte 2. pag. 105. & ſeq.

Scientia & opinio ſimul eſſe non poſſunt de eadem re, neque quo ad actus, neque quo ad habitus, & quare. parte 1. pag. 115. & ſeq.

Scientiæ definitio explicatur. ibidem pag. 34. & ſeq.

Scientia totalis non eſt ſimplex qualitas, & ob quas cauſas. ibidem pag. 130. & ſeq.

Scientia habitualis non conſiſtit in ſpeciebus intelligibilibus ordinatis, & confirmatis, ſed in qualitate ab illis diſtincta, & cur. parte 1. pag. 135. & ſeq.

Scoti encomia. parte 3. pag. 384. & p. 399.

Scoti ſententia, quod voluntas poſſit ferri in malum qua malum, defenditur. parte 1. pag. 159. & ſeq.

Scoti ſententia de beatitudine vera, & cur. ibidem pag. 154.

Scotus nunquam agnouit ſcientiam mediam ſiue conditionatam. parte 2. pag. 107. & ſequent.

Scotus agnouit prædeterminationem Phyſicam eamque egregiè demonſtrauit. parte 2. pag. 88. 103. & ſeq.

Scoti ſententia de actu libero Dei defenditur. parte 3. pag. 399.

Specie qualibet dabili Deus non poteſt aliam perfectiorem ſub eodem genere producere, & quare. parte 2. pag. 218. & ſeq.

Species eſt vnum ex duobus vniuerſalibus. parte 1. pag. 77.

Species Angelorum vnica tantum, & quare. parte 3. pag. 406. & ſeq.

Specificatio potentiarum ab actibus & obiectis, non eſt à priori, ſed à poſteriori tantum, & quare. parte 2. pag. 98.

Spatia imaginaria propriè loquendo admitti non debent, neque etiam propriè loquẽdo dici debet Deum in illis eſſe, & quare. parte 2. pag. 235. & ſeq.

Stellæ mouentur per cœlum, vt piſces per mare. parte 1. pag. 259. & ſeq.

Stellatum cœlum vnicum tantum, & quare. ibidem pag. 260.

Subſiſtentia non eſt modus poſitiuus realis à natura exiſtente diſtinctus, & cur. parte 5. pag. 356. & ſeq.

Subſiſtentia creata naturæ exiſtenti duplicem tantum ſuper addit negationem, & quare ibidem.

Subſtantia completa finita eſt ſummum genus in prædicamento ſubſtantię, non autem corpus, & quare. parte 1. pag. 82. & ſeq.

Succeſſiua non potuerunt eſſe ab æterno & quas ob cauſas. parte 2. pag. 244. & ſeq

## T

TEmpus & motus nemine cogitante inter ſe diſtinguntur, & quas ob cauſas. parte 2. pag. 241. & ſeq.

Totum nemine cogitante à partibus vnitis diſtinguitur, & quas ob cauſas. parte 2. pag. 30. & ſequentibus.

S. Thomæ præclara teſtimonia pro prædeterminatione Phyſica. parte 2. pag. 85. & ſeq.

S. Thomas non exiſtimauit ſubſiſtentiam creatam quidquam naturæ exiſtenti ſuperaddere præter duplicem negationem. parte 3. pag. 366. & ſequent.

S. Thomæ ſententia quod Angeli per diuinam potentiam multiplicari non poſſint intra eandem ſpeciem à Sorbonâ damnata. parte 3. p. 404.

S. Thomas non tenuit realem præſentiam ab æterno in æternitate, & quare. parte 1. pag. 103. & ſequent.

Digitized by Google

S. Thomas tenuit dari formas partiales in viuente. parte 2. pag. 272.

V

VBi eſt neceſſariò admittendum,& cur parte 2. pag. 233. & ſeq.
Vbi non eſt modus abſolutus, ſed relatio extrinſecus adueniens. ibidem.
Verum eſt proprietas entis. parte 3. pag. 326.
Verum eſt aliquid poſitiuum ab ente formaliter diſtinctum, & cur. parte 3. pag. 327. & ſeq.
Vnio inter partes neceſſariò admittenda, & cur parte 2. pag. 38. & ſeq.
Vnio non eſt modus abſolutus ſed relatio extrinſecus adueniens, & cur. parte 2. pag. 36.
Vnio duplex admitti debet, vna in forma, alia in materia, & cur. ibidem pag. 39.
Vnio non eſt eſſentialis partibus vnitis, & cur. ibidem pag. 37.
Vnitas formalis latè probatur. parte 1. pag. 56. 60. 61.
Vniuerſale duplex Logicum & Metaphyſicum. parte 1. pag. 54. & ſeq.
Vniuerſale Metaphyſicum, nemine cogitante formaliter eſt à parte rei, & ob quas cauſas. parte 1. pag. 57. & ſeq.
Vniuerſale Logicum fit formaliter tale per operationem directam & abſolutam intellectus poſſibilis, & cur. parte 1. pag. 55
Vniuerſalia formaliter ſunt tantum duo, & quare. parte 1. pag. 77.
Vnum eſt paſſio entis. parte 3. pag. 326.
Vnum eſt aliquid poſitiuum formaliter ab ente diſtinctum, & ob quas cauſas. ibidem pag. 327. & ſeq.
Voluntas perfectior intellectu, & quare. parte 1. pag. 150. & ſeq.
Voluntatis perfectiſſimus actus eſt perfectior perfectiſſimo actu intellectus, & quare. parte 1. pag. 149.
Voluntas poteſt ferri in malum qua malum, & ob quas cauſas. parte 1. pag. 159. & ſequentibus.

## *Errata ſic corriges.*

*Pagina* 311. Quitardus apud Meuriſſium. *lege* Pitardus apud Meuriſſium. *pagina* 317. nullam ſequi in Deo compoſitionem, *lege* vllam ſequi in Deo compoſitionem. *pagina* 333. ens eſſentia, *lege* ens eſſentiæ. *pagina* 366. Probatur denique concluſio, *lege* Probari etiam poſſet concluſio.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google